JUS
CANONICUM
UNIVERSUM

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

IN QUÆSTIONES DISTRIBUTUM

SOLIDISQUE RESPONSIONIBUS ET OBJECTIONUM SOLUTIONIBUS DILUCIDATUM

AUCTORE

R. P. F. ANACLETO REIFFENSTUEL


ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI REFORMAT. PROVINCIÆ BAVARICÆ LECTORE JUBILATO

EDITIO NOVISSIMA CUI ACCESSIT

TRACTATUS DE REGULIS JURIS

CUM REPERTORIO GENERALI TOTIUS OPERIS

TOMUS QUINTUS



ROMÆ

APUD DOMINICUM ERCOLE

MDCCCXXXIV

PRAEFATIO

Dante Deo (cui soli omnis honor et gloria) habes, Benevole Lector, nunc etiam Quintum, et ultimum Tomum Juris Canonici universi, Ordine, methodo, doctrinae securitate, brevitate, et charitate prioribus, uti spero, similem. De quo eadem, quae de praecedentibus Tomis te monitum, et rogatum, ipsum Tomum vero, una cum toto Opere quoad omnia et singula, Judicio, Censurae, et correctioni sanctae Ecclesiae Catholicae subjectum volo.

FACULTAS ET CENSURA ORDINARII

Cum Juris Canonici Tomus Secundus R. P. Anacleti Reiffenstuel, Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum Theologi Jubilati etc. a Theologis perlectus, nihil Fidei Orthodoxae aut bonis moribus contrarium contineat, sed imo ob claram methodum, sententiarum gravitatem, et rationum subtilitatem Jus dicentibus, et in utroque Foro versantibus, apprime utilis futurus sit: ideo, ut publicam lucem videre possit, licentiam, et facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum etc. Frisingae die 19 Julii 1714.

Joannes Sigismundus Zeller, ex Liberis Baronibus a Gleinstotten, Dominorum in Leiberstorff, Dei, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Bellinensis, Reverendiss. et Celsiss. Sac. Rom. Imp. Principis, ac Domini, Domini Joannis Francisci, Episcopi Frisingensis, etc. etc. per Dioecesin in Pontificalibus et Spiritualibus Vicarius Generalis, Cathedralis Ecclesiae Praepositus, Archi-Diaconus, et Canonicus Capitularis, etc. Librorum Censor.

LICENTIA ET APPROBATIO ORDINIS

Fr. Matthaeus a Sancto Stephano, SS. Theologiae Lector Jubilatus, ac totius Ordinis S. P. N. Francisci Minister Generalis, et Servus: Dilecto nobis in Christo R. P. F. Anacleto Reiffenstuel, Lectori Jubilato et Concionatori nostrae Reformatae Provinciae Bavariae, salutem, et omne bonum.

Cum, juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones, per idoneos Censores, revisum fuerit opus quoddam R.P.F. Anacleti Reiffenstuel etc. cujus Titulus est: *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quaestiones distributum etc.* Tenore praesentium, ad Salutaris Obedientiae meritum, facultatem impertimur, quatenus servatis servandis Typis mandari valeat. Datis Romae, die 10 Apr. 1700.

Fr. Matthaeus a S. Stephano Minister Generalis.

De Mandato S. P. Reverendissimae Fr. Petrus ab Urbino, Secretarius Generalis.

FACULTAS ADMODUM REVERENDI PATRIS VICARII GENERALIS

Cum Reverendi Patris Anacleti Reiffenstuel, Ord. Min. S. Francisci Reformatorum, Provinciae Bavariae Ex-Custodis, LectorisJubilati, opus quoddam, cui Titulus: *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quaestiones distributum,* a duobus Theologis jam sit revisum et approbatum, plurimumque recommendatum, et omnia, quae de Jure in Editione Librorum sunt servanda, sint observata: tenore praesentium facultatem impertior, ut laudatissimi hujus Operis Tomus Quintus pro utilitate publica Typis mandari possit. Actum Monachii 19 Julii 1714.

F. Sigismundus Neudecker, Ord. Min. S. Francisci Refor. Lect. Jub., Vicarius Prov.

CENSURA THEOLOGICA

Nos infra scripti de Mandato et Commissione Superiorum diligenter et accurate perlegimus Juris Canonici universi Tomum quintum Reverendi P. Anacleti Reiffenstuel, Lectoris Jubilati, et quoniam hic ultimus cum praecedentibus in amabili ordinis et methodi claritate, in solida doctrinae facilitate, in fideli Legum, Canonum, et Auctoritatum realitate, et in secura cum Orthodoxae fidei ac morum principiis conformitate per omnia concordat; ideo dignissimum censemus, ut hoc totius Operis complementum ad immortalem Auctoris memoriam, publicum Christianae Reipublicae emolumentum, et insignem Orbis Litterarii consolationem publico praelo committatur. Datum Frisingae die 18 Julii 1714.

Fr. Albertus Reiffenstuel, Ord. M. S. Francisci Refor. Lect. Jub., et Guardianus.
Fr. Massaeus Kresslinger, Ord. M. S. Francisci Refor. SS. Canonum Lect. Jubil.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831

REIMPRIMATUR Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. Mag. S. Pal. Soc.
REIMPRIMATUR Josephus Della Porta Patriar. Constantinop. Vicesg.

ELENCHUS

TITULORUM PARAGRAPHORUM ET QUÆSTIONUM

IN TOMO QUINTO JURIS CANONICI UNIVERSI CONTENTORUM



TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, et Denunciationibus.

§. I.

De variis modis procedendi contra Criminosos, ubi etiam de Accusatione in specie.

§. II.

De Denunciationibus.

§. III.

De Inquisitione.

§. IV.

De aliis requisitis ad Inquisitionem specialem: praesertim de corpore delicti, de Capitulis, et Articulis Reo communicandis: item de ordine illius: ac nonnullis huc facientibus.

§. V.

De Executionibus: ubi etiam de Criminibus sine ordine puniendis, Notoriis nempe, ac illis, qui in flagranti deprehenduntur.

§. VI.

De Visitatione Regularium, praesertim Ordinis nostri Seraphici.

§. VII.

De Processu criminali Regularium, simulque de ordine, et praxi ejusdem, praesertim in Religione nostra Seraphica.

§. VIII.

ELENCHUS

§. VII.

De Simonia, quae committitur promittendo, dando, vel praestando temporale pro precibus, intercessionibus, recommendationibus in ordine ad obtinendum spirituale, ubi etiam de nonnullis aliis dubiis circa Simoniam in genere.

§. VIII.

De quibusdam Simoniis in specie, illis videlicet, quae committuntur in Electione, Postulatione, Collatione, Praesentatione, Commutatione, et Resignatione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

§. IX.

De Simonia, quae committitur in ingressu, vel Receptione ad Religionem.

§. X.

De Simonia, quae committitur in administratione Sacramentorum, et Sacramentalium, praestatione munerum, functionum, et actuum Spiritualium v. g. Sepulturae, Benedictionum, Dispensationum, Absolutionum, Precum, Orationum, Missae etc.

§. XI.

De Poenis Simoniae.

§. XII.

De Restitutione Simoniace acceptorum.

§. XIII.

De Causis et Titulis excusantibus a Simonia, vel poenis, ac restitutione Simoniace acceptorum.

§. XIV.

De Dispensatione in poenis Simoniae, et absolutione a Censuris ob eam incursis: ubi etiam de Judice Simoniae, et Testibus contra eam.

TITULUS IV.

Non habet Quaestiones.

TITULUS V.

De Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

TITULUS VI.

De Judaeis, et Saracenis, et eorum Servis.

TITULUS VII.

De Haereticis.

§. I.

De Natura, ac Divisione Haeresis, et Haereticorum.

§. II.

De Communicatione, et Disputatione cum Haereticis, nec non de Praedicatione ad eos, et Catholicos facienda.

§. III.

De Lectione, Retentione, Impressione, et Defensione Haereticorum, et aliorum prohibitorum Librorum.

ELENCHUS

TITULUS VIII.

De Schismaticis, et Ordinatis ab eis.

TITULUS IX.

De Apostatis, et Reiterantibus Baptisma.

TITULUS X.

De His, qui filios occiderunt.

TITULUS XI.

De Infantibus et Languidis expositis.

TITULUS XII.

De Homicidio voluntario et casuali.

§. I.

De Natura, et Divisione Homicidii.

§. II.

De Homicidio voluntario illicito, seu injusto, ac poenis illius: ubi de injusta vulneratione, et mutilatione poenisque illius.

§. III.

De Homicidio voluntario juste, et licite commisso auctoritate publica, vel in bello justo: et Irregularitate inde proveniente.

§. IV.

De Homicidio, et mutilatione ob necessariam suidefensionem facta: et irregularitate inde secuto.

§. V.

De Homicidio casuali: et irregularitate inde proveniente: aliisque poenis illius.

§. VI.

De Dispensatione in Irregularitate orta ex Homicidio vel mutilatione.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

TITULUS XVI.

De Adulteriis et Stupro.

§. I.

De Adulteriis.

§. II.

De Stupro.

§. III.

De aliis vitiis Carnis, fornicatione videlicet, concubinatu, incestu, sacrilegio carnali, et sodomia.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, incendiariis, et Violatoribus Ecclesiarum.

§. I.

De Raptu, ac Rapina, et Raptoribus tam personarum, quam rerum.

§. II.

De Incendiariis, et Violatoribus Ecclesiarum.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

§. I.

De Natura, et variis modis Furti.

§. II.

De Poenis Furti, et restitutione furto ablatorum; nec non de remediis illa iterum recuperandi: ubi etiam de nonnullis Furtis in specie, et poenis eorum.

TITULUS XIX.

De Usuris.

§. I.

De Natura et Divisione Usurae.

§. II.

De Prohibitione et malitia Usurae proprie dictae, seu lucratoriae.

§. III.

An? et quomodo de Jure civili, vel auctoritate Principis, vel statuto aut consuetudine usurae proprie tales, seu lucratoriae de facto sint, aut fieri possint licitae? ubi etiam in specie de consuetudine Germaniae, dandi et exigendi quinque pro centum, nullo attento, vel desiderato titulo.

§. IV.

De usura compensatoria, seu restauratoria, et de titulis, ex quibus fit et licita redditur, lucro videlicet cessante, damno emergente, et periculo perdendae sortis.

§. V.

De usura moratoria, seu punitoria, et de titulo, ex quo fit, et licita redditur, poena videlicet, quae ob culpabilem moram solvendi apponitur.

ELENCHUS

§. VI.

Examinantur varii contractus, et actiones, an sint usurarii nec ne?

§. VII.

De Pacto Antichriseos, et Legis commissoriae, ac de Montibus pietatis, an sint usurarii nec ne?

§. VIII.

De Censibus, an sint liciti, vel usurarii?

§. IX.

De Obligatione solvendi usuras, et de Dominio solutorum, nec non de restitutione earundem.

§. X.

De Poenis et Judice Usurarum.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

TITULUS XXIII.

De delictis Puerorum.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato Ministrante.

TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promoto.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive ordinem suscepit.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Praelatorum, et Subditorum.

TITULUS XXXII.

De novi operis Nuntiatione.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, et Excessibus Privilegiatorum.

§. I.

De Natura et Divisione Privilegiorum.

§. II.

De Concessione, et Acquisitione Privilegiorum: ubi etiam de tempore, quo valere incipiunt.

ELENCHUS

§. III.

De Communicatione Privilegiorum.

§. IV.

De Innovatione, Confirmatione, et usu Privilegiorum.

§. V.

De Extensione, et Interpretatione Privilegiorum.

§. VI.

De Renovatione Privilegiorum ut sic, et in specie de illa, quae facta est a Concilio Tridentino.

§. VII.

De Privilegiis vivae vocis oraculo concessis, ac Revocatione, et valore illorum.

§. VIII.

De amissione Privilegiorum per interitum personae, aut Rei privilegiatae, ac propter abusum, damnum superveniens, lapsum temporis, et cessationem causae.

§. IX.

De amissione Privilegii per Renuntiationem: Et quando ea fieri possit.

§. X.

De Amissione privilegiorum per non usum, vel actum contrarium, ubi etiam de privilegiis in specie usu adhuc vigentibus.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

TITULUS XXXV.

De Purgatione vulgari.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis et damno dato.

§. I.

De Injuriis.

§. II.

De Damno dato et Represaliis.

TITULUS XXXVII.

De Poenis.

§. I.

De Poenis in genere.

§. II.

De Poenis Ecclesiasticis in specie, praesertim vero de privatione Beneficiorum, Depositione, Degradatione, Infamia et Irregularitate.

§. III.

De Infamia.

§. VIII.

De Judice Censurarum, et absolutione ab eisdem, praesertim ab Excommunicatione: ubi etiam quaedam de potestate absolvendi a Censuris, ac aliis tam reservatis, quam non reservatis peccatis competente Regularibus.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

JURIS CANONICI

UNIVERSI

CLARA METHODO JUXTA TITULOS

QUINQUE LIBRORUM DECRETALIUM

IN QUÆSTIONES DISTRIBUTI SOLIDISQUE RESPONSIONIBUS ET OBJECTIONUM SOLUTIONIBUS DILUCIDATI

LIBER QUINTUS

PRÆFATIO



Postquam in Secundo Libro Decretalium de ordine judiciario in causis civilibus observando, et in tertio ac quarto de materia, seu rebus tum Clericorum, tum Laicorum, quae in judicium Ecclesiasticum civile deducuntur, tractatum fuit: pergit Compilator Juris Canonici hoc Quinto Libro Decretalium ad discutienda ea, quae in Judicium Ecclesiasticum Criminale veniunt. Differt autem hoc judicium a Civili: quia in civili non agitur super crimine, sed super re aliqua vel jure debito; vel si quidem agatur super crimine, non tamen ad vindictam publicam, sed ad interesse privatum. Judicium vero criminale est, quando agitur super crimine ad publicam vindictam; id est, eo fine, ut Reus criminis publice, seu juridice puniatur. De hoc igitur judicio criminali, quantum attinet ad Forum Ecclesiasticum, ex professo tractat Liber Quintus Decretalium; in quo inprimis toto Titulo primo docetur, qua ratione actiones criminales sint instituendae: dein agitur de variis delictis, quae ad Forum Ecclesiasticum deduci, ibique dijudicari, et puniri debent: tandem etiam sequitur de poenis Ecclesiasticis, atque censuris in criminosos statutis. Et horum quidem notitia adeo scitu est necessaria, ut plura eorum etiam Theologia a Jure Canonico mutuet: nos vero principaliora DEO FAVENTE discutiemus.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, et Denunciationibus.

1 *Objectum Tituli praesentis.*

1 Praesens Titulus tractat de ordine seu tela judiciaria Criminali, ponendo ea, quae sunt propria sive in judicio criminali; nam reliqua, quae hoc judicium cum Civili habet communia, ex 2. Decretalium Libro desumenda sunt. Caeterum materia praesentis Tituli est copiosissima, quam nonnulli in integris Tomis declarant: nos praecipua, et ad forum Ecclesiasticum magis spectantia, sequentibus Paragraphis explicabimus.

§. I.

De variis modis procedendi contra Criminosos, ubi etiam de Accusatione in specie.

SUMMARIUM.

2 *Generatim duobus modis contra Criminosos proceditur.*

3 *In specie vero tribus, nempe Accusatione, Inquisitione et Denunciatione.*
4 *Solvitur instantia:*
5 *Definitur Accusatio Criminalis.*
6 *Plura ad eam requiruntur, veluti I. ut fiat in scriptis: quod tamen hodie non attenditur.*
7 II. *Ut fiat apud competentem Judicem.*
8 III. *Ut exprimatur nomen Judicis, Accusatoris, Accusati, delicti, mensisque, et annus, in quo commissum fuit.*
9 *Dies tamen et hora delicti necessario non exprimitur.*
10 IV. *De Jure requiritur etiam inscriptio.*
11 *Secus de consuetudine.*
12 *In Religione nostra adhuc est in usu vi Statutorum.*
13 V. *Debet fieri ad publicam vindictam: in quo differt ab Accusatione Civili.*
14 *Accusatio Criminalis, in quo differat a Civili? item ab Inquisitione, et Denunciatione.*
15 *Plures* non *possunt accusare.*
16 *Veluti* I. *Impuberes:* item *Minores respectu adulterii, non item aliorum criminum.*
17 II. *Mulieres.*
18 III. *Servi: et juxta aliquos filiifamilias.*
19 IV. *Clerici, Religiosi, nisi accusent suum Praelatum, qui ad litem etiam expensas subministrare debet.*
Quomodo possint Religiosi et Clerici crimina aliorum accusare? Ibid.
20 V. *Milites: et Membra Magistratus superiorem non agnoscentes.*
21 VI. *Surdi et muti: item mente capti.*
22 VII. *Infames, ac criminosi; et quomodo?*
23 VIII. *Criminaliter accusati; et quomodo?*
24 IX. *Excommunicati.*
25 X. *Inimici capitalis accusati, et cohabitantes cum tali inimico.*
26 *Limitatur praecedens doctrina.*
27 XI. *Merito suspecti: et quinam hi? item specialiter pauperes, et qui?*
28 XII. *Infideles, et haeretici nequeunt accusare Christianum.*
29 XIII. *Sanguine juncti: et quinam?*
30 *Omnes recensiti inhabiles accusare valent in certis criminibus: et quibus? Et num. seq.*
32 *Inhabilem potest Judex nulla facta instantia ex officio repellere.*
33 *An, et quando teneatur quis accusare Criminaliter?*
34 *Plures accusari nequeunt: veluti* I. *Carentes usu rationis.*
35 *Impuberes accusari, et puniri valeat, sed mitius.*
36 II. *Absentes: limitatur tamen haec doctrina.*
37 III. *Mortui in ordine ad puniendus haeredes.*
38 IV. *Superiorem non agnoscentes, uti Papa, Imperator, Reges etc.*
39 V. *Legati Imperatoris.*
40 VI. *Qui crimen jam praescripserunt: quaenam crimina, et quando praescribantur? Ibid. Remissive.*
41 *Absolutus a Crimine, vel Accusatione de illo crimine, nec ab eodem, nec ab alio amplius accusare valet.*
42 *Limitatur tamen haec doctrina in multis casibus, usque ad n. 50.*
50 *Accusator oblato jam libello non amplius potest desistere ab Accusatione.*
51 *Bene tamen ante libellum, si tantum minatus est Accusationem.*
52 *Deprehendens, se errasse accusando, tenetur in foro interno desistere.*
53 *Desistens punitur in foro externo, et quomodo?*
54 *Accusatione facta potest, et debet Judex formare Processum.*
55 *Potest insuper, et debet Reum, etiam ante citationem carcerare, si est suspectus de fuga, aut si est periculum, ne subornet, vel impediat testes.*
56 *Accusator tenetur plene probare delictum: deficiens tenetur ad Talionis et alias poenas; a quibus subinde excusatur. Remissive.*
57 *Accusatio respectu Accusati habet eosdem effectus, quos habet Denuntiatio respectu Denuntiati.*

Queritur I. Quibus generatim modis in foro Canonico procedatur contra Criminosos? Resp. I. cum Alphonso Vigilat. *Lib. 10. Practicae Canonicae criminalis, concl. 1.* et aliis, id generatim fieri duobus modis, nimirum vel ad instantiam partis vel ex officio Judicis. Priori modo Judex procedit, quando pars offensa, vel alius, ad quem de Jure spectare potest jus accusandi, vel denunciandi, porrigit accusationem seu querelam, et super ipsa postmodum per judicium proceditur. Posteriori modo, sive ex officio Judicis id fit, quando Judex ex se ipso, seu ex officio suo inquirit, seu assumit informationem contra Delinquentem, et contra eum procedit. 2

Resp. II. Magis loquendo in specie sunt tres potissimum modi, quibus crimina in judicium deducuntur, videlicet, *Accusatione, Inquisitione*, et *Denuntiatione, cap. qualiter 24. §. penult. h. t.* ibi: *Contra quos* (Criminosos) *tribus modis possit procedi: videlicet per accusationem, denunciationem, et inquisitionem ipsorum,* quod idem habetur *c. Licet 31. princ. de Simon.* de quibus tribus modis proinde loquitur Rubrica praesentis Tituli. Dico notanter, *tres potissimum modi*: nam addi debent alii duo modi deducendi crimina in judicium, nimirum ope exceptionis *c. 9. h. t.* et processu sine ordine, uti fit, quando Reus in flagranti crimine deprehenditur; aut quando dictum est notorium, *arg. can. prohibemus 14.* et *can. 16. caus. 2. q. 1*, ac amplius patebit infra §. 5. 3

Nec dicas, *c. super his h. t.* tres tantum modos, et quidem alios a supra dictis tribus enumerari a Pontifice, quem tamen non est censendum mutilate vel male locutum, dum ait: *Respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, denunciando, excipiendo, et accusando.* Resp. enim cum Abbate ibidem §. *In Glossa 1.* et aliis Doctoribus, quod aliud sit quaerere, quot modis possit agi de crimine, aliud opponere crimen: nam opponere crimen denotat factum partis adversae, nec proprie fit nisi aliquo istorum trium modorum; sed agi de crimine potest omnibus quinque modis, quibus crimina in judicium deducuntur. 4

Quaeritur II. Quid sit accusatio Criminalis? quomodo fieri debeat? et in quo differat ab actione, *et* accusatione Civili, et a Denuntiatione, ac Inquisitione? Resp. I. Accusatio Criminalis est criminis alicujus apud Judicem competentem legitime facta delatio ad publicam vindictam. Ita in re communis, *arg. l. fin. C. h. t.* quamvis alii addant *interveniente inscriptione*, tamen haec verba omittimus, quia implicite continentur in verbo *legitime*; prout, et tota definitio statim patebit ex responsione sequenti. 5

Resp. II. Ad hoc, ut accusatio Criminalis legitime fiat, requiruntur plura. Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut Accusatio Criminalis fiat in scriptis per libellum rite formatum. *l. Libellorum 3. ff. h. t. et can. 1. caus. 2. q. 8.* ibi: *Accusationes nunquam recipiantur sine scripto.* Nisi crimen sit de 6

levioribus, utpote quae in scriptis accusare necesse non est; cum de plano discutientur, *arg. l. Levia. 6. ff. eod.* Imo vigore hodiernae consuetudinis communiter receptae, etiam de gravioribus criminibus sine scriptura oretenus Accusatio fieri potest, teste Julio Clar. §. *fin. q.* 12. *n.* 6. *et* 7. Salicet. *in l. penult. C. h. t.* Azor. *p.* 3. *lib.* 18. *cap.* 19. *dub.* 2. Pirhing *h. t. n.* 2. et aliis; dummodo Accusatio, seu querela oretenus proposita, per Notarium, vel Actuarium publicum in scriptis redigatur, et de reliquo serventur servanda, prout vult Constitutio Caroli V. *art.* 5. 89. *et seqq.* beneque advertit Clarus *loc. cit.* Caeterum cur Jura velint, ut Accusatio in scriptis fiat, ratio est: tum ut constet, quid Accusator probare debeat, et ne quid mutare valeat, si videt, se in probatione deficere, tum etiam, ut Judex Accusationi conformiter sententiam facilius ferre queat, prout debet.

7 II. Requiritur, ut fiat apud competentem Judicem; secus enim processus et sententia foret nulla, *l.* 1. *et l. fin. C. Si non competent.* Hinc dictum est in definitione, *apud Judicem competentem.*

8 III. Requiritur, ut exprimatur nomen Judicis, apud quem fit accusatio; quatenus cognosci valeat, an sit competens. Item nomen Accusatoris, et Accusati; ut appareat, an sint tales, qui accusare, vel accusari possunt: nec non species delicti; sicut etiam locus et tempus delicti, anno saltem, et mensis, in quo perpetratum fuit; prout aperte liquet ex *can. fin.* §. *Libellorum*, *cau.* 2. *q.* 8. *et l. libellorum* 3. *ff. h. t.* Ratio est: tum ne Accusatio vaga et obscura fiat: tum ne Accusato desit occasio defendendi se; tum etiam ut videre valeat Judex, an Crimen non jam sit praescriptum: quod si unum ex memoratis circumstantiis omittatur, libellus tanquam vitiosus ex officio rejici debet, Carolus *loc. cit. q.* 12. *n.* 9. Gailus 1. *Observat.* 64. *num.* 9. *et seqq.* Et haec omnia de substantia Accusationis esse, cum communi docet Clarus *lib.* 5. §. *fin. q.* 12. *n.* 9.

9 Expressio tamen diei et horae, in qua delictum commissum fuit, necessaria non est, *cit. l.* 3. *ff. h. t.* ibi: *Neque autem diem, neque horam invitus comprehendet.* Nisi forsan talis expressio Accusatori facilis, et Accusato ad sui defensionem utilis, aut necessaria foret, eamque propterea exigeret Accusatus; hoc enim in casu etiam diem et horam Reo exigente exprimi debere, bene advertit Farinacius *Reor. defens.* 3. *cap.* 3. *n.* 7. *et* 10. cum aliis.

Requiritur tamen, ut exprimatur dies, et a fortiori annus Accusationis factae, per Jura *num. praecedenti* allegata. Quod etiam de substantia requiri, bene docet Amenn *Tit. X.* ✠. *Denuntiatio* §. 4. *q.* 4. n. 34. Tum quia in Jure, ubi praescribitur forma, requiritur dies, *cit. L.* 3. *ff. h. t.* Tum quia bene potest contingere, ut valor Processus a die hac dependeat; ut si tali die Judex fuisset suspensus, vel Accusator, inimicus Accusati etc. Et quamvis Clarus in aliquo putat, non esse de substantia apponere diem Accusationis, tamen id omnino fieri debere fatetur. Imo haec omnia de substantia Accusationis esse, cum communi docet Clarus *lib.* 5. §. *fin. q.* 12. *n.* 9.

10 IV. De Jure requiritur Accusatoris *inscriptio*[1], seu *subscriptio*, qua se obligat ad crimen objectum probandum, vel, si in probatione defecerit, ad poenam Talionis, id est, ad subeundam eandem poenam, quam Reus pati debuisset, si crimen probatum fuisset, *c. Super his.* 16. *hoc tit. can. Quisquis* 3. et *can. Quis crimen.* 4. *cau.* 2. *q.* 8. juncta *l. Si cui.* 7. *ff. hoc tit.* ibi: *Si cui crimen objiciatur, praecedere debet in crimen subscriptio.* Ratio ibidem additur illis verbis: *Quae res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad Accusationem, cum sciat, inultam sibi Accusationem (si esset injusta) non futuram.*

Verum de facto haec inscriptio non amplius est in usu, sed per contrariam consuetudinem abrogata, et poena Talionis in arbitrariam, et extraordinariam commutata; quia propter Talionis poenam multi etiam a justa Accusatione fuere deterriti, et sic delicta manserunt impunita cum gravi Reipublicae damno, prout cum aliis optime advertit Clarus *in Prax. Crimin. lib.* 5. §. 2. *q.* 81. *n.* 3. Covarruv. *Var. Resolut. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 9. Gailus *lib.* 1. *de Pace publ. cap.* 9. *n.* 3. Felinus *in c. Super his. h. t. num.* 5. Si quis tamen convinceretur, quod innocentem vere malitiose accusasset, aut denuntiasset, poenam Talionis sustinere adhuc deberet vigore Constitutionis Pii V. *Cum primum*, innovantis poenam Talionis. Quamvis enim ibi tantum sit sermo de objectione criminum sodomiae, blasphemiae, et concubinatus, tamen dictam Constitutionem etiam ad Accusatores de aliis criminibus extendit Passerinus *Tribunal. Regul. q.* 7. *n.* 44. 11

12 Illud certum est, poenam Talionis adhuc procedere, et infligi debere in illis locis, vel Religionibus, ubi specialim de illa extant Statuta, prout est in Religione nostra Seraphica: Nam Statuta Generalia *cap.* 7. §. 6. *n.* 26. *et* 27. poenam Talionis justis de causis praecipiunt illis verbis: *Poena talionis puniri debent, qui falsum testantur, et etiam accusatores qui crimen objectum legitime, ac sufficienter non probaverint, qua puniri debuissent accusati, si crimen contra eos objectum legitime probatum fuisset: qua poena etiam puniantur, qui scienter de crimine alias sufficienter punito, quempiam accusaverint, a quibus alias accusatus judicialiter, ac rite fuit absolutus juxta Decreta per Constitutionem S. Damasi Papae. Et quia haec Apostolica S. Damasi Papae Constitutio ad praecludendam calumniis, ac imposturis, ac indebitis vexationibus viam, et ad calumniatores, et impostores juste compescendos, valde opportuna quidem et salutaris est, idcirco ab omnibus Ordinis Superioribus et Praelatis sub gravi suspensionis poena, vel etiam privationis contrafacientibus, aut negligentibus subeunda, eam servari omnino praecipimus.*

13 V. Requiritur, ut Accusatio fiat ad publicam vindictam, quatenus videlicet ob bonum publicum, ad terrorem, et exemplum aliorum Reus publice puniatur poena corporali, aut poena pecuniaria Fisco applicanda, vel privetur dignitate, officio, beneficio etc. Quando enim Delatio criminis non ad publicam vindictam, sed solummodo ad satisfactionem et utilitatem illius, qui damnum, aut injuriam passus est, jam non Accusatio Criminalis, sed Accusatio seu Actio Civilis est; possunt namque crimina non tantum Criminaliter, sed etiam Civiliter in judicium deduci, §. *In summa.* 10. *Instit. de Jurajur.* Et ex his facile patet responsio ad tertiam partem Quaesiti.

14 Resp. ergo III. Accusatio Criminalis differt ab Accusatione, seu Actione Civili, quod illa intendat vindictam publicam, haec vero commodum, aut satisfactionem Agentis, vel Accusantis, aut injuriam vel damnum passi. A Denuntiatione differt; tum quia haec de Jure non requirit inscriptionem, nec tantas solemnitates, uti Accusatio, ut bene advertit Gonzalez *in c.* 1. *h. t. n.* 6. *arg. c. Super his.* 16. *eod.* Ab Inquisitione differt; quia haec ex officio Judicis, Accusatio vero in instantiam partis incohat; prout amplius §. *II. et III.* aliaeque differentiae patebunt.

15 Quaeritur III. Quinam Criminaliter accusare possint? Resp. Omnes posse, qui ob *aetatem*,

sexum, statum, officium, defectum, delictum, suspicionem calumniae, sanguinis conjunctionem, vel reverentiam e Jure non prohibentur, prout habetur *can. Prohibentur* 4. *cau.* 2. *q.* 1. et *l. Qui accusare.* 8. *ff. h. t.* uti amplius de singulis patebit ex statim dicendis.

16 I. Ob *defectum aetatis* accusare non potest Impubes seu pupillus *cit. can.* 14. *cau.* 2. *q.* 1. et *l.* 8. *ff. h. t.* ibi: *Alii propter aetatem ut pupillus.* Minor autem 25. annis excluditur ab accusatione adulterii, nisi ipsius proprium Matrimonium esset violatum, *l. Si maritus.* 15. §. 6. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* ibi: *Lex Julia de Adulteriis specialiter quosdam adulterii accusare prohibet, ut Minorem 25. annis.* Ratio additur: *Nec enim visus est idoneus accusator, qui nondum robustae aetatis est: Quod ita verum est, si non matrimonii sui injuriam prosequatur.* Quia vero Minores a sola hac Accusatione excluduntur, et exclusio unius sit inclusio alterius, alia crimina accusare bene poterunt, dummodo illius sint aetatis, quod postulare, seu in publicum procedere valeant, videlicet 17. annorum, *L.* 1. §. 3. *ff. de Postuland.* eisque assistat Curator *l. Clarum.* 4. *C. de Auctorit. praestan.* et bene docet Clarus § *fin. q* 14. *n.* 7. Addens consuetudine hodierna indistincte admitti omnes Minores ad accusandum, dummodo 14. annum expleverint.

17 II. Ob *sexum* ab accusando repellitur mulier *cit. can. Prohibentur.* 14. *can.* 2. *q.* 1. et *l.* 8. *ff. h. t.* ibi: *Alii propter sexum ut mulier,* nisi accuset de criminibus exceptis, juxta dicenda infra *n.* 30.

18 III. Ob *statum* ab accusando repelluntur servi: cum enim hi nequeant agere civiliter, *l. Servus.* 6. *C. de Judiciis*, multo minus criminaliter. Ob *statum* aliqui cum Glossa *in l. fin. pr.* ℣. *Necessitate. C. de Bonis, quae liberi.* volunt, filiumfamilias sine consensu patris accusare non posse, Farinac. *Prax. Criminal. Tit. de Accusat. q.* 12. *num.* 10 Bartol. *in l. Inter liberos.* 6. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* Clarus *in Pract. Crimin.* § *fin. q.* 14. *num.* 5. Alii filiumfamilias etiam sine consensu patris ad accusandum admittunt ex illa ratione; quia Accusatio pertinet ad jus publicum, causam nempe publicam, in iis vero, quae ad jus publicum spectant, non attenditur jus patriae potestatis, *l. Filiusfamilias.* 9. *ff. de His, qui sui, vel alieni.* cum Concordant. Hinc Clarus *loc. cit.* ait, se in praxi de hac doctrina nunquam dubitari vidisse. Illud certum est; quod filiusfamilias cum consensu patris accusare valeat.

19 Rursus ob *Statum* criminaliter accusare non possunt Clerici et Religiosi, *can. Sacerdotes.* 51 *cau.* 2. *q.* 7. *cau. Sicut.* 6. *ead cau. et q.* praesertim si infligenda esset poena sanguinis, *c. Sententiam* 9. *Ne Clerici vel Monachi* Et licet ac arcendam suam, suorumque injuriam, vel utilitate Monasterii etiam Laicos accusare valeant, tamen si esset causa sanguinis, deberent expresse protestari, se non agere ad publicam vindictam, sed praecise ad avertendum damnum; alias peccarent mortaliter, et secuta morte, vel mutilatione, accusantes fierent irregulares, *c.* 21. *de Homicidio*, et *c.* 2. *eod. in* 6. Religiosi tamen ab Accusatione sui Praelati nullatenus sunt repellendi, et dicitur *c. Ex parte.* 11. *hoc tit.* quia interest Monasterio, ne malum habeat Praelatum. Hinc tenetur Praelatus etiam ministrare expensam pro lite contra se mota, *cit. c.* 11. *h. t.* et ibi Glossa ℣. *Alia* communiter recepta.

20 IV. Ob *officium* accusare nequeunt primo Milites, *cit. l.* 8. *ff. h. t.* ne occasione Accusationis a signis et castris avocentur. Secundo Magistratus Membra *l.* 8. *ff h. t.* ibi: *Alii propter Magistratum*: cum enim hi ob potestatem in jus vocari, seu accusari nequeant, *cit. l.* 8. *ff. h. t.* aequum non videtur, quod ipsi alios accusare valeant. Id tamen cum communi Doctorum intellige de Magistratu more Romanorum, supremam potestatem et jurisdictionem exercente, et alium Superiorem non agnoscente; non item de Magistratibus inferioribus, et Judicibus ordinariis Superiorem habentibus, et cognoscentibus, *l. Nec Magistratibus.* 42. *ff. de Jurejur.* et *l. de Ordinando.* 4. *C. de Offic. Praefect. praet. Orient.*

V. Ob *Defectum* corporis scilicet vel animi accusare non possunt primo Surdi et muti a natura, *arg. l.* 1. §. 3. *ff. de Postulan.* Secundo furiosi, et mente capti, quia, quae geruntur, non intelligunt. *l. Dummodo.* 2. §. 1. *ff. de Procurat.* et mortuis aequiparentur, *l. Qui ad certam. ff. Locati.* 21

VI. Ob *Delictum* ab accusando repelluntur primo *infames*, et *criminosi*, ut *cit. l.* 8. *ff. h. t.* ibi, *Alii propter delictum, ut infames, c. Infames.* 17. *cau.* 6. *q.* 1. Ubi tamen differentia est inter Jus Civile et Canonicum. Nam Jure Civili soli illi infames ab accusando repelluntur, qui laborent infamia Juris, id est, tales, qui per judicium publicum infamiam irrogant, damnati sunt, aut qui ex delicto aliquo infamiam ipso Jure, et absque damnatione contrahunt, *l. Is qui* 4. *ff. hoc tit.* De Jure Canonico autem non tantum infames infamia Juris, sed etiam infamia facti, et criminosi nondum accusati, aut condemnati, *arg. can. Si qui sunt* 17. et *can. quaerendum* 18. *cau.* 6. *q.* 1. juncto *c. Cum in tua* 27. *de Sponsal.* Clarus §. *fin. q.* 14. *a n.* 9. 22

VII. Dein ob *delictum* actu jam accusatus, nequit accusare alium, vel reaccusare suum Accusatorem, si jam est facta litis contestatio; nisi prius purgaverit se, et appareat innocens, *can.* 1. *et* 3. *can.* 3. *q.* 11. *c fin. de Test.* ibi: *Cum etiam accusati (nisi prius se probaverint innocentes) ab accusatione repellantur*; et *l. Neganda.* 19. *C. de his, qui accusar.* vel nisi majus crimen illo, de quo ipse fuit accusatus, suo Accusatori, vel alteri objiciat. *l.* 1. *C. eod.* 23

VIII. Ulterius ratione *delicti* accusare non possunt excommunicati, *can. Omnes.* 7. *cau.* 3. *q.* 4. *can.* 1. *et* 2. *cau.* 4 *q.* 1. *c. Intelleximus.* 7. *de Judic.* et *c.* 1. *de Except.* quod extendunt communiter etiam ad casum, quo suam aut suorum injuriam prosequantur, idque ut contumaciae vitium reprimatur. 24

IX. Ob *suspicionem calumniae* ad accusandum non admittuntur inimici, non quidem leves, sed graves et capitales, *can.* 2. *cau.* 3. *q.* 5. ibi: *Accusatores, et testes esse non possunt, qui inimici fuerunt.* ratio additur: *Ne irati nocere cupiant, aut laesi se ulcisci velint*: concordat *c. Meminimus.* 13 et *c. Cum oporteat.* 19. *h. t.* Imo etiam iidem inimico Accusati cohabitantes, aut frequenter versantes ab Accusatione repelluntur, *can. Accusatoribus.* 3. *cau.* 3. *q.* 5. ibi: *Accusatoribus inimici, vel inimicis domo prodeuntibus vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credatur, ne irati nocere cupiant, vel laesi ulcisci se velint.* et *c.* 7. *h. t.* ibi: *Repellantur ab accusatione cohabitantes inimicis.* Nam amici Accusatoris censentur esse inimici Accusati, *can.* 1 *dist.* 93. Nec refert, quod Accusatus culpa sua dederit causam inimicitiae; nihilominus enim excipere potest contra inimicum Accusatorem; dummodo ex fraude et dolo, ut nempe Accusatorem repellere possit, causam inimicitiae non dederit, prout bene advertit Abbas *in c. Repellantur.* 7. *h. t. n.* 5. 25

Limitatur tota doctrina *praeced. num.* in casu, quo quis accusat suum inimicum ob injuriam aut damnum sibi illatum; talis enim Accusator, si repelleretur, nullus potest alteram ob grave volnus v. g. caedem, aut injuriam sibi, suisve illatam accusare; 26

cum ex hoc plerumque inimicitia oritur, ut bene advertit Mascardus *de Probat. concl.* 899. *a num.* 1. Menochius *de Praesumpt. lib.* 5. *Praesumpt.* 45.

27 X. Ab accusando repelluntur propter *suspicionem calumniae* illi, qui aliquando falsum testimonium subordinati dixerunt, *l. Alii* 9. *h. t.* Item qui semel calumniati sunt *l. si cui* 7. §. 3. *h. t.* Item qui pecuniam recepit, ut Reum accusaret, aut ne ipsum accusaret, *l. Is qui* 4. *et l.* 8. *ff. h. t.* sicut etiam pauperes, qui minus, quam quinquaginta aureos in suis bonis habent, *l. Nonnulli* 10. *ff. h. t.* ibi: *Nonnulli, propter paupertatem, ut sunt, qui minus quam quinquaginta aureos habent*; nisi tam honestae essent vitae, et bonae famae, ut ab omni suspicione merito censeantur liberi: tales enim pauperes sicut admittuntur ad ferendum testimonium, juxta dicta *Lib. II. Tit. XX. de testib. n.* 100. ita etiam ad accusandum, prout hoc advertit Menochius *de Arbitr. Judic.* et praxis comprobat. Quinam autem pauperes suscepti, vel a suspicione liberi habendi sint, Judicis judicio relinquitur, *can. si qui. can. quaerendum* 18. *caus.* 6. *q.* 1.

28 XI. Ob *suspicionem calumniae Pagani, haeretici, sive Judaei non possunt Christianos accusare, aut vocem eis infamationis inferre*, can *Pagani* 24. *caus.* 2. *q.* 7.

29 XII. Ob *conjunctionem sanguinis et reverentiam* liberi accusare non possunt parentes, *Novell.* 115. *cap.* 3. §. 3. Nec econtra parentes, liberos, *arg. l.* 3. *C. de Patris potestat.* Nec fratres, aut sorores invicem, *l. si maginam* 13. *C. de his, qui accusare non possunt.* Nisi crimen sit leve *l. si sororem* 18. *C. eod.* Nec liberti patronum, aut ejus haeredem, *l. qui accusare.* 8. *ff. h. tit.*

30 *Hi tamen omnes* (exceptis privatis ratione per dicta *n.* 21. et excommunicatis, per dicta *n.* 24) si *suam injuriam* exequantur (id est, si contra injuriam sibimet illatam agant) *mortemve propinquorum defendant, ab Accusatione non excluduntur*, *l. Hi tamen* 11. *ff. h. t.* Item quando agitur de crimine laesae Majestatis, vel aliis atrocissimis, vel exceptis; qualia sunt, quae directe sunt contra Deum, ut blasphemia, Apostasia, haeresis, simonia, magia, sacrilegium; vel magis adversantur bono Publico, ut crimen laesae Majestatis, Rebellionis, Latrocinii, falsae Monetae, fraudatae Annonae, falsi Testamenti etc. *arg. l.* 7. *et* 8. *ff. ad Leg. Jul. Majest. l. vix certis ff.* de *Judic. l.* 2. et 15. *ff. h. t. c.* 7. *de Simonia* c. 10 *de Haeret. l.* 10 *C. de Episc.* et *Cler. etc.* de quibus amplius vide *Lib. II. Tit. XVIII. de Confess. a num.* 99. et Canonistas. Solum non, Clericos, et Religiosos etiam in his criminibus ad publicam vindictam et poenam sanguinis *criminaliter* accusare non posse, per dicta: sed, si propria aut Ecclesiae utilitas Accusationem exigit, debere expresse protestari contra poenam sanguinis, juxta dicta supra *num.* 19. et textum expressum, c. 2. *de Homicid. in* 6.

31 Advertitur insuper Decian. *Tr. crim. lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 6. *et* 8. Capitales inimicos etiam a criminum exceptorum Accusatione esse repellendos: etsi enim Reipublicae maxime intersit, ne crimina ista excepta maneant impunita, eidem tamen non minus interest, ne quis injuste damnetur, quod facile fieret, si capitales inimici ad accusandum inimicum in criminibus praefatis admitterentur. Reliqua de inimicis vide supra *n.* 26. *et* 27.

32 Quaeritur IV. An supra specificati ad accusandum inhabiles, ab Accusatione repelli possint non tantum, si Accusatus contra talem excipiat, sed etiam nemine excipiente ex solo officio Judicis? Resp. Affirmative *c.* 1. *h. t.* ubi universaliter traditur: *Si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus.* Quod si tamen contra talem nec Accusatus excipiat, nec Judex illum repellat, valet Processus; prout cum communi observat Clarus §. *fin. q.* 15. *n.* 4. Pirhing *h. t. n.* 17.

Porro si Reus contra Accusatorem excipiat, debet id facere ante litis contestationem; quia postea non amplius auditur, Abbas in c. 1. *h. t. n.* 2. *arg. l. Si maritus.* §. *Praescriptiones. ff. de Adult.* Nisi prius ignorarit, sibi competere exceptionem, ut bene ibidem limitat Abbas *arg. c. Nulli de elect. in* 6.

Quaeritur V. An, et quando quis obligetur ad accusandum? Resp. quamvis privatorum *nemo invitus agere, vel accusare cogatur*, ut dicitur *l. un. C. Ut nemo invitus.* Nihilominus, si crimen aliquod in grave damnum spirituale, aut temporale Reipublicae vergens, nec Denuntiatione, nec monitione, nec alio modo, quam accusatione averti potest, tenetur privatus quoque, cum proprio etiam damno accusare; dummodo crimen probare valeat; ita communis cum D. Thoma 2. 2. *q.* 68. *a.* 1. *can. Quapropter.* 47. *caus.* 2. *q.* 7. et ibi Glossa *V. Deferre.* Ratio est, quia quivis tenetur, si potest, malum avertere, per Jura allegata infra §. 2. *n.* 106. et bonum privatum postponere bono publico, per Vulgaria. 33

Quaeritur VI. Quonam possint accusari? Resp. Sicut non omnes accusare, sic non omnes accusari possunt. Patet inductione. Sic enim I. Accusari nequeunt, qui ad delinquendum usu rationis carent, ut sunt infantes; furiosi, amentes, *l. Quod infans.* 60. *ff. de rei vindicat. l. Infans* 12. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* 34

Aliud est de delictis illorum, qui usum rationis jam habent, hi enim, nisi adhuc Minores, vel etiam impuberes sint, accusari et puniri possunt, poena tamen mitiori, habita ratione aetatis, et imprudentiae, c. 1. *de Delictis puer. l. Auxilium ff. de Minorenn.* et *l. Fere ff. de R. J.* ibi. *Fere in omnibus poenalibus Judiciis, et aetati, et imprudentiae succurritur.* 35

II. Accusari *absentes* non possunt cum effectu, ita ut contra illos fiat Processus, et feratur sententia *can.* 1. *can.* 2. *q.* 8. ibi: *Nec absente eo, quem accusare voluerit, quilibet accusare permittatur*, *l.* 1. *prin. ff. de Requir. et absent. damn.* ibi: *Rescriptum est, ne quis absens puniatur; et hoc jure utimur, ne absentes damnentur.* Ratio ibidem subjungitur illis verbis: *Neque enim inaudita causa quemquam damnari, aequitatis ratio patitur.* Potest tamen absens ad eum effectum accusari, ut a Judice legitime citetur, *l.* 1. §. 2. *ff. eod.* quo dein ad diem deputatum non comparente, annotantur, seu legaliter describuntur, obsignantur, et arrestantur, ejus bona, quae habet, *cit. l.* 1. §. 2. Et si contumaciter non comparet, potest etiam puniri poena pecuniaria, infamiae, ac relegationis, non item graviori poena capitis v. g. aut Metalli etc. textu expresso *l.* 5. *ff. de Poenis*, et *c. Veritatis* 8. *de Dolo et Contum.* Imo si citati intra annum, qui ad se defendendos eis conceditur *l.* 1. *ff.* et *C. de requir. Reis* non compareant, bona ejus arrestata fisco remanent, *l. fin. ff. de requir. vel absent. damn.* nisi contumaciam purgaverint, probando legitimum non comparendi impedimentum, *arg. l. Succurritur.* 9. *ff. Ex quibus causis major.* 36

III. Accusari non potest *Mortuus*, *l. fin ff. ad Reg. Jul. Majestat.* ubi ratio additur ibi: *Extinguitur enim crimen mortalitate.* Accedit, quod etiam delicta suos tantum tenere debeant Auctores, per vulgaria. Unde nec Accusatio, nec poena ad haeredes transit, etsi Accusatio jam inchoata, et lis contestata, non tamen condemnatio secuta fuerit, *l. Ex judiciorum.* 20. *ff. h. t. nisi forte quis Majestatis* 37

(laesae) *reus fuit*; *nam hoc crimine nisi a Successoribus purgetur, haereditas Fisco vindicatur*, ut expresse statuitur *cit. l. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* et *cit. L.* 20. *ff. h. t.*

38 IV. Accusari non possunt illi, qui superiorem se non agnoscunt, uti Papa, c. *Nemo.* 13. *can.* 9. *q.* 3. ibi: *Nemo judicabit primam Sedem. Neque enim ab Augusta, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo Judex judicabitur*, et can. *Aliarum* 14. *can. Facta.* 15. *eod. can.* et *q.* ibi: *Facta Subditorum judicantur a Nobis, nostra vero judicat Deus.* Item Imperator, qui tamen civiliter accusari potest juxta Bullam auream *cap.* 5. §. 3. ibi: *Imperator, sive Rex Romanorum super causis, super quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni sacri Imperii Archidapifero Electore Principe respondere.* Item Reges Superiorem non agnoscentes, uti sunt Rex Galliae, Hispaniae etc.

39 V. Durante officio *accusare non licet Legatum Imperatoris, id est, Praesidem Provinciae: item Legatum Provincialem, l. Hos accusare* 12. *ff. h. t.* Tenetur tamen talis reus criminis cautionem praestare de judicio sisti, finito aliquando officio, *l. Si adulterium.* 38. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de Adulter.*

40 VI. Accusari non possunt, qui crimen, seu actionem, seu inquisitionem criminalem praescripserunt. Quo autem tempore crimina, et actiones criminales praescribantur, ita ut Reus criminaliter accusari, inquiri, aut denuntiari non amplius possit, vide *Lib. II. Tit. XXVI. de Praescript. a n.* 174.

41 VII Qui de aliquo crimine jam absolutus, vel condemnatus est, de illo nec ab eodem, vel alio Accusatore accusari potest, *c. de his.* 6. *h. t.* ibi, *De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatus replicari* Concordat *l. Licet ff. Nautae caupones.* et *l. Sanctio.* 41. *ff. de Poenis.* Ratio est: quia ab eodem delicto hominis saepius quaeri non debet, ut dicitur *cit. l. Licet.* Idque ad imitationem Divinae Clementiae, quae dimissa semel peccata, in ultionem redire non patitur, *can. Si illic.* 29. *can.* 23. *q.* 4.

42 Limitatur tamen haec doctrina I. Si secundus Accusator docet, priorem non fideliter egisse, sed praevaricatum fuisse, *L.* 3. §. 1. *ff. de Praevaricat l. Si quis Homicidii. C. de Accusat.* aut collusionem intercessisse, *c. fin h. t.* Nam si hoc non liceret, facile possent duo colludere, et personam Accusatoris assumens, falsas aut infirmas probationes adducere, veraque dissimulare, ut Reus inde absolutus a nullo amplius accusari posset.

43 Limitatur II. Quando secundus Accusator suam, vel suorum injuriam prosequitur, simulque docet, se ignorasse Accusationem ab alio institutam, *l. Si cui.* 7. §. 2. *de Accusat.* ubi ratio additur: *Quoniam res inter alios judicatae, aliis non praejudicant.*

44 Limitatur III. Si Reus tantum est absolutus ab observatione judicii; quia v. g. inhabilis erat Accusator, aut ineptus libellus. *l.* 3. *ff. h. t.*

45 Limitatur IV. Si quis non per sententiam, sed per viam Transactionis fuit absolutus; tunc enim saltem ab alio denuo accusari poterit, Clarus §. *fin. q.* 57. *n.* 6. Abbas *in c. De his. h. t. n.* 3. Covarr. *lib.* 2. *Var. Resolut. cap.* 10. *n* 1.

46 Limitatur V. Si quis fuit absolutus per viam Exceptionis, quam Reus excipiendo proponit contra aliquem, non ut puniatur, sed ut a testificando, vel accusando repellatur, Covarr. *loc. cit. n.* 5. Decian. *Tract. crimin. lib.* 3. *cap.* 30. *n.* 2. *in fine*, et *c.* 2. *de Ordin. cognit.*

47 Limitatur VI. Si Reus tantum est absolutus quoad forum internum; tunc enim in foro externo accusari et puniri omnino potest, Abbas *loc. cit. num.* 3. Covarr. *loc. cit. n.* 3. cum communi et certa praxique recepta.

48 Limitatur VII. In criminibus misti fori. Nam si quis in uno foro Ecclesiastico v. g. absolvitur, vel condemnatur, potest adhuc in altero accusari et puniri; saltem si in priori foro poena condigna non fuit imposita, Abbas in *cit. c. De his. h. t.* cum communi aliorum, *arg. c. Felicis.* 5. §. *Per hoc quoque, de Poenis, in* 6. Ratio est; quia Jurisdictio Ecclesiastica et Secularis sunt prorsus separatae ac distinctae, adeoque sententia lata in uno foro, non parit Exceptionem in altero.

49 Dicitur autem, *saltem si in priori foro poena condigna non fuit imposita*; prout plerumque fit in foro Ecclesiastico, utpote quod semper mitius punit, *arg. can. Admonere* 8. *can.* 33. *q.* 2. vel non nisi poenitentiam medicinalem, v. g. excommunicationem imponit: Si enim in uno foro poena jam sufficiens et proportionata delicto fuit imposita, in alio foro accusari et puniri non amplius potest. Covar. *loc. cit.* Joan. Andreas *in cit. c. Felicis. de Poenis*, in 6. Abbas *in c. Tuae de Procurat.* textu speciali *c. fin. de Except. in* 6. Et per istam sublimitationem optime concordantur Doctores.

Alias limitationes vide apud Covarruviam *lib.* 2. *var. Resolut. cur.* 10. *per totum.*

50 Quaeritur VII. An possit desistere ab Accusatione jam inchoata? Et quas poenas desistens incurrat? Resp. I. Post litem contestatam, vel saltem post libellum Judici oblatum, Accusator in foro externo Accusationem impune deserre non potest, *l. In Senatusconsultum* 15. §. 5. *ff. ad S. C. Turpil.* et *Auth. qui semel. C. Quomodo et quando, l. Miles.* 11. §. 3. *ff. ad Leg. Jul de Adult.* Ratio est; quia interest Reipublicae, ne deseratur Accusatio semel coepta, sive vera sit, sive falsa: si enim vera est, eam prosequi oportet, ne delicta maneant impunita; si falsa, eam prosequi expedit, ut Calumniator debite puniatur; ut bene advertit Valensis *h. t.* §. 2. *n.* 8.

51 Resp. II. Ante libellum oblatum, licite, et impune quis desistit ab Accusatione, etiamsi prius publice dixerit, se accusaturum. Imponitur tamen eidem perpetuum silentium, ita ut amplius de tali crimine Reum accusare non possit, *c. Licet* 14. *h. t.* ubi Summarium sic habet: *Dicens, se aliquem accusaturum coram Judice, ante inscriptionem potest sine poena desistere, et non accusare, sed ei desistenti imponitur silentium perpetuum.* Concordat *cit. l. Miles. ff. ad Leg. Jul. de Adulter* et *l Miles* 6. *C. de his. qui accusar.*

52 Resp. III. Si quis falso accusavit, vel bona fide quidem, deprehendit tamen, se errasse, et Accusatum esse innocentem, vel incipiat dubitare, si forte diligenti inquisitione dubium perseverat, in foro interno non tantum potest, sed etiam tenetur desistere ab Accusatione. Communis et certa ex *Tit. de Calumn.* Ratio patet; quia alias calumniaretur. In foro externo tamen incurrit Juris poenas.

53 Resp. IV. Ab Accusatione criminis publici post oblatum libellum desistens tenetur ad expensas, *l. Qui crimen.* 3. *C. de his, qui accusar.* Incurrit infamiam, *l. Si pro eo* 2. *C. de his, qui accus.* et poenam librarum auri Fisco restituendarum, *l. Praevaricationis.* 3. *in fine ff. de Praevaricat.* Si quis vero desistat ab Accusatione criminis privati, poenam extraordinariam Judicis arbitrio incurrit, *l. Si quis* 7. §. 1. *ff ad S. C. Turpill.*

54 Quaeritur VIII. Quinam sint effectus Accusationis? seu quid operetur, et quas obligationes, favores, vel odia causet, tam respectu Judicis,

quam respectu Accusatoris, et Accusati? Resp. I. Primus affectus respectu Judicis est, quod facta Accusatione possit, ac etiam teneatur Judex incipere processum capiendo informationem, citando Reum, aliaque faciendo, quae ad Processum requiruntur, juxta dicenda patet Conclusio in dicendis infra §. *seq. num.* 125. ubi dicemus, teneri Judicem ad faciendum Processum facta sibi Denunciatione Judiciali; ergo multo magis facta Accusatione, utpote quae fortior est illa.

55 Alter affectus est; quod possit ac debeat Reum, etiam ante citationem incarcerare custodiae causa, si est suspectus de fuga, vel si merito timendum, ne testes subornet, impediat, terreat etc. juxta dicenda infra §. *seq. n.* 127.

56 Resp. II. Effectus Accusationis respectu Accusatoris est; quod teneatur delictum, de quo accusavit, probare, probatione plena ac perfecta, et quae sit luce meridiana clarior, uti expresse statuunt Jura, *l. fin. C. de Accusat. can. Sciant.* 2. *can.* 2. *q.* 8. ibi: *Sciant cuncti Accusatores, eam se rem deferre debere in publicam notionem, quae munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis indiciis ad probationem indubitatis, et luce clarioribus expedita.* Quod si non probet, ad poenam Talionis tenetur juxta dicta supra *n.* 10. 11. *et* 12. nec non ad alias, de quibus *Tit. sequenti de Calumniatoribus a n.* 2. 6. ubi etiam dicemus, quandonam etiam deficiens in probatione excusetur a poena Talionis, et aliis.

Quid autem sit, et quando censeatur plena probatio haberi, vide *Lib. II. Tit. XIX. de Probationib.*

57 Resp. III. Accusationis effectus ratione Accusati sunt iidem cum effectibus Denuntiationis Judicialis respectu denuntiati, de quibus vide infra §. *seq. num.* 130.

§. II.

De Denuntiationibus.

SUMMARIUM.

58 *Definitur Denuntiatio.*
59 *Alii eam dividunt in Evangelicam, Canonicam, et Civilem: melius tamen dividitur in Evangelicam et Judicialem.*
60 *Denuntiatio Evangelica quid? fieri potest Superiori patri privato, et ut patri communi.*
61 *Vocatur etiam Paterna, charitativa et fraterna: ejus finis quis?*
62 *Denuntiatio Evangelica ut licite fiat, debet praemitti monitio, seu correctio fraterna.*
63 *Idque Jure Divino et naturali.*
64 *Omittens eam peccat.*
65 *Limitatur I. Si crimen jam est notorium, aut manifestum, aut famosum.*
Publice commissa crimina publice puniri debent. Ibid.
66 *Limitatur II. Si crimen vergit in damnum commune, vel tertii, quod monitione secreta certo averti non potest.*
67 *Limitatur III. si praevia monitio nihil profutura videtur.*
68 *In delictis nocivis Communitati vel tertio, requiritur moralis certitudo effectus ad hoc, ut tenetur prius monere.*
69 *Limitatur IV. Si correctio aut monitio praevia esset monenti praejudiciosa.*
70 *Limitatur V. In Religionibus, in quibus vi Statutorum potest, et debet fieri Denuntiatio absque praevia monitione secreta, uti in nostra.*
71 *VI. Universaliter in quavis Religione.*
72 *Ordinarie loquendo.*
73 *Ad denuntiationem faciendam in Societate JESU, et Religione nostra nunquam praerequiritur monitio fraterna: in aliis Religionibus rarissime: in Saeculo raro.*
74 *Si crimen occultum, nemini nocivum Evangelice denuntiatur, tenetur Superior se accommodare petitioni denuntiantis.*
75 *Secus, si Evangelice denuntiat crimen jam publicum: tunc enim ex officio inquirere, aut Denuntianti mandare potest, ut judicialiter denuntiet.*
76 *Idem est, si crimen est nocivum Communitati, vel tertio.*
77 *Denuntiare Evangelice quivis potest, etiam infamis etc.*
78 *Et quidem quodvis peccatum occultum etiam nemini nocivum.*
79 *Imo tenetur quivis denunciare Evangelice.*
80 *Et quomodo? Remissive.*
81 *Debet subinde fieri Denuntiatio Judicialis. Remissive.*
82 *Dantur causae excusantes a Denuntiatione Evangelica.*
83 *Denuntiatio Judicialis quid?*
84 *Alia est publica, alia privata.*
85 *Inhabilis ad accusandum, etiam est inhabilis ad denuntiandum. Et qui nequit accusari, nequit etiam Judicialiter denuntiari.*
86 *Contraria opinio et praxis.*
87 *Quae in ordine nostro non procedit.*
Judicialiter denuntiari non possunt Patres graviores ab infimae plebis hominibus. Ibid.
88 *Omnia delicta etiam occulta, et nulli nociva Judicialiter denuntiari possunt; dummodo probari valeant.*
89 *Non item penitus occulta, et quae probari nequeunt; nisi sint praejudiciosa.*
90 *Delictum, quod praeter Delinquentem unus solus scit, denuntiari Judicialiter nequit.*
Quid faciendum in praxi, si duo tantum sciunt delictum? Ibid.
91 *Et quid, si praeter unum scientem adsunt indicia?*
92 *In dubio, an Judicialiter quid denuntiari possit aut debeat: quid faciendum?*
93 *Delicta, praejudiciosa etiam occulta, judicialiter denuntiari possunt, et debent. Remissive.*
94 *Ad Denuntiationem rite faciendam requiruntur eadem fere, quae ad Accusationem: Et quae illa in specie?*
95 *Denuntiator judicialis tenetur denominare testes, et probationis media suggerere judici.*
96 *Denuntiator non tenetur probare, sed tantum testes denominare, et media probationis suggerere, et judici probationem relinquere: secus est in Accusatore.*
97 *Concordat cum dictis praxis Criminalis nostri Ordinis.*
98 *Ad valorem Denuntiationis judicialis non requiritur praevia monitio, vel correctio Evangelica.*
99 *Confirmatur ex fine illius.*
100 *Confirmatur ulterius.*
101 *Solvuntur Jura contraria.*
102 *Quae etiamsi quid probarent, jam essent abrogata consuetudine.*
103 *Num etiam licite fieri possit Denuntiatio Judicialis sine praevia monitione?*
104 *Causae excusantes a monitione praevia in Denuntiatione Evangelica excusant etiam in Judiciali.*
105 *Etiam ad licite faciendam Denuntiationem ju-*

dicialem non requiritur monitio praevia.
106 *Delictum Communitati, aut tertio praejudiciosum etiam tenetur quis Judicialiter denuntiare.*
107 *Nisi certa spes appareat, damnum sola Evangelica denuntiatione impediri posse.*
108 *Si tamen tale delictum probari nequit, non tenetur quis stricte judicialiter.*
109 *Bene vero minus stricte judicialiter, nempe indicare Judici ad hoc, ut vigilet, inquirat, et damnum avertat.*
110 *Probatur ratione.*
111 *Confirmatur per declarationem Cardinalium.*
112 *Monitio ad Judicem, et Denuntiantem tale crimen.*
113 *Delicta notoria, manifesta et famosa etiam soli peccanti nociva Judicialiter denuntiari debent.*
114 *Tenetur enim superior ex officio de illis Judicialiter inquirere.*
115 *Etiam occulta nemini nociva delicta debent subinde Judicialiter denuntiari.*
116 *Deductio practica ostendens, quod saepe praesertim in Religione fieri debeat denuntiatio Judicialis.*
117 *Delicta publica et privata in ordine nostro quae?*
118 *Compendiosa notitia, quando et quomodo possit, aut teneatur quis denuntiare: et quando excusetur usque ad n. 125.*
125 *Facta Denuntiatione judiciali, tenetur Judex inquirere, et processum formare.*
126 *Si denuntiatio rite fiat.*
127 *Si suspicio est, ne Reus fugiat, aut testes subornet, impediat etc. potest etiam post citationem carcerari custodiae causa.*
128 *Quod apud nos fieri debet cum consilio Peritorum in Conventu.*
129 *Ad quid teneatur Denuntiator, praesertim si crimen non probetur?*
130 *Denuntiatus Judicialiter pendente Denuntiatione non potest promoveri ad dignitatem, honorem, ordines, nec potest esse testis, nec alium accusare etc. usque ad n. 133.*
133 *Limitatur I. Si crimen non est grave: crimen grave, et leve quid?*
134 *II Si apparet Denuntiationem ex calumnia fieri.*
135 *III. Si non fit in requisita forma.*
136 *IV. Si non criminaliter, sed tantum civiliter intentatur.*
137 *V. Post lapsum unius anni.*
138 *Denuntiatio et Accusatio non impediunt officii aut dignitatis prius habiti administrationem et jurisdictionem.*
139 *Excepta causa, et negotio, in quo Denuntiatio; et causa, dilapidationis.*
140 *Accusatio, et Denuntiatio accusatum non faciunt intelligibilem*
141 *Nisi infamia praecesserit.*
142 *Reus legitime interrogatus sub peccato mortali tenetur fateri veritatem.*
143 *Reus confessus, vel convictus condemnatur ad poenam ordinariam.*
144 *Ad quam tamen condemnari nequit, nisi adsit plena probatio.*
145 *Bene vero ad extraordinariam.*
146 *De probatione criminis. Remissive.*
147 *Quid sit Denuntiatio Canonica?*
148 *Ad eam quinam teneantur?*
149 *Quid sit denuntiatio civilis? Et quid Juris de ea?*

58 Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit Denuntiatio? Resp. I. *Denuntiatio est criminis alicujus delatio, seu manifestatio sine inscriptione apud Superiorem legitime facta.* Ita in re communis. Dicitur *delatio, seu manifestatio criminis* loco generis, in quo convenit cum Accusatione. Dicitur *sine inscriptione*, loco differentiae. In hoc enim principaliter differt Denuntiatio ab accusatione, quod Denuntians non teneatur ad subscriptionem, seu ut sub poena Talionis se obliget ad probandum, prout tamen requiritur in Accusatione juxta dicta § praeced. *numero* 10. Dicitur *apud Superiorem*; quia quantumvis crimen alicujus manifestetur aliis, si Superiori non manifestatur, Denuntiatio non est; licet ad quamlibet Denuntiationem non requiratur, ut fiat superiori quia tali, sed potest fieri eidem tanquam patri: prout patet in Denuntiatione Evangelica, de qua statim infra. Additur *legitime facta*: Licet enim Denuntiatio non tantas requirat solemnitates, quantas Accusatio, tamen aliquas requirit, juxta dicenda infra.

Resp. II. Quamvis Denuntiatio a variis varie, et quidem frequentius dividatur in Evangelicam, Canonicam, et Civilem: cui addunt aliqui Regularem. Optima tamen, et clara, praxique inserviens est divisio, qua eam in Evangelicam (quae etiam Paterna, Fraterna, et charitativa dicitur) ac in Judicialem dividit cum communi TT., D. Antoninus *p.* 3. *tit.* 19. *cap.* 9. quos sequitur Ameno *in Pract. Crimin.* Conclusio patebit ex natura harum Denuntiationum, quam per sequentia quaesita declarabimus, incipiendo ab his ultimis duabus principalibus. 59

Quaeritur II. Quid sit Denuntiatio *Evangelica*? seu, quod idem est (*Paterna, Fraterna, Charitativa*?) Quae requirantur ad eam? et quomodo fieri debeat? Resp. I. Denuntiatio Evangelica est, quae fit Superiori tanquam patri non ad publicam vindictam, sed ad emendationem, et paternam correctionem Delinquentis denuntiati. Haec definitio communis est, et clara, indeque nec probatione nec declaratione indiget. Solum notandum, hanc Denuntiationem fieri posse Superiori tanquam patri privato, vel tanquam patri communi. Priori modo, seu patri privato fit, quando Denuntians accedit Superiorem, eique secreto denuntiat crimen fratris rogando, et instando, ut illum non nisi secreto, ac nemine sciente moneat, corrigat, vel paterne puniat, et ad emendationem perducat, crimen illius nullatenus pandendo. Alio modo, seu tanquam patri communi fit, quando Denuntians vult, et insistit, ut Superior denuntiatum, etiam coram aliis, vel in publico Capitulo Fratrum (quorum omnium pater communis est Superior) sed tamen non nisi charitative, et paterne moneat, corrigat, ac castiget, atque ad meliorem frugem reducat: ut bene observat *Practica Roderici*. 60

Finis Principalis hujus Denuntiationis est emendatio, et resipiscentia Delinquentis, quam ex charitate fraterna erga eundem principaliter intendit Denuntians. Vocatur *Denuntiatio Evangelica*; quia in Evangelio praescripta habetur: item *Paterna*, quia fit Superiori tanquam Patri, et non Judici: item *Fraterna* et *Charitativa*; quia non ad vindictam, sed emendationem, et bonum Delinquentis, ex fraterna charitate tendit 61

Resp. II. Ad hoc, ut *Denuntiatio Evangelica* rite et debite fiat, necessario requiritur praevia duplex monitio seu correctio fraterna Delinquentis per Denuntiantem facienda; una privatim, et in secreto nemine praesente; altera coram uno, vel duobus testibus, si peccatum est occultum, et nemini praejudiciosum, simulque probabilis apparet spes, quod sola praevia monitione sine praejudicio Denuntiantis, emendatio Delinquentis, 62

sit secutura. Ita communis tam Canonistarum, quam Theologorum. Patetque ex claro textu Evangelii Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum: si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos; quod si non audierit eos, dic Ecclesiae:* quae verba, quia ponuntur imperativo modo, vim praecepti habent, teste communi TT. Concordat *can. Si peccaverit.* 19. *can.* 2. *q.* 1.

63 Quin imo hoc praeceptum non solummodo est Divinum positivum, sed etiam naturale; quia correctio proximi ex praescripto luminis naturalis est facienda cum minimo, quantum fieri potest, damno ipsius corrigendi, et bonae famae ejusdem; ad hoc enim obligat lex de dilectione proximi: ergo si crimen potest emendari correctione praevia fraterna, male revelatur, et denuntiatur Ecclesiae, seu superiori; cum inde apud hunc saltem laedatur fama Delinquentis. Unde hoc dicitur *cit. can. Si peccaverit.* 19. *can.* 2. *q.* 1. *Si solus nosti, et vis eum revelare, jam non est corrector, sed proditor.* Accedit, quod generaliter in lege Evangelica nullum praeceptum Divinum continentur, quod non sit Juris naturalis, praeter praecepta de Sacramentis, et de Fide; prout passim fatentur Doctores cum D. Thoma 1. 2. *q.* 108. *a.* 1. *et* 2.

64 Infertur proin, quod pro qualitate materiae et circumstantiarum graviter vel leviter peccet, licet raro juxta dicenda infra *num.* 37. qui non observato modo per Evangelium praescripto, etiam paterne tantum apud Superiorem denuntiet occultum nemini praejudicans crimen delinquentis, de quo probabilis spes erat, quod illud non amplius esset perpetraturus, aut se ad secretam praeviam correctionem Evangelicam efficaciter emendaturus.

Dicitur autem notanter in conclus. *n.* 62. posita, *si crimen est occultum, nemini praejudicans etc.*

65 Limitatur enim I. Conclusio *num.* 62. posita, et licitum, imo persaepe obligatorium est, Delinquentem sine ulla praevia monitione Evangelica non tantum charitative, sed etiam Judicialiter (juxta dicenda infra) denuntiare superiori, si crimen illius non amplius est occultum, sed jam manifestum, famosum, notorium. Ratio est; quia tunc jus ad famam amisit Delinquens. Nec amplius urget textus Evangelii, qui praecipit ordinem praefatum tunc tantum, *Si peccaverit in te*, id est, si te solo sciente peccavit; prout explicant communiter DD. et concordat. *cit. can. Si peccaverit.* 19. *can.* 2. *q.* 1. ibi: *Quid est peccavit in te? tu scis, quia peccavit*; sicque tu solus, et nullus alius per notitiam suo modo laesus es; consequenter si alii praeter te sciunt jam non solum in te, sed et in alios peccavit, sicque favorem Evangelii non amplius meretur. Hinc dicit Apostolus 1. *ad Timoth.* 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant.* Et Augustinus relatus *can. quis aliquando §. Haec ergo de poenit. dist.* 1. ibi. *Publica noxa, publico eget remedio.* Concordat Concilium Trident. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 8. quibus adde dicenda infra §. V. *a num.* 253.

66 Limitatur II. Si crimen vergit in praejudicium, vel damnum Reipublicae, ut haeresis, proditio, falsificatio monetae etc. Vel tertii privati, v. g. in ipsius necem, incendium, ruinam spiritualem etc. quod secreta monitione averti non potest. Sanchez *lib.* 6. *Consil. cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 2. *et* 5. Item *lib.* 6 *Moral. cap.* 18. *num.* 50. dicens ita docere omnes. Ratio est: tum quia bonum commune praevalet privato: tum quia Delinquens non habet jus ad famam in malo supposito fundatam cum injuria et praejudicio tertii; cum utique melior sit conditio damnum patientis, quam inferentis: tum etiam, quia qui sic occulte peccat, non solum in te, sed etiam in alios peccat, consequenter favoris et ordinis Evangelii particeps non est.

Limitatur III. Si praevia correctio, aut monitio nihil profutura videtur. Communis et certa, *arg. can. Si quis, 4. dist. 7. de Poenit.* ibi: *Si scirem, non tibi prodesse, non te monerem.* Ordinarie autem nihil proficeret praevia secreta monitio, si Delinquens est majoris conditionis, aut dignitatis; talis enim inferiorem corrigentem spernit, vel parum curat: vel si in malo jam est habituatus, aut superbus, aut teste experientia monitionibus non acquiescens: nam talibus et similibus in casibus monitio ordinarie plane nihil proficeret, sed saepe plus noceret, utpote id causans, ut delinquens imposterum magis occultaret sua delicta, cautius incederet, sicque frequentius ac impunite peccaret, et consequenter periret. 67

Ubi etiam illud cum Palao *de Charit. Fr.* 6. *Disp.* 3. *pun.* 13. *n.* 7. advertendum, quod, licet aliqui teneant, etiam in occultis peccatis, quae in praejudicium tertii vergunt, esse servandum ordinem Evangelicum, et praemittendam monitionem praeviam; fatentur tamen iidem, in his peccatis necessariam non esse monitionem, nisi adsit certitudo moralis, ac spes certissima per secretam monitionem omnia prorsus damna, ac praejudicia proximi tam praeterita, quam futura fore avertenda. In peccatis autem occultis soli Delinquenti nocivis sufficiat probabilis spes emendationis per secretam monitionem obtinendae. 68

Limitatur IV. Quando monitio seu correctio charitative praevia ipsi monenti aut corrigenti damnosa vel praejudiciosa esset futura, ut si ex tali monitione rationabiliter timetur offensa personae delinquentis, quae alias obesse et prodesse potest Denuntianti et monenti: quia lex charitatis non obligat, ut quis cum periculo proprii damni agat, quo parcat famae alterius. Palao *loc. cit. pun.* 14. *num.* 7. 69

Limitatur V. In Religionibus, in quibus vi statutorum defectus, seu delicta graviora sine ulla monitione praevia denuntiari debent Superiori, uti in Religione nostra Seraphica, cujus statuta Generalis *cap.* 10 §. 1. *no.* 2. et 3. graviter praecipiunt, ut quivis notabiles alterius excessus, quos extra confessionem scit, Superiori denuntiet, etiam sine praevia monitione: imo praecipiunt, ut denuntiet, etsi in secreto Delinquentem jam fraterne correxerit, uti patet ibidem ex textu: *Insuper statuimus, ut cum primum fratres ad Conventum redierint, sociorum excessus notabiles, si quos commiserint, Guardianis atque Superioribus secrete insinuare tenentur: quod si excessus hujusmodi* alio tamen modo eis *innotuerit, quam per Confessionem Sacramentalem, non propterea minus teneantur manifestare illos, maxime cum per obedientiam fuerint requisiti; quia hoc Sacramentali Confessioni non praejudicat; quin imo si tacuerint, inobedientiae notam incurrunt, et si contrarium asserere praesumpserint, et moniti revocare noluerint, actibus legitimis careant Superiorum arbitrio, et perseverantes in sua contumacia, carceribus etiam mancipentur, et gravius puniantur. Si quis praeterea ausus fuerit dogmatizare, quod frater, qui fratrem in occulto secundum Evangelium corripuerit, non teneatur de hujusmodi excessu Superiorem admonere, quamvis ab eo per obedientiam requiratur, vel quod Socii criminum socios non teneantur revelare Superiori, qui potest, et debet omnibus prodesse, et animarum periculis providere, declaramus, doctrinam hanc pestiferam esse, ac in perniciem Ordinis et Regularis disciplinae tendere, ac propterea taliter* 70

dogmatizantes, non modo actibus legitimis privandos, verum etiam carceribus mancipandos esse decernimus, et jubemus.

71 Limitatur a pluribus DD. VI. Universaliter in cunctis Religionibus, ita ut in his nunquam necessaria sit correctio aut monitio fraterna, seu Evangelica praevia, sed ordinarie loquendo absque illa quodvis etiam occultissimum, et soli delinquenti nocens delictum statim paterne denuntiari possit Superiori; dummodo extra Sigillum Confessionis, et sine secreto naturali illud sciat Denuntians. Ita docent Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 18. *num.* 46. *et* 50. Castro Palao *de Charit. tr.* 6. *Disp.* 3. *pun.* 10. *num.* 2. *et* 3. citans Coninck 2. 2. *Disp.* 28. *dub.* 11. *num.* 202. Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 9. *num.* 11. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *cap. a num.* 5. ac plurimi alii tum a Sanch. *nu.* 46. tum a Laymann *num.* 5. §. *praeterea*, ad finem citati. Ratio est; quia ordinarie loquendo, Superior melius et efficacius potest corrigere, monere, et emendare delinquentem, quam subditus; Tum quia Superior facile potest removere occasiones, quod non potest subditus: Tum quia monitio, seu correctio paterna Superioris magis movet, et terret delinquentem, praesertim si eidem minatur, quod ei invigilare, et deprehensum publice processare velit: Tum quia Delinquens difficilius simulat Praelato emendationem, quam subdito: atqui quando emendatio Delinquentis magis operatur per correctionem, seu monitionem Paternam Superioris, quam subditi, potest hic absque ulla monitione praevia Delinquentem statim denuntiare paterne. D. Bonaventura, D. Thomas, cum communiori, et veriori aliorum docet, et late probat Sanchez *loc. cit. num.* 46. Accedit, quod delicta Religiosorum ordinarie cedant in praejudicium et damnum temporale, vel spirituale Religionis, vel tertii privati: talia autem peccata juxta omnes absque ulla praevia monitione possunt denuntiari Superiori, juxta dicta *num.* 66. ergo. Unde bene argumentatur Suarez apud Layman. *loc. cit.* §. *Deinde: vel peccatum Religiosi leve est, tunc infamatio sequens ex Denuntiatione apud Superiorem erit levis, utilitas vero plerumque major evaniat, praeterquam quod consuetudo denuntiandi delicta parva Regularium, valde consentanea, et quasi necessaria sit Religiosi status conservationi, vel augmento. Vel peccatum Religiosi est grave, tunc vix fieri potest, quod non noceat multis propter magnam familiaritatem, quae inter Religiosos ejusdem Domus est; saepe etiam impendet periculum famae ipsi Religioni, quare tale peccatum denuntiari potest tanquam perniciosum; imo saepe debet, praesertim si Praelatus interrogat.*

72 Dicitur tamen notanter *Ordinarie loquendo*; quia negari non potest, quin dari possit casus, quod etiam in Religione teneatur quis prius fraterne monere, antequam Superiori paterne denuntiet; si nempe certe apparet, quod sciens occultum soli delinquenti nocivum delictum aeque idoneus sit ac Superior ad efficaciter emendandum delinquentem; prout Sanchez et Laym. *loc. cit.* bene advertunt; addentes tamen, id raro contingere. Adde id contingere non posse in Religionibus, in quibus vi statutorum sine praevia monitione Superiori paterne denuntiari possunt, vel debent; prout sunt Societas Jesu, et Religio nostra Seraphica, juxta dicta *nu.* 70. *et* 71.

73 Infertur, quod ad faciendam Denuntiationem paternam Superiori in Societate JESU, et Religione nostra nunquam; in aliis Religionibus rarissime, et vix unquam; apud Saeculares etiam raro praerequiratur correctio, seu monitio fraterna, seu Evangelica, quia etiam in Saeculo plerumque, et fere ordinarie adest una ex limitationibus *a nu.* 65. positis, a fraterna tali monitione excusantibus.

Quaeritur III. Quomodo in praxi habere se debeat Superior, vel Judex facta sibi Denuntiatione Evangelica, seu paterna? Praesertim, an etiam et quomodo ratione illius possit instituere Processum Criminalem ad publicam vindictam Delinquentis? 74
Resp. I. Si delictum est occultum, et nemini praejudiciosum, Superior, seu Judex debet se accommodare justae et rationabili intentioni, seu petitioni Denuntiantis, illiusque modo denuntiandi. Ita ut si hic eidem solum et patri privato crimen Delinquentis denuntiat, volens, quod eum non nisi secreto, nemine, vel non nisi uno alterove taciturno praesente moneat, corrigat, aut puniat, sicque emendare conetur, id omnino observare debeat Superior aut Judex, adeo ut graviter peccaret, si Denuntiatum publice confunderet, aut puniret. Communis, *arg. can. Si peccaverit.* 19. *can.* 2. *q.* 1. Ratio est: quia alias injuste, et graviter diffamaret subditum, consequenter graviter peccaret, nec paternus Corrector, sed injuste proditor esset, *cit. can. Si peccaverit* etc.

Resp. II. Si crimen jam est notorium, aut majori parti Communitatis cognitum, non est necesse, ut Superior juxta petitionem Denuntiantis corrigat, vel puniat Denuntiatum, sed potest, imo plerumque tenetur etiam Processum Criminalem contra Denuntiatum instituere per modum Inquisitionis, maxime si delictum est scandalosum. Ludov. de Ameno *in Praxi Crimin. Tit.* 9. ♆. *Denuntiatio.* §. *num.* 7. Ratio est; quia hoc ipso, quod delictum occasione Denuntiationis Evangelicae resciat notorium, ex officio de illo inquirere, sicque per modum Inquisitionis Processum instituere potest, et exigente bono communi tenetur, per dicenda infra §. *VI. num.* 305. *et seq.* quamvis nullam de facta sibi Denuntiatione Evangelica mentionem in *Processu* facere, neque Processum vi Denuntiationis Evangelicae, sed vi officii sui per inquisitionem formare valeat, quo casu potest etiam Denuntiantem pro teste adhibere, aut ei mandare, ut Judicialiter denuntiet, adhortari, juxta dicenda infra. Et hinc in praecedenti Conclusione notanter dictum est: *Si crimen est occultum.* 75

Resp. III. Pariter Superior non tenetur ad petitionem Denuntiantis Evangelice seu paterne procedere, sed potest statim ex officio inquirere, aut Denuntianti mandare, ut Judicialiter denuntiet, si delictum vergit in praejudicium Communitatis vel Tertii. Communis. Ratio patet; quia cum in tali casu subditus Judicialiter denuntiare teneatur per dicenda infra *num.* 306. irrationabiliter petit solum Denuntiationis Evangelicae effectum, consequenter exaudiri non debet, sed potius ad satisfaciendum obligationi suae urgeri potest, et debet juxta dicenda infra *num.* 308. Unde dictum etiam est in Conclusione *num.* 74. *Nemini praejudiciosum.* 76

Quaeritur IV. Quinam, et quae peccata saltem Evangelice denuntiare possint, vel etiam debeant? Resp. I. Quilibet rationis capax etiam infamis, mulier, vel alias ad accusandum inhabilis, servatis servandis facere potest Denuntiationem Evangelicam, etiamsi juraverit, se non denuntiaturum. Omnes, et c. *Quemadmodum.* 26. §. *fin. de Jurejur.* Ratio est; quia cum haec Denuntiatio non intendat vindictam Delinquentis, sed bonum, et emendationem ipsius, seu ut anima illius salvetur, utique per quemvis fieri potest, cum non referat, quis denuntiet, dummodo animum 77

fructis quis lucretur, *arg. c. In omni, de Testib.*

78 Resp. II. Quodvis peccatum etiam occultum, et nemini, quam soli peccanti nocivum denuntiari Evangelice potest. Rursus communis, patetque clare ex allegato textu *Matth.* 18. ubi per verba: *Si frater tuus peccaverit in te.* principaliter intelliguntur occulta, et non nisi uni praeter Delinquentem nota, *arg. can. Si peccaverit. can.* 2. *q.* 1.

79 Resp. III. Quilibet non tantum potest, sed etiam tenetur saltem Evangelice denuntiare crimen quodcunque alterius, Abbas *in c. Novit. de Judiciis, num.* 34. cum communi. Probatur ex claro textu *Matth.* 18. ubi, quia indistincte praecipitur, ut peccata proximi indicentur Ecclesiae, id est, Superiori, indistincte obligat.

80 Utrum autem cum vel sine monitione seu correctione praevia fieri possit, vel debeat, vide dicta *a num.* 62.

81 Dicitur *saltem Evangelice*; quia dantur casus, in quibus non sufficeret facere Denuntiationem Evangelicam, sed necesse est, facere judicialem juxta dicenda infra *n.* 106.

82 Dantur tamen causae excusantes ab obligatione Denuntiationis Evangelicae; ut si nihil profutura, vel majus damnum allatura, aut Denuntianti praejudiciosa futura videatur, de quo magis TT.

83 Quaeritur V. Quid et quotuplex sit Denuntiatio Judicialis? A quo, contra quos, et de quibus criminibus fieri possit? Resp. I. *Denuntiatio Judicialis* est, quae fit Superiori tanquam Judici, judicialiter propterea procedenti; ob quod etiam haec Denuntiatio *Judicialis* dicitur Est in re communis: nec indiget declaratione, utpote clara ex terminis.

84 Resp. II. Haec Denuntiatio alia est *privata*, alia *publica*. *Privata* est, qua Denuntians solum proprium interesse, damni sui reparationem, aut debiti satisfactionem, non vero publicam vindictam quaerit et intendit, licet occasione illius Judex subinde etiam ad publicam vindictam procedat. Abbas *in c. Novit.* 13. *de Judiciis, n.* 48. Pirhing *h. t. num.* 87. *Publica* est, quae principaliter fit ad publicam vindictam, seu punitionem delinquentis in aliorum exemplum: quae Denuntiatio vel a Ministris publicis ad hoc deputatis fit, *arg. l. Ea quidem.* 7. *de accus.* et propterea a nonnullis *publica* dicitur, vel ab alio etiam privato, ad accusandum tamen habili. Et haec *publica* Denuntiatio proprie est, ac dicitur *Criminalis*, utpote Criminalem Processum, et publicam vindictam intendens. *Privata* vero potius *Civilis* est, et dici debet, cum vi illius non Criminaliter ad vindictam publicam, sed praecise ad interesse proprium ipsius Denuntiantis procedatur; uti post Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 1. Pirhing *h. t. num.* 87. Alii vero Denuntiationem privatam vocant illam omnem, et solam, quae non fit a Ministro publico ad denuntiandum deputato, sed ab alio, sive dein criminaliter, sive civiliter denuntiet. *Publicam* vero vocant illam omnem et solam, quae fit a Ministro publico, sive civiliter, sive criminaliter fiat. Dein quamlibet harum dividunt in *criminalem*, et *civilem*. Haec est, quae ad proprium aut aliorum interesse privatum fit: *Criminalis* vero, quae ad vindictam publicam instituitur. In praesenti, et subsequentibus erit potissimus sermo de Denuntiatione judiciali criminali.

85 Resp. III. Inhabilis ad accusandum, est etiam inhabilis ad faciendam Denuntiationem judicialem publicam, seu criminalem, ad publicam nempe vindictam. Et qui non potest accusari, non potest judicialiter denuntiari. Bart. *in l. Divus num.* 3. *ff. de Custod. reor. speculat. h. t.* §. *Quis possit. Vers. Canonica*, cum communiori *arg. c. cum Dilectus.* 20. *h. t.* Ratio est; quia haec Denuntiatio habet eundem finem, et principalem effectum cum Accusatione publica, nempe vindictam ob bonum Communitatis, in exemplum aliorum, agitque vices Accusationis. Hinc valet argumentum ab accusatione ad Denuntiationem, et vice versa. Salicet. *in l.* 7. *n.* 11. *C. h. t.*

Notat tamen Ludovicus Ameno *Tit.* 9. ℣. *Denuntiatio.* §. 3. *num.* 15. Ex communi Tribunalium praxi, ac recepta consuetudine hodie quemvis, licet alias inhabilem admitti ad Denuntiationem judicialem etiam *publicam*, seu *criminalem*, eo quod per Denuntiationem solum sternatur via ad inquirendum. 86

Verum in ordine nostro Conclusio adhuc habet locum; quia in forma Processus nostri criminalis (quam sub poena nullitatis sequi tenemur juxta statuta generalia *cap.* 10. §. 1. *num.* 11.) expresse habetur: *Inhabilis ad accusandum, est etiam inhabilis ad denunciandum Judicialiter.* In eodem nostro processu Criminali ulterius cavetur circa denuntiandos, illis verbis: *Adversus Praelatos magni nominis viros ab infimae plebis hominibus Denuntiationes nullo pacto recipi debent, sed contra ipsos ut plurimum per Accusationem procedendum est.* Ubi per Praelatos intelliguntur Generales, Provinciales, Diffinitores, Guardiani, quibus etiam ad hunc effectum connumerantur Patres Ordinis, et Provinciae, Lectores Jubilati, et Generales, Praedicatores Clarissimi, uti patet ex processu criminali, ℣. *Accusatio.* §. 6. *Per infimae plebis homines* autem in Ordine intelliguntur servitiales Monasterii: Tertiarii, Laici conversi, simplices Patres, vel tales, qui ratione inhabilitatis ad nullam ordinis dignitatem, aut officium honorificum applicari possunt; uti bene notat Ameno ℣. *Denuntiatio* §. 4. *n.* 20. 87

Resp. IV. Omnia crimina etiam mere praeterita, et jam emendata, nec amplius committenda, tam privata, quam publica; tam aperta quam occulta, et de quibus nulla adhuc existit infamia delinquentis (dummodo probari valeant) *judicialiter* denuntiari possunt. Fagnanus *in c. qualiter.* 24. *h. t. num.* 72. Passerinus *in Tribun. Regul. q.* 7. *a.* 3. *num.* 15. Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *cap* 4. *n.* 13. citans Lessium *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 3. Petrum Navarr. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 254. D. Thomam, Sylvestrium, et alios, *arg. can. praecipue.* 3. *in fine. can.* 11. *q.* 3. *can. Si tantum can. Placuit.* 3. *can.* 6. *q.* 2. *can. Plerumque* 27. *can.* 2. *q.* 7. Ratio est; tum quia publicitas, seu infamia delicti tantum requiritur ad Processum media Inquisitione instituendum, *arg. c. Inquisitionis* 2. *et c. qualiter* 24. *h. t.* ubi infamia supplere debet vices Accusationis, sine quo nullus condemnari debet *cit. c.* 24. *h. t. et can. Si quis* 31. *can.* 23. *q.* 4. Secus in Denuntiatione, utpote in qua ipse Denuntiator accusatoris vices supplet, licet per inscriptionem ad probandum se non obliget. Tum quia Denuntiatio *Judicialis* principaliter non respicit bonum Delinquentis, et ejus emendationem, sed publicam vindictam delinquentis in exemplum, et terrorem aliorum, idque ob bonum publicum, ut videlicet caeteri publica delinquentis poena deterriti, delinquere desinant, vel omittant. Hinc etiam Denuntiatio judicialis non attendit durantem adhuc bonam delinquentis famam; quia haec tanquam bonum privatum bono publico, seu communi, quod ex justitia vindicativa sequitur, postponendum est; uti post D. Thomam bene advertit Passerinus *loc. cit. num.* 17. *arg. c. Licet de Regular.* Praesertim, quia aliae malitiosi homines cum ingenti communis boni damno ac praejudicio audaciores et frequentiores essent 88

in delinquendo, si nec accusari, nec judicialiter denuntiari, nec inquiri, et consequenter nec puniri possent, nisi delicta eorum publica, aut famosa sint. Accedit, illud, quod per testes sufficientes probari potest, non amplius esse occultum, uti bene advertit D. Thomas. 2. 2. *q.* 68. *a.* 1. *ad* 3. Passerinus *loc. cit. n.* 15. et patet ex dicendis *a n.* 241.

Dicitur autem notenter in conclusione. *Dummodo probari possit*: Nam

89 Resp. V. Crimen omnino occultum, aut saltem ita occultum, ut legitime probari nequeat, *judicialiter* denuntiari non potest, nisi vergat in praejudicium Communitatis, vel tertii. Communis et certa, *arg. can. Si tantum.* 2. *et can. Placuit.* 3. *cau.* 6. *q.* 2. *can. qui crimen.* 4. *cau.* 24. *q.* 8. *l. nostris.* 8. *et l. fin. C. de Calumn.* Ratio est; quia cum Denuntiatio *Judicialis* ad vindictam publicam publico judicio inferendam tendat sicut Accusatio, publico autem judicio sine legitima probatione puniri nemo possit, injuste quis *Judicialiter* denuntiatur de crimine, quod probari nequit, cum sine fructu fama ejus laederetur. Et licet Denuntiator de Jure non incurrat poenam Talionis, ut in probatione deficiens accusator, reputatur tamen calumniator et ut talis punitur, juxta dicenda *Tit. seq.*

Imo nec potest Judex recipere Denuntiationem *Judicialem*, vel vi illius ad Inquisitionem procedere, et Processum instituere, nisi videat a Denuntiatore tales denominari testes, aut offerri probationis media, per quae delictum sufficienter probari valeat: secus faciens censetur etiam esse calumniator, utpote Judicium publicum sine probationibus attentans; nec evadit poenas calumniatoris, saltem extraordinarias arbitrio Judicis imponendas, ut vult Ameno *loc. cit.* citans alios.

90 Ex quo infertur, delictum soli Delinquenti nocivum *Judicialiter* denuntiari non posse, si illud unus solus praeter Delinquentem scit nulla alia indicia, aut probationis media habens: bene vero, si duo sciunt: quia duo sufficienter probant, *c. Licet.* 23. *de Probat.* Advertendum tamen, quod si duo tantum praeter Delinquentem sciant tale delictum, et Judicialem denuntiationem ex certis causis utilem, aut necessariam judicent, nullus eorum Judicialem Denuntiationem facere, sed alicui alteri, ut faciat, ambo relinquere debeant; quia si unus ex illis duobus denuntiat, non potest amplius esse testis, juxta dicenda §. *IV. numer.* 226. *et numer.* 228. consequenter delictum probare amplius nequit, cum alter adhuc sciens utpote unicus testis ad probationem non sufficiat, *cit. c.* 23. *de probat.* Econtra vero si tertius aliquis delictum ex viso, aut sensu proprio non sciens denuntiet, bene possit duos illos delictum scientes allegare, ac per eos delictum sufficienter probare.

91 Insuper pro praxi advertendum, etiam in casu, quo praeterquam quod unus solus delictum sciat, adsint etiam sufficientia indicia commissi ab aliquo criminis, non expedire, ut *Judicialiter*, sed ut *paterne* denuntietur, ad hoc, ut, si dein Superior ob cognita indicia Judicialiter inquirit, prout potest juxta dicenda infra *num.* 173. Denuntians testis esse valeat; nam solum *paterne* denuntians bene potest esse testis, per dicenda infra *num.* 226.

92 Porro in dubio, an quis *Judicialiter* denuntiare valeat, aut debeat, vel an praestet *paterne*, aut *judicialiter* denuntiare: optimum erit ab initio eam paterne deferre ad Superiorem, eumque consulere, ac judicio illius relinquere, num etiam debeat Judicialem Denuntiationem facere vel non: cum enim Superior supponatur, ordinarie magis intelligere, quid fieri oporteat, aut debeat, utique optimum erit, in dubio ejus consilio, et judicio se committere.

93 Caeterum notenter dicitur in conclusione *nu.* 89. posita: *Nisi vergat in praejudicium Communitatis, aut tertii*; quia etiam occultum delictum vergens in hujusmodi praejudicium *Judicialiter* denuntiari potest, ac debet juxta dicenda infra.

94 Quaeritur VI. Quomodo fieri debeat Denuntiatio *Judicialis*? seu, quae requirantur ad eam rite faciendam? praesertim utrum ad eam etiam praerequiratur duplex monitio seu correctio Evangelica charitativa? Resp. I. Ad Denuntiationem *Judicialem* fere eadem requiruntur, quae ad Accusationem requiruntur, excepta inscriptione, juxta dicta §. *praeced. a num.* 6. Clarus *loco citato* Citans Communem, simulque cum aliis asserens, ita observari in toto Mundo. Ratio est; quia agit vices Accusationis: hinc sicut ad Accusationem, ita etiam ad Denuntiationem *Judicialem* requiritur I. Ut in scriptis offeratur; vel oretenus a Denuntiatore proposita, saltem per Actuarium, vel Notarium publicum, scribatur, et in Acta redigatur. Requiritur II. Ut exprimatur nomen Judicis (apud nos tamen sufficit exprimere nomen Officii, v. g. Provincialis.) III. Nomen Denuntiantis, et Denuntiati; qualitas seu species delicti; item locus et tempus illius, annus saltem, et mensis, per Jura, et rationes §. *praeced. a num.* 6. allegatos. Et quidem haec omnia sunt de forma substantiali, et ita necessaria, ut si aliquid horum omitteretur, Processus esset nullus, et Reus absolvendus, etsi nemo quidpiam opponat: ut cum communi aliorum praesertim *in l. Edita. q.* 12. *num.* 9. bene docet Clarus, et sequitur novissime Ludov. de Ameno *Tit. Denuntiatio* §. 4. *q.* 4. *n.* 36.

IV. Requiritur, ut exprimatur dies, et a fortiori annus Denuntiationi factae, et quidem probabilissime etiam de substantia, juxta dicta §. *praeced. n.* 9.

95 V. Requiritur, ut Denuntiator denominet testes, et probationes, media, ac instrumenta, quae scit, vel habet, Judici suggerat, *arg. l. Ab accusatione.* 6. §. 3. *ff. de S. C. Turpill.* et ibi Doctores. Ratio est; ut ex tali instructione Judex cognoscere queat, an delictum sufficienter probari, consequenter illa Denuntiationem recipere, et inquirere, Processumque formare valeat, an vero Denuntiationem rejicere debeat? juxta dicta n. 89.

96 Et in hoc etiam differt Denuntiatio ab Accusatione, utpote in qua non requiritur, ut accusator statim ab initio denominet testes, sed sufficit, si eos producat tempore, quo erunt ad probationem necessarii, prout bene observat Ludov. de Ameno *Tit.* 8. *V. Accusatio ad* §. 3. *num.* 22. quamvis etiam Accusator, si velit, statim ab initio una cum libello denominare testes, aliasque indigitare possit probationes juxta dicenda *num.* 352. *et num.* 353. *et seq.* Est etiam aliud discrimen inter testes in Accusatione et Denuntiatione, quia in illa producuntur ab Accusatore, et ut ab eo producti examinantur; in ista vero assumuntur ex officio, et non ad instantiam partis, sed tantum ad suggestionem, seu subministrationem Denuntiantis. Unde per testes delictum non probat, nec probare tenetur ipse Denuntiator, sicut facere debet Accusator; sed tantum testes et media probationis Judici suggerit, et suggerere debet, relinquens Judici, ut mediantibus illis ad probationem descendat.

97 Fere totum hoc de requisitis ad Denuntiationem judicialem praescribitur etiam in praxi Crimi-

nali Ordinis nostri *Tit.* 9. ☧. *Denuntiatio*, §. 3. illis verbis: *Denuntians judicialiter tenetur tempus, locum, crimen, adnotare, ac testes nominare, quos dein Judex ex officio examinare debet, si Denuntiatorem accusare judicaverit rationabiliter.*

98 Resp. II. Ad valorem *Denuntiationis Judicialis* nullatenus requiritur, ut monitio, seu correctio *Evangelica* praecedat, Layman. citatus *numer.* 88. Lessius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 3. cum Palao *de charit. tr.* 3. *Disp.* 3. *pun.* 16 *num.* 3. Ludor. de Ameno *Tit.* 9. ☧. *Denuntiatio* §. 1. *num.* 9. Molina *Tr.* 4. *Disp.* 32. *num.* 6. Palud. Adrian. Soto, et alii contra Azorium *p.* 3. *lib.* 13. *cap.* 21. *dub.* 5. Pirhing *h. t. n.* 9. aliosque volentes, ad Denuntiationem judicialem faciendam in foro saeculari non requiri monitionem praeviam Evangelicam, bene tamen ad illam, quae fit in foro Ecclesiastico. Ratio est; quia nec Divinum, nec humanum Jus illam praescribit in Denuntiatione judiciali; cum, ubi Jura eam requirere videntur, loquantur vel de Denuntiatione Evangelica, vel de consilio, vel praecise narrent speciem facti. Confirmatur; Consuetudo est optima legum interpres, *L.* 37. *ff. de Legib.* atqui consuetudine, usu, et praxi omnium Tribunalium constat, quod nullus Judex judicialiter Denuntiantem de praevia correctione fraterna interroget, aut, ut de ea prius doceat, mandet; quod tamen fieri deberet, si praevia secreta correctio fraterna ad valorem, seu substantiam Denuntiationis requireretur. Imo non potest Judex a Denuntiante rationabiliter interrogare de praevie secreta monitione facta, vel, ut de illa prius facta edoceat, exigere, hoc ipso, quod prima monitio seu correctio Evangelica secreto fieri debeat, et consequenter probari nequeat.

99 Confirmatur ulterius ex fine principalis Denuntiationis *Judicialis.* Hujus enim Denuntiationis finis principalis non est emendatio, et privatum bonum Delinquentis, sed vindicta publica illius ob bonum publicum, quatenus nempe tali publica vindicta seu poena alii terreantur, et delinquere cessent, vel omittant, et delinquendo, bono publico non noceant. Quapropter etiam fieri potest, de delictis jam plene emendatis, et per Delinquentem non amplius committendis per dicta *numer.* 88. Consequenter praevia correctio et monitio delinquentis ad eam nullatenus requiritur; cum haec denuntiatio emendationem Delinquentis, et bonum illius privatum, ob quod fieri monitio praevia deberet, non attendat, nec respiciat. Unde etiam potius actum justitiae, quam charitatis continet; prout bene notatur in praxi criminali nostra *Tit. IX.* ☧. *Denuntiatio.* §. 1. illis verbis: *Evangelica seu fraterna Denuntiatio respicit emendationem fratris, actum charitatis, et bonum delinquentis, ut scilicet resipiscat: Judicialis vero respicit punitionem, actum justitiae, bonum privatum, aut communitatis, ut malus puniatur in exemplum aliorum.*

100 Confirmatur. Omnes Doctores, etiam illi, qui volunt, ad Denuntiationis *Judicialis* valorem saltem subinde requiri monitionem praeviam Evangelicam, ultro fatentur, hanc ad illam non requiri, quando peccatum jam est publicum (intellige, prout opponitur occulto) atqui Denuntiatio ordinarie non fit, nec fieri potest, nisi peccatum jam sit publicum, ita saltem, ut probari valeat, juxta dicta *numer.* 89. ergo ad ejus valorem monitio praevia Evangelica non requiritur, praesertim cum hoc ipso, quod ita sit publicum, ut probari valeat, non amplius obliget textus, et praeceptum Evangelicum, utpote tunc solum vim obligandi habens, quando frater *in te*, id est, te, vel aliquo alio solo sciente, *peccavit*, sicque uni soli per peccatum, vel notitiam illius occult, per dicta supra *n.* 65. *et seqq.*

Nec obstant Jura, et Canones, quos pro se citant Adversarii, praesertim vero *c.* 2. *h. t.* et *c. cum dilectus.* 20. *eod.* et *c. Novit.* §. 1. *de Judiciis.* Resp. enim *primo.* Universaliter, Jura, dum correctionem praeviam Evangelicam requirunt ad Denuntiationem, non loqui de Denuntiatione Judiciali criminali ad publicam vindictam; sed vel loqui de Evangelica, vel de Canonica, quatenus ad illam reducitur; vel in ordine ad infligendam poenam, quae de Jure speciali requirit monitionem praeviam, prout advertit Glossa *in c. Licet* ☧. *Inscriptio. de Simon.* Vel loquuntur de consilio, praecise narrant speciem facti. Et quidem in specie c. 2. et 20. *h. t.* videntur loqui de Denuntiatione Canonica in ordine ad poenas, vel personas de speciali Jure requirentes praeviam monitionem, *n. Novit. de Judiciis*, autem narrat laudabile factum Regis Angliae, quod non facit Juris dispositionem. Vel dic, cum Ameno *Tit. IX.* ☧. *Denuntiatio. q.* 1. *num.* 24. Canones illos antiquos universaliter requirentes, ut Denuntiationi monitio fraterna praemittatur, de Denuntiatione *Judiciali* ideo non fuisse locutos; quia illam utpote tunc temporis in usu non existentem non cognoverant, agnoscentes tantum duos modos *Judicialiter* procedendi per viam accusationis, et Inquisitionis, quibus tamen jure novo, et consuetudine accessit tertius modus, nempe per viam Denuntiationis vere *Judicialis*, quae hodie loco accusationis frequentissime adhibetur, et fere eosdem cum illa effectus habet. 101

Dein respondetur ulterius, quod si de Jure ad valorem Denuntiationis vere *Judicialis* in foro Ecclesiastico faciendam requireretur monitio praevia, Jus illud consuetudine contraria jam pridem esset abrogatum. 102

Nec dicas, Jus Canonicum requirens monitionem praeviam fundari in Jure Divino Evangelico, *Matth.* 18. contra Jus Divinum autem non dari consuetudinem, *c. fin. de consuetud.* Resp. enim, quod Jus Divinum Evangelicum, etiamsi dato non tamen concesso, etiam ad Judicialem Denuntiationem requireret monitionem praeviam, eam exigeret non ad valorem, sed ut licita fiat, ac sine peccato, quod praecipue intendit Evangelium. Dein argumentum hoc nimium, illud scilicet probaret, etiam in foro saeculari ad Denuntiationem *Judicialem* praerequiri monitionem (cum Jus Divinum non minus in foro saeculari, quam in Ecclesiastico obliget) quod tamen negant Adversarii nostrae conclusionis.

Dicitur autem notanter in Conclusione *numer.* 98. posita: *Ad valorem Denuntiationis judicialis non praerequiritur monitio.* Nam utrum requiratur monitio, ut licite fiat, quaestio potius Theologica, quam Canonica est; et ideo Theologis exacte discutienda relinquitur. Juvat nihilominus breviter saltem de hac quaestione resolvere. Hinc 103

Resp. II. Omnes causae vel circumstantiae, ob quas juxta dicta *a numer.* 65. sine monitione praevia tacite fieri potest Denuntiatio *Evangelica*, faciunt a fortiori, quod etiam sine monitione licite fieri valeat Denuntiatio *Judicialis.* Est certe apud omnes. Et patet, magis requiritur monitio praevia ad Denuntiationem *Evangelicam*, quam *Judicialem*; ergo casu quo ad illam non requiritur monitio, multo minus requiretur ad istam. Et sicut ibi *numer.* 73. diximus, ordinarie non esse obligationem praemittendi Denuntiationi Evangelicae monitionem; ita a fortiori dicimus idem de Denuntiatione *Judiciali.* 104

105 Resp. III. Denuntiatio vere *Judicialis* etiam adhuc occultorum criminum, et quae jam mere praeterita, emendataque existunt, ac quae ex sua natura non nisi Delinquenti nocent, consequenter cujusvis delicti absque praevia monitione *licite* quoque fieri potest; dummodo probari valeat. Layman. *lib. 3. tr. 3. p. 2. cap. 4. num. 13.* et alii ab eodem ibidem, et supra a nobis *num.* 98. citati, Palao *h. t. num.* 104. Probatur Juribus et rationibus supra *num.* 88. *et numer.* 98. allatis, ea enim satis probare videntur, quod de his peccatis Denuntiatio *Judicialis* non tantum valide juxta dicta *num.* 98. sed etiam licite fieri possit: praesertim cum Jura, quae ad esse licitum requirere videntur monitionem, etiam quoad consuetudinem sunt abrogata.

106 Quaeritur VII. An etiam, et quando teneatur quis facere Denuntiationem *judicialem*? Resp. I. Delicta publica (prout publicum opponitur privato) id est in publicam perniciem, aut damnum Reipublicae seu Communitatis vergentia, de quibus supra *numer.* 30. Item etiam delicta in damnum aut praejudicium alicujus tertii vergentia, tenetur quis etiam *judicialiter* denuntiare, si Denuntiatio paterna seu Evangelica damnum sufficienter et certissime impeditura, aut sublatura non videtur, Sanchez *lib. 6. Consil. dub. 9. numer. 4.* Sylvester *v. Denuntiatio. quaest.* 1. Fachin. *lib. 9 contr. cap* 86. cum communi aliorum, *arg. Quisquis. 5. §. Id quod ff. ad Leg. Jul. Majestat. l. Si forte de Poenis. l. Nostris. 8 C. de Calumniator.* cum Concordant. Ratio est; quia juxta communem Theologorum, quivis, si non ex justitia, saltem ex charitate tenetur malum Communitatis, aut proximi avertere, si potest. Hinc etiam, qui sciunt malum Communitati, aut proximo imminere, illudque non impediunt, dum possunt, rei sunt culpae, *arg. c. 4. de Furtis. cap. 47. de sent. excomm. L. 1. §. 18. de S. C. Silano, l. quisquis. 5. §. Id quod. 6. Ad Leg. Jul. Majestat.* cum Concordant. et puniuntur, si non denuntiant hujusmodi delicta Communitati perniciosa, *cit. l. Si forte de Poenis, et L. 2. ff. ad Legem Pomp. de Parricid.*

107 Dicitur autem notanter in Conclusione, *si Denuntiatio paterna Evangelica damnum certissime impeditura non videtur*; per hanc enim, si certe impediri potest damnum, potest quis eam, omissa Denuntiatione Judiciali, adhibere, prout cum Communi bene docet Palao *de Charit. Tr. 6. d. 3. pun.* 13. *num* 8. nisi specialiter expediat, ut delictum ad exemplum aliorum publice vindicetur, Layman. *lib. 3. tr. 3 p. 2. cap. 4 num.* 13. *§ Dico secundo*, et alii. Ratio est: quia bonum commune sequens ex publica vindicta praeferendum est particulari, *arg. can. Scias. 39. cau. 7. q. 1.*

108 Notandum tamen, quod si perniciosum tale delictum sufficienter probari non valeat; uti si nulli tantum praeter Delinquentem constat, non tenetur is illud stricte *judicialiter*, id est ad publicam vindictam, et cum obligatione, poenas calumniae, deficiente probatione, incidendi, denuntiare: prout cum Communi aliorum docet Navarrus *lib. 3. de Restit. cap. 2. numer.* 358. Suarez *de Charit. Disp. 8. sect. 6. num. 6. in fine.* Durandus, Soto, et alii, *arg. can. Hoc videtur. 8. cau. 22. qu. 5. et can. Erubescant. 11. dist.* 32. Ratio patet ex dictis; quia de occultis fieri non potest verum Judicium, nec sumi publica vindicta, sed Judex et vindex Deus est: *arg. cit. can. Erubescant*, ibi: *De manifestis loquimur; secretorum autem et cognitor Deus et Judex est.*

109 Resp. II. Quo non obstante tenetur quis tale Communitati, aut tertio perniciosum, etsi penitus occultum crimen Superiori denuntiare ut Judici, non principaliter ut puniat, et publice vindicet, sed ut generaliter inquirat, vigilet, attendat, et omni meliori modo praecaveat, mediaque adhibeat, quantum possibile est, ut damnum Communitatis, aut etiam privati avertatur, vel impediatur; licet dein per accidens hac via manifestus fiat, et publice puniatur Delinquens. Ita cum Communi docet Sylvester *v. Corruptio. quaest.* 5. Sanchez *lib. 3. de Matrim. Disp. 13. numer.* 2. Lessius *lib. 2. de Justit. cap. 30. dub. 2. numer.* 13. et *dub. 6. numer.* 43. Palao *loc. cit. pun.* 13. *num.* 10. concilians DD. videlicet, quod illi, qui dicunt, peccatum occultum, etsi in damnum Communitatis, aut tertii vergat, *judicialiter* denuntiari non posse, intelligi debere de Denuntiatione stricte, et proprie *judiciali*, principaliter intendente publicam vindictam ob bonum commune, non autem de denuntiatione minus proprie *judiciali*, de qua *in num. praesenti.*

110 Ratio est: quia juxta saepe jam dicta quivis tenetur impedire damnum Communitatis, et proximi, si potest, per Jura citata. ergo si non potest id praestare per Denuntiationem *Evangelicam*, nec alio modo, tenetur omnino arripere Denuntiationem, *num. praeced.* praescriptam. Et certe impium et iniquum videtur dicere, illum, qui solus scit Delinquentem intendere comburere Civitatem aut prodere, vel occidere proximum, aut in secreto talia patrare scelera, quae in grave praejudicium Communitatis, aut tertii vergunt, non teneri id denuntiare Superiori ut Judici, si rationabiliter judicat, per Denuntiationem *Evangelicam* malum non tolli aut impediri, uti bene argumentatur Palao *loc. cit.*

111 Confirmatur ex Declaratione Cardinalium, quam Palao *loc. cit.* allegat sequentis tenoris: *Quando prudenter judicentur non posse adhiberi sufficiens remedium, quo bono communi, vel tertiae personae provideatur, nisi assumatur ea in re persona Judicialis, tunc tenebitur subditus ad Judicialem Denuntiationem faciendam Superiori*: ubi nota, quod Congregatio loquatur de delictis omnino occultis.

112 Ubi tamen monemus Superiorem, et subditum; hunc quidem, ut Superiori sincere manifestet, se delictum probare non posse, proinde praecise dicere, ut conscientiae suae satisfaciat, damnum avertere intendens, proin a poenis calumniae immunis esse velit: Superiorem vero, ut attendat, et circumstantias bene consideret, an non fiat injuria Denuntiatio; vel si Denuntiationem veram judicat, ut ita caute et prudenter procedat, ne reveletur, et inde patiatur Denuntians.

113 Resp. III. Si delictum etiam soli peccanti nocivum jam est notorium, aut saltem manifestum, vel famosum, ita ut illud major pars communitatis jam sciat; ignoret autem Superior, datur obligatio illud vere *Judicialiter* denuntiandi, etsi Delinquens jam emendarit se, et non amplius delinquere credatur. Sanchez *lib. 6. Consil. cap. 1. dub.* 3. Sylvester *v. Denuntiatio. quaest.* 3. et alii, *arg. can. Sed illud. 17. dist. 47. et can. Si peccaverit, cau. 2. quaest.* 1. Ratio est; quia, nisi denuncietur *Judicialiter*, graviter patitur Communitas, dum caeteri facilius peccant, videntes delicta manere impunita: scandalum autem et malum communitatis quivis avertere tenetur, si potest, per dicta *num.* 106.

114 Dicitur notanter: *ignoret autem Superior*; hic

enim, si jam scit, tenetur ipsemet ex officio procedere, per *dicenda infra*: Consequenter subditus ab obligatione immunis est: nisi forsan videret, Superiorem ex inordinato affectu, aut respectu simulare ignorantiam, aut nolle officio satisfacere, nisi Denuntiatione urgeatur; tunc utique amore Communitatis, et ad avertenda scandala denuntiare oportebit, ut Judex ad inquirendum et procedendum adigatur: facta enim Denuntiatione *Judiciali* tenetur Judex inquirere, ac procedere, juxta *dicenda infra*.

115 Resp. IV. Etiam non notoria, et manifesta, nec famosa, sed aliquo modo adhuc occulta, solique peccanti nociva delicta potest et tenetur quis *Judicialiter* denuntiare, si probari possunt, et spes probabilis non appareat, quod alio modo emendetur Delinquens, aut si ob circumstantias, vel certas rationes expedit, ut Delinquens *Judicialiter* denuntietur, aut tale delictum forsan jam valde grassans ad terrorem aliorum publice puniatur. Patet Conclusio ex dictis supra *numer.* 88. *et numer.* 105. Quibus accedit, quod quivis ex charitate tenetur proximum liberare a gravi malo animae, si potest; ergo si id fieri nequit alio modo quam *Judiciali*, utique fieri oportebit. Nec refert, exinde pati bonum famae ipsius, quia hoc tanquam minus postponendum est bono animae; praesertim si ex publica delicti vindicta bonum, et utilitas communis speranda sit, *arg. can. Scias.* 39. *can* 7. *q.* 1.

116 Atque ex his infertur, quam saepe teneantur subditi facere denuntiationem *Judicialem*, si non semper stricte, et proprie, saltem minus stricte, talem *numer.* 109. descriptam, praesertim in Religionibus, ubi fere quaevis gravia alias ex natura sua, solum privata, v. g. fornicationes, et alia delicta carnis, censentur publica; id est, in publicam confusionem, diffamationem, aut praejudicium Religiosae communitatis redundantia: quae proin absque ulla monitione praevia *Judicialiter* denuntiari possunt ac debent, si probari possunt, juxta dicta *numer.* 106: imo, etsi probari nequeant per dicta *numer.* 107. et 108. si ita qualificata videntur, ut Denuntiatio, vel monitio *Evangelica* certo non profutura, sed id potius effectura credatur, quod Delinquens malitiam suam imposterum magis abscondat, et cautius procedat, interea peccare, ac Religionem prostituere, aut periculo prostitutionis et confusionis exponere non desinat: quod de male habituatis, aut superbis, aut jam correctis, et non emendatis, aut aliis malitiosis timendum, et propterea contra illos saltem per viam Denuntiationis *Judicialis* procedendum est, praecipue in materia luxuriae, utpote in qua delictum commissum, semper graviter praejudicat Communitati, si innotescat, ob quod in Religione nostra fornicationes, adulteria, peccata nefanda, inter peccata publica, seu in publicam perniciem redondantia, consequenter absque omni monitione praevia, *Judicialiter* denuntianda statuuntur, etiamsi occulte committantur; dummodo periculum sit (prout ordinarie est) quod *publicari possint*: uti loquitur textus Processus Criminalis *Tit. IX.* §. *Denuntiatio.* §. 2. ubi peccata publica et privata ita enarrantur.

117 *Privata delicta dicuntur, quae privatam Denuntiantis, aut propriam Delinquentis perniciem concernunt, ut gula, superbia, ira etc. Publica vero, quae in publicum Religionis detrimentum vergunt, ut crimen laesae Majestatis Divinae, vel humanae, ut haeresis, blasphemia, sortilegia, profanationes Sacrorum, conspirationes in Generalem, qui est Princeps Religionis, et in Provinciales, eorumque Commissarios, ac Superiores locales, eorumque vulnerationes, percussiones, homicidia, subornationes in electionibus simonia, peccatum nefandum, fornicationes, adulteria, dummodo periculum sit, haec tria (ultima) publicari posse, secus inter publica, et perniciosa numerari non debent.* Et de his publicis etiam occulte commissis delictis expresse statuitur in Processu Criminali *loc. cit.* §. 1. Sic, *In Judiciali Denuntiatione, si delicta sint publica et exceptuata, correctio charitativa non est necessaria.*

Quaeritur VIII. Qualiter in compendio, et per 118
modum corollarii sciri possit, quando, et quomodo quis possit, aut debeat denuntiare, vel excusetur a facienda Denuntiatione tam *Evangelica*, quam *Judiciali*? Resp. I. Quando delictum est penitus occultum in nullius quam Delinquentis damnum vergens, et non nisi uni praeter Delinquentem notum, excusatur quis a Denuntiatione illius tam *Evangelica*, quam *Judiciali*, si probabiliter credit, illud sola correctione seu monitione secreta, vel etiam absque illa emendandum, et non amplius committendum fore. Omnes. Ratio patet; quia in tali casu juxta dicta *num.* 62. non potest; ergo multo minus tenetur denuntiare: diffamaret enim sine causa proximum.

Resp. II. Quando crimen penitus occultum ver- 119
git in praejudicium tertii, aut Communitatis, excusatur quis ab utraque Denuntiatione, si certissime, seu moralis certitudo habetur, quod Delinquens absque Denuntiatione se emendaturus, et Communitati, aut tertio, cui nocuit, plene satisfacturus sit Palao *de Charitat. Tr.* 6. *Disp.* 3. *pun.* 4 allegans fere communem. Patet Conclusio: Nam in tali casu non tenetur ad *Evangelicam* Denuntiationem: quia hujus finis est emendatio, quae ex supposito jam habetur nec ad proprie *Judicialem* stricte talem, cum haec fieri non possit, quando delictum probari nequit, juxta dicta *numer.* 108. Nec ad *Judicialem* minus propriam; quia haec praecise fieri deberet ad evertendum, vel resarciendum damnum, juxta dicta *num.* 109. quod jam factum, vel alia via certissime faciendum supponitur.

Dicitur tamen *Si certissima spes et moralis cer-* 120
titudo habetur: quia, quando haec non adest, sed solum spes aut opinio probabilis habetur de avertendo, vel resarciendo damno Communitatis, aut tertii, tenetur quis tale delictum de praesenti jam, vel in futurum praejudiciosum denuntiare. Et quidem Denuntiatione *Judiciali* saltem minus stricte tali juxta dicta *num* 109. nisi rursus certissima spes sit, damnum averti vel resarciri posse sola Denuntiatione Evangelica.

Resp. III. Si delictum nondum quidem est no- 121
torium, sed tamen ita publicum, ut probari valeat, uti si duobus, aut tribus constet, potest quis, sed non tenetur illud *Evangelice*, vel *Judicialiter* denuntiare: si delictum soli Delinquenti nocet, et probabilis spes appareat, illud per solam monitionem secretam, aut absque illa fore emendandum, vel jam esse emendatum. Quod possit denuntiari, patet ex dictis *num* 88. *et num.* 106. Quod non teneatur, patebit ex statim dicendis. Idem est; si existente peccato pernicioso certitudo moralis habetur emendationis, et satisfactionis juxta dicta supra, nullumque periculum sit, tale delictum fore divulgandum: quod non sit obligatio illud in tali casu denuntiandi, ratio est; quia cessat finis obligans, emendatio nempe, et satisfactio, quae utraque in hoc casu jam supponitur. Quod autem possit etiam *Judicialiter* denuntiari, patet ex dictis *num.* 88.

122 Dicitur autem notanter: *nullumque periculum sit Divulgationis*: hoc enim ubi adest, etiam quandoque saltem in Ordine nostro obligatio est, tale delictum, etsi soli Delinquenti nocivum denuntiandi, juxta dicta *num.* 116.

123 Resp. IV. Si delictum quodcunque tandem jam est notorium, aut manifestum, ita ut fama jam de illo extet; tenetur quivis, et quidem *Judicialiter* denuntiare, si superior id ignoret, aut id sciens procedere contra Reum culpabiliter omittit, juxta dicta *num.* 113. et 114.

124 Resp. V. Excusatur quivis a Denuntiatione tam *Evangelica*, quam *Judiciali* cujuscunque delicti, quod absque gravi suo damno et incommodo, vel saltem gravi periculo damni denuntiare nequit, excepto delicto, quod in grave damnum Communitatis cedit, nisi denuntietur. Palao *loc. cit. pun.* 14. *numer.* 7. Navarrus, Covarruvias, Sanchez, Lessius cum Communi. Ratio est; quia juxta communem Theologorum nemo tenetur cum proprio gravi detrimento impedire damnum sive spirituale, sive corporale proximi, nisi ratio officii sui consequenter justitia id exigat.

Dicitur notanter: *excepto delicto etc.* quia quivis tenetur etiam cum aliquo suo damno grave malum Communitatis impedire; hoc ipso, *quod communis utilitas speciali praefertur*, *c. Licet.* 18. *de Regular.*

125 Quaeritur IX. Quinam sint effectus Denuntiationis *Judicialis*, seu quid operetur tam respectu Judicis, quam Denuntiatoris? Item ad quid ipsos obliget, praesertim si probatio deficiat, et Reus nec confessus, nec convictus habetur? Resp. I. Denuntiatio *Judicialis* imprimis efficit hoc, quod aperiat viam ad Inquisitionem specialem, ita ut Judex facta sibi Denuntiatione vere Judiciali non tantum possit, sed teneatur ex officio inquirere, et Processum incipere citando et examinando testes, et alia probationis media per Denunciatorem contra Delinquentem suggesta, adeo, ut si omittat, peccet ob denegatam seu neglectam justitiam, teneaturque ad Syndicatum, et amittat Jurisdictionem quoad illam causam, Brunneman. *in Process. inquisit.* Gailus *lib.* 1. *Observ.* 28. *n.* 1. Ameno *in Praxi Crimin. Tit. IX.* ℣. *Denuntiatio* §. 3. *num.* 16. textu valde claro *Novell.* 17. §. *si cap.* 3. *Si tibi quoque*, cum Concordantiis.

126 Limita Conclusionem in casu, quo Denuntiationem sine allegatione testium, et mediorum probationis fieri contingeret; tunc enim Denuntiationem rejicere debet juxta dicta *numer.* 89. nisi crimen denuntiatum in damnum Communitatis, aut tertii vergeret, sicque Denuntiatio *Judicialis* minus propria fieret; quia in tali casu procedere deberet modo supra *numer.* 109. allegato.

127 Resp. II. Si facta Denuntiatione Reus est suspectus de fuga, vel ne testes subornet, impediat, terreat etc. potest conjici in carcerem custodiae causa, etiam ante citationem; dummodo delictum sit grave, et adsint sufficientia indicia delicti a carcerando commissi, aut semiplena probatio, v. g. per unum testem omni exceptione majorem. Passerinus *in Tribun. Regul. quaest.* 20. Clarus §. *fin. quaest.* 28 *numer.* 2. *et seqq.* et ibi Barcard. *numer.* 11. Ludov. de Ameno *Tit. XIX.* ℣. *Reus numer.* 6. cum communi *arg. c. Si Clericus, de Sentent. Excommun. in* 6. et *L.* 3. *de Custod. Reor.* ibi: *Facta praesumptione tanquam Reus sit, in custodia maneat, donec causa terminetur.*

128 . In Ordine nostro ut Reus custodiae causa carcerari queat, debet adhiberi etiam consilium Patrum, et magis peritorum in Conventu, ut statuitur *in praxi Criminali Tit. XIX.* §. *II.* et bene ibidem docet Ameno *num.* 6. addens *num.* 8. quod si in Conventu haberi nequeant, aut tales essent amici ipsius carcerandi, aut alias suspecti, posset Judex se solo carcerationem demandare. Caeterum in decreto carcerationis debet Judex exprimere causam, ob quam incarceravit Reum. Ameno *loc. cit. n.* 8.

Resp. III. Quamvis Denuntiator non teneatur probare crimen, tenetur tamen denominare testes, et suggerere probationis media, quae habet, si vere *Judicialiter* denuntiat. Patet Conclusio ex dictis supra *num.* 95. *ubi num. praeced. et subseq.* etiam habetur, quae requirantur ad Denuntiationem rite faciendam. Caeterum, an, et quas poenas Denuntiator incurrat, si fideliter non probetur, vide *Tit. seq. de Calumn.* 129

Dicitur: *Si vere Judicialiter denuntiat*; si enim denuntiat delicta penitus occulta, in damnum tamen Communitatis vergentia, sicut testes et probationes suggerere nequit, ita nec tenetur, sed observare debet, quod dictum est supra *num.* 112.

Quaeritur X. Quem effectum habeat Denuntiatio *Judicialis* respectu Rei denuntiati? Resp. I. 130
Licet per solam Denuntiationem, vel Accusationem non illico, evadat quis Reus, nisi prius convictus vel confessus sit *can. fin. in fine. caus.* 15. *q.* 8. ibi: *Non statim, qui accusatur, reus est, sed qui convincitur criminosus*: Nec etiam per illam statim infamis fiat *l. Furti* 6. §. 1. *de His, qui notant. infam.* nihilo minus Denuntiatio *Judicialis*, et a fortiori accusatio, sicut etiam inquisitio aggravat, minuitque aestimationem, et famam ipsius, idque illico efficit, ut pendente Denuntiatione, et donec terminetur causa, Denuntiatus nec ad Ecclesiasticas, nec ad saeculares dignitates vel honores promoveri valeat, *arg. c. Tanti* 3. *dist.* 81. *et c. Omnipotens.* 4. *h. t.* ibi: *Grave est, ut vir, de quo tanta, et talia denuntiantur (cum antea inquiri, et discuti debeant) honorentur.* Et ibi Doctores communiter, in specie Barbosa *numer.* 1. *et* 2. Abbas, Felinus, Archidiac. Anchar. Joan. Andreas, Butrius, Fagnanus, et alii cum Glossa, *ibid.* ℣. *Nuntiatur.* concordat. *l. Reus.* 7. *ff. de Mun. et honor.* ibi. *Reus delatus etiam ante sententiam honores petere, principalibus constitutionibus prohibetur: Nec interest plebeius sit, an decurio, et l. Reos. C. de Reis postam.* Ratio est: quia opinio et fama promovendi non debet vacillare, ut bene advertit Glossa *in c. Omnipotens h. t.*

Quod si pendente Denuntiatione, vel accusatione dignitas vel honor Denuntiato conferretur, 131
collatio esset nulla, nec convalesceret, etsi postea per sententiam absolvatur Reus, et innocens declaretur, sed requiritur nova promotio. Fagnanus *in c. Omnipotens* 4. *h. t. numer.* 23. Goffred. et Vincent. *in fin. de Testament.* Pirhing *h. t. nu.* 24. *arg. l. qui status. ff. de re milit. et l. cum uno.* §. *Rem.* Ratio est: quia in his spectatur principium, an videlicet ab initio, seu tempore collationis, aut promotionis quis habilis existat, *arg. c. dudum* 24. *de elect. et c. si eo tempore* 45. *eod. in* 6. consequenter si quis ab initio, seu tempore collationis, vel promotionis inhabilis est, subsequens declaratio innocentiae non retrotrahitur, ut bene advertit post Cardin. *in c. Omnipotens* 4. *h. t. num.* 1. Ancharan. *num.* 7. et Fagnan. *n.* 24.

Ampliatur Conclusio, ita ut Accusatus, et Denuntiatus, aut etiam inquisitus pendente Denuntiatione, aut Processu, nec ad Ordines promoveri valeat, Fagnanus *loc. cit. num.* 7. *can. Tantis.* 3. 132

dist. 81. *can. Laici. dist.* 33. c. *fin. de testib.* et ibi Glossa ℣. *Pendente accusat.* Nec potest alium accusare, *l. Is qui. ff. de Public. Judic.* Nec esse testis in causa Criminali, nisi agatur de criminibus exceptis, *cit. c. fin. de testib.* Nec potest esse procurator alterius, *l. Reum. de Procurat.* quae omnia refert Glossa; *in fine, de testib.* et bene advertit Anchar. *in cit. c. Omnipotens.* 4. *h. t. in Notabili I.* Item non potest promoveri ad officia, nec ad Beneficia, Abbas *in c. Omnipotens. h. t.* et ibi Fagnanus *num.* 3.

133 Limitatur tamen Conclusio, potestque Accusatus, Denuntiatus, vel Inquisitus, ad Honores, Dignitates, Officia, et Beneficia etc. etiam durante Processu promoveri, si crimen, de quo Accusatus, aut Denuntiatus existit, non est grave, sed leve, Hostiens. et Joan. Andr. *in c. Omnipotens.* 4. *h. t.* ac ibi Fagnanus *n.* 7. *arg. cit. c. Omnipotens, h. t.* ibi: *De quo tanta et talia,* id est, tam gravia nuntiantur. Inter gravia autem numerantur c. *Unum* 3. *dist.* 25. *Sacrilegium, homicidium, adulterium, fornicatio, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia, et si longo tempore teneatur, iracundia, et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero reputantur: et ea demum, quae semel commissa ad Denuntiationem sufficiunt;* id est peccata mortalia. Inter levia reputantur, quae ibidem ad longum referuntur, quae nempe peccatum duntaxat veniale efficiunt.

134 Limitatur II. Si ex conjecturis appareat, aliquem ex calumnia, et eo animo accusari, vel denuntiari, ut accusatus, vel Denuntiatus ab acquirendis honoribus, dignitatibus, officiis etc. arceatur, Fagnanus *in c. Omnipotens.* 4. *h. t. num.* 23. et ibi Felinus *num.* 3. Joan. Andreas *num.* 3. Pirhing *h. t. nu.* 42. *arg. l. Qui de libertate.* 29. §. *si vero. ff. de liberali causa.* Glossa *in can. Tantis.* ℣. *Obrepsit. dist.* 81. alias enim quivis malitiosus posset impedire quemvis honestum virum, dummodo accusaret, aut denuntiaret illum.

135 Limitatur III. Si accusatio, aut Denuntiatio non fit legitima ex defectu formae requisitae, per dicta *num.* 94. aut si fit ab eo, qui accusare nequit, Felin. *in c. Omnipotens h. t. n.* 2. et ibi Fagnanus *n.* 14. *arg.* c. *Meminimus.* 13. *h. t.*

136 Limitatur IV. Si accusatio, aut Denuntiatio criminis non *Criminaliter*, sed *Civiliter*, tantum intentatur, quia haec accusatio infamiam non aggravat, Fagnanus *loc. cit. nu.* 15. Innocent. *in c. qualiter h. t. arg* c. *Tuae.* 5. *et Procurator.* et c. *Super his.* 16. *ad finem. h. t.*

137 Limitatur V. Post lapsum unius anni a tempore factae accusationis, aut Denuntiationis; nisi per Reum steterit, quo minus intra annum causa terminetur, Communis, textu claro *l. Reus.* 7. *ff. de Mun. et honor.* ibi: *sed post annum, quam reus delatus est, petere honores non prohibetur: nisi per ipsum stetit, quo minus causa intra annum expediatur.*

138 Resp. II. Accusatio vel Denuntiatio non impedit honoris, dignitatis, aut officii administrationem, aut exercitium, Bartol. *in l. Post contractum. ff. de Donat.* Abbas in c. *Omnipotens.* 4. *h. t. n.* 3. et ibi Felinus *n.* 1. Fagnanus *n.* 8. et alii communiter, *arg. l. qui a latronibus.* §. 1. *ff. de Testament. l. quod si forte.* §. 1. *ff. de Solut. l. Reo Criminis. ff. eod.* et *l.* 1. §. *quamvis autem. ff. de Postulat.* ibi: *Sed melius est, ut retinere quidem dicamus, jam acceptum Magistratum posse; aspirare autem ad novum penitus prohiberi.* Ratio est; quia Accusatio et Denuntiatio non impediunt jam quaesita et habita, sed quaerenda, uti Gloss. *in c. Saepe* ℣. *Rata manet, de Appellat.* bene et universaliter notat, Abbas *in c. Omnipotens n.* 3. *h. t.*

Infertur, quod etsi Praelatus, vel Superior a 139
subditis, vel aliis accusatus sit, vel denuntiatus, ab administratione tamen, et jurisdictione sui Officii, aut Dignitatis minime impediatur; ut bene advertunt Doctores citati, ac alii communiter. Limitatur tamen Conclusio, et illata doctrina in causa et negotio, in quo Praelatus fuit denuntiatus, vel accusatus. Pirhing *h. t. arg. c. Olim.* 26. *h. t.* et ibi Doctores. Item limitatur in casu, quo Superior de dilapidatione bonorum accusatus, vel denuntiatus existit; tunc enim Denuntiatione pendente suspensus manet ab administratione bonorum, *c. fin. h. t.* ubi ex hoc, quod Canonici Frisingenses accusaverint Episcopum suum de bonorum dilapidatione, administratio eorum interim ei fuit interdicta: ibi: *Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona Ecclesiae interim eidem penitus sit interdicta.*

Resp. III. Quamvis teste Fagnano *in c. Omni-* 140
potens. h. t. plures velint, quod Accusatio et Denuntiatio Accusatum reddant etiam ineligibilem, melius tamen sub limitatione, ita docetur, si Accusationem aut Denuntiationem nulla praecessit Juris, aut facti, infamia Rei, non impeditur, quin pendente Accusatione vel Denuntiatione eligi possit. Fagnan. *in c. Omnipotens h. t. numer.* 1. circa finem, et ibi Anchar. *numer.* 5. Ratio est: Tum quia si sola Denuntiatio redderet aliquem inhabilem ad electionem passivam, daretur locus multis fraudibus, ac figmentis; dum vacante Dignitate aut Beneficio electivo quivis quemvis facile inhabilem reddere, et impedire posset ab electione; dummodo scilicet denuntiaret illum.

Resp. IV. Denuntiatio et Accusatio, sicut etiam 141
inquisitio id quoque respectu Rei efficit, quod legitime interrogatus teneatur fateri veritatem. Patet Conclusio ex *Lib. II. Tit. XVIII.* §. 7. *per totum.* Estque in ordine nostro certa; cum in praxi nostra expresse ita decisum habeatur *Tit. Reus.* §. 6. ibi: *Reus legitime interrogatus, sub mortali culpa (a qua, nisi dicat veritatem, in foro poenitentiae absolvi non possit) tenetur de plano respondere ad mentem Judicis interrogantis.* Accedit, quod in ordine nostro Reo imponatur juramentum de dicenda veritate.

Resp. V. Alius principalis effectus respectu Rei 142
est, quod crimen confessus, aut de illo legitime convictus afficiatur poena Jure praescripta, vel, si in Jure nulla praescribitur, arbitraria Judicis juxta exigentiam delicti, lata prius sententia: juxta praescriptum *L.* 2. *et* 3. *C. de Sentent. ex periculo recit. et Novell.* 71. *cap.* 1. circa quam sententiam tamen hodie in Tribunali saeculari observari debet Constitutio Caroli V. *art.* 92. *et seqq.* ubi ordinatur, ut causa plene discussa, et facta per utramque partem conclusione, cuncta acta in medium proferantur, ut singulis diligentissime perpensis, denuo collectis singulorum Assessorum suffragiis sententiam scriptis comprehensam Judex per juratum Actuarium publicari, et clara voce in praesentia partium praelegi jubeat.

Resp. VI. Ad hoc, ut Reus denuntiatus ad 143
poenam ordinariam condemnari possit, debet adesse probatio plena ac perfecta luce meridiana clarior. Communis, et certa claris Juribus *l. Fieri. C. de Accusat.* et can. 2. *cau.* 2. *quaest.* 8. Et amplius dictum est *Lib. II. Tit. XXIII.* §. 3. *a num.* 63.

Dicitur notanter: *ad poenam ordinariam*; quia 144
an, et quomodo deficiente plena probatione ob graves praesumptiones et indicia saltem ad poenam extraordinariam condemnari possit, habes etiam *cit.* §. 3. *a num.* 71.

145 Caeterum quomodo probatio fieri possit ac debeat? quae sit plena, quae semiplena etc. copiose habes *Lib. II. Tit. de Probat. Tit. de Confessis. Tit. de Testibus. Tit. de Fide Instrum. Tit. de Praesumpt.* etc.

146 Quaeritur XI. Quid sit *Denuntiatio Canonica?* Et quid *Denuntiatio Civilis?* de quibus statim ad initium hujus §. *numer.* 59. Resp. I. *Denuntiatio Canonica* (sic dicta, quia a SS. Canonibus inventa) est et dicitur illa, quae fit ad avertendum damnum spirituale Communitatis, aut personae privatae, v. g. ne indignus ordinetur, vel ad beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveatur: vel ut indignus jam promotus amoveatur, ne plebi perniciosus existat, *can. Metropolitanus.* 44. *can. Sicut.* 45. *cau.* 2. *q.* 7. Item ne matrimonium contrahatur cum impedimento dirimente, vel impediente, aut ut contractum dissolvatur, vel ne quid aliud illicitum fiat; cum de omni peccato mortali spectat ad Ecclesiam judicare, *c. Novit.* §. *Licet autem de judiciis.*

147 Ad Denuntiationem *Canonicam*, quae fit, ne indignus eligatur, vel promoveatur, aut ut jam promotus iterum amoveatur, non quivis, sed illi tantum tenentur, quorum interest, bonum habere Praelatum, Pastorem etc. Abbas *in c. Novit. de judiciis. numer.* 29. Ad illam vero, quae fit ad impediendum matrimonium cum impedimento contrahendum, vel ad aliud peccatum impediendum tenetur quivis, si absque magno incommodo suo potest, ut diximus *lib. IV.* §. 1. *num.* 49. Et ideo haec *generalis*, utpote generaliter omnes obligans: illa vero *specialis*, quippe non nisi speciales concernens, dicitur.

148 Resp. II. Denuntiatio *Civilis* prout a Canonica distinguitur, est, quae fit ab Officialibus, Ministris publicis ad hoc deputatis, ut crimen in Communitate scrutentur, et ad judicium deferant; quatenus data facta eorum Denuntiatione Judices exactam inquisitionem instituere, et cognita veritate Reos castigare, atque bono communi providere valeant, *arg. l. Ea quidem.* 7. *et l. Singuli.* 14. *C. de Accusat.* Quae Denuntiatio saepe etiam *judicialis* est, et ad eam reducitur, habetque illud speciale, quod Judex ea facta nullis a Denuntiatore nominatis testibus, nec solemnitatibus supra *a num.* 94. praescriptis, statim inquirere possit per leges citatas; at Denuntiator ad nullas tenetur poenas, Delato reperto innocente. Denuntiatio *Civilis* subinde etiam vocatur illa, quae a privato fit non ad vindictam publicam, sed ad interesse proprium juxta dicta *numer.* 84. Verum de hac in praesenti non est Quaestio.

§. III.

De Inquisitione.

SUMMARIUM.

149 *Inquisitio quid?*
150 *Alia est Generalis.*
151 *Alia Specialis.*
152 *Alia Mixta, quae etiam ad Generalem reducitur*
154 *Generalis, et Specialis alia Paterna.*
155 *Alia Judicialis.*
156 *Inquisitio Generalis potest et debet subinde institui.*
157 *Et quoties? Remissive.*
158 *Potest institui absque praecedenti infamia Inquisitio Generalis.*
159 *Etiam Judicialis.*
160 *Solvuntur jura contraria.*
161 *Requiritur tamen ad eam saltem suspicio, vel praesumptio, vel indicia etc. de delictis.*
162 *Nemo potest condemnari sine Accusatore, vel aliquo suppleate vicem ipsius.*
163 *Judex si Inquisitionem Generalem Judicialiter instituere vult, debet prius monere interrogandos.*
164 *Inquisitio Mixta, seu Generalis duntaxat respectu personae debet institui, si jam constat de delicto.*
165 *Probatur ratione.*
166 *Haec inquisitio aperit viam ad Specialem.*
167 *Potest etiam institui, etsi certo non constet de delicto.*
168 *Et quomodo?*
169 *Inquisitio Mixta illa, quae est Generalis respectu criminum, et Specialis respectu Delinquentis, pariter fieri potest.*
170 *Non autem judicialiter.*
171 *Inquisitio Specialis institui potest, vel ex mero Officio.*
172 *Vel ad instantiam partis.*
173 *Ex mero officio institui judicialiter nequit sine praecedente infamia, vel sufficientibus indiciis vitii ab Inquirendo commissi.*
174 *Probatur ratione juris.*
175 *Potest tamen paterne institui sine infamia.*
176 *Item etiam ad delationem publici Ministri ad hoc deputati: cujusmodi apud nos sunt lictores.*
177 *Ad praeviam Denuntiationem judicialem potest institui Inquisitio specialis absque praecedenti infamia inquirendi.*
178 *Confirmatur I*
179 *Confirmatur II.*
180 *Confirmatur III.*
181 *Confirmatur IV.*
182 *Solvuntur Jura contraria.*
183 *Quae etsi quid probarent, essent abrogata consuetudine.*
184 *Observantia practica.*
185 *Potest insuper fieri specialis Inquisitio absque praecedente infamia, si adsint sufficientia indicia commissi ab aliquo criminis.*
186 *Item si crimen est conjunctum cum illo, de quo prius est confessus, aut diffamatus Reus.*
187 *Item si Inquisitione Generali Judiciali aliquis in specie nominatur.*
188 *Dummodo prudenter, et considerate fiat.*
189 *Item in delictis in damnum Communitatis, aut Tertii, ac aliis exceptis.*
190 *Ac tandem contra servos domus, in qua invenitur herus occisus.*
191 *Qualis debeat infamia esse, quae praerequiritur, ad Inquisitionem Specialem?*
192 *Quamvis praerequiratur infamia, tamen non praerequiritur probatio infamiae; si Inquisitio fiat ex mero Officio.*
193 *Securius tamen fit, ut probatio praemittatur.*
194 *Si Inquisitio fit ad instantiam partis, nec infamia, nec probatio ejusdem praerequiritur.*
195 *Nisi Denuntians ipsemet ad famam loco testium se remittat.*
196 *Rarissime, et vix unquam praerequiritur ad Inquisitionem specialem probatio famae.*
197 *Si absque fama, et probatione ejus fit specialis Inquisitio, casu quo fama et ejus probatio praerequiritur, valebit Processus, nisi Reus praesens reclamet.*
198 *De natura et probatione famae. Remissive.*
199 *Superiores tenentur subinde ex justitia insti-*

tuere Inquisitionem tam Generalem, quam Specialem, et quando?

149 **Q**uaeritur I. Quid, et quotuplex sit Inquisitio? Resp. I. Quando ly *Inquisitio* in Jure quandoque denotet cujuscunque rei indagationem, seu investigationem, *arg. per Inquisitionem.* 26. *de Elect. et c. fin.* §. 1. *de Offic. Delegat.* Ad praesens tamen agitur de ea, prout significat investigationem in materia Criminali, et bene describitur dicendo: *Inquisitio ut sic, est criminis, vel criminosi per judicem legitime facta investigatio.* Gonzalez in c. *Inquisitionis.* 21. *h. t. num.* 8. Patet ex terminis; dicitur *criminis, vel criminosi*, ut comprehendatur quaevis inquisitio non solum Generalis, sed et specialis, per quam non tantum de crimine, sed etiam de criminoso in specie investigatio fit. Dicitur *legitime facta*, id est, juxta praescriptum Legum, et Canonum.

150 Resp. II. Inquisitio principaliter, eo potissimum dividitur in *Generalem*, et *Specialem*, cui addunt aliqui *Mixtam*. Inquisitio *Generalis* proprie talis, seu ut alii dicunt *Generalissima*, est, quando Judex, vel Superior nulla expressa persona, vel delicto in specie, ex mero officio suo generatim indagat, et inquirit, an in provincia aliqua, vel loco, Dioecesi, Civitate, Monasterio fiant, et facta sint aliqua delicta, an leges, et statuta serventur, vel fiat transgressio eorum etc. *arg. c.* 1. *de Offic. Ordinar. c. Grave.* 29. *de Praeb. et Dignit. c. Sicut olim.* 25. *h. t.* quam Inquisitionem ordinarie faciunt Episcopi, dum visitant Dioecesin, Superiores Regulares, in visitatione Provinciarum, et Monasteriorum per Jura citata. Item Praesides, aut Magistratus saeculares indagando, an crimina et legum transgressiones fiant in districtu sibi subdito, *arg. l. Congruit.* 13. *ff. de Officio praesid.*

151 Inquisitio *Specialis* proprie talis est: quando Judex vel ex mero Officio, vel ad alicujus privati querelam seu Denuntiationem, vel ad Denuntiationem alicujus privati vel Officialis seu Ministri publici ad id destinati inquirit, seu indagat de delicto aliquo in specie contra certam et determinatam personam: investigando v. g. an Titius commiserit homicidium, vel fornicationem. Fagnanus *in c. qualiter et* 2. *h. t. num.* 62. Maranta *de Ordin. Judic. part.* 6. *Tit. de Inquisit. num.* 12. cum communi, *arg. c. Cum dilecti.* 18. *et c. qualiter.* 24. *h. t.*

152 Inquisitio *Mixta*, prout a Generalissima, et proprie strictaque Generali distinguitur, est, quando Judex aut Superior nulla determinata, vel expressa persona de certo aliquo crimine inquirit indagando v. g. generaliter respectu personarum, quisnam earum hoc furtum, vel istud homicidium commiserit. Et haec inquisitio ad *Generalem* reducitur, passimque Generalis, et merito dicitur. Vel econtra nullo expresso crimine, de certa persona indaget, an aliquod crimine commiserit, an Leges observet, aut violet, quomodo in officio suo se habeat etc.

153 Inquisitio praesertim *Generalis* alterius ratione finis dividitur in Paternam, et Judicialem. *Paterna* est, quae Superiore instituitur non ad publicam vindictam, sed ad dignoscendam vitam et mores subditorum, eo fine, ut errantes et defectuosi paterne corrigantur et emendentur, praescribantur convenientia media pro observatione Legum, vel disciplinae Regularis: et ut boni ad gradus, et Officia pro bono communi evehantur etc. Qualis Inquisitio fit ordinarie a Superioribus Regularibus, dum etiam Canonice visitant Provincias, aut Monasteria, juxta dicenda infra.

Judicialis vero est, quae instituitur a Superiore ut Judice ad vindictam publicam, publiceque puniendos Delinquentes ad exemplum aliorum. 154

Quaeritur II. An, et quando a Superioribus instituti possit vel debeat Inquisitio *Generalis* proprie talis, seu *Generalissima*? Et utrum ad eam praerequiratur infamia? 155

Resp. I. Inquisitio *Generalis* proprie talis non 156 tantum potest, sed ex officio suis temporibus etiam debet fieri. Unanimis eo certa, claris Juribus tam Civili, quam Canonico, *c.* 1. *de Offic. Ordinar. c. Romana, de Censib. in* 6. *c. In singulis, de Statu Monach.* juncto Concilio Trident. *Sess.* 25. *de Regul. cap.* 8. *et l. Congruit.* 13. *ff. de Offic. Praesid.* Ratio est; quia bonum commune talem Inquisitionem exigit, ut scilicet ea mediante innotescat, an, et qualia crimina vigeant, an, et quinam existant malefactores, quatenus cognito rerum statu, pro exigentia circumstantiarum, Superiores malis praecavere, delinquentes corrigere, et emendare, convenientia media ordinare, vel ulterius ad Inquisitionem specialem progredi valeant etc.

Quoties autem instituti debeat *Generalis* (quae 157 ordinaria est paterna) partim patet ex dictis *Lib. III. Tit.* 39. *numer.* 65. §. partim ex §. *sequenti*, partim ex Tribunalium consuetudine, et statutis Municipalibus.

Resp. II. Memorata Inquisitio *Generalis* pro- 158 prie talis, seu *Generalissima* etiam judicialis instituti potest ex mero officio Judicis, etsi nulla de delictis, vel delinquentibus praecedat infamia, nec alicujus urgeat Denuntiatio. Maranta *in Praxi judic. part.* 6. *Tit. de Inquisit. num.* 29. Clarus §. *fin. q.* 6. *num.* 1. Farinac. *in Praxi Criminal. p.* 1. *l.* 1. *de Inquisit. Tit. q.* 9. *num.* 18. Navarrus *cap.* 18. *num.* 38. Abbas *in c.* 1. *de Offic. Ordin.* Pirhing *h. t. num.* 50. cum Communi aliorum. Patetque clare per Jura *num. praecedent.* citata; utpote vi quorum non tantum possunt, sed debentur etiam Superiores quandoque instituere Inquisitionem Generalem, nulla facta mentione, de praecedente infamia, aut Denuntiatione alicujus. Quibus accedit adhuc Concilium Tridentinum *Sess.* 7. *cap.* 8. *et Sess.* 21. *cap.* 8. Confirmatur universali et quotidiana praxi Tribunalium tam saecularium, quam Ecclesiasticorum, ac Regularium. Ratio est tam eadem, quae in priori Conclusione. Tum quia per talem Inquisitionem Generalem etiam nulla praecedente infamia aut Denuntiatione factam nulli fit injuria, hoc ipso, quod de nullo in specie investigetur.

Dicitur autem in Conclusione: *etiam judicia-* 159 *lis*; quia quamvis Inquisitiones Generales praesertim apud Regulares, imo etiam apud Episcopos ordinarie nonnisi paterne (Canonice tamen, et legitime) fiant ad emendationem, et non ad publicam vindictam, uti bene observat Ameno *Tit. XI. de Inquisitio.* §. 1. *numer.* 8. Tamen etiam *Judicialiter*, et in publicam vindictam fieri possunt, prout cum Communi allegati docere videntur Doctores per Jura *num.* 151. *et* 156 allegata: Nam *c.* 1. *de Offic. Ordin.* expresse habetur: *Habeant Episcopi singularum Urbium in suis Dioecesibus potestatem, adulteria, et scelera inquirere, ulcisci, et judicare*, ubi in Inquisitione Generali etiam *judiciali* sermonem esse, patet ex verbis *ulcisci, et judicare.* Et *l. Congruit.* 13. *ff. de Offic. Praesid.* de Generali Inquisitione disponens vult, ut *Praesides in sacrilegos, latrones etc inquirant, et prout quisque deliquerit, in*

eum animadvertere, receptoresque eorum coercere etc. debeant, ubi verba, *prout quisque deliquerit, in eum animadvertere*, satis indicant Inquisitionem Generalem *judicialem*.

160 Nec obstant textus in Jure passim existentes, qui ad Inquisitionem expresse requirunt praecedentem infamiam. Resp. enim cum Communi, textus illos non loqui de Inquisitione *Generali*, sed de *Speciali*; in cujus inquiritur contra delinquentem in specie, ut cum Ameno *loc. cit. num.* 8. bene observat Pesserio. *in Tribun. Regul. quaest.* 8. *numer.* 13. *et* 14.

161 Qui ambo tamen etiam notant, quod etsi vera non requiratur infamia, requiratur tamen aliqua suspicio, vel praesumptio, vel indicia aliqua, vel confusa relatio, alicubi fieri delicta, aut homines ibi non bene vivere si Inquisitionem judicialem instituere vult. Ratio est; quia, cum Inquisitiones Generales ordinarie nonnisi *paterne* fiant, sine omni causa, aut motivo prudenti, *judicialiter* instituere non debet Inquisitionem Generalem.

162 Accedit, quod Inquisitio *judicialis* tendat ad publicam vindictam, et poenam, juxta dicta *numer.* 155. ad hanc autem nemo condemnari possit sine Accusatore, *c. un. Ut Ecclesiastica beneficia sine diminut.* ibi: *Cum nullus debeat damnari, et idem non possit esse Accusator et Judex. can. De manifesta.* 17. §. *Sed sciendum, cau.* 2. *q.* 1. ibi: *Nullus simul potest esse Accusator et Judex*; ergo adesse quid debet vicem Accusatoris supplens, Denuntiatio nempe, vel fama, vel saltem aliquid loco famae deserviens, praefata scilicet delictorum indicia, praesumptiones, suspiciones, mussitationes etc. ut favere possit textus, *c. Qualiter.* 24. *h. t. Non tanquam idem sit Accusator et Judex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore Officii sui debitum exequatur.*

163 Illud etiam notandum Superioribus, quod si Inquisitionem Generalem Judicialem instituere, et per eam immediate *judicialiter* procedere velint, id iis, quos examinant et interrogant, indicare debeant, ut sciant, quomodo respondere possint, et debeant; cum non una et eadem sit potestas, nec obligatio respondendi, seu detegendi delinquentium crimina in Inquisitione judiciali, et paterna, juxta dicenda infra.

164 Quaeritur III. An, et quando institui possit, aut debeat Inquisitio *Mixta*, seu Generalis secundum quid explicata *numer.* 153.? Resp. I. Inquisitio *Mixta*, seu Generalis duntaxat respectu personae, qua videlicet generatim et non in particulari de persona, an sit auctor, vel reus criminis, quod commissum esse jam constat; v. g. dum constat commissum esse homicidium, et investigatur tantum in genere, quis illud commiserit, non vero an Titius illud commiserit, non tantum potest, sed etiam debet institui, etsi nulla infamia, aut suspicio de certa persona existat, Clarus §. *fin. quaest.* 5. *numer.* 5. Innocentius *in c. Bona, il.* 1. *de Election. num.* 5. cum communi, *arg. l.* 1. *de Election. numer.* 1. dicens ita servari in toto Mundo, Pirhing *h. t. numer.* 54. Lessius *lib.* 2. *de Justit. et Jur cap.* 29. *num.* 14. cum Communi, *arg. L.* 1. § *Qui quaestionem.* 21. *ff. de Quaest.* ibi: *Qui quaestionem habiturus est* (per Inquisitionem praefatam Generalem) *non debet specialiter interrogare, an Titius homicidium fecerit, sed generaliter, quis id fecerit; alterum enim magis suggerentis, quam requirentis est.*

165 Ratio est: Tum quia, nisi talis Inquisitio fieret, gravi cum detrimento boni communis scandalizarentur, et ad malefaciendum ulterius invitarentur tam delinquentes, quam reliqui videntes, judices non inquirere in Auctorem criminis etiam notorii, consequenter impune peccare posse. Tum quia per talem Inquisitionem Generalem respectu personae nulli fit injuria, nullius fama laeditur, hoc ipso, quod de nullo in particulari indagetur.

Aperit tamen praefata Inquisitio *Mixta*, seu Generalis respectu personae, viam ad Inquisitionem specialem; quando videlicet in genere interrogati, an non sciant, qui crimen hoc fecerit, nominant Delinquentem in specie, aut produnt indicia, ac probabiles suspiciones, aut famam contra ipsum, prout *loc. cit.* bene observat Clarus *num.* 5. allegans Communem, Aret. *in c. Cum oporteat h. t. n.* 44. Pirhing. *loc. cit.* 166

Resp. II. Praefatam inquisitionem *Mixtam* de delicto in specie potest Judex instituere, etiamsi nondum certo constet, nec fama extet, illud esse commissum: dummodo adsint praesumptiones, indicia, suspiciones etc. de illo, homicidio v. g. commisso. Patet Conclusio per jura et rationes supra a num. 158. *usque ad num.* 163. allegatas, utpote etiam hic militantibus. 167

Notandum vero, quod quando Judex de delicto in specie, de quo nondum certo constat, Inquisitionem *Mixtam* instituit, de delinquentibus nec in genere inquirere possit, donec certo constet, delictum esse commissum. Ratio est; quia antequam de delinquente etiam in genere indagat, debet certo constare de corpore delicti, de quo in specie est Inquisitio, juxta dicenda infra num. 201. *et seqq.* 168

Resp. II. Inquisitio *Mixta*, seu Generalis duntaxat respectu criminum, qua scilicet inquiritur contra personam in particulari, et de criminibus in genere: v. g. An Titius non sit reus alicujus, vel aliquorum criminum? *paterne* quidem, non vero *judicialiter* fieri potest. *Ludov. Ameno in Praxi Crimin. Tit. XI.* ✠. *Inquisitio* §. 2. num. 2. et 12. cum aliis. Quod *paterne* fieri queat, patet ex universali tam saecularium, quam Ecclesiasticorum Superiorum praxi et consuetudine, quae est optima Legum interpres *L.* 37. *ff. de Legib.* constat enim, quod Episcopi, eorumque Visitatores in Dioecesis Visitatione, quam ordinarie nonnisi *paterne* faciunt, de Parochis, et aliis Clericis in specie inquirere, et indagare soleant, quomodo se gerant, an leges et decreta observent, an vero transgressores earum existant? Item etiam Superiores Regulares et bene faciunt in suis Visitationibus, quas ordinarie quoque non *judicialiter*, sed *paterne* tantum, Canonice tamen ac legitime instituunt; dum Generalis, vel ejus Commissarii Visitatores de Provincialibus, et aliis Superioribus, Provinciales item de Guardianis et aliis in specie interrogant, quomodo in Regimine se habeant, *an* disciplinam et statuta observent, vel transgrediantur, etc. Quod specialiter etiam conceditur in nostrae Religionis praxi Criminali *Tit. XI.* ✠. *Inquisitio* §. 2. dicetorque amplius §. *sequenti.* Saeculares quoque Superiores dum Territoria suae jurisdictionis ordinarie visitant, idem practicant. 169

Quod autem *judicialiter* id fieri nequeat, Ratio est; quia, ut bene advertit Ameno *loc. cit.* ✠. *Inquisitio.* §. 1. *numer.* 2. de delictis in genere, quae in specie non exprimuntur, et Superiori ut Judici proponantur, nemo potest legitime accusari, denuntiari, aut infamari ad hoc, ut Superior Judicialiter inquirere, et procedere valeat. 170

Quaeritur IV. Quandonam fieri possit, vel 171

debeat Inquisitio *Specialis*? Item an, et quando ad eam praerequiratur infamia? Ante responsionem notandum, Inquisitionem *specialem* dupliciter fieri posse, videlicet, vel ex mero officio judicis, vel ad instantiam alterius Accusantis vel Denuntiantis. Ex mero officio fit, quando nemine *judicialiter* instante, id est, nemine accusante: aut judicialiter denuntiante, exigentibus rerum circumstantiis, et muneris sui ratione, vel obligatione, ex officio Judex eam instituit. Quod etiam tunc facere censetur, quando occasione Denuntiationis *Charitativae*, aut Inquisitionis *Generalis* venit in notitiam Delinquentis in specie, et contra illum Inquisitionem specialem instituit; quia *charitative* denuntiantes, aut in *Generali* Inquisitione respondentes non instant, ut Judex ulterius, et ad vindictam publicam *judicialiter* procedat: consequenter si occasione horum specialiter inquirit, ex mero officio agere dignoscitor.

172 Ad instantiam partis vero specialiter inquirit, quando Inquisitionem instituit praecedente Accusatione, vel Judiciali Denuntiatione alterius instantis, ut Judex Processum faciat, et publica poena pro vindicta publica Delinquentem ad aliorum exemplum afficiat. Quamvis enim etiam in inquisitione *Speciali* ad Denuntiationem Judicialem praeviam facta, Judex ex officio inquirere dicatur, ut bene notat Clarus §. *fin. q. 7. n.* 1. tamen hoc ipso, quia Judicialiter Denuntians vindictam publicam intendit, et pro ea instat, jam non ex mero officio, sed ad instantiam partis agere, et inquirere censetur Judex. Hoc notato

173 Resp. I. Regulariter, seu ordinarie loquendo, nullus Judex, aut Superior ex mero officio instituere potest *judicialiter* Inquisitionem *Specialem* contra personam aliquam in specie de delicto, contra quam ratione talis delicti non praecessit infamia, aut sufficientia indicia delicti ab ea commissi. Clarus §. *fin.* quaest. 6. *num.* 1. Fagnanus *in c. Qualiter* *il.* 2. *h. t. num.* 46. cum communi et certa aliorum, *arg. c. Cum oporteat*, 19. c. *Inquisitioni*. 21. c. *Qualiter, et quando*. 24. *h. t.* cum Concordantiis, ubi expresse est sermo de Inquisitione *Speciali Judiciali* in ordine ad publicam Depositionis poenam

174 Ratio est: Tum quia Inquisitio *Specialis* est de genere prohibitorum, sicque regulariter illicita, exceptis casibus in jure expressis, ut loquitur Vilagut. *lib. 3. Tit. de Inquisit.* cap. 3. Siquidem *sine Accusatore nemo est condemnandus*, *arg. l. Rescripto ff. de Muner. et honor.* juncto *can. de Manifesta.* 17. *cau.* 2. *quaest.* 1. ibi: *Judicis non est, sine Accusatore, damnare; quia et Dominus Judam, cum fur esset, sciebat; sed quia non accusatus minime abjecit*: atqui in Inquisitione *Speciali* ex mero officio assumpta, nullus adest Accusator; ergo debet adesse saltem infamia, aut indicia vicem Accusatoris agentia, *arg. c. Qualiter* 24. *h. t. Quasi denuntiante fama, aut deferente clamore.* Tum quia per talem Inquisitionem specialem sine praevia infamia institutam, graviter laederetur fama, et aestimatio proximi. Atque ideo et Dominus in veteri Testamento contra Sodomitas *Genes.* 18. et Evangelicus Paterfamilias contra Villicum *Luc.* 16. nonnisi praevio clamore multiplicato suorum scelerum, seu diffamatione Inquisitionem instituit, prout bene notatur cit. c. *qualiter* 24. *h. t.*

175 Dicitur autem notanter in conclusione primo: *Judicialiter*, sive ad poenam seu vindictam publicam; si enim non ad hanc, sed solum in ordine ad correctionem, vel ad salutem animae, consequenter non *judicialiter*, sed tantum *paterne* fit, non solum potest, sed quandoque etiam ex officio debet saltem summariter, et absque strepitu fieri, etsi nulla praecedat infamia, Abbas *in c. qualiter.* 24. *h. t.* et ibi Fagnanus *num.* 48. *Sylvester* ✠. *Inquisitio. q. 4. d.* 3. Pirhing *h. t. n.* 64. patetque clare ex Jure: sic enim talis Inquisitio etiam nulla praecedente infamia fieri jubetur, ne contrahatur Matrimonium cum impedimento dirimente, *c. fin. de clandest. Desponsat.* similiter ne quis vitiosus, aut indignus eligatur ad Praelaturam, aut jam electus confirmetur, jubetur praemitti Inquisitio super vita, moribus, et idoneitate promovendi, *c. Postquam, et c. Nihil de elect.* cum Concordantiis. Idem fit, quando imminet periculum animarum, *arg. c. Ad nostram. il. 2. de Jurejur.* vel quando ex debito officii id competit Judici, ut prius inquirat personam, si est apta ad tutelam. Omitto similia alia.

Dicitur secundo: *ex mero Officio*; quia potest 176
Judex nulla praecedente infamia instituere inquisitionem specialem ad praeviam Denuntiationem Ministri, seu Officialis publici ad indaganda et denuntianda crimina ex officio Deputati, Felinus in *c. Licet.* 3. *h. t. num.* 3. Pirhing *h. t. numer.* 31. Tusehus *Litt. I. conclus.* 108. *num.* 52. Fagnanus *in cit. c. qualiter.* 46. *arg. l. Divus Adrianus.* 6. *ff. de Custod. reorum*, et *l. Ea quidem.* 7. *C. Accusat.* ibi: *Ea quidem, quae per officium Praesidibus denuntiantur citra solemnia accusationem posse perpendi incognitum non est.* Et in hoc satis conveniunt DD. maxima autem inter illos controversia est, an etiam ad instantiam seu Denuntiationem privati instituere possit Inquisitionem *Specialem* sine praecedente infamia: pro qua controversia decidenda pono Conclusio sequens.

Resp. II. Quando ab aliquo etiam privato legi- 177
time fit Denuntiatio vere *judicialis*, videlicet ad publicam vindictam Denuntiato in exemplum, et terrorem aliorum pro bono communi imponendam, potest Judex *specialem* Inquisitionem Judicialem instituere contra personam Denuntiatam, etsi nulla adhuc infamia praecesserit, Clarus *lib.* 5. § *fin. q.* 7. *num.* 1. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 27. *num* 19. citans Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *cap.* 12. *numer.* 35. Item Ludov. Ameno *in praxi Criminal. Tit. IX.* ✠. *Denuntiatio.* §. 4. *quaest.* 1. *num.* 24. Passerin. *Tribunal. Regul. quaest.* 8. *a.* 4. *numer.* 17. Lugo *de Justit. et Jur. Disp.* 37. *num.* 64. et alii, contra non paucos alios. Probatur Conclusio; quia infamia in Inquisitione ideo requiritur, ut suppleat vicem Accusatoris, juxta omnes, *arg. c. qualiter.* 24. *h. t.* atqui in Inquisitione facta ad praeviam Denuntiationem *judicialem*, ipse Denuntiator agit vicem Accusatoris, ut bene advertit Lezana *loc. cit.* adeo, ut, licet se non inscribat, nec subeat poenas Talionis ut Accusator, tamen uti Accusator tenetur ad poenas calumniae, per dicenda *Tit. seq.*

Confirmatur primo: in Denuntiatione vere *ju-* 178
diciali Denuntians denominat testes, vel suggerit alia sufficientia probationis media, juxta dicta *supra num.* 95. per quae sufficienter jam censetur diffamatus saltem apud judicem ille, qui fuit denuntiatus, Ameno *loc. cit.* ergo non praerequiritur alia diffamatio.

Confirmatur secundo: Juxta dicenda infra *num.* 179
185. et communem DD. etiam Adversariorum Conclusionis, potest institui Inquisitio *specialis* contra aliquam personam absque praecedente illius infamia, quando adsunt saltem indicia delicti ab ea commissi; atqui quando quis denuntiatur *judicialiter*, non tantum indicia, sed etiam plenae ordinarie afferuntur probationes; ergo etiam tunc



non praerequiritur diffamatio. Nam a minori ad majus bene valet argumentum, *arg. Authen. Multo magis. C. de Sacrosanct Eccles.*

180 Confirmatur tertio. Non est major ratio cur Judex ad Denuntiationem Officialis publici statim et sine praecedente infamia instituere possit Inquisitionem specialem contra personam denuntiatam, et non ad denuntiationem judicialem alicujus privati viri (uti supponitur) probatae vitae. Imo major videtur ratio pro hujus, quam illius Denuntiatione: tum quia in Denuntiatione *judiciali* per privatum facta, sufficienter semper exhibentur veritatis argumenta, testes nempe, aut alia probationis media, juxta dicta *num.* 95. quod non semper, imo nec plerumque fit per officialem publicum: ergo si haec sufficit, quod Judex absque praecedente infamia, aut Inquisitione illius possit instituere Inquisitionem *specialem* contra personam denuntiatam; etiam ut quidem a fortiori sufficiat illa. Praesertim quia etiam privatus Denuntians *judicialiter* in casu isto est persona jurata, utpote juramentum deponens per dicenda infra.

Nec dicas, de ista non autem illa haberi, dispositionem juris supra *num.* 176. allegati. Respondetur enim: ubi eadem vel major est ratio, eadem est Legis dispositio.

181 Confirmatur insuper; quando occasione Inquisitionis *Generalis* testes generaliter interrogati deponunt contra personam in specie, potest Judex sine ulla praecedente infamia *specialem* Inquisitionem instituere contra Denuntiatum; quia talis depositio aperit viam ad illam, juxta dicenda infra *num.* 187. Atqui etiam Denuntiatio *Judicialis* aperit viam ad *specialem* Inquisitionem, juxta dicta supra *numer.* 125. ergo etiam illa habita potest sine infamia praecedente Inquisitio *Specialis* fieri.

182 Nec obstant, quos Adversariis copiose allegant, et sequuntur, Canones, quibus absolute requiri videtur, quod quaevis inquisitio *Specialis*, quae non ad instantiam veri Accusatoris, sed ex officio Judicis etiam praecedente Denuntiatione fit, praeviam infamiam inquirendae personae requirat. Respondetur enim Canones volentes, quod ad illam quoque Inquisitionem *Specialem*, quae Denuntiatione praecedente ex officio instituitur, praerequiratur infamia, non loqui de Denuntiatione vere *Judiciali* ad vindictam publicam tendente, sed de *Evangelica* seu fraterna, vel ad summum de *Canonica*, aut minus proprie Criminali; quia illi antiqui Canones Denuntiationem vere *Judicialem* non agnoverunt, utpote jure consuetudine, ut praxi nova primum introductam loco Accusationis, prout ex eo liquet, quod dicti canones ad quamvis Denuntiationem praerequirant correctionem seu monitionem Evangelicam, *c. qualiter ut quando.* 24. § *penult. h. t.* ibi: *Sicut Accusationem legitima debet praecedere inscriptio, sic et denuntiationem charitativa monitio, et Inquisitionem clamorosa insinuatio praevenire*; cum tamen ad Denuntiationem vere *judicialem* nulla praerequiratur monitio charitativa, per dicta supra §. *praeced. n.* 98.

183 Quod si contendas, Canones etiam de vere *judiciali* Denuntiatione loqui, ut ad Inquisitionem ex illa quoque factam, praerequirere infamiam. Respondet dictis Canonibus quoad hoc jam esse derogatum consuetudine contraria, quae licita et valida utique agnosci debet; tum quia ad Inquisitionem *specialem* infamia non Jure Divino, sed humano duntaxat requiritur, ut post Lessium *lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 172. bene advertit Pirhing *h. t. numer.* 64. *ad finem*, *arg. cit. c. Qualiter ut quando.* 24. *h. t.* ubi clare habetur, ex quibus Auctoribus novi, et veteris Testamenti postea processerunt Canonicae Sanctiones: Tum quia haec consuetudo est pro bono communi ad coercendos malefactores, qui liberius procederent, si scirent, contra illos *judicialiter* nec inquiri posse, nisi publice jam sint diffamati.

Et haec doctrina ac declaratio Denuntiationis *judicialis*, et *paternae*; item Inquisitionis *judicialis*, ac *paternae*; atque distinctio inter illas bene observanda; hanc enim quia non observarunt, sed *judicialem* cum *paterna* confuderunt, nonnulli DD. summa cum difficultate et obscuritate de hac materia scripserunt, et sibimet necessario contradixerunt, aliqui vero nonnisi confusionem in intellectu, et taedium in animo legentis causant, ac difficillime intelliguntur. 184

Resp. III. Dantur insuper alii casus, in quibus ad faciendam Inquisitionem *specialem* nulla praerequiritur infamia personae inquirendae; quapropter etiam in Conclusione 1. *numer.* 173. posita notanter dictum est, *regulariter*, *seu ordinarie loquendo*; quia patitur illa Conclusio plures Limitationes, prout patet ex jam dictis *a numer.* 175. ut patebit adhuc ex hac conclusione, quae probatur inductione: siquidem praeter jam enumeratas *a numer.* 175. tres Limitationes, quod *specialis* Inquisitio fieri possit sine infamia praecedente, *primo* nempe, si tantum sit paterna? *Secundo*, si fit ad relationem publici Ministri; *Tertio*, si fiat ad praeviam Denuntiationem vere *judicialem* a quocunque legitime factam; Ulterius etiam *quarto*, non requiritur praevia infamia, seu diffamatio, quando sufficientia contra Delinquentem adsunt indicia commissi ab eo criminis, Clarus *lib.* 5. §. *fin. quaest.* 20. *numer.* 2. Marian. *in c. Qualiter.* 24. *h. t. post numer.* 108. Boss *Tit. de Inquisit.* num. 8. Pirhing *h. t. num.* 61. Farin. cum communi; haec enim loco diffamationis succedunt, et plerumque fortiora sunt, quam ipsa diffamatio. Nam ut habetur *c. Cum in Juventute de Purgat. canon. Dictum unius facile sequitur multitudo.* Econtra de indiciis *l. Indicia certa* 19 *C. de Rei vindicat.* ibi: *Indicia certa, quae jure non respuuntur, non minorem probationis, quam instrumenta continent fidem.* Nec requiritur, quod indicia sint certa aut plena, sed sufficit, si sint etiam minora et levia, dummodo verosimilia, et probabilia, probabilem suspicionem generantia, ut cum aliis bene advertit Clarus *loc. cit. quaest.* 20 *num.* 2. allegans Communem. Quae autem, et quando sint talia indicia, judicio Judicis relinquitur, juxta Clarum *loc. cit.* Caeterum quid sit indicium *certum*, seu *plenum*, quid *grave*, quid *leve*, etc. vide *Lib. II. Tit. XXIII. de Praesumpt. a num.* 9. 185

Quinto, fieri potest Inquisitio *specialis* sine diffamatione: si delictum, de quo est quaestio, plerumque solet esse connexum aut conjunctum cum illo, aut circumstantiis illius, de quo Reus jam est confessus, aut convictus, aut saltem diffamatus, vel per indicia gravatus, Abbas *in c. Qualiter.* 17. *h. t. num.* 7. Sanchez *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 21. et alii. Ratio est; quia *connexorum idem est judicium*, *arg. l. Proinde.* 32. *ff. ad leg. Aquil.* cum Concordantiis. 186

Sexto, quando constat de delicto, Delinquens autem ignoratur, ut propterea *Generalem* Inquisitionem de Delinquente instituenti, ac in genere interroganti judici, aliquis in specie pro Delinquente nominatur: tali enim casu potest Judex *specialem* Inquisitionem instituere sine alia infamia, Clarus § *fin. quaest.* 5. citans Communem, et dicens, esse generalem totius Orbis consuetu- 187

dinem. Ratio est: tum quia *Generalis* Inquisitio, in qua generatim interrogati aliquem in specie nominant, sine alia forma aperit viam ad *specialem* Inquisitionem, ut dicunt citati DD. *arg. c. Excommunicamus. §. Adjicimus, de Haeret.* Tum quia, si in tali casu non liceret Judici specialiter inquirere de specifice nominatis, frustranea et sine effectu videretur Inquisitio *Generalis.* Haec tamen intellige, de Inquisitione *Speciali*, quae ex Generali Judiciali descendit. Nam si in Inquisitione Generali *paterna* generatim interrogati Delinquentem in specie denominant, Superior seu Visitator ex solo hoc specialem Inquisitionem *judicialem* contra ita nominatum instituere non potest; nisi aliud concurrat ex iis, de quibus infra §. *VI. a num.* 305.

188 Interea illud advertendum, quod dum Superior in *Generali* Inquisitione sive *paterna*, sive *judiciali* crimina de personis in specie invenit, non praecipitanter agere, aut resolvere, nec illico credere, neque statim ad Inquisitionem specialem descendere debeat, nisi prius consideranda considerandis bene perpendat, an, et quales probationes, aut indicia adsint, aut haberi possint, ne sine effectu et fructu fama proximi, et ipsa Superioris auctoritas prostituatur; circa quod elegans extat textus *can. 10. cau. 30. quaest. 5.* ibi: *Mala audita nullum moveant, nec passim dicta, absque certa probatione quisquam unquam credat; sed ante, audita diligenter inquirat, ne praecipitando quisquam agat.* Concordat *l. fin. §. 6. C. de Modo mult.*

189 *Septimo*, juxta Communem sine praecedenti infamia fieri potest Inquisitio *Specialis* de delictis in damnum tertii, et a fortiori in damnum Reipublicae, sicut etiam de criminibus aliis exceptis. Passerinus *in Tribun. Regul. quaest. 8. a. 7.* Abbas *in c. Licet. de Simonia*, *num.* 1. cum Communi; dummodo aliqua saltem indicia adsint; quia ad inquirendum contra haec crimina sufficiunt minora, ac leviora indicia *arg. l. quisquis. §. fin. ad Legem Jul. Majestat* et *L. 1. C. de Falsis monetis.*

190 *Octava* fieri potest contra servos domus, in qua invenitur herus occisus, *L. 1. prin. ff. ad S. C. Sylan.* sicut et contra nautas navis, quae submersa est, *l. quoties. 3. C. de Naufrag.*

191 Quaeritur V. Qualis requiratur diffamatio ad Inquisitionem *specialem*? Item an, quando, et quomodo probari debeat? Resp. I. In casu, quo juxta dicta requiritur infamia, seu mala fama ad Inquisitionem *specialem*, non sufficit quaevis, sed esse debet talis, ut 1. originem non habeat a malevolis, vel maledicis, sed honestis, et fide dignis personis. 2. Ut ad aures ipsius Superioris. 3. Et quidem ut saepius perveniat. Ita clare desumitur ex *c. qualiter et quando. 24. h. t.* ibi: *Si per clamorem et famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem a malevolis, et maledicis, sed a providis, et honestis, nec semel tantum, sed saepe, quod clamor innuit, et diffamatio manifestat.* Ratio est; quia alias, si ex qualibet fama contra aliquem inquiri posset, nullus quantumvis honestus vir unquam securus esset a *Speciali* Inquisitione, et inde sequentibus praejudiciis; cum ex una parte vix ullus esset, contra quem malevoli, et improbi non male loquantur: ex altera vero parte *dictum unius facile sequatur multitudo*, ut dicitur *c. Cum in Juventute. de Purgat. Canon.*

192 Resp. II. Quando Judex non facit Inquisitionem *Specialem* ad instantiam partis accusantis, vel denuntiantis, sed ex mero officio juxta dicta, praerequiritur quidem diffamatio; seu infamia personae specialiter inquirendae (nisi casus sit de exceptis juxta dicta *a numer.* 185.) tamen non requiritur, ut probatio dictae infamiae praecedat, seu ut Judex probationem illius prius faciat, sicque Processum Inquisitionis a probatione infamiae incipiat, sed sufficit, si eidem de illo constet, Fagnanus *in c. qualiter. 24. h. t. numer.* 64. et ibi Abbas *numer.* 17. Pirhing *h. t. numer.* 74. post Glossam *ibid. §. Ad acquirendum.* contra communiorem aliorum, quos tamen cum conclusione conciliat Fagnanus *loc. cit.* dicendo: aliud esse ad Inquisitionem *specialem* praerequiri infamiam, aliud vero praerequiri probationem ipsius. Primum omnes, ac etiam Conclusio concedit (exceptis casibus *a numer.* 185. positis) magis enim videtur exigi infamia, dum Judex procedit ex mero officio, quam si ad instantiam partis, quia in illo, non item in isto modo infamia praerequiritur, ut agat vices accusatoris seu partis, ut bene advertit Clarus §. *fin. quaest.* 6. *numer.* 3. Alterum autem, videlicet, praerequiri probationem famae, negat conclusio, quod multi DD. non attigerunt, et ideo etiam contrarii videntur.

Fatetur tamen Fagnanus *loc. cit.* post Joan. Andream *in cit. c. qualiter. 24. h. t. numer.* 36. Abbas *numer.* 17. et alios, quod si Inquisitus appellaret, deberet Judex a quo coram Judice ad quem, facere plenam fidem de infamia; Quod cum absque praemissa probatione infamiae difficulter facit, utique consultum erit, ut in casu, quo sine praevia infamia ex mero officio nequit inquirere, probationem infamiae praemittat. 193

Resp. III. Quando Judex facit Inquisitionem *Specialem* ad instantiam partis accusantis, vel *Judicialiter* denuntiantis, *cum* testium denominatione, aut alterius probationis suggestione, nullatenus praerequiritur probatio infamiae. Haec conclusio sequitur et probatur ex conclusione supra *numer.* 177. cum enim ibidem dictum, et probatum sit, in tali Inquisitione infamiam omnino non praerequiri, sequitur, et a fortiori probatum manet, quod neque requiratur probatio ejus. Caeterum militat contra communem DD. qui, quia tenent, quod ad Inquisitionem ad instantiam alterius factam, praerequiratur infamia, docent etiam, quod ejusdem probatio praerequiratur. Sed tenenda est conclusio nostra, praesertim quia teste Claro §. *final. quaest.* 6. *numer.* 1. et 4. universali consuetudine et praxi Tribunalium confirmatur. 194

Dicitur autem notanter in conclusione *cum testium denominatione etc.* quia si pars instans id non facit, aut facere nequit, sed forsan ipsemet ad famam se remittit, tunc utique Judex prius informationem et probationem de fama sumere debet, *arg. c. qualiter. 24. h. t.* nisi dilata Inquisitione *speciali* velit assumere Inquisitionem *generalem* tentando, an non occasione illius eveniant indicia, vel tales circumstantiae, vi quarum ad Inquisitionem *specialem* absque ulla infamia procedere possit, conformiter usui praxi *num.* 230. allegandae. 195

Infertur ex dictis, rarissime, et vix unquam necessariam esse praeviam probationem infamiae ad Inquisitionem *Specialem*: cum enim saepe non requiratur, quando Judex procedit ex mero officio, nec si procedit ad instantiam partis testes denuntiantis, aut probationis media; alia autem Denunciatio *Judicialis* raro vel nunquam fiat, *arg. can. Plerumque. 27. cau. 2. quaest. 7.* consequens est, eam vix unquam esse necessariam, et proin merito credendum Claro. §. *fin. quaest.* 6. *numer.* 1. dicenti, se nunquam vidisse, fieri aliquem Processum, qui inciperet ab informatione, seu probatione 196

infamiae: et alibi dicentem, infamationem, seu potius probationem ejus recessisse ab Aula.

197 Caeterum quid sit fama, et in quo differat a Rumore, et quomodo probari possit, et debeat? vide *Lib. II. Tit. XX. de Testib. et attest.* §. *XII. n.* 385. vide etiam praxin nostram Criminalem *Tit. XIV. §. de Fama, et Infamia, ac ibid.* Ludov. de Ameno.

198 Resp. IV. Si Judex etiam in casu, quo praerequiritur infamia, et probatio illius, sine hac instituit Inquisitionem *specialem*, validus erit Processus, si Reus praesens non reclamet. Communis, et certa DD. textu claro *c.* 1. *et* 2. *h. t. in* 6. Dicitur tamen notanter, *si Reus non reclamet, vel excipiat*; hoc enim si faceret in tali casu esset processus nullus, juxta Communem *arg. c. Ad petitionem. h. t. et c.* 1. *et* 2. *h. t. in* 6. a sensu contrario.

199 Quaeritur VI. An, et quando teneantur Superiores instituere Inquisitionem *Criminalem*? Resp. omnino, et quidem ex justitia tenentur subinde Superiores instituere Inquisitionem *Criminalem seu Judicialem*. Communis ac certa. Patet inductione: sic *in primis*, quando certo constat de gravi delicto, v. g. homicidio, adulterio, falsa moneta etc. et non constat de delinquente, tenetur Superior servatis Regulis prudentiae, in locis, et apud personas generaliter inquirere, ubi putat, notitiam haberi, aut indicia ad manus dari posse.

Secundo tenetur *Specialem* etiam Inquisitionem instituere, quando quis judicialiter denuntiatur, juxta dicta *n.* 125.

Tertio tenetur etiam ex mero officio *specialem* instituere Inquisitionem, quando de aliquo jam extat communis fama vel jam est notorium, quod reus sit certi alicujus gravis delicti et multo magis, si ipsum reum esse, manifestum, aut notorium est. Ratio est; quia si de notoriis, manifestis aut famosis delictis Superiores ut judices *Criminaliter* non inquirerent, ad hoc, ut *Judicialiter* cognita publice punirentur, in exemplum aliorum, plurimi videntes de delictis etiam publicis non inquiri, nec curari, scandalizentur, et liberius peccarent, cum ingenti Reipublicae utriusque, ac privatorum, praejudicio et damno tam temporali, quam spirituali, ad quod avertendum Superiores ex officio utique tenentur.

§. IV.

De aliis requisitis ad Inquisitionem Specialem: praesertim de Corpore delicti, de Capitulis, et Articulis Reo communicandis: item de Ordine illius: ac Nonnullis aliis huc facientibus.

SUMMARIUM.

200 *Ad specialem inquisitionem ulterius requiritur, ut a competente Judice.*
201 *Item, ut ante omnia constet de Corpore delicti Et quid sit hoc?*
202 *Aliud est, et dicitur delictum Facti permanentis. aliud Facti transeuntis.*
203 *Aliud debet constare de Corpore delicti Facti permanentis: et quomodo?*
204 *Aliter de delicto Facti transeuntis, et quomodo?*
205 *Ad habendam notitiam de Corpore delicti transeuntis non requiritur, ut specialis et distincta instituatur indagatio.*
206 *Nec de necessitate notitiae Corporis delicti Facti transeuntis est, ut fiat ocularis inspectio.*
207 *Ad inquisitionem specialem insuper requiritur, ut fiat Reo praesente.*
208 *Item ut Reo tradantur Capitula vel Articuli, una cum depositione et nominibus Testium, ac recipiantur ejusdem defensiones et exceptiones.*
209 *Apud Regulares tamen nomina Testium ordinarie non communicantur: nec apud Saeculares, si inde Testis praejudicium timere haberet.*
210 *Requiritur adhuc, ut exprimatur circumstantia delicti: et quomodo?*
211 *Ordo, quo fieri debet Inquisitio specialis*
212 *Si aliquid ad Inquisitionem requisitum omitteretur, et Reus reclamet, Processus est nullus.*
213 *Limitatur hoc in Processu Regularium.*
214 *Si autem non reclamet, valebit Processus.*
215 *Postquam Reus in judicio crimen sine tortura est confessus, non amplius potest reclamare contra Processum. etsi hic inordinate formatus sit.*
216 *Nisi fieret Inquisitio nondum habita notitia de Corpore delicti.*
217 *Deductio practica consolatoria inordinate procedentibus judiciis.*
218 *Inquisitio specialis quales habet effectus respectu Inquisiti.*
219 *Inquisitus confessus, vel convictus de jure Canonico potest extraordinaria, de consuetudine autem ordinaria juris poena affici.*
220 *Quae consuetudo confirmatur utroque jure.*
221 *An Reus teneatur fateri veritatem? et an possit interrogari de Sociis criminis? Remissive.*
222 *Reo, dum interrogatur, potest et debet imponi juramentum de dicenda veritate; praesertim in Ordine nostro.*
223 *Si dein falso respondet, non incurrit poenas perjurii in Foro externo: potest tamen propterea torqueri.*
224 *Licitum est, Reum blandis verbis, variisque modis et arte involvere ad fatendam veritatem.*
225 *Dummodo semper absit mendacium et falsitas.*
226 *Qui tantum Evangelice denuntiat, potest in Processu esse Testis.*
227 *Sicut etiam Denuntians judicialiter ex Officio.*
228 *Non item alius voluntarius Denuntiator judicialis.*
229 *Bene vero Denuntiator necessarius, id est urgente et obligante conscientia Denuntians.*
230 *Deductio practica.*
231 *Socius criminis non potest esse Testis.*
232 *Limitatur hoc pluribus in casibus. Remissive.*

Quaeritur I. Quaenam adhuc requiruntur ad Inquisitionem *Specialem Criminalem*? Resp. praeter infamiam, et probationem ejus (quae juxta dicta *num.* 196. raro aut vix unquam requiritur) requiruntur adhuc alia duo. Patet inductione. Nam I. Requiritur, ut fiat a judice competente, *arg. Rubr. et text. C. si a non competente. judic. et L.* 1. *C. Ubi de Crimine agi oportet.* Quis autem sit Judex competens, vide *Lib. II. Tit. II.* praesertim §. 3. ubi agitur de modo sortiendi Forum ratione delicti. Defectu hujus Requisiti Inquisitio facta a Judice laico contra Clericum est ipso jure nulla, *c. At si a Clerico.* 4. *de Judiciis. et c. Si diligenter. de Foro competent.* 200

II. Debet ante Inquisitionem contra personam constare de corpore delicti, id est, debet constare, delictum, ratione, cujus Inquisitio contra per- 201

sensum intenditur, esse revera commissum, ut proin ante omnem aliam informationem teneatur Judex inquirere de Corpore delicti, seu facere constare, quod delictum (de quo est quaestio) fuerit commissum: v. g. non potest Judex inquirere, quis occiderit, nisi prius constet, homicidium revera esse commissum, juxta unanimem DD. *L.* 1. §. *Item* 24. *ff. ad S. C. Syllan.* ibi: *Item illud sciendum est, nisi constet aliquem esse occisum* (item dic de aliis criminibus) *non haberi de familia quaestionem etc.* quod adeo verum est, ut Processus sit ipso facto nullus, si ante omnem aliam inquisitionem prius legitime non constet de Corpore delicti; etiamsi illud Reus in processu sponte sit confessus, quod diversis verbis etiam habet nostra praxis Criminalis *Tit. X.* ✠. *Corpus delicti* §. 1. et ibi docet Amenu *num.* 2. Maranta *de Ord. judic. p.* 6. *nu.* 17. et 18. Clarus §. *fin. q.* 4. *num.* 1. Passerinus *in Tribun. Regul. q.* 20. *num.* 2. et alii communiter asserentes, Corpus delicti, seu legitimam notitiam illius, esse fundamentum totius Processus Criminalis.

202 Notandum autem, aliter debere Judici constare de corpore delicti, seu commisso delicto Facti permanentis, aliter de commisso delicto facti transeuntis. Delictum *Facti permanentis* dicitur, quod vestigia post se relinquit; cujusmodi delictum est incendium, homicidium, vulneratio, falsificatio monetae, furtum cum effractione etc. Delictum *Facti transeuntis* est, quod nullum post se vestigium relinquit; ut blasphemia, injuriae verbales, fornicatio etc. Clarus *loc. cit. num.* 4. Passerinus *Tribun. Regul. q.* 19. *num.* 4. et Criministae communiter.

203 Itaque de Corpore delicti *Facti permanentis* debet Judici certo ac liquido, per ocularem inspectionem constare, ita, ut si vel publica fama, vel ad instantiam partis movetur ad faciendum Processum contra homicidam v. g. aut incendiarium, debeat ante omnem aliam informationem ipsemet accedere, vel Notarium mittere ad cadaver occisi, aut ad aedes exustas, ibique in praesentia duorum testium ocularitter inspicere, et videre, homicidium revera esse commissum, aut incendium revere esse factum etc. Clarus *cit.* § *fin. q.* 4. *num.* 4. dicens ita tenere omnes: limitans tamen id in casu, quo etiam tale delictum esset occultatum, ut si cadaver occisi esset projectum in profluentem, falsa moneta esset abscondita etc. tunc enim sufficeret, si de tali corpore delicti constaret per testes, qui homicidio interfuerunt, aut falsam monetam viderunt etc. vel per alias conjecturas, praesumptiones, vel indicia, Clarus *loc. cit.* Menochius *lib.* 1. *de Praesumpt.* 58. *n.* 2. cum communi.

204 De Corpore delicti, seu commisso delicto *Facti transeuntis* autem sufficit, quod prius constet judici per conjecturas, quae probent, delictum esse commissum, Clarus *loc. cit. numero* 3. Guazzin. *Reor. defens.* 4. *cap.* 2. *num.* 13. Farin. cum communi aliorum, quod totum etiam praescribit praxis Criminalis Ordinis nostri *Tit. X.* ✠. *Corpus delicti.* Et licet circa dictam differentiam de corpore delicti, *Facti permanentis et transeuntis* clarus textus in jure non habeatur; tamen, quia est universalis consuetudo omnium tribunalium, inducit obligationem, ut bene observat Passerinus *arg.* §. *constat autem.* 4. et §. *Sine scripto.* 9. *Instit. de Jure natur.* ibi: *sine scripto jus venit, quod usus approbavit; nam diuturni mores consensu utentium comprobavit legem imitantur.*

205 Porro quando agitur causa de Corpore *delicti transeuntis*, et procedit Judex ad instantiam alterius, non est necesse, ut Judex prius distinctam Inquisitionem instituat de corpore delicti, et postea aliam de Reo, sed potest ita examinare testes, et capere informationes, quae unico contextu probent, delictum esse commissum, et quidem a tali delinquente, ut bene notat principalis Criminista Clarus §. *fin. q.* 9. *num.* 3. et expresse etiam habetur in nostra praxi Criminali *loc. cit.* §. 2. Debet tamen Judex inquirendo ita se gerere, ut, prius constet, delictum esse commissum, quam quis deliquerit; quod si autem testes statim ipsum delinquentem denominent, per accidens erit, nec Processum inficiet, uti *ibid.* habetur.

Imo docet Amenu, et satis probat in praxi Criminali *loc. cit.* §. 1. *n.* 3. *et* 4. quod, etsi obligatorium sit, et a judicibus omnino observari debeat, ut, ubi fieri potest, de corpore *delicti permanentis* ante omnia hauriatur notitia per *inspectionem ocularem*, juxta dicta supra, tamen Processus adhuc valeat, si omissa inspectione oculari alio modo hauriatur notitia de corpore delicti. 206

III. *Debet esse praesens* (Reus nempe) *contra quem facienda est inquisitio: nisi contumaciter se absentaverit*, prout expresse statuitur *c. Qualiter.* 24. *h. t.* et docent ibi DD. Advertit tamen Clarus §. *fin. q.* 11. *n.* 2. consuetudine introductum esse, quod etiam contra absentem non citatum de delicto inquiratur. 207

IV. Debent Reo tradi Capitula, seu omne id, super quo, exigente fama, vel instantia partis fuit inquisitum: nec non cunctae depositiones, seu dicta testium, et nomina eorum (non quidem ante, sed post examen ipsius Rei juxta dicenda infra *num.* 408.) ut sciens Reus, quid a quovis contra ipsum, aut pro ipso depositum, aut propositum sit, facilius excipere, aut se defendere, suamque innocentiam ostendere valeat; prout etiam ipsius exceptiones et defensiones a judice recipiendae, et audiendae sunt, textu claro *c. Qualiter et quando* 24. *h. t.* ibi: *Exponenda sunt ei illa Capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi se ipsum: et non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, et a quo sit dictum, appareat, publicanda, nec non exceptiones, et replicationes legitimae admittendae, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionem vel exclusionem deponendi falsum audacia praebeatur.* 208

Advertit tamen Clarus *loc. cit. q.* 49. *nu.* 3. Barbosa *in c. fin. de Haeret. num.* 6. et 7. et alii ab eo citati, testium publicationem Reo fieri non debere, si sis exinde grave immineret periculum, *arg. cit. c. fin. de Haeret. in* 6. Ratio est; quia alias multi testes se subtraherent, aut veritatem edicere timerent cum gravi praejudicio Reipublicae. Hinc juxta dicenda infra *a num.* 321. in Processu Regularium nomina testium Reo ordinarie non publicantur: quod expresse etiam cavetur in nostra praxi Criminali *Tit. XX.* ✠. *Patronus* §. 4. ibi: *Nomina Accusatorum, et testium nullo modo Reis publicanda sunt, nisi ubi, et quando, eorum* (Superiorum) *judicio in oppositione alicujus gravis infamatoris criminis justitia periclitaretur.* Caeterum eodem loco juri conformiter praecipitur, ut *Reis Processus copia ex integro, et gratis assignetur, nisi aliqua brevitatis causa relinquerentur, quae ad defensionem non facerent*: ubi ad finem alia adhuc cautela praescribitur, quam ibi vide. 209

V. Requiritur, ut inquisitio specialis contineat circumstantias delicti, speciem scilicet, locum, et tempus, annum saltem et mensem, quo delictum commissum est; prout supra §. *I. num.* 8. *de Accusatione* dictum est, Clarus *loc. cit. q.* 5. *numero* 11. allegans Communem. Farinac. *Prax.* 210

crimin. q. 1. *n.* 12. *l. arg. Libellorum.* 3. *ff. de Accusat. can. fin.* §. *Libellorum. can.* 2. *q.* 8. Et merito; quia ex tali circumstantiarum expressione Reo subinde suppeditatur medium suam innocentiam ostendendi, et defendendi. Notat tamen Farinacius exactam hanc circumstantiarum expressionem necessariam non esse, quando crimen jam pridem contingit, ita ut verisimile sit, testes circumstantiarum non amplius recordari: Idem dic cum Tuscho ✠. *Libellus. conclus.* 320. *num.* 52. Menoch. *vol.* 1. *consil.* 100. *num.* 91. Farinac. et aliis, quando crimina habent tractum temporis, aut concubinatus, usurae, haeresis etc.

211 Quaeritur II. Quo ordine inquisitio *specialis*, et Requisita ad eam fieri debeant? Et quid Juris, si unum eorum omittatur, aut debitus ordo non servetur? Resp. Quamvis ex dictis jam satis pateat ad Quaesitum, tamen pro faciliori captu et praxi, id compendiose repetere, et hic apponere juvat. Sive ergo ex mero Officio, sive ad instantiam partis procedat Judex. *Primo*, et ante omnia debet ei constare de corpore delicti juxta dicta *num.* 201. *Secundo*, si ex mero officio inquirit, debet informationem et probationem habere de fama, in casu, quo requiritur juxta *nu.* 175. *Tertio*, debet citare Reum, et postquam examinavit illum, eidem proponere Capitula, super quibus exigente fama, aut instantia partis fuit inquisitus, nec non depositiones testium juxta dicta *num.* 208. et dicenda *num.* 408. ut se defendere valeat. *Quarto*, debet Reo subinde communicare etiam nomina testium, juxta dicenda *n num.* 321. Et *quinto* recipere, audire, ac examinare ejus exceptiones ac defensiones. Et haec cuncta, ordoque eorum omnino necessaria sunt. Nam

212 Resp. II. *Si* unum praedictorum omitteretur (salvis limitationibus in hoc et *praecad.* §. appositis) aut ordo eorum debitus non servaretur, et Reus reclamaret, seu exciperet, et protestaretur, Processus esset nullus. Communis, et certa, patetque ex c. *Ad petitionem.* 22. *h. t.* ibi: *Quamvis restituendus foret propter judiciariam ordinem non servatum.* unde *c. Qualiter.* 17. *h. t.* dicitur: Quod Inquisitores, si debitum non observaverint ordinem, prudenter et caute se corrigere debeant; *ne inde nascantur injuriae, unde jura nascuntur*: Hinc etiam conscientias eorum desuper onerat, et adhortando ulterius addit Pontifex: *Non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positi estis, ut aliorum corrigatis errores etc. Quoniam ex his, quae inordinate sunt acta, non potest ordinabiliter agi.* Concordat *c.* 1. *et* 2. *h. t.* a sensu contrario. Hinc Fagnanus *in c.* 24. *h. t. n.* 30. notat, quod si prius fieret inquisitio, et postea primum Reo traderentur Capitula, nihil ageretur, quia inverteretur ordo, *arg. c. Cum post petita.* 46. *de Elect.*

213 Limitatur tamen utraque Conclusio in Processu criminali Regulari *arg. c. Qualiter.* 24. *h. t.* ad finem ibi: *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usque quaque servandum*: de quo specialiter infra §. *VII.*

214 Resp. III. *Si* Reus praesens non reclamet, valebit Processus, etsi aliquid Requisitorum omissum, aut ordo debitus servatus non sit. Rursus communis, et certo textu claro *c.* 1. *et* 2. *h. t. in* 6. ubi c. 2. ita habetur. *Si is, cui contra te simpliciter fuerat commissa Inquisitio super certis criminibus facienda, processerit te praesente, nec reclamante, nec quidquam contra hoc excipiente (infamiae inquisitione omissa) ad veritatem eorundem criminum acquirendam Processum hujusmodi ex eo, quod non fuit de infamia prius inquisitum* (idem dic de defectu alterius Requisiti) *ulterius impugnare nequibis.* et ibi DD.

215 Resp. IV. Postquam Reus crimen in judicio sponte, et absque Tortura confessus est, non amplius potest excipere contra Processum, vel impugnare illum, sed valebit, etsi defectu ordinis, aut requisitorum alias defectuosus sit, Barbosa *in c.* 1. *h. t. in* 6. et ibi Joan. Andreas, Mascard. *de Probat. concl.* 363. *n.* 34. cum Glossa communiter recepta in dictum *c.* 1. *h. t. in* 6. ✠. *Confessus*, dictumque est *Lib. II. Tit. XVIII. de Confessis. n.* 66. textu claro *cit. c.* 1. *h. t. in* 6. ibi: *Postquam coram eo, qui contra te super certis criminibus Inquisitor fuerat deputatus, eadem crimina fuisti confessus, frustra confessionem tuam (quominus puniaris ex ea, prout justitia suadebit) eo praetextu impugnare intendis, quod super iisdem criminibus antea non fueras diffamatus; vel quod per eundem inquisitorem Capitula, super quibus contra te volebat inquirere, tibi tradita non fuerint.* Rationem ibidem dat Glossa illis verbis: *Quid enim quaeremus de infamia vel Capitulis, ex quo claret de crimine, c. Cum super* 2. *de confessis.* Jam enim notorium censetur crimen, *c. fin. de cohabit. cleric. et mulier.*

216 Limitatur tamen conclusio in casu, quo fit Inquisitio, antequam constat de corpore delicti, saltem per conjecturas, et indicia, juxta dicta supra *n.* 201. *arg. l.* 1 §. 27. *ff. de quaest.*

217 Caeterum inferunt, multis judicibus praefatam conclusionem *n.* 215. positam pro singulari consolatione esse posse, dum considerant, suos quantumvis inordinatos processus criminales factos, amplius impugnari non posse ex eo, quod ex iisdem Processibus id saltem constet, Reus crimen suum confessos esse: Licet per hoc coram Deo excusati non sint, quod contra Leges, et juris praescripta non sine injuria Reorum tam inordinate Processus forment.

218 Quaeritur III. Quales inquisitio *specialis* pariat effectus respectu Rei, seu inquirendi aut inquisiti? Resp. I. Eam inprimis producere eosdem effectus, quos Accusatio, ac Denuntiatio, ita ut pendente illa Reus non possit promoveri ad honores, dignitates, beneficia, et Ordines etc. per Jura, et Doctores §. *praeced. a numero* 130. citatos.

219 Resp. II. Quamvis Judices de Jure Canonico possint Reum per viam Inquisitionis convictum, aut confessum condemnare ad poenam extraordinariam, seu ordinariam *moderari secundum personae merita, et qualitatem excessus etc. nisi si tale crimen, quod ordinis executionem, aut retentionem beneficii etiam post peractam poenitentiam impediret*, ut homicidium, simonia etc. prout expresse statuitur *c. Inquisitioni* 21. *h. t.* tamen ad id non tenentur, sed possunt et exigente consuetudine solent Reum ad ordinariam juris poenam condemnare, etiam in foro Ecclesiastico, praesertim ubi ob qualitatem delicti id exigit exemplum et terror aliorum. Quod non teneantur, patet ex textu *cit. c. Inquisitioni*, ubi Papa non dicit, *debet*, vel *tenetur*, sed *poterit judicantis discretio moderari poenam* Prout *in c. cum super.* 2. *de Confess. n.* 10. bene observat Abbas, et ibidem Gonzalez *n.* 7. qui etiam *in cit. c. Inquisitioni. h. t. nu.* 11. Post Anguianum *de Legib. lib.* 2. *cap.* 6. *num. fin.* de communi consuetudine Tribunalium Ecclesiasticorum testatur.

220 Et haec consuetudo tanquam rationabilis firmatur etiam *c. fin. de celebrat.* ubi Sacerdos etiam per viam Inquisitionis processatus, ad poenam ordinariam fuit condemnatus. Et a Jure Civili, vi cujus non tantum potest, sed etiam debet ad poenam ordinariam condemnari per Inquisitionem processatus: prout cum aliis docet Abbas in *cit. c. Inquisitioni. h. t. n.* 8. et ibi Felin. *n.* 3. *arg. l. Ordo.* 8. *ff.*

de Public. Judic. l. qui sepulchra 4. C. de Sepulch. violat. et l. Abolitio. 2. C. de Abolition. ibi: *Inquisitione facta poena competens*, id est, a Jure statuta, seu ordinaria.

221 Quaeritur IV. An, et quando Reus in Judicio interrogatus teneatur in conscientia fateri veritatem? Item, an possit interrogari de sociis criminis? et quid, si interrogatur? Resp. Ad primam partem hujus quaesiti plene patere. *Lib. II. Tit. Tit. XVIII. de Confess.* §. 7. per totum: vide etiam dicta supra *n.* 142. Ad alteram partem quaesiti patet eodem *Lib. II. Tit. XVIII. de Confess. a n.* 96.

222 Quaeritur V. An reo, dum in Processu interrogatur, possit ac debeat imponi Juramentum de dicenda veritate? Et quid, si dein perjurium committat? Resp. I. Ad primam partem affirmative, Bartolus *in l. inter omnes.* §. *Recte in fine ff. de Furtis*, Qui teste Claro §. *fin. q.* 45. *n.* 9. communiter ab omnibus in hoc approbatur, *arg.* c. *qualiter.* 17. *et c. Cum dilecti.* 18. *h. t.* Confirmatur universali praxi Tribunalium utriusque fori, praesertim Italiae: ita, ut licet Clarus *loc. cit.* una cum aliis praesertim Theologis conquerantur contra hanc consuetudinem, utpote ansam et occasionem multorum perjuriorum, teste quotidiana experientia, fatetur tamen ipsemet Clarus *loc. cit.* se non audere ab ista consuetudine recedere, nec debere alios Judices recedere ab illa. In ordine nostro res caret difficultate; quia praxis nostra Criminalis, quam sequi tenemur, dictum juramentum expresse praescribit *Tit. XIX.* ✠. *Reus* §. *IV.*

223 Resp. II. Loquendo de jure communi, si Reus deposito juramento de dicenda veritate falso deponit, in foro externo nullas propterea poenas incurrit, sed a solo Deo punitur. Ita post Alexandrum docet Clarus §. *fin. q.* 45. *n.* 10. Asserens, in hoc neminem contradicere, *arg. L.* 2. *C. de Rebus credit.* Addit tamen ibidem Clarus, sicut et *q* 21. *nu.* 39. (ubi communem allegat) quod si Reus ad interrogationem Judicis falso respondisse convincitur, possit postea torqueri. Dicitur autem notanter, *loquendo de Jure communi*, quia si alicubi quid aliud habent statuta Municipalia, illis erit standum.

224 Quaeritur VI. An liceat Judici blandis verbis, aliisque modis, remediis, vel arte involvere aut inducere Reum ad fatendum delictum? Resp. Affirmative; dummodo omne absit mendacium, aut falsa promissio impunitatis, levioris poenae, aut alterius gratiae, Farinac. *Praxi Criminal p.* 3 *q.* 81. *num.* 306. ubi etiam de se fatetur, quod blandis verbis saepius adegerit Reos ad fatendam veritatem, quam per torturam: Conclusionem practicandam etiam suadet Ludovicus de Ameno *in Practica sua criminali.* Et probatur *ex* 3 *Reg cap.* 3. ubi Salomon ad cognoscendam veritatem ex materna affectione eruendam, simulavit dividi infantem: *at c.* 2. *de Praesumpt.* Ratio est; quia hujusmodi blanda verba, aut modi inducendi, si mendacio carent, et falsitate, neque dolum, neque fraudem involvunt: cum illi non utatur ad decipiendum, sed potius ad fraudem, et mendacium excludendum, *arg. L.* 1. § 3. *ff. de Dolo malo.*

225 Dicitur tamen notanter; *dummodo omne semper absit mendacium, et falsa promissio etc.* quia, cum istud contra legem naturalem, et Divinam sit, nunquam licet, et in judicio, ubi summa veritas vigere debet, specialem iniquitatem continet: Unde etiam confessio, falsa spe aut promissione veritatis elicita non sufficit, ut Reos ad poenam ordinariam condemnari valeat; prout amplius dictum est *Lib. II. Tit. XVIII. de Confess. a n.* 149. ubi vide.

226 Quaeritur VII. An in Processu Criminali testis esse possit Denuntiator, et socios Criminis? Resp. I Qui denuntiat tantum *Evangelice*, seu paterne bene potest esse testis, casu quo dein Superior Processum ex Inquisitione, vel ad alterius instantiam instituit, Mascardus *de Probation. concl.* 507. *n.* 12. Ameno in *Praxi Criminal. Tit. IX.* ✠. *Denuntiatio. n.* 37. cum communi aliorum, *arg. c. in omni.* 4. *de Testib.* Ratio est; quia talis non agit vices accusatoris, nec denuntiat, ut Reus puniatur, sed ut paterne corrigatur; consequenter in processu praeter intentionem suam postea instituto bene potest esse testis.

Resp. II. Denuntiator publicus, seu ex officio etiam *Judicialiter* denuntians potest esse testis, Passerinus *in Tribunal. Regul. q.* 19. *n.* 6. cum communi, *arg. c. Praeterea.* 7. *de Testib. cogend.* Ratio est; quia cum isti non voluntarie, sed necessarie, utpote ex officio obligati denuntiant, tanquam suspecti a testimonio ferendo non sunt repellendi; si alias omni exceptione majores existunt. 227

Resp. III. Quicunque voluntarie facit Denuntiationem *Judicialem*, non potest in hac causa esse testis, Mascardus *de Probat. Concl.* 507. *num.* 12. Passerinus *loc. cit.* Ameno *loc. cit.* ✠. *Denuntiatio. n.* 22. cum Communi, et certa aliorum. Ratio est: Tum quia, qui judicialiter denuntiat, agit vices Accusatoris, juxta saepius dicta; nemo autem potest esse accusator simul, et testis, *arg. c. Forus.* 10. *de V. S. can. Testes. cau.* 4 *q.* 3. Tum quia Denuntiatores judiciales voluntarii censentur habere interesse in causa, hoc ipso, quod, nisi delictum probetur, subjaceant poenis calumniae, patiaturque eorum aestimatio etc. *Nullus autem idoneus testis in re sua intelligitur*, *l. Nullus. ff. de testib.* et amplius diximus *Lib. II. Tit. de testib.* §. 7. *per totum.* 228

Dicitur autem notanter in Conclusione, qui *voluntarie facit Denuntiationem judicialem*; quia, qui necessario eam facit, puta, sub peccato ad eam obligatus, ex charitate v. g vel justitia, aliave virtute juxta dicta superius *a num.* 106. testis esse potest etiam Regularis, juxta Passerinum *loc. cit. q.* 19. *num.* 5. et expresse tenet Navarrus *cap.* 25. *num.* 33. Ratio est; quia, si quis sub peccato, consequenter sub poena aeterna adstrictus Denuntiationem *Judicialem* facit, aeque ac Denuntiatores ex officio necessarii dicuntur, ut *loc. cit.* observat Passerinus, ac proin non minus ac illi testes esse possunt: quidquid Passerinum impugnans dicat Ameno *Tit. ultim.* ✠ *Sententia, nu.* 7. docens, Regulares omnes judicialiter denuntiantes, non nisi voluntarios esse, ex eo, quod nullo praecepto ad denuntiandum *judicialiter* adstringantur; cum praeceptum, Visitationis tempore eis impositum, illos solum ad paterne denuntiandum obliget. Nam contra est: quod etsi Regulares vi praecepti in Visitatione impositi non obligentur denuntiare *Judicialiter*, et consequenter *necessarii* Denuntiatores judiciales non sint, obligantur tamen ad eam alio, charitatis praesertim praecepto juxta dicta supra *num.* 106. Et consequenter *necessarii* delatores sunt. 229

Infertur proin: posse etiam judicem Regularem in casu, quo Religiosus aliquis omni exceptione major, de quo nulla potest esse suspicio, urgente conscientia quendam *judicialiter*, denuntiat, eundem pro vero teste citare, et examinare; praesertim si alias praeter illum unus tantum testis, vel alia semiplena probatio adesset; consequenter sine ipso plena probatio haberi non posset. Quamvis in hoc casu etiam alia via finis obtineri valeret; si videlicet cognoscens delictum, illud tantum *paterne* denuntiaret, simul tamen 230

Superiori talia indicia suggereret, vi quorum ipse ex officio inquirere, et paterae Denuntiationem pro teste citare, et examinare posset; vel si eidem alteri suaderet, ut judicialiter denuntiaret, quatenus dein ipse testis esset posset, quod nullo jure prohibitum videtur, si fraus, et dolus, passio, et mala collusio abest; ac uno nisi ex charitate et Zelo Religionis, hujus aut illius delinquentis bonum urgente conscientia intenditur: secus enim testem agere utique non posset alterum dolose instigans, utpote merito suspectus, et omni exceptione major non existens. Et in hoc sensu non autem universaliter accipienda vel sequenda est doctrina, Ameno *loc. cit. n.* 69. *et* 70. Caeterum num ex charitate et Zelo, an vero ex iniqua fraude tertius aliquis fuerit ad *judicialiter* denuntiandum persuasus, ex circumstantiis personarum facile prudens Superior colliget.

231 Resp. IV. Socii criminis non possunt esse testes. Communis, et certa, claris juribus c. *Personas.* 20. *de testib. c.* 1. *de Confess. l. Quoniam.* 11. *de testib.* cum concordat. Ratio est; quia hoc ipso, quod quis sit socius criminis, criminosus, sicque ad testificandum inhabilis censetur.

232 Limitatur tamen Conclusio I. In criminibus exceptis. II. In criminibus, quae ex natura sua socium requirunt. III. Si adsint alia indicia, et adminicula, prout amplius dictum est *Lib. II. Tit. XVIII* §. *IV.* vide etiam Ameno *Tit. XV.* §. *Testes. n.* 52. *et* 53.

§. V.

De Exceptionibus: ubi etiam de Criminibus sine ordine puniendis, Notoriis nempe, ac illis, quae in Flagranti deprehenduntur

SUMMARIUM.

233 *Ratio continuationis, et ordinis.*
234 *Exceptio quid?*
235 *Potest fieri Civiliter.*
236 *Vel Criminaliter.*
237 *Si tantum civiliter fit Exceptio, non potest Judex punire illum, contra quem facta est Exceptio, opponendo ei grave, vel verum crimen.*
238 *Nisi aliam Processum instituat, prout bene potest.*
239 *Si Exceptio criminaliter intentatur, induit naturam Accusationis, et ejus conditiones requirit.*
240 *De reliqua materia Exceptionis: Remissive.*
241 *Occultum aliud est proprie tale puniturque a solo Deo.*
242 *Aliud pene tale: Et quod?*
243 *Publicum quid, et quotuplex?*
244 *Famosum quid?*
245 *Manifestum quid? et in quo differat a Famoso, et Publico?*
246 *Notorium proprie quid?*
247 *Sumitur subinde pro Manifesto, et differt ab eo, et dicit plus.*
248 *Notorium multiplex: Remissive.*
249 *Quod fit coram majore parte communitatis, Notorium Facti est.*
250 *Non est necesse ad Notorium, ut fiat coram majori parte communitatis si haec magna est.*
251 *Nec ut fiat coram majori parte populi totius loci; sed sufficit, si fiat coram majori parte Viciniae, Parochiae, Collegii, Monasterii etc.*
252 *Necesse tamen est, ut fiat in praesentia saltem sex hominum. Occultum adhuc dicitur, quod coram quinque fit.*
253 *Delicta vere notoria puniri possunt non servati juris ordine.*
254 *Et non requiritur Accusator, vel Denuntiator.*
255 *Nec potest recusari Judex.*
256 *Nec requiruntur testes ad probandum delictum, bene vero ad probandum notorietatem.*
257 *Neque requiritur citatio.*
258 *Neque sententia cum solemnitate.*
259 *De consuetudine tamen fertur sententia.*
260 *In Notoriis item non datur Appellatio.*
261 *Nisi appelletur contra sententiam declaratoriam Notorii.*
262 *Ut delictum notorium sine ordine puniri valeat, requiritur I. Ut sit vere ac proprie Notorium.*
263 *II. Ut de Notorietate legitime judici constet: quod dupliciter fieri potest. Et n. seq.*
264 *III. Ut constet de malitia delicti.*
265 *Consultum praxique conforme est, ut nullus etiam notorie condemnetur sine citatione, et sententia.*
266 *Quid, et quotupliciter dicatur vitium in Flagranti deprehensum? et quo ordine puniatur? Et num seq.*
267 *Delictum in Flagranti deprehensum quid?*
268 *In Flagranti deprehensus punitur, non servato juris ordine. Et quomodo?*
269 *Judex pro Tribunali non sedens, haud dicitur aliquem in Flagranti deprehendere.*

Postquam ordinarios tres Modos, mediantibus quibus crimina, et criminosi in Judicium deducuntur, et ibidem judicantur, et puniuntur, hactenus examinavimus: restant duo extraordinarii Modi, eadem crimina in judicium deducendi, *Exceptio* nempe, et *Modus* crimina quaedam puniendi non servato juris ordine. 233

Quaeritur I. Quid sit *Exceptio*? Resp. I. Quamvis *Exceptio* ut sic sit, et dicatur actionis, vel intentionis exclusio, prout late patet ex dictis *Lib. II. Tit. XXVI de Exceptionibus*; tamen ad propositum melius describitur dicendo: *Exceptio* est criminis, vel alterius oppositio a Reo facta ad hoc, ut judicem ab Officio aut jurisdictione, vel Accusatorem ab Accusatione, Denuntiatorem a Denuntiatione, Testem a ferendo testimonio etc. repellat, aut impediat, vel etiam ut publicam vindictam subeat is, cui crimen oppositum est. Descriptio haec majoris claritatis gratia, longior quidem, sed in re communis est, uti videre est apud Clerum §. *final. q.* 19. *n.* 2. 234

R. II. *Exceptio* potest dupliciter fieri, *Civiliter* nempe, et *Criminaliter*. *Civiliter* fit, quando Reus crimen, aut quid aliud praecise ideo opponit, aut objicit, ut Judicem ab exercenda in se jurisdictione, Accusatorem ab accusando etc. repellat, aut impediat; non vero ut talis, contra quem excipitur, ob crimen oppositum puniatur, sic *Civiliter* excipit Reus, si v. g. dicit: *Hic Judex est de facto suspensus ab Officio, hinc contra illum excipio*: vel, *excipio ac protestor contra hunc Accusatorem, vel Denuntiatorem, quia est v. g. meus capitalis inimicus, vel criminosus etc. ac propterea incapax ad accusandum, vel denuntiandum*: vel, *hic testis est meus capitalis inimicus, quapropter contra eum excipio, vel protestor*: vel *crimen, de quo fui accusatus, denuntiatus, etc. jam pridem est praescriptum, hinc excipio et protestor contra totum Processum*. De Exceptione *Civiliter* intentata ample diximus *Lib. II. Tit. XXVI. de Exceptionibus*, per totum, ubi vide. 235

Criminaliter fit Exceptio, quando crimen opponitur non tantum, ut criminosus repellatur, aut impediatur, ut supra, sed etiam ut pro vindicta publica, poena Jure statuta eidem per sententiam 236

infligetur Clar. *loc. cit.* cum communi aliorum.

237 Resp. III. Si Reus *Civiliter* tantum excipit, non potest Judex illum, cui crimen a Reo opponitur, propterea punire, etsi crimen probaverit Reus opponens (nisi alium processum instituat) sed debet statim in eodem adhuc processu ex probationibus Rei, vel alias cognoscere, et judicare, an Exceptio illius sit justa, et legitima: si justam agnoscit, debet eam per sententiam interlocutoriam admittere, et ei conformiter juxta intentionem Rei excipientis se habere: si vero injustam, aut frustratoriam deprehendit, illam rejicere, eaque non obstante in Processu pergere. Clarus *loc. cit.* Barbosa *in c. Cum dilectus.* 2. *de Ordin. Cognit. num.* 5. Pirhing *h. t. num.* 130. cum communi, *arg. cit. c. Cum dilectus.* 2. §. *Verum de Ordin. Cognit.* Ratio est: quia Judex debet se accommodare intentioni et fini agentis, formaeque Libelli ab illo propositae, *arg. c. Qualiter.* 24 *h. t.* et *c. Licet.* 30. *de Simonia*, ibi: *Ut juxta judicii formam sententia quoque dictetur.* ergo.

238 Dicitur autem notanter: *Nisi alium Processum instituat*: quia talis *civiliter* facta exceptio bene potest Judici aperire viam, ut ex Officio novum Inquisitionis Processum instituat contra illum, contra quem Exceptio facta est, si nempe ex probationibus, aut indiciis appareat, crimen objectum revera fuisse commissum, aut si fama de eo volet, prout bene advertunt DD. citati.

239 Resp. IV. Quando Reus *Criminaliter* excipit, assumit Exceptio naturam Accusationis, *arg. l. Si cui.* 7. *ff. de Accusat.* debetque propterea conditiones ad Accusationem requisitas habere, v. g. speciem, locum, et tempus delicti exprimere, et alia continere, quae supra a *n.* 6. sunt recensita, *arg. l. Libellorum.* 3. *ff. de Accusat.* Hinc etiam ille, contra quem excipitur, non tantum a facta jam Accusatione v. g. Denuntiatione, ferendo testimonio removetur, sed etiam vindictam publicam per statutas Juris poenas sustinere debet, si Excipiens crimen objectum probat, vel absolvi, et econtra Excipiens poena Talionis puniri debet uti Accusator, si in probatione deficiat, Clarus *loc. cit.* cum communi aliorum, *arg. cit. Si cui. ff. de Accusat.*

240 Reliqua de Exceptionibus vide *cit. Lib. II. Tit. XXVI. de Except.* per totum.

Circa alteram Paragraphi partem notandum prius duo esse genera delictorum, quae puniri possunt non servato juris ordine, alias ad Processum Criminalem requisito; videlicet *crimina notoria*, et *crimina in Flagranti* deprehensa. Pro quorum majori intelligentia.

241 Quaeritur II. Quid sit *Occultum*, et quid *Publicum*, prout occulto opponitur? Item quid *Manifestum*, et quid *Notorium*? ac in quo differant? Resp. I. Quamvis varie sumatur *Occultum*, praecipue tamen dupliciter quid est, et dicitur occultum; videlicet *proprie*, et *pene tale*. *Occultum proprie* dicitur illud, quod nulla ratione probari potest. Joan. Andreas in c. *Vestra de Cohabitat. Clericor. et Mulier. num.* 12. et ibi Ancharanus *n.* 14. Abbas *n.* 10. Fagnanus *n.* 45. dicens: nullum discrepare, *arg. c. Ut Ecclesiast. Beneficia.* Et de his occultis soli Deo relinquitur judicium, *can. Erubescant.* 11. *dist.* 32. ibi: *Secretorum est cognitor Deus, et Judex*, junctis *can. Consuluisti.* 20. ♃. *Spontanea. can.* 2. *q.* 5. cum concordant.

242 *Pene*, vel *quasi Occultum* est; quod probari quidem potest, non tamen a multis, sed tantum a paucis, v. g. a duobus, tribus, vel etiam quinque scitur; nam *secretum* adhuc dicitur etiam illud, quod in praesentia quinque personarum dicitur, *can. Quis aliquando*, 87. *de Poenitent dist.* 1. §. *Haec ergo secreta*, ♃. *Filiam Archisinagogi*, et notat ibi Glossa ♃. *Secreta*, observans esse *secreta*, *quae fiunt sub praesentia quinque personarum*; intellige, quamdiu ad Judicium non deferuntur, seu judicialiter non discutiuntur, nec plus manifesta fiunt, ut bene observat Fagnanus *loc. cit.* et alii ab eo citati, *arg. c. Vestra* 7. *de Cohabitat Clericor. et Mulier.* ibi: *Aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur etc. utpote ad judicium nondum deductum, nec habet operis evidentiam.* Dicitur autem *pene Occultum*; hoc ipso enim, quod probari, et manifestum fieri possit, non amplius proprie occultum, sed jam aliquo modo publicum est, et dicitur; prout statim patebit.

Resp. II. *Publicum* multipliciter sumitur, praecipue autem sunt tres gradus seu species illius, uti post Suarez *de Charitat. Disp.* 8. *sect.* 6. *in princ.* bene notat Palao *Tract.* 6. *Disp.* 3. *punc.* 15. *n.* 1. Prima species, primaeva, et maxime genericus gradus *Publici* est id, quod saltem a duobus scitur, ut consequenter probari potest: Tale enim a jure jam publicum, item probabile dicitur. *arg. l. Herodes palam ff. de testam. et qui testam. can. Consuluisti.* 20. ♃. *Spontanea. cau.* 2. *q.* 5. Fagnanus *l. c. n.* 53. et *n.* 121. ac citati cum aliis: quod *Publicum* cum *pene occulto* convenit. Alter gradus *Publici* est, quod non tantum probari potest, sed jam pluribus ita notum est, ut fama de illo existat; quod etiam *Manifestum* dicitur: item etiam *Famosum*. Tertius et supremus *Publici* gradus est, quod ita jam notum est, ut nullo modo amplius celari, aut negari valeat; et tunc etiam *Notorium* dicitur. Unde *Publicum* se habet tanquam genus, *Manifestum* autem, *Famosum*, et *Notorium* tanquam species, ut proin omnia notoria et manifesta sint etiam publica; sed non omnia publica sint manifesta. Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 255. Fagnanus in *c. Vestra de Cohabit. Cleric. et mulier. n.* 52. post Abbatem *ibid. n.* 11. et alii. 243

Resp. III. *Famosum* est, quod per publicam famam innotescit: quid autem sit *Fama*, et quae requirantur ad eam, ac quomodo differat a *Rumore*? ad longum habes *Lib. II. Tit. XX* §. *XII.* 244

Resp. IV. *Manifestum* (proprie loquendo) dicitur, quod est publice et famose notum ex certa scientia, et certis auctoribus. Ita in re communis, Joann. Andreas *in c. Vestra de Cohabit. Cleric. et mulier. n.* 9. et ibi Abbas *num* 12. Fagnanus *n.* 55. Tuschus *litt. N. concl.* 104. Dicitur *famose notum*; quia ut quid vere dicatur *Manifestum*, debet concurrere fama; quae tamen ad esse *publicum* non requiritur, ut proin *Manifestum* et *publicum* in hoc distinguantur, quod ad *Manifestum*, non autem ad *publicum* requiratur fama. Fagnanus *loc. cit. num.* 65. et ibi Butr. *num.* 33. *arg. c.* 1. *de Postulat. Praelat.* 245

Dicitur ex *certa scientia*, et *certis Auctoribus*. In quo differt a *Famoso*, et *Rumore*. Nam *Fama* non requirit certam Scientiam, nec *Rumor* certum Auctorem, ut constat ex *Lib. II. Tit. XX.* §. *XII.* Sed illa provenit etiam ex sola suspicione, et *Rumor* ex incerto Auctore, uterque est quandoque fallax, Abbas *loc. cit. num.* 12. Fagnanus *loc. cit. num.* 63. Non sic *Manifestum*, utpote pro quo necesse est, quod plures certi adfuerint Auctores, qui per certam Scientiam et sensum corporeum cognoverunt, et desuper testimonium dare possunt Butr. *loc. cit. num.* 33. Fagnanus *loc. cit. num.* 63.

Resp. V. *Notorium* (proprie loquendo) est, et dicitur illud, quod *constat vel per evidentiam rei, quae nulla possit tergiversatione celari*, ut dicitur *c. fin. de Cohabitat. Cleric. et mulier.* et *c. Cum olim.* 24. *de V. S.* ut si fiat coram omnibus, vel majori parte Communitatis. Nam per majorem partem po- 246

pulus universus designatur, *l. Aliud.* 160. *ff. de R. I.* ibi: *Refertur ad universos, quod publice sit per majorem partem*: vel de quo constat per confessionem Rei factam in judicio, uti habetur in citatis Juribus, etc. *Cum speciali. de Appellat.* Quod tamen intelligendum est de confessione sponte facta, et non metu gravi, aut vi tormentorum extorta, Pirhing *h. t. n.* 20. *de Appellat. n.* 30. vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, a qua non fuit appellatum, *cit. c. fin. de Cohabit. Cleric. et Mulier.* juncto c. 1. *de Except.* aut de quo constat per testes idoneos, aliasve legitimas probationes, si nihil possit opponi, sitque jam in causa conclusionis, *cit. c. olim. de V. S.* juncta Glossa *in c. Significavit.* ℣. *Liquare de testib.* Pirhing *h. t. n.* 55.

247 Hinc quamvis *Notorium*, et *Manifestum* subinde pro eodem sumantur, *arg. c. Constitutionem de V. S. in* 6. et *cit. c. Cum olim. eod.* ubi *Manifestum* eodem prorsus modo explicatur, quo *Notorium* et *c. fin. de Cohabit. Cleric. et mulier.* Nam priori loco ita habetur: *Offensam illam nos inscribimus intelligere manifestam, quae vel per confessionem, vel probationem legitime nota fuerit: aut evidentia rei, quae nulla possit tergiversatione celari.* Posteriori autem loco taliter legitur: *Nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in Jure, aut per evidentiam Rei, quae tergiversatione aliqua celebrari non possit.* Tamen proprie loquendo, et prout *Notorium* propriam speciem constituit, differt a *Manifesto*, et quidem principaliter in hoc, quod *Manifestum* minus sit quam *Notorium*, prout bene observat Abbas *loc. cit. nu.* 14. Fagnanus *loc. cit n.* 54. Tuschus *loc. cit. n.* 19. *arg. c. De hoc* 13. *de Simonia*, ut proin omne quod est *Notorium*, sit etiam *Manifestum*, sed non econtra.

248 *Notorium* aliud est *Juris*, aliud *Facti*: *Notorium Facti* rursus aliud *Facti transeuntis*, aliud *permanentis*, aliud *interpellati*. Item aliud *Notorium* est *praesumptionis seu praesumptum*. De quibus omnibus *Lib. III. Tit. II. de Cohabit. Cleric. et mulier. a num.* 15. ubi vide, ne inutilis fiat repetitio. His praenotatis

249 Difficultas et dubium est, quot hominum praesentia requiratur, ut factum coram eis delictum, vere et proprie dicatur *notorium* notorietate *Facti*. Circa quod licet variae sint opiniones DD ut videre est apud Fagnanum in *c. Vestra. de Cohabit. Cleric. et mulier. num.* 88. Sanchez *lib* 6. *Consil. cap.* 3. *dub.* 3. et alios: conveniunt tamen fere omnes in hoc, semper sufficere majorem partem populi, Viciniae, Parochiae, Collegii, Communitatis etc. dummodo in tali Communitate non sint pauciores homines quam decem, Sylvester ℣. *Notorium q.* 4. Abbas *in c. Vestro. de cohabit. Cler. et mulier. n.* 16 Navarrus *cap.* 27. *n.* 55. Ratio est; quia decem constituunt populum, *arg. can. Unico.* 3. *cau.* 10. *q.* 3. consequenter quod coram majori parte talis communitatis fit, coram omnibus ejusdem, et sic *notorie* fieri censetur; quia juxta dicta supra *n.* 246. per majorem populi partem totus populus designatur, *l. Aliud.* 160. *ff. de Reg. Jur.*

250 Non autem semper necessario requiratur major pars communitatis, etiamsi haec magna copia hominum v. g. 300. constet, valde controversum est. Et quidem Sanchez *loc. cit.* cum nonnullis aliis videtur affirmativam tenere; Abbas tamen *loc. cit. n.* 16. et ibidem Fagnanus id prudenti judicis arbitrio relinquendum censent; qui ex circumstantiis, qualitate actus, loci, temporis, et personarum judicare debebit, hoc ipso, quod circa hoc in Jure nihil habeatur decisum, *arg. L.* 1. §. 2. *ff. de Jure deliber. L. Continuo* §. 1. *et* 2. *de V. O.* Et certe ridiculum videretur dicere, non esse *Notorium*, quod in praesentia 100. hominum factum est, ex eo, quod communitas constet 300. hominibus.

Illud etiam cum dicto Sanchez *loc. cit. num* 12. Abb. *loc. cit. num.* 16. Navarr. et Sylvestro citatis notandum, ad hoc, ut quid dicatur *Notorium*, non requiri esse factum in praesentia majoris partis totius populi in aliquo loco, sed sufficere, si fiat in praesentia majoris partis, Viciniae, Parochiae, Collegii, aut communitatis, respectu cujus dicitur *Notorium*. 251

Caeterum infertur, semper necessario requiri, ut saltem in 6. hominum praesentia fiat: nisi in conspectu judicis peccetur, juxta dicenda infra *num.* 263.) Tum quia minor numerus non facit majorem partem minimi populi, juxta dicta *num.* 249. Tum quia factum coram 5. adhuc in aliquo grado dicitur *Occultum*, per dicta supra *a num.* 241. Hinc etsi Religiosus v. g. in Monasterio 12. Religiosos habente, publice in praesentia 5. Fratrum delinqueret, qui illud dein statim propalarent aliis, ita ut publica fama de illo esset, non diceretur *Notorium* ad effectum, ut non servato juris ordine posset puniri: Nec faceret ad hoc fama, quia haec tantum id efficeret, ut factum evaderet *manifestum*, non autem *notorium*, per dicta *num.* 245. quae bene sunt notanda. 252

Quaeritur III. Qualiter ergo, et quomodo Judex sine ordine, seu non servato juris seu Processus judicialis ordine contra crimina notoria procedere, eaque punire valeat? Resp I. Regula universalis est: contra crimina vere notoria Judex non servato juris ordine procedere, eaque punire potest: Unanimis et certa, ob clara jure, *can. Prohibentur* 14. §. *His omnibus. cau.* 2. *q.* 1. ibi: *Quae manifesta* (id est notoria) *sunt, judiciorum ordinem non requirunt*: *can. quae Lothorius.* 16 *eod. cau. et q.* ibi: *In talibus* (notoriis scilicet) *judiciarius ordo non requiritur*: *c. Super eo.* 3. *de Testib. cog.* ibi: *si factum est notorium, non eget testium depositionibus, cum talia probationem, et ordinem judiciarium non requirant*, cum concordantiis. Ratio est: quia juris ordo ideo introductus est, ut veritas debite indagari, et malitiis Accusantium obviari possit, et ne quis innocens condemnaretur, sed quivis se, causamque suam tuendi, ac defendendi plenam haberet facultatem *arg cit can. Lothorius.* 16. *cau.* 2. *q.* 1. Ergo ubi veritas aperte jam habetur, ordo judiciarius tanquam medium, ad eam obtinendam necessarius non est. 253

Et ut in specie loquamur I. Non requiritur ad puniendа *notoria* Accusator, vel Denuntiatur, multo minus Libellus, sed potest Judex absque his ex Officio procedere contra *notorie* delinquentem, *c. Evidentia.* 9. *h. t.* ibi: *Evidentia patrati sceleris non indiget clamore Accusatoris*: *c. Manifesta* 15. *cau.* 2. *q.* 1. ibi: *Manifesta accusatione non indigent*, et *Clem. Saepe.* 2. ℣. *Non autem*, ubi habetur, quod Libellus etiam ad summarium Processum non requiratur; multo minus ergo ad procedendum contra *Notoria*, utpote quae nec summariem ordinem requirunt. 254

II. In *Notoriis* non potest recusari Judex tanquam suspectus, *arg c. Proposuit.* 24. *de Appellat.* et ibi Glossa ℣. *Manifesto*. Hoc tamen intellige de criminibus, quae taxatam in jure poenam habent; in aliis enim, quae arbitrio judicis puniuntur, bene potest Judex recusari, si legitimam recusandi causam Reus habet. Ratio est; quia in his *notoriis* facile suspicio esse potest, ne Judex ex odio, aut inordinato affectu in puniendo excedat, Farinacius *in Prax. Criminal. q.* 21. *num.* 117. *et* 130. 255

III. *Non* requiritur productio, nec examinatio testium ad probandum crimen *notorium*, *can. de Ma-* 256

nifesta. 17. *cau.* 2. *q.* 1. ibi: *De manifesta et nota pluribus causa non sunt quaerendi testes.* juncto c. *Super eum.* 3. *de Testib. cog.* cujus textum lege supra *n.* 253. Ratio patet: quia Judex testes requirit, ut examinat, ut certam acquirat de crimine veritatem; ergo si ex *notorio* certus jam est, frustra testes adhibet: nam *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*, c. 31. *de Reg. jur. in* 6. Dicitur autem notanter, *ad probandum crimen*; quia ad probandam notoreitatem testes subinde adhiberi omnino debent, juxta dicenda *n.* 264.

257 IV. Non requiritur citatio, casu quo crimen non tantum *notorium* est, sed insuper evidenter constat, quod nulla defensio competere possit Reo, prout cum Abbate, et Innocentio docuimus *Lib. II. Tit. III. de Libell. oblat.* §. 2. *a n.* 70.

258 V. Non requiritur sententia in scriptis, et cum aliis juris solemnitatibus, Innocentius in c. *Ex parte. il.* 1. *de V. S. n.* 1. Calderio. *in c. Vestra. de Cohabit. Cleric. et mulier. nu.* 47. Fariosc. *q.* 21. *n.* 115. arg. *Novell.* 8. *cap.* 9. ibi: *Et causam ex non scriptis examinante.* Ratio est: tum quia jura universaliter statuunt, quod in *Notoriis* ordo, seu solemnitates juris necessario non sint observandas; ergo nec in sententia: Nam jus universaliter loquens, universaliter est intelligendum, *c.* 22. *de Privilug.* unde Passerinus *in Tribunal. Regul. q.* 10. *n.* 12. Bossius *Tit. Quomodo procedendum in crimine Notorio*, et alii docent, in *Notoris* loco sententiae sufficere solum praeceptum Judicis Reo poenam imponentis.

259 Clarus autem §. *fin. q.* 9. n. 8. Fagosnus *in c. Vestra. de cohabit. Cleric. et mulier. n.* 96. docent, quidquid sit de Jure, consuetudine tamen observari, etiam in *Notoriis* sententiam fieri: Pro quorum concordia dici potest, requiri sententiam, sed non cum solemnitate juris: vel requiri sententiam declaratoriam super *Notorio*, juxta dicenda infra *n.* 264. non autem condemnatoriam ad poenam.

260 VI. In *Notoriis* non datur Appellatio, potestque Judex illa non obstante procedere ad executionem poenae. c. *Cum sit.* 5. §. *fin.* c. *Pervenit.* 13. *de Appellat.* ibi: *Si vero publicus est, et notorius, appellationis obtentu non praetermittas, quin eos excommunicatos denunties, ipsosque facias sicut excommunicatos cautius evitari.* Concordat c. *consuluit.* 14. et c. *Proposuit.* 24. *eod.* Ratio est; quia in *Notoriis* judicis pronuntiatio potius executio juris, quam sententia est, contra quam Appellatio alias datur, Speculator *Tit. de Notoriis Crim.* §. 8. *n.* 15. et alii.

261 Limitatur tamen praecedens doctrina in casu, quo Reus appellat contra sententiam declaratoriam de ipsa *Notoreitate* criminis, prout bene fieri potest, quia *multa dicuntur Notoria, quae non sunt*, ut dicit Pontifex *c. consuluit.* 14. *de Appellat.*

Resp. II. Ad hoc, ut sine praefato Juris ordine contra *Notorie* delinquentem procedere, eumque punire Judex possit, quaedam etiam requiruntur. Veluti I. Ut delictum vere ac proprie sit *Notorium*, juxta dicta *a num* 246. ut, si agatur de *Notorio facti*; in praesentia sua saltem personarum sit perpetratum, juxta dicta supra num 252. ut proin non sufficiat, crimen esse manifestum, et plane jam famosum, id est, mediante fama quasi omnibus notum; sed debet vere, ac proprie esse *notorium*

262 Nec obstat can. Prohibentur. 14. §. *His omnibus. cau.* 2. *q.* 1. ut alia jura aperte dicentia, in *Manifestis* non esse necessarium juris ordinem. Respondetur enim, in citatis locis *Manifestum* sumi prout idem significat vere *Notorium*, arg. c. *Cum olim. de V. S.* ut c. *fin. de Cohabit. Cleric. et mulier.* quia omne *Notorium* est etiam *Manifestum*, licet non econtra juxta dicta *n.* 247.

263 II. Requiritur, ut judici de Notoreitate delicti prius legitime constet: quod dupliciter fieri potest, veluti *primo*, si Reus delinquat in praesentia et conspectu ipsius judicis pro Tribunali sedentis, aut in actu, et exercitio jurisdictionis suae existentis, idque praesente etiam communitate, aut majore parte illius, ut vult Passerinus *in Tribunal. Regul. q.* 10. *n.* 6. et alii: vel praesentibus Assessoribus, aut saltem Actuario, seu Notario publico; et probabilius docet Ludovicus de Ameno in *Practic. Criminal. Tit.* 3. §. *Canones circa Reorum. n.* 58. ex illa ratione, quod, cum Acta coram judice per Notarium in judicio scripta alias plene probent, non apparet, cur non etiam sufficienter probent contra Reum in conspectu judicis, et Notorii delinquentem.

Secundo potest constare per testes, si nempe absente, aut pro Tribunali non sedente, nec actum Jurisdictionis tunc exercente delictum commissum est: quo casu tamen requiritur, ut duo saltem Testes omni exceptione majores. (si est sermo de *Notoreitate facti*) qui ex proprio sensu deponant, non solum de commisso delicto, sed etiam quod *Notorie*, id est, coram populo, aut majori parte ejus fuerit perpetratum, juxta dicta superius a num. 246. Ludovicus de Ameno *loc. cit. num.* 56. Farinacius *q.* 21. *num.* 105. Passerinus *q.* 10. *num.* 9. cum communi aliorum, *arg.* c. *Cum dilectus.* 15. *de Purgat. Canon.* Vel si quaestio est de *Notoreitate Juris*, per Authenticum extractum, aut attestationem judicialem. Ratio horum; quia, cum Judicium sine ordine de crimine *notorio* factum, principaliter fundetur super *Notoreitate criminis*, utique de hac ante omnia legitime constare debet. Quo constito debet Judex etiam de Notoreitate pronuntiare, Ludov. de Ameno *loc. cit.* Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat* 106. *num.* 18. Tambur. *de Jure Abbatum, Tom.* 3. *Disp.* 7. *q.* 2. *num* 19. ut alii docentes, quod, si judici de *Notoreitate* criminis prius legitime non constat, aut Judex de ea in sententia mentionem non facit, Processus sit nullus, et consequenter contra illam bene appellari valeat: Non autem est necesse, ut Judex per interlocutoriam super Notoreitate pronuntiet, sed sufficit, si id in principali pronuntiatione aut sententia faciat, inferendo eidem haec, aut similia verba: *Quandoquidem notorium sit Titii crimen, condemnamus ipsum ad poenam NN.* Ludov. Ameno *loc. cit. num.* 58. citans communem Legistarum, et Canonistarum.

III. Requiritur, ut non tantum constet de *Notoreitate* delicti, sed etiam de formalitate, aut malitia delicti; adeo, ut non sufficiat *Notorie* esse commissum homicidium, sed insuper *Notorie* constare debet, quod culpa, vel dolo, et non cum defensione inculpatae tutelae, aut casu fortuito etc. commissum sit, Clarus §. *fin. q.* 9. *nu.* 3. dicens, esse communem conclusionem, Farinacius *q.* 21. *num.* 49. Passerinus *in Tribunal. Regul. q.* 10. *numero.* 5. Quod si de hoc *Notorie* non consteret, saltem citatione Rei opus esset, juxta dicta *num.* 257. *arg.* c. *fin. de offic. delegat. in* 6. *can. Caveant.* 2. *cau.* 3. *q.* 9. Concordant, quae *Lib. II. Tit. III. a numero* 67. diximus. 265

Caeterum licet juxta dicta *num.* 257. *et* 258. Citatio ut sententia cum solemnitate Juris in vere *Notoriis* necessariae non sint, tamen Doctores communiter et praxis suadent, ne Judex aliquem etiam *Notorie* delinquentem, sine citatione et sententia condemnet; nec temere *Notoria* asserat: Tum quia citatio, quae principaliter eo tendit, ut Reus prius audiatur, et defendere se valeat, videtur esse Juris naturalis, per dicta *Lib. II. Tit. III. n.* 6? Tum quia *multa dicuntur Notoria, quae non sunt*, c. *Consuluit.* 14. *de Appellat.* consequenter omnino 266

decet, ut in hac re caute procedatur, et mediante citatione Reus prius audiatur; ac denique si vere *Notorium* apparet, id, juxa dicta, sententiae inseratur, sicque causa sine sententia non decidatur.

267 Quaeritur IV. Quid sit, et quando dicatur delictum *in Flagranti deprehensum*? et quomodo procedetur? Resp. Delictum in Flagranti deprehensum dicitur tripliciter. *Primo*, quando quis in actuali aliquo delicto, furto v. g. fornicatione etc. non tantum deprehenditur, et comprehensus statim ad judicem a Justitiae Ministris, vel aliis ducitur. *Secundo*, quando ipse Judex coram testibus aliquem in flagranti delicto deprehendit, ut si v. g. prius noverit Cajum solere tali die, et hora, tale delictum committere, assumptis secum testibus accedit locum, et deprehendit in *Flagranti* Reum. *Tertio*, quando quis in praesentia Judicis pro Tribunali sedentis, vel jurisdictionem exercentis delinquit.

268 Resp. II. *In Flagranti* deprehensus puniri potest non servato Juris ordine Communis, et certe. Et quidem ad processandum et puniendum non requiritur ullus Accusator, vel Denuntiator; Nec requiritur sententia cum Juris solemnitate; imo potest poena infligi per simplex Decretum, vel praeceptum judicis. Requiritur tamen, ut in primo et secundo modo prius examinentur testes super delicto, et apprehensione: Et dein examinetur Reus, *qui si* fatetur delictum, statim per Decretum, vel sententiam sine solemnitate ferendam puniri potest: Si vero negat, nec afferat aliqua pro sua accusatione, res magis examinanda, et defensiones, ac Patroni ei sunt concedendi, Clarus *in Praxi Criminal.* §. *fin. q.* 8. Passerinus *in Tribunal. Regul. q.* 10. *n.* 1. Farinacius *q.* 21. *num.* 131. *et seqq.*

Porro, quomodo in praxi circa quemvis trium horum modorum, sicut etiam circa notorium delictum formari debeat Processus, dicemus infra §. *V.*

269 Resp. III. Quando Judex pro Tribunali non sedens, nec Jurisdictionem exercens, sed alia occasione oculis propriis videt Reum delinquentem, non dicitur exinde *in Flagranti* deprehensus, ad hoc, et possit non servato Juris ordine *Criminaliter* contra ipsum procedere: licet possit sine alia Denuntiatione, et Accusatione inquirere contra ipsum, et informationem capere servato in caeteris Juris ordine, Clarus § *fin. q* 8. *n* 5. Farinacius *q.* 21. *n.* 162. Passerinus *q.* 10. *n.* 162.

Quaeritur V. Qualiter in praxi formari debeat Processus contra *Notorie*, praesertim in praesentia judicis delinquentem, vel in Flagranti deprehensum? Resp. Ad hoc Quaesitum patere §. *V. a num.* 547. *et a n.* 533.

§. VI.

De Visitatione Regularium, praesertim Ordinis nostri Seraphici.

SUMMARIUM.

270 *Visitatio Regularium est vera Inquisitio.*
271 *Et quidem ordinarie Generalis, ac paterna: Ad quem finem fiat? Ibid.*
272 *Superiores Regulares possunt, et debent Jure Divino et humano visitare suos Subditos.*
273 *Per se ipsos, nisi legitime impediantur.*
274 *Et quidem frequenter, bis nempe, vel semel in anno.*
275 *In Ordine nostro Seraphico quoties fiat?*
276 *Superiores Regulares non tantum semel, vel bis in anno, sed toties, quoties eis necessarium videtur, visitare possunt.*
277 *Probatur ab exemplo Episcoporum.*
278 *Et pro Ordine nostro ex Bulla Gregorii XIII. et a. n. seqq.*
281 *Probatur ratione.*
282 *Satisfit Objectionibus. Et num. seq.*
284 *Respondetur ad statutum nostrum Generale.*
285 *Visitatio ordinaria Regularium licet Generalis, et paterna sit.*
286 *Tamen in eadem Visitatores possunt inquirere de Superioribus in specie: et quomodo?*
Superiorum Transgressiones pejores, et majori poena sunt dignae, quam Subditorum. ibid.
287 *Ex causa rationabili potest Visitator in visitatione ordinaria etiam de Subditis in specie inquirere.*
288 *Solvitur instantia.*
289 *Etiam in ordine nostro id fieri potest.*
290 *Ex causa rationabili...*
291 *De quibus interrogare et indagare debeat visitator?*
292 *In visitatione sub obedientia praecipitur, ut subditi fideliter manifestent visitatori, quae manifestare oportet.*
293 *In visitatione ordinaria non adhibetur Secretarius.*
294 *Sed debet ipse visitator excipere, et notare dicta.*
295 *In visitatione ordinaria tenentur Subditi manifestare visitatori non tantum delicta, et defectus in damnum Communitatis, vel Tertii vergentia.*
296 *Sed etiam defectus et peccata soli delinquenti nociva, et penitus occulta.*
297 *Probatur satis clare. Et num. seq.*
299 *Solvitur Objectio.*
Peccata coelata sub sigillo et secreto naturali cognita, in Visitatione ordinaria manifestari non debent. ibid.
300 *Delicta quaevis sine monitione aut correctione Delinquentis praevia manifestari possunt Visitatori.*
301 *Delicta etiam gravia occulta, in Visitatione, cognita potest Visitator uni, vel pluribus consilii causa revelare.*
302 *Et potest ob illa Delinquentem a loco amovere, et alia facere, quae ad avertenda conducunt.*
303 *Non tamen potest propterea publice illum punire et corrigere, bene vero occulte, adhibitis etiam uno vel altero teste.*
304 *Contra Delinquentem, vi solius Visitationis ordinariae nullum potest instituere Processum criminalem Visitator.*
305 *Bene tamen occasione illius subinde non tantum potest, et debet processum instituere veluti I. si in Visitatione ordinaria proponitur peccatum jam notorium.*
306 *II. Si jam existit fama de delicto.*
307 *III. Si quis in Visitatione ordinaria Judicialiter denuntiat aliquod delictum.*
308 *IV. Etiamsi jussus a Visitatore id faciat.*
309 *V. Si in Visitatione ordinaria manifestantur delicta excepta. Crimina excepta quae? ibid.*
310 *VI. Si adsunt sufficientia indicia criminis ab aliquo commissi.*
311 *VII. Si delictum vergit in damnum tertii, vel communitatis.*
312 *VIII. Si delinquens deprehenditur in flagranti.*

Postquam egimus tam de Generali, quam speciali Inquisitione ut sic, abstrahendo an a Saecularibus, vel Regularibus fiat; non incongrue 270

hic subjicitur Paragraphus de Visitatione Regularium, utpote quae vera Inquisitio est, et frequenter a Praelatis Regularibus instituitur; idque vel ordinarie, vel extraordinarie, tam generaliter, quam specialiter, tam judicialiter, quam paterne, quamvis saepius imo ordinario Paterne et generaliter, juxta dicenda.

271 Quaeritur I. Quid sint Ordinariae Regularium Visitationes? Ad quem finem? A quo, et quoties fieri possint, et debeant? Resp. I. Visitatio Ordinaria Regularium est Inquisitio generalis de vita et moribus Regularium ad hoc instituta, ut Praelatus tanquam Pastor vultum pecoris sui cognoscens, delinquentes contra Regularem observantiam et disciplinam, aliasque obligationes corrigere, castigare, et emendare, bene ambulantes vero praemiare, ac quemvis juxta qualitates et merita promovere, media convenientia contra defectus, vel excessus praescribere, sicque observantiam et disciplinam Regularem restituere, conservare, et augere valeat. Ita in re communis, *arg.* c. *Romana.* §. *Sane de testib. in* 6. *et Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regul. cap.* 1. Patetque ex terminis. Solum hic nota ex data descriptione, quod licet Visitationes Ordinariae Regularium principaliter instituantur ad cognoscendos, et tollendos defectus vel excessus Regularium, tamen etiam illuc tendant, ut ea mediante cognoscantur quoque boni Religiosi, et qualitates eorum, quatenus sciat Praelatus Major, quales Religiosos quosque aliis praeficere, vel ad Officia applicare possit et debeat, ut bene notat Antonius a Spiritu S. *p.* 3. *Director. Regular. tr.* 4. *Disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 8. quia plurimum refert in Religionibus, ut nonnisi boni, et debite qualificati ad gradus, dignitates; ac officia in Ordine promoveantur.

Notandus insuper terminus *Inquisitio Generalis*; quia Visitationes Ordinariae Regulares non sunt *speciales*, sed revera *Generales* Inquisitiones, de quibus supra *num.* 151. prout magis patebit ex dicendis infra.

272 Resp. II. Superiores Regulares Majores praesertim, Generales v. g. et Provinciales, non tantum de Jure humano Ecclesiastico, Statutisque Ordinum, sed etiam Jure naturali et Divino possunt ac debent Visitationes per se, vel per alios facere. Communis et certa. Et quidem de Jure humano patet ex *c. In singulis.* 7. *de Statu Monach.* item ex *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 1. *cap.* 8. *et cap.* 20. Accedunt cujusvis Ordinis statuta, et nostra quidem *cap.* 8. §. 56. Ipsa quoque Regula Visitationes praecipit *cap.* 10. Altera pars de Jure naturali desumitur ex ipsa natura Officii Pastoralis, ratione cujus tenentur Superiores tanquam veri Pastores inquirere et corrigere Subditorum excessus, *Ne sanguis eorum de suis manibus requiratur*, *arg.* c. *Irrefragabili.* 13. *de Offic. Ordin.* ubi propterea etiam declaratur, quod Visitatio nulla possit consuetudine impediri.

273 Dicitur *per se*, vel *per alios*; quia si in persona impediti sunt, etiam per alios visitare possunt potestate visitandi eisdem delegata, *arg. can. Episc.* 11. *can.* 10. *q.* 1. et c. *Inter caetera.* 15. *de Offic. Ordin.* Ratio est; quia juxta *Reg. Jur.* 68. *in* 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Notat tamen Lezana V. *Visitator. n.* 3. Antonius a Spiritu S. *Direct. Regular. loc. cit. n.* 5. quod si Superiores Regulares, quibus Visitatio jure ordinario competit, absque legitimo impedimento aliis Visitationes committerent, peccarent mortaliter; quia esset transgressio praecepti Ecclesiastici graviter obligantis, *Concil. Trident. loc. cit.* Nec relevat allegata *Regul.* 68. *et* 72. *Jur. in* 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*: Respondetur enim, utramque hanc Regulam limitari in iis, in quibus electa est industria personae, *arg.* c. *fin.* §. *fin. de Offic. Ordin.* sicut etiam in iis, quae aeque utiliter per alium expediri non possunt, uti sunt Visitationes, quae experientia teste, utique majori cum effectu, et fructu procedere solent, si ab Ordinariis, quam si a delegatis Superioribus fiant. Hinc in nostra Religione exprese prohibetur Provincialibus, ne per alios visitent, et non nisi urgente de causa Commissarios ad certa negotia mittant.

Resp. III. Superiores praefati tenentur frequenter 274
Visitationes instituere. Ita exprese *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 8. ibi: *Teneanturque suae Congregationis Monasteria frequenter visitare, et illarum Reformationi incumbere.* Et quidem, si fieri poterit, bis in anno, *arg. can. Non semel.* 29. *cau.* 18. *q.* 2. c. *Cum Venerabilis.* 22. *de Censib.* cum concordant. vel saltem semel, *arg. can. Episcopum.* 11. *cau.* 10. *q.* 1. Nisi forsan statuta particularia aliud habeant, Visitationemque saepius vel rarius praescribant, quae proin inspicere, et observare oportebit, uti bene notat Pellizz. *Tom.* 2. *tract.* 9. *cap.* 4. *sect.* 1. *q.* 3.

Et quidem in nostra Religione, cum eam ob sui 275
latitudinem Generalis ipse toties, quoties opus est, personaliter visitare nequeat, singulis Trienniis Provincias per delegatum a se Commissarium Visitatorem Generalem visitat juxta statuta Generalia *cap.* 8. §. 26. *de Commissariis Visitatoribus.* Provinciales vero Provincias sibi subditas, *singulis annis bis, aut semel saltem universam Provinciam visitare teneantur etc.* prout exprese disponunt praefata statuta Generalia *cap.* 8. §. 47. *n.* 2.

Resp. IV. Superiores Regulares, praesertim Ge- 276
nerales, et Provinciales non tantum semel, vel bis in anno, sed etiam toties, quoties eis expediens visum fuerit, Provincias sibi subditas per se, vel per alios visitare possunt, et debent, nisi statuta particularia in vigore existentia id inhibeant, Passerinus *in Tribun. Regul. q.* 8. *a.* 8. *n.* 55. Ludovicus de Ameno *in Practic. Criminal. Tit. III. Canones circa Recursum. q.* 4. *a n.* 101. ubi Conclusionem prolixe et solide probat, ac quidem in specie demonstrat, quod nostri Superiores Generales, non tantum quovis Triennio (prout ad minimum fieri debet, et ordinarie fieri solet) sed etiam toties, quoties eis expediens visum fuerit, Commissarios Visitatores Generales ad Provincias mittere, easque per illos visitare valeant. Probatur *primo* ex *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 8. ubi vult, ut Superiores Regulares *frequenter* visitent.

Probatur *secundo*. Superiores Majores Regula- 277
res in facultate visitandi respective comparantur Episcopis, et Archiepiscopis, ita ut quoties isti suas Dioeceses, aut alia Monasteria sibi subjecta visitare possunt, possint etiam isti; atqui Episcopi singulis annis non tantum semel, aut bis, sed etiam toties, quoties eis expediens videbitur, visitare possunt. *Major* est communis Doctorum. *Minor* clare probatur ex c. *Perpetuo* 5. *de Censib. in* 6. c. *Mandamus* 6. *de Offic Archid* item *can. Visitandi.* 28. *can.* 18. *q.* 2. ibi: *Visitandi, exhortandique gratia ad Monasterium, quoties placuerit, ab Antistite civitatis accedatur.* Item *can Non semel.* 29. *eod. cau.* 18. *q.* ibi: *Non semel, sed saepius in anno Episcopi visitent Monasteria Monachorum, et si quid corrigendum fuerit, corrigatur.* Accedit Glossa *in can. Episcopum.* 11. *cau.* 10. *q.* 1. ubi exprese tenet: *Quandocunque, et quotiescunque opus est, potest Episcopus visitare*; ergo id respectu suarum Provinciarum, aut Monasteriorum etiam poterunt

Superiores Regulares; nam consequentia est in forma.

278 Probatur *tertio*, et quidem in specie de Ordine nostro: ubi imprimis de Provincialibus non est difficultas; nam hoc ipso, quod statuta Generalia id mandant, ut in anno bis, aut semel saltem universam Provinciam visitare teneantur, consequens est, quod saepius possint. Neque est in hoc controversia aliqua.

279 Probatur itaque in specie de Superioribus Generalibus ex Bulla Gregorii XIII. *Quoniam nostro*, quae est 27. inter Constitutiones dicti Pontificis in Bullar. Cherub. ubi §. 3. ita statuitur: *Volentes eundem Ministrum Generalem, quotiescunque sibi expedire videbitur, quos voluerit Commissarios, ad quascunque sui Ordinis, utriusque Familiae Provincias, quibuscunque consuetudinibus, et statutis, per quaslibet personas in contrarium factis, non obstantibus, libere mittere posse.* Vi ejusdem Bullae Excommunicationem ipso facto incurrunt, et ab ea extra mortis articulum per neminem, quam Romanum Pontificem absolvi possunt, priventurque Officiis, et inhabiles fiunt in futurum, qui quocunque praetextu, aut colore contra tales Commissarios ad Tribunalia saecularia recurrunt, vel recurrentibus favorem, aut consilium praebent. Item illi, qui a dictis Commissariis recte ordinata, aut facta, mutare, alterare, aut pervertere praesumunt sine expresse Ministri Generalis licentia.

280 Et haec facultas a Gregorio XIII. Ministro Generali concessa, sine dubio ad Commissarium Generalem Ordinarium extenditur, qui hic eadem auctoritate et potestate, ac favoribus, praesertim in puncto Visitationis quoad Subditos suae Familiae gaudet, qua gaudet Generalis, juxta statuta Generalia *cap.* 8. §. 18. Et per consequens etiam Vicecommissarius Generalis, utpote qui in vices Commissarii Generalis pleno jure succedit per eadam statuta, accedente etiam Regula Juris in 6. *ut cujus favores convenit ampliari.*

281 Ratio autem, et convenientia Conclusionis *num.* 276. posita est; quia saepe contingit, quod etiam extra tempus ordinarium Visitatio in Provincia, vel Conventu summe utilis, aut necessaria sit; dum v. g. alicubi ex factionum divisione, aut alia causa suscitantur periculosae discordiae, quae nisi cito per extraordinariam Visitationem tollantur, gravia incurrentur mala: vel dum in aliqua Provincia irrepunt mali abusus, et corruptelae, aut alii excessus et defectus contra observantiam, et disciplinam Regularem, talibus cum circumstantiis, ut nisi extra tempus Commissarius Visitator a Superiori Generali mature mittatur, disciplina et observantia Regularis, spiritus et devotio graviter non solum patiatur, sed malum ita invalescat, ut difficile amplius eradicari valeat, corruptelis et abusibus successive sub facie consuetudinis incedentibus: Vel dum experientia docet, quod Provincia aliqua suis abusibus, vel excessibus ita inhaereat, ut ab eis non diutius, quam Commissarius Visitator praesens adest, desistat, illo autem discedente iterum reassumat, ac per reliquum Triennii tempus continuet, eisque firmet, et novissima pejora prioribus efficiat; nisi etiam tempore aliquo extraordinarium Visitatorem jugiter, et tam diu sibi invigilantem habeat, donec spes constantis emendationis appareat. Et certe si in hujusmodi casibus manus Superioribus Generalibus essent ligatae, profecto non satis provisum esset Religionibus.

282 Nec obstant Canones *n.* 247. citati, praescribentes, ut semel, vel bis in anno Visitatio fiat. Resp. enim, per illos Canones tantum haberi, quod *saltem* semel, vel bis debeat fieri, ita ut Superior praecepto ordinarie satisfaciat, si semel, vel bis visitet, non autem quod saepius visitare nequeat, si circumstantiae exigunt.

Neque obstat consuetudo in contrarium. Respondetur enim, visitare per se, vel per alium toties, quoties expediens visum fuerit, esse potestatis facultativae gratuitae, contra quam non datur praescriptio contrariae consuetudinis, juxta dicta *Lib. II. Tit. XXVI. de Praescript. n.* 38. 283

Denique non obstat statutum Generale *cap.* 8. §. 284
46. Respondetur enim, illud (praeterquam quod teste Ludovico de Ameno *loc. cit. n.* 107. statutum istud sit adulteratum) non contra, sed pro Conclusione militare, prout patet ex contextu statuti, et statuto immediate *praeced. num.* 4. ubi ita statuitur: *Visitatores NB. regulariter mittendi sunt, quando Provincialis electio celebranda est*, finito nempe Triennio ipsius, hoc ipso enim, quod dicatur *regulariter*, implicite conceditur, quod causa exigente, extraordinarie quoque fieri valeat: uti expresse etiam innuitur ipso statuto sequenti *num.* 5. ibi: *Missus a Generali pro arduo negotio, vel ad Provinciae postulationem:* ubi vides, quod non tantum ad Provinciae postulationem, sed etiam pro solo Generalis arbitrio mitti valeat Commissarius extraordinarius: dicitur enim *Vel pro ardua causa, vel negotio*, quod utique etiam est, si observantia et disciplina toties Provinciae patitur, nisi extraordinario tempore Commissarius eidem deputetur. Plura vide apud Ludovicum de Ameno *loc. cit.*

Quaeritur II. Qualis inquisitio sit Visitatio Or- 285
dinaria Regularium? quomodo Superior visitans in ea procedere? quomodo item, et de quibus interrogare seu inquirere possit, aut debeat? Et quae requirantur ad hanc Visitationem Ordinariam? Resp. I. Regularium Visitatio Ordinaria est Inquisitio generalis paterna; vi cujus prout Superior non ut Judex, sed ut Pater procedere potest, ac debet, Ludovicus de Ameno *in Pract. Criminal Tit. XI. Inquisitio.* §. 1. *n.* 6. *et* 8. Conclusionem praxi omnium Regularium confirmans, *arg. Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regul cap.* 8. *et c. Romana de Censib. in* 6. Ratio est; quia haec Visitatio non ad vindictam publicam, sed ad correctionem, et emendationem Delinquentium per secretas monitiones, salutares ordinationes, et medicinales poenitentias obtinendam, indeque ad Reformationem principaliter tendit, per jura citata: Nam etsi Visitator Ordinarius, occasione Visitationis Ordinariae aliquos Delinquentes subinde etiam publice coram aliis Fratribus puniat, id non vindicative et judicialiter, sed per poenam medicinalem paterne facit: consequenter talis Visitatio non judicialis, sed paterna Inquisitio est, juxta dicta §. *III. n.* 154. et quidem Generalis; cum vi illius Visitator de omnibus delictis, et delinquentibus in genere inquirat, quod utique inquisitionem Generalem sapit per dicta §. *III. num.* 151.

Resp. II Non obstante, quod Regularium Vi- 286
sitatio Ordinaria sit Inquisitio Generalis de cunctis delictis, et delinquentibus in genere indagans, v. g. an Regula et statuta a Fratribus serventur, vel violentur? an Divinum Officium rite celebretur, an Fratres exemplariter, vel scandalose vivant? an corruptelae vel abusus vigeant etc. potest nihilo minus saltem in nostro Ordine Visitator Generalis de Provinciali, et Superioribus in specie inquirere, quomodo in Officio, et in Regimine suo se habuerint, qualem vitam, qualesque mores exhibuerint etc. Ita clare habetur in Statutis nostris *cap.* 8. §. 57. ubi ad finem eorum, de quibus Fratres Visitator interrogare debet, statuitur, ut in specie interroget, *an Guardianus in obeundo suo*

munere prudenter, fideliter, ac diligenter se habeat? An vitae exemplo, et doctrinae opportunitate omnes aedificet? Et infra: *de Provincialis etiam, et sociorum ejus officio, moribus ac vita diligenter inquirat, ut pro sua prudentia, et Religione expedire judicaverit.* Item ordinatur in praxi nostra Criminali *Tit. XI.* ℣. *Inquisitio.* §. *II.* ubi, postquam prohibitum est, ne in Inquisitione Generali inquiratur de personis in specie, apponitur limitatio illis verbis: *Ab hac tamen restrictione Provinciales excluduntur, ad quos syndicandos destinantur Visitatores.; unde illis integrum erit, de Provincialium Regimine in genere, et in specie inquirere nominatim; etiam nulla infamia praecedente (non tamen ad illorum vitam, et mores descendendo) quod etiam de Guardianis fieri debet.*

Ratio jam insinuata est; videlicet, quia ad syndicandos Superiores Visitatio specialiter etiam ordinatur; eo, quod Superiorum delicta, et transgressiones longe plus nocivae, utpote Subditis plurimum scandalosae sint, consequenter strictiori inquisitione, reprehensione, et punitione dignae, cau. *Praecipue.* 3. cau. 11. q. 3. ibi: *Deterius quippe in populis Praelati delinquunt, ac per hoc ipsi crudelius quam caeteri puniuntur, ut ait Beatus Gregorius: scire etenim Praelati debent; quia, si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sint, quot ad Subditos perditionis exempla transmittunt: unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava, quae faciunt, non soli moriuntur.*

287 Resp. III. In Visitatione Ordinaria potest Visitator ex causa rationabili, puta, ad cognoscendum, an promoveri possit, aut debeat: vel an suos jam notorios malos mores, aut certum vitium emendaverit; vel an delictum, de quo suspectus est, commiserit? Etiam in specie de Subditis generatim inquirere, v. g. quomodo hic vel ille se gerat, qualem vitam, aut mores habeat. etc. Ludovicus de Ameno in *Pract. Criminal. Tit. XI. Inquisitio.* *n.* 12. Ratio est; quia cum Visitatio Ordinaria sit Inquisitio *paterna*, non vindictam, sed solam emendationem, et bonum Delinquentis respiciens, juxta dicta *n.* 285. nulla fit ei injuria, nec praejudicium, etsi de illo in specie, aut de vita illius *paterne* inquirat Visitator.

288 Nec dicas, quod tali modo invertatur natura Visitationis Ordinariae, dum in ea, quae ex natura sua est Inquisitio Generalis, instituit Visitator Inquisitionem specialem. Resp. enim, ipsam Visitationem tamen esse, et manere Inquisitionem Generalem, hoc ipso, quod principaliter, et a potiori in ea nonnisi generice procedatur, et per accidens sit, quod de uno vel altero ex causa specifice inquirat Visitator, praesertim cum non *Judicialiter*, aut ad vindictam, sed *paterne*, ad correctionem, et bonum Delinquentis id faciat, ut jam dictum.

289 Et hoc etiam in Ordine nostro Seraphico procedit, non obstante, quod in praxi Criminali *Tit. XI.* ℣. *Inquisitio.* §. *II.* prohibeatur, ne *de speciali persona, vel delicto occulto in Inquisitione Generali perquiratur.* Respondetur enim: ibidem esse sermonem de Inquisitione Generali *Judiciali*, non de *paterna*, qualis est Visitatio Ordinaria, uti bene ibidem *n.* 12. advertit Ludov. de Ameno, conquerens, quod in dicto *Tit. XI.* ℣. *Inquisitio*, Judicialis, et paterna inquisitio saepe confundantur, et ita commisceantur, ut non statim appareat, de qua sit sermo; consequenter facile error contingere possit in intellectu legentis.

290 Dicitur tamen notanter in Conclusione n. 287. posita, *ex causa rationabili*; quia sine hac, in Visitatione Ordinaria seu paterna de Subditis in specie inquirere non debet, ne videatur ex inordinato affectu, vel passione procedere, et cum Visitatione Ordinaria, tanquam Inquisitione Generali *paterna*, Inquisitionem specialem judicialem cumulare, aut intendere cum injuria Legis, et Delinquentis.

Caeterum de quibus in genere Visitator in Visitatione Ordinaria seu *paterna* inquirere seu indagare, et Subditos interrogare debeat, videantur cujuslibet Ordinis statuta; et quidem nostra *cap.* 8. §. 67. ubi cuncta etiam interrogatoria Subditis ordinarie proponenda ad longum habentur, ex eisque, sicut etiam ex aliis colligitur, Visitationem Ordinariam non esse generalissimam, sed generalem, et aliquo modo mistam Inquisitionem juxta dicta §. *III.* *n.* 153. cum in ea inquiratur de certis delictis et transgressionibus in specie, et de Delinquentibus in genere, v. g. an nullus *violet paupertatem? an non fiant inordinatae potationes?* etc. ubi etiam notandum, liberum esse Visitatori praeter interrogatoria ibidem specificata, plura alia de transgressionibus in specie, et de personis in genere facere, prout nempe expediens judicaverit; quia specificata ibidem tantum pro exemplo adducuntur. 291

Resp. III. Quamvis in Visitatione Ordinaria non requiratur, ut Visitator illis, quos interrogat, imponat Juramentum de dicenda veritate; hoc ipso, quod non sit *Judicialis*, consuetudo tamen, et statuta Religionum volunt, ut Subditis per sanctam obedientiam praecipiat, ne aliquid retineant, sed cuncta Visitatori fideliter revelent, quae ad tollendos abusus, vel scandala, et pro conservanda vel restauranda observantia, ac disciplina Regulari dicenda sunt: ita statuta nostra etc. 292

Resp. IV. Dum in Visitatione Ordinaria Subditos interrogat, et audit Visitator, nullus requiritur, nec adesse potest Secretarius, vel Notarius, sed Visitator solus, nemine praesente dicta Subditorum excipere, ut ea saltem, quae graviora videntur, scribere ac notare debet. Ludovicus de Ameno *loc. cit.* §. 4. n. 25. cum aliis. Ratio est; quia cum haec Visitatio sit *paterna*, solam emendationem, et correctionem paternam (ad quam nulla requiritur probatio Juridica, et contra quam nulla Appellatio datur, juxta dicenda *infra*) intendens, nullum Secretarium, vel Notarium exigit, imo nec admittit; quia cum in illa, etiam occulta delicta pandantur, minori, qua potest, famae jactura fieri debet, ac propterea subinde etiam delicta nonnisi ab ipso Visitatore in secreto moneri, et corrigi debent, juxta dicenda infra *n.* 303. Secus est in Inquisitione Generali *Judiciali*; utpote in qua ad faciendam fidem Actis, Notarius juratus interesse debet. 293

Quod autem saltem ipse Visitator graviora notare, et scribere debeat, ratio est; ut ex ipsis dein colligere valeat, quid paterne corrigendum et reformandum, vel quid statuendum et ordinandum sit: Item an et quando contra unum vel alterum, specialem Inquisitionem instituere possit, vel debeat, prout revera subinde potest, et debet, juxta dicenda infra *a n.* 304. Totam hanc Conclusionem innuit etiam specialiter nostra *Practica Criminalis loc. cit.* §. 4. 294

Queritur III. Quaenam delicta, crimina, defectus, aut excessus Subditi in Visitatione Ordinaria Visitatori manifestari possint, vel debeant? Resp. I. Non tantum possunt, sed tenentur Subditi in Visitatione Ordinaria Superiori Visitanti manifestare, et saltem *paterne* denuntiare omnia delicta, excessus, defectus, transgressiones et abusus Fratrum, Conventus, aut Provinciae, tam occultos, quam publicos, qui in damnum observantiae, et disciplinae Regularis, aut in praejudicium Communitatis, vel tertii privati cedunt. Haec Conclusio caret controversia, si 295

cum teste Sanchez *lib.* 6. *Moral. cap.* 18. *n.* 5n. eam teneant omnes, patetque ex dictis supra §. 2. *a n.* 106. ubi probavimus, quod quivis hujusmodi etiam occulta delicta teneatur denuntiare extra Visitationem, aut Inquisitionem; ergo multo magis in illa, utpote in qua speciale etiam accedit obedientiae praeceptum Subditos ad manifestandum, seu *paterne* saltem denunciandum obligans, juxta dicta *num.* 295.

296 Resp. II. Subditi non tantum possunt, sed tenentur etiam omnia illa crimina, peccata, vel delicta, quae in solius Delinquentis damnum vergunt, Superiori Visitanti *paterne* manifestare, etiamsi omnino occulta sint, et nullatenus probari valeant, dummodo sciatur extra sigillum Confessionis, et secretum naturale. Haec Conclusio rursus patet ex dictis §. 2. *a n.* 179. ubi probavimus, ad id teneri quemvis extra Visitationem; ergo *a* fortiori in illa, ob accedens obedientiae praeceptum. Docent hanc Conclusionem praeter citatos §. 2. *num.* 179. etiam Ludovicus de Ameno *in Pract. Criminal. Tit. XI.* ℣. *Inquisitio. n.* 5. Lezana *Tom.* 1. *cap.* 27. *n.* 2. *circa medium*, citans Suarez *Tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *de Regim. Societ. cap.* 11. *n.* 4. Angelus ℣. *Denuntiatio. n.* 10. Pelliz. *in Manual. Regul. p.* 1. *tr.* 9. *cap.* 4. *sect.* 1. *n.* 24. Palao *de Charit. Tit.* 6. *Disp.* 3. *punc.* 10. *n.* 13. Sylvester. ℣. *Denuntiatio q.* 4. citans D. Thomam, et communem; quamvis enim horum aliqui expresse non doceant, quod teneantur, sed tantum, quod possint peccata etiam occulta, nulli quam peccanti nociva, denuntiare Superiori ut *Patri*, tamen ex hoc ipso sequitur, eos etiam teneri; quod probatur.

297 Quaecumque Subditi possunt occultum aliquod peccatum Praelato ut *Patri*, seu paterne denuntiare, tenentur etiam facere, si Praelatus id praecipit, ut cum communi aliorum docet Layman *loc. cit. n.* 8. sed Subditi quodlibet, ac quantumvis etiam occultum peccatum possunt manifestare Superiori ut *Patri* juxta dicta *num. praeced.* ergo id facere tenentur, si Praelatus praecipit; atqui in Visitatione Ordinaria Superior semper, et quidem in virtute obedientiae praecipit, ut eidem omnia delicta manifestentur: ergo. Confirmatur Conclusio etiam ex dictis §. *II. n.* 79.

298 Probatur ulterius ex natura Visitationis Ordinariae; quia haec praecipue est instituta, ut illa mediante secretae, et occultae transgressiones, defectus ac delicta Superiori ut *Patri* patefiant; quatenus dein contra illa competens remedium per correctionem privatam, aut medicinalem poenitentiam, aliove modo paterno disponere valeat; ut bene advertit Ludovicus de Ameno *loc. cit. n.* 5.

299 Nec obstat quod Ordinem nostrum, quod in praxi nostra Criminali saepius dicatur, in Inquisitione Generali (qualis etiam est Visitatio) manifestari non debere delicta occulta. Resp. enim cum Ludovico de Ameno, praxin illam vel loqui de Inquisitione *Judiciali*, vel de occultis notis praecise per sigillum Confessionis, aut naturale; unde etiam in Conclusione *n.* 296. posita additum est: *dummodo sciantur extra sigillum Confessionis, aut naturale*, quali secreto sciunt delictum illi, quibus id Delinquens revelavit per modum consilii, vel auxilii; vel cum obligatione de servando secreto, ut bene docet Pelliz. *in Manual. Regular. p.* 1. *tr.* 9. *cap.* 4. *sect.* 1. *n.* 21. Palao *loc. cit. punc.* 14. *n.* 4 cum communi aliorum docentium, peccata sub secreto naturali cognita, nec debere, nec posse manifestari (nisi in praejudicium tertii vergerent) alias miseri arcerentur a petendo consilio.

300 Resp. III. Ad hoc, ut delicta etiam occultissima, solique peccanti nociva, in Visitatione Ordinaria denuntiari, seu manifestari possint, ac debeant, non praerequiritur monitio seu correctio fraterna, seu Evangelica; praesertim in Ordine nostro. Patet haec Conclusio ex dictis §. *II. n.* 70. *et* 71.

Quaeritur IV. An, et quomodo possit Superior delicta occulta per Visitationem *paternam* cognita manifestare? Quomodo item contra Delinquentem procedere, et punire illum possit ratione delictorum in Visitatione cognitorum? Resp. I. Quamvis Visitator gravia delicta per Visitationem *paternam* cognita, publice in Capitulo aliive pro libitu manifestare sine peccato non possit, potest tamen ea revelare uni, vel pluribus pro consilio, et cum eisdem de illis disserere pro remedio adhibendo, si ita necessarium, aut expediens esse judicaverit. Pelliz. *in Manual. Regular. p.* 1. *tr.* 9. *cap.* 4. *Sect.* 1. *n.* 17. Palao *de charit. Tr.* 6. *Disp.* 3. *punc.* 11. *n.* 5. citans Torres. 2. 2. *q.* 33. *Disp.* 89. *dub.* 4. Ratio est; quia tali manifestatione intenditur utilitas Delinquentis, quae praeferri debet levi illius detrimento famae, praesertim cum etiam illi, cum quibus Visitator consilii causa disserit, ad idem cum Visitatore teneantur secretum. 301

Resp. II. Potest, imo tenetur subinde Superior Visitans ob delicta per Visitationem paternam cognita a loco removere, et Superiori locali alterius Conventus, aut Monasterii oretenus, vel etiam per litteras revelare, ad hoc, ut eidem invigilare queat. Item potest ei certas domos, aut loca, vel societatem prohibere: potest item eidem fidelem socium assignare, socioque mandare, ut observet illum. Item potest alia remedia eidem praescribere, prout nempe in Domino necessarium, vel expediens pro emendatione Delinquentis judicaverit: dummodo in his omnibus ita prudenter agat, et caveat Superior Visitans, ne ulterius diffametur Delinquens: ob quod etiam illos, quibus delictum occultum ex praefata causa manifestat, de obligatione secreti monere debet; nisi ipsimet obligationis suae satis ignari supponantur. Palao *loc. cit. num.* 2. Pelliz. *loc. cit. a num.* 34. Bannez, Torres, et alii. Ratio est; quia Visitatio etiam *paterna* non tantum instituitur, ut delicta, et delinquentes cognoscantur, sed etiam, ut remedia ad emendationem necessaria, aut utilia (qualia saepe sunt memorata) adhibeantur; cum finis sine mediis non obtineatur, indeque qui efficaciter vult, vel intendit finem, debeat quoque velle, adhibere, sustinere media, *arg. l. Nam ut ait.* 13. *ff. de Legib.* ibi: *Quoties Lege aliquid, unum, vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel certe jurisdictione suppleri.* 302

Resp. III. Si delictum in *paterna* Visitatione cognitum, est grave et occultum, ita ut probari nequeat, non potest illud Visitator publice, bene vero occulte punire, imponendo Delinquenti aliqualiter proportionatam poenitentiam in secreto peragendam, v. g. jejunium, flagellationem etc. Item potest ipsum in Secreto gravissime objurgare, corripere, minis terrere sub excommunicatione aliquid prohibere; idque etiam adhibitis duobus, vel tribus, ad magis confundendum, et commovendum, si ita expediens judicaverit; dummodo de delicto moraliter certo constet, v. g. per testem omni exceptione majorem, de quo prorsus nulla falsae depositionis potest esse suspicio. Palao *loc. cit. n.* 10. Pelliz. *loc. cit. n.* 34. *et seqq.* Ratio est, quae in priori Conclusione. Cui accedit, quod omnia non excedant limites correctionis paternae, et potestatem Superioris, tanquam in filios; cum haec notiue non vindictam publicam, sed meram emendationem Delinquentis, consequenter Munus paternum 303

sapiant: et alias semiplena probatio sufficiat ad memorata praestanda, ut cum aliis Suarez apud Palao *loc. cit.*

304 Quaeritur V. An? quando? et quomodo? Superior Visitans, ex notitia per Visitationem Ordinariam acquisita devenire possit ad Inquisitionem *Judicialem*, praesertim specialem? Resp. I. Superior nullum potest *Judicialiter* tractare, condemnare, aut punire ob peccata per solam Visitationem Ordinariam cognita. Unanimis et certa. Ratio est, quia Visitatio Ordinaria non est Inquisitio *Judicialis*, sed *paterna*, nec eidem ut *Judici*, sed tanquam *Patri* (nisi Denuntians aliud exprimat) delicta denuntiantur, et denuntiata censentur, juxta dicta supra *num.* 285. consequenter vi illius *Judicialiter* contra Delinquentem procedere nequit.

305 Resp. II. Potest nihilominus Superior occasione Visitationis Ordinariae, subinde inquisitionem *Judicialem* instituere, ac Processum *Criminalem* facere contra Delinquentes. Patet inductione. Sic enim I. Quando delictum quod ei in Visitatione denuntiatur, jam est notorium, potest, et ad avertendum scandalum pro terrore, et exemplo aliorum debet instituere Inquisitionem *Judicialem*; idque ex Officio, et modo supra §. *II num.* 75. allegato; non obstante protestatione unius, vel alterius Denuntiantis; quia tunc Superior procedit non vi depositionis ab eis paterne solummodo factae, sed vi *Notorii* occasione Denuntiationis paternae cogniti. Id ipsum habetur etiam in *Pract. nostra Criminali Tit. XI.* v. *Inquisitio* §. 7.

306 II. Si ex Visitatione Ordinaria deprehendit, existere jam communem famam; ut si plures de aliquo delictum denuntiant; vel dicitur ejusdem extare jam famam, rursus ex Officio inquirere potest, et debet, *arg. c. Qualiter* 24. *h. t.* ibi: *Quasi denuntiante fama, aut deferente clamore.* Quid autem sit *Fama*, et quomodo probetur, habes *Lib. II Tit. XX. de Testib.* §. 12. Hic solum notandum cum Ludovico de Ameno, ad hoc, ut Visitator contra *famosum* delictum ex Officio *Judicialiter* procedere valeat, non requiri, ut de illo in publico fiat sermo, sed sufficere etiam, si de illo opinio sit apud majorem partem populi, vel Communitatis: quia saepe contingit, quod de delicto quodam ob timorem peccantis, vel ei adhaerentium nemo publice loqui audeat, licet apud majorem partem Communitatis jam sit opinio et aestimatio, atque de illo in secreto plures loquantur, prout contigit tempore Christi *cap.* 7. *Joannis* ibi: *Nemo palam loquebatur de illo ob metum Judaeorum.*

307 III. Si sua sponte quis in Visitatione Ordinaria *Judicialiter* denuntiat, juxta dicta supra §. *II num.* 125. prout saepe fieri potest, et debet, per dicta supra §. *II. a num.* 106.

308 IV. Si subditus facta Denuntiatione *paterna* ad Superioris adhortationem, vel mandatum judicialiter denuntiat, prout Superior adhortari ac jubere potest, ac saepe etiam debet, casu, quo Subditus *Judicialiter* denuntiare tenetur, ut si delictum vergit in damnum Communitatis, vel tertii, certitudine morali non existente, quod per Denuntiationem paternam satisfiat: vel si quidem delictum soli Delinquenti nocet, ob rationes tamen, vel circumstantias expedit, ut *Judicialiter* puniatur: quando enim Subditus tenetur *Judicialiter* denuntiare, utique Superior illum suae obligationis monere potest, et ratione Officii debet, teneturque Subditus Superiori monenti, aut praecipienti morem gerere.

309 V. Si in Visitatione Ordinaria eidem etiam paterne tantum denuntiantur crimina excepta, vel publica, prout *Publicum* opponitur *Privato*, quae videlicet in publicum detrimentum vergunt, qualia sunt 1. Haeresis. 2. Crimen laesae Majestatis. 3. Blasphemia. 4. Crimen Sacrilegii; ut Sortilegia, et prophanationes Sacrorum. 5. Latrocinium, et grassationes viarum publicarum. 6. Crimen Assassinii. 7. Crimen falsae monetae. 8. Simonia, prout amplius probavimus ex Jure *Lib. II. T. XVIII. a num.* 99. et expresse statutum etiam habetur in *Practica nostra Criminal. Tit. IX.* v. *Denuntiatio.* §. 2. et *Tit. XI.* v. *Inquisitio* §. 7. contra haec igitur excepta, vel publica per Visitationem *paternam* cognita vitia, *Judicialiter* procedere potest; inquirendo ex Officio, etsi nulla infamia, nec Denuntiatio, aut Accusatio *Judicialis* praecedat, juxta dicta supra §. *III. num.* 189. Quomodo autem id facere debeat, dicetur infra.

Porro in dicta nostra Practica Criminali pro Ordine nostro Seraphico, inter crimina excepta, et publica insuper numerantur Conspiratio in Generalem, vel Provincialem, vel eorum Commissarios, aut etiam in Superiores locales: eorum item homicidia, vulnerationes, vel percussiones: item subornationes in Electionibus, et merito; quia revera singula haec in damnum commune Religionis cedunt. Item peccatis exceptis annumerantur Sodomia, et Sacrilegium cum Monacha. Item fornicationes, et adulteria, casu quo periculum sit, aliquod ex ultimis his duobus delictis publicari posse; siquidem etiam fornicationes simplices, et a fortiori adulteria, si innotescant a Religioso perpetrata, mirum in modum confundunt, et diffamant Religionem, atque nocent: consequenter, ubi periculum publicationis eorum est, publicis, et exceptis merito annumerantur: secus si penitus nullum periculum publicationis illorum subsit; tunc enim inter delicta privata reputantur *loc. cit.* v. *Denuntiatio* §. *II* ubi licet etiam de Sodomia pariter discurratur, tamen *Tit. XI* v. *Inquisitio* §. 7. exceptis absolute annumerantur, ad hoc, ita ut contra Reos illius sine omni infamia, ac sine Denuntiatione, aut Accusatione specialem Inquisitionem instituere possit Superior.

VI. Si adsunt sufficientia indicia contra aliquem criminis ab eo commissi juxta dicta num. 185. 310

VII. Si delictum vergit in damnum, vel praejudicium communitatis, vel tertii juxta dicta *num.* 109. *et* 189. 311

VIII. Si delinquens deprehenditur in Flagranti, per dicenda infra *a num.* 560. 312

Ex quibus patet, quod superior persaepe possit, ac saepe etiam debeat instituere processum criminalem occasione Visitationis ordinariae.

§. VII.

De Processu Criminali Regularium, simulque de ordine, et praxi Ejusdem; praesertim in Religione nostra Seraphica.

SUMMARIUM.

313 *In Processu Criminali Regularium non omnia servantur, quae in Processu aliorum*
314 *I. Est enim tantum Processus Summarius.*
315 *II. Non necessario observantur apices Juris.*
316 *III. Praelati Regulares facilius amoventur.*
317 *IV. In illo non communicantur nomina testium: et quid apud nos de hoc?*
318 *V. Potest formari juxta statuto, et consuetudinem cujusvis Ordinis.*

319 *Tenentur nihilominus Regulares in Processu Criminali observare essentialia Juris, et quae ad defensionem, ac probationem faciunt.*
320 *Quaenam in specie observari debeant?*
321 *Nomina Accusatoris et Testium non semper manifestanda sunt Reo etiam petenti.*
322 *Probatur.*
323 *Confirmatur.*
324 *Solvitur instantia.*
325 *Debent autem manifestari Reo petenti, quando id servit ad ejus defensionem, aut quando certo non constat, id Reo ad nihil servire.*
326 *Probatur efficaciter.*
327 *Satisfit Objectionibus. Et nem. seq.*
329 *Saepe debent Reo manifestari nomina Accusatoris et Testium.*
330 *Si Reus non petit, non est necesse ei manifestare nomina praefata.*
331 *Concordat nostra practica Criminalis.*
332 *Respondetur ad declarationem Ludovici de Ameno*
333 *Pro Ordine nostro extat praescripta specialis Practica Criminalis plane insignis, Jurique communi fere per totum conformis.*
334 *In eam ulare et solide commendatus est P. Ludovicus de Ameno.*
335 *Cujus Commentarii Judicibus Regularibus cunctis, imo et saecularibus plurimum serviunt.*

313 Quaeritur I. An ordo, et ea cuncta, quae in Jure communi de Processu Criminali, ac pertinentibus ad eum statuta sunt, servari etiam debeant in Processu Criminali Regularium? Resp. Negative. Communis et certa, *arg. c. Qualiter et quando.* 24. §. *fin. h. t.* ibi: *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum.* juncto c. *olim.* 26. *Eod.*

314 Quaeritur II. Quaenam Processus Criminalis Regularium specialia habeat? Et quae in illo omitti, aut necessario observari debeant? Resp. I. Processus Criminalis Regularium plura habet specialia, pleraque in eo omitti possunt. Nam *primo* is non Ordinarius, sed tantum summarius est, in eoque non nisi simpliciter, et de plano proceditur, c. *Olim.* 26. *h. t.* ubi mandat Papa, ut procedatur *de plano, et absque judiciorum strepitu*: Ratio ibidem subjungitur illis verbis: *Cum talibus non deceat servos Dei involvi.*

315 Et ideo *secundo* non sunt necessario observanda, sed omitti possunt apices, solemnitates, et rimuli juris: Cujusmodi sunt citatio Rei, de non feriatis, libelli porrectio in scriptis, litis contestatio, testium multitudo, prolixae dilationes, sententiae sedendo prolatio, citationum intervalla, interlocutoriae etc. prout bene refert Practica nostra Criminalis *Tit. VII. quam formam Juris.* §. 2. et patet ex *Clem. saepe contingit. de V. S.* ubi Papa declarat, quod quando summarie seu simpliciter, et de plano proceditur, haec necessario servari non debeant.

316 *Tertio.* Quod Praelati Regulares facilius, quam Praelati saeculares amoveri possint a suis administrationibus, lavioresque ad id causae, ac probationes sufficiant, *arg cit c. qualiter, et quando.* 24. §. *fin. h. t.* ibi: *quae* (personae Regulares) *cum causa requirit, et liberius a suis possint administrantibus amoveri.*

317 *Quarto.* Juxta communem DD. uti videre est apud Engel *h. t. num.* 27. etiam illud speciale habet Processus Regularis, quod depositiones quidem, non vero nomina testium Reo communicari possint, ac debeant: idque probare nituntur ex c. *Qualiter, et quando.* 24. *h. t.* ubi licet praeceptum sit: *non solum dicta, sed etiam nomina testium sunt ei* (Reo videlicet) *ut quid, et a quo sit dictum, appareat: publicanda*, tamen ad finem additur clausula limitans supra jam allegata: *Hunc tamen ordinem circa personas Regulares, non credimus usquequaque servandum.* Rationem dant; quia si nomina testium publicarentur, periculum esset discordiae, inimicitiae, et aversionis animorum, quae apud Regulares ut octo vitandae sunt. Verum haec quantumvis communis doctrina non videtur vera, utpote necessariae defensioni Rei Jure naturali debitae contraria, prout solide demonstrat Ludovicus de Ameno *a numer.* 36. ubi econtra absolute docet, etiam in Processu Regularium tam nomina, quam dicta, seu depositiones testium esse communicanda Reo. Cui tamen absolute adhaerere etiam non possumus, sed media via, et tam naturali quam positivo communi, et municipali Juri conformiter in hoc puncto incedemus juxta dicenda infra a *num.* 321.

Quinto. Illud etiam speciale habet Processus Regularis, quod formari valeat juxta rationabiles consuetudines, et statuta Generalia cujusvis Ordinis, prout a Bonifacio VIII. Dominicanis, et per consequens etiam aliis Communicationem privilegiorum habentibus concessum fuit in Constitutione, *Ad augmentum*, quae est quarta dicti Pontificis. *in* 1. *Tom. Bull.* ibi: *Ad correctiones et punitiones Fratrum rimulis, et apicibus Juris postpositis, libere procedere valeant secundum consuetudines approbatas, et Generalia facta, vel etiam facienda ipsius Ordinis statuta* 318

Resp. II. Quamvis juxta dicta Regulares in formandis suis Processibus criminalibus non teneantur ad apices et solemnitates Juris, possintque excluso ordinario Processu summarie ac de plano procedere, tenentur nihilominus ad essentialia Juris, et ad ea quae ad probationem, vel defensionem requiruntur aut faciunt, ac quae sunt de substantia Processus summarii. Communis ac certa. Ratio est; quia Regulares in puncto Processus non omnino seu totaliter, sed aliquatenus solummodo eximuntur a Jure communi, in tantum nempe, in quantum non *usquequaque* tenentur ad Processum Ordinarium, juxta solemnitates et apices Juris, sed possint procedere summarie, seu de plano et simpliciter *arg. cit. c. qualiter, et quando. h. t. et c. Olim. eod.* atqui etiam ad Processum summarium, in quo de plano ac simpliciter proceditur, requiruntur essentialia Juris, debentque necessario servari illa omnia, quae ad probationem, vel defensionem requiruntur, aut faciunt, *arg. Clem. Saepe contingit. de V. S.* ubi Papa, postquam declaravit, quid sit de plano procedere, et quae in tali Processu possint omitti, explicavit, statim subjunxit: *Non sic tamen Judex abbreviet, quin probationes necessariae, et defensiones admittantur. Citationem vero, et praestationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi* (*procedendo de plano*) *intelligimus, non excludi.* 319

Infertur proin, ea quae in *Libro II. de Foro competenti, et Testibus, de Probationibus, et Fide instrumentorum etc.* diximus, sicut et alia, quae, et in quantum ad probationem et defensionem, veritatemque eruendam, ac juste judicandum faciunt, aut requiruntur, etiam in Processu Regularium observari debere.

Ut autem etiam in specie sciantur essentialia, seu necessaria Juris requisita ad Processum Regularium, aliqua saltem, tamen nonnisi compendiose, et remissive adducemus.

Itaque etiam ad Processum Criminalem Regularem necessario requiritur I. Ut nullus instituatur sine praevia legitima Accusatione, vel Denun- 320

tiatione Judiciali, vel infamia aut indiciis, aut aliis vices Accusatoris agentibus, et causam inquirendi ex Officio praebentibus, vel Exceptione. Ratio est, quia substantiale juris est, ne idem simul sit Accusator et Judex, contra vulgaria Juris.

II. Ut adsit Judex competens, per dicta *II. Tit. I. et K.*

III. Ut Libellus sive in scriptis, sive ad Protocollum detur, habeat necessaria requisita juxta dicta supra *num.* 8.

IV. Ut inhabiles ad accusandum, vel denuntiandum non admittantur per dicta *a num.* 15. *et num.* 85.

V. Ut Notarius publicus pro Actuario adhibeatur.

VI. Ut tam Accusator, quam Denuntiator adigantur ad praestandum juramentum Calumniae. *Clem. Saepe contingit. de V. S.*

VII. Ut testes tam pro, quam contra Reum nonnisi praestito juramento Calumniae audiantur. *arg. cit. Clem. de V. S.*

VIII. Ut Reus legitime citetur, et inauditus nisi contumax non condemnetur.

IX. Ut tempus sufficiens ad probationes et defensiones concedatur.

X. Ut Reo articuli, aut saltem dicta testium pro sua defensione communicentur, *arg. c. qualiter, et quando. h. t.*

XI. Ut Reo petenti Consiliarius peritus, seu Patronus idoneus tanquam Advocatus concedatur.

XII. Ut justae rei exceptiones admittantur, testesque ab eo nominati, super interrogatoriis, vel articulis ab eo juste propositis legitime examinentur.

XIII. Ut Reus non nisi confessus, vel convictus ad poenam ordinariam condemnetur.

XIV. Ut sententia secundum allegata et probata, Jurique conformiter, et quidem judice praesente legitime feratur, et publicetur, per dicta *Lib. II. Tit. de sententia et re judicata.*

XV. Ut Appellationes justae, non item frivolae, aut frustratoriae admittantur juxta dicta *Lib. II. XXVIII. de Appellat.*

XVI. Ut Ordinis statuta circa processum Criminalem praescripta serventur.

Haec et plura alia ad probationes et defensiones, eruendamque veritatem a jure praescripta, etiam in processu Regulari necessario observari debent; de quibus amplius suo loco. Nec in his est aliqua controversia inter DD. bene vero controvertitur, num Reo una cum articulis et depositionibus testium, etiam nomina Accusatoris, vel Denuntiatoris judicialis, ac testium in Processu Regularium sint communicanda? pro cujus Decisione sit specialis etiam Conclusio sequens.

321 Resp. III. Non quidem semper, sed tamen in omni, et solo illo casu praeter articulos et depositiones testium, etiam nomina eorum sicut et Accusatoris, vel Denuntiatoris judicialis Reo petenti communicari debent, quando Judex ipse vel positive censet, notitiam dictorum nominum Reo pro defensione servire posse; vel quando saltem non apparet, quod eidem talis nominum notitia ad defensionem nullatenus serviat, et consequenter Justitia nullatenus patiatur, etsi illi nomina non manifestentur. *Prima pars* Conclusionis, quod non semper communicari debeant nomina Accusatorum et testium, est communissima Doctorum, utpote universaliter et absolute volentium, quod nunquam, et per consequens a fortiori non semper communicari debeant. Est tamen contra Ludovicum de Ameno in *Practica sua criminali Tit. Patronus. XX. §. IV.* universaliter docentem, quod Reo petenti non tantum Articuli, et depositiones, sed etiam Nomina Accusatoris et Testium sint communicanda. Probatur autem Conclusio nostra ex *cit. c. qualiter, et quando.* 24. §. *fin. h. t.* ubi post dispositionem communem de communicandis Reo Nominibus Testium, expresse dicitur, *Hunc ordinem circa personas Regulares non credimus usquequaque esse observandum:* ubi notandus terminus *usquequaque*, id est non omnino, in omni casu, sed tantum, in quantum ad probationes et defensiones, eruendamque veritatem, et justitiam rite administrandam necessaria et conducentia sunt.

Ratio est; quia jura hoc ipso, quod disponunt, 322
Regulares in suis Processibus non teneri ad apices et rimulos, nec ad communem, et ordinarium Processum juris, sed posse summarie procedere, simpliciter et de plano, *arg. c. qualiter et quando.* 24. et *c. Olim. h. t.* voluerunt, ut lites apud illos pro possibili abbrevientur, et consequenter omittantur, et amputentur, quae nec ad essentialia juris, nec ad defensionem vel probationem, eruendamve veritatem spectarent; hoc enim importat *procedere summarie, et de plano*, juxta dicta superius, *argument. cit. Clement. saepe contingit. de V. S.* ibi: *Litem quantum poterit, faciat breviorem*; atqui saepe contingit, evidenter constare, quod communicatio, seu publicatio nominum Testium, Reo ad defensionem suam minime serviat; facta autem litem inutiliter protrahat, utpote ansam praebens, ut Reus omni nisu etsi frustraneo conetur, quatenus contra testes quid exceptione dignum afferat etc. ergo non semper, nec ordinarie fieri debet. *Major* caret controversia.

Minor patet experientia multiplici docente, saepe constare ex Processu, crimen de quo quis accusatus, denuntiatus, aut inquisitus existit, plene esse probatum per Testes omni exceptione majores, ut evidenter appareat, reum nihil posse excipere contra illos, consequenter eidem pro sua defensione minime servire, si nomina Testium eidem communicentur; ergo in hujusmodi casibus talis nominum publicatio, utpote inutilis, et non necessaria, omitti potest *arg. cit. Clem. Saepe contingit. de V. S.* Idem videtur esse in casu, quo ex Processu constat, quod, uti saepe fit, Reus crimen jam sit confessus; profecto enim non apparet, ad quid serviat, si ei in tali casu communicentur nomina Testium; cum, etsi contra illos legitime excipere posset, nihilominus ex propria confessione condemnaretur. Hinc in hujusmodi casibus Judex Reo petenti manifestationem nominum negare potest, eumque assecurare, quod non fiat ex injuria; cum evidenter pateat, non posse fieri utilem aliquam exceptionem contra Testes.

Confirmatur. Jura concedendo Regularibus Pro- 323
cessum summarium et de plano, voluere praeter litis abbreviationem, specialiter etiam consulere paci, et concordiae Regularium, et consequenter ea cuncta amputare, quae ansam discordiarum, aversionum, rancorum et inimicitiarum praebere possent, c. *Olim. h. t.* dummodo salva necessaria probatione, et defensione, salvaque justitia omitti queant, *arg. cit. Clem. Saepe contingit. de V. S.* atqui certum est, ansam et periculum esse discordiarum et aversionum inter Regulares, si nomina Accusatorum, et Testium Reis manifestarentur; ergo talis manifestatio omitti potest saltem in casu, quo ad probationem, et defensionem minime necessaria appareat; uti juxta dicta *num. praeced. saepe contingit.*

324 Nec faciunt contra hanc conclusionem, quae *loc. cit.* adducit Ludovicus de Ameno; quia tantum probant, debere Reo communicari nomina Testium, et Accusatoris, quando talis manifestatio ei servire potest pro defensione, aut quando certo non constat, inutilem esse talem communicationem quod etiam nos concedimus, non item universaliter, seu in omni casu et semper, quod negamus.

325. *Altera pars* Conclusionis, videlicet, quod tunc saltem Reo communicari debeant una cum articulis, et depositionibus, etiam nomina Accusatoris, vel Denuntiatoris, an Testium, quando ei pro defensione servire possunt, aut quando certo non apparet, talem manifestationem esse pro defensione Rei prorsus inutilem, est contra communem DD. absolute volentium, dicta nomina nunquam manifestari debere Reo apud Regulares: Eam tamen efficaciter tuetur Ludovicus de Ameno *in Practica Criminali cit. Tit. Patronus.* eo. §. 4. hoc ipso, quod ibidem doceat, dictam manifestationem semper fieri debere, quod etiam docet Rodriquez *Tom.* 2. *q.* 16. *n.* 1. *in fine.*

326 Probatur ergo haec pars Conclusionis. Defensio competit Reo Jure naturali, per vulgaria; ergo quae ad illam servire, et facere possunt, sunt eidem Jure naturae concedenda; atqui saepe Reo servit pro defensione sua, si habet individualem cognitionem Testium: saepe enim contingit, quod Testes non sint omni exceptione majores, contra quos proin legitime excipere, sicque defendere se potest Reus, juxta dicta *Lib. II. Tit. XX. de Testib. et Attest.* praesertim si est inimicus Rei, inimicitia siquidem reddit inhabilem testem, et annullat in quacunque causa etiam Criminum *exceptorum*, juxta dicta *cit. Lib. II. Tit. XX.* §. 5. *numer.* 133. Item ex hac cognitione personarum testantium Reus se subinde defendere potest ostendendo, aut probando v. g. Testem tunc temporis non fuisse in loco, ubi deponit, se delictum vidisse. Pariter excipere potest contra Accusatorem, vel Denuntiatorem, ostendendo v. g. ipsum esse inhabilem ad accusandum, juxta dicta *a numer.* 16. Quibus, et aliis hujusmodi defensionis mediis plane privatur Reus, si nomina praefata eidem non manifestantur; quomodo enim contra personam Testis, vel Accusatoris excipere, et se defendere potest, si ignorat, quis eum accusarit, aut quis contra illum testatus sit.

Nec quidquam in contrarium probat, quod communis DD. pro se allegat *c. Qualiter, et quando.* §. *fin. h. t.* ubi ab ordine juris eximitur Processus Regularium, illis verbis: *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum.* Nam contra est, quod per hunc textum, uti patet, non *usquequaque*, id est, non universaliter et simpliciter, nec semper et pro omni casu eximantur a juris ordine in eodem Capitulo antecedenter praescripto, sed tantum a minutiis, apicibus, et solemnitatibus juris, non item ab essentialibus ejusdem, nec ab iis, quae ad probationem, et defensionem requiruntur; consequenter nec a publicatione nominum Testium, casu quo ad defensionem Rei servit, prout saepe contingit.

327 Nec quidquam probat ratio, quam communis DD. pro sua opinione allegat, dicendo, ex tali manifestatione Denuntiatoris et Testium sequi periculum discordiarum, et aversionis animorum inter Regulares. Nam contra est, quod magis sit cavendum periculum injustitiae, et ne innocens carens defensionis mediis damnetur, et ne quivis honestus vir a malignis Detractoribus, et Testibus colludentibus ab omni manifestationis periculo semper securis luique deferri et diffamari valeat, quam periculum discordiarum. Imo etiam respectu ipsorum Accusatorum, Denuntiatorum, et Testium, *periculum discordiae, quod eis evenire potest, levius est audacia, quam ex subticendis dictis, et nominibus eorum sumere possent ad falso, confuse, temereque deponendum*, ut bene advertit Rodriquez *Tom.* 2. *qq. Regul. quaest.* 16. *a.* 1. *in fine.* Hinc sufficere debet Accusatoribus, Denuntiatoribus, et Testibus, quod nomina eorum non manifestentur, casu quo evidenter apparet, talem manifestationem Reo pro defensione non esse necessariam, nec servire, prout dicit *prima pars* Conclusionis.

Dices, si apparet exceptio contra Accusatorem vel Testes, potest et debet ipse Judex ex Officio illos repellere juxta dicta *Lib. II. Tit. XX. de testib.* §. *II. et III.* ergo non est necesse, nec expedit, ut cum periculo discordiarum nomina manifestentur Reis. Resp. Saepe contingere, quod una, vel alia inhabilitas aut causa exceptionis contra Accusatorem, vel Testes lateat, et abscondatur, indeque Judex eam ignoret, et consequenter ex ignorantia invincibili eas pro habilibus admittat; Reus econtra hujusmodi inhabilitatis, vel causae excipiendi notitiam forsan habeat, aut habere possit; praesertim cum in causa tanquam sibi proprie magis quam Judex indagere, et eam examinare censeatur; consequenter defensio jure naturae debita requirat, ut, si judici evidenter non appareat, Accusatorem, et testes esse omni exceptione majores, nec quidquam servire Reo, etsi eidem Nomina praefata manifestentur, ille eidem pro sua defensione manifestet. 328

Ex quo infertur, quod cum persaepe Judex evidenter et certo scire non valeat, an non Accusator, Denuntiator, vel Testis occulta inhabilitate, vel causa Exceptionis laborat, eamque ipse Judex ignoret, Reus vero forsan sciat, et consequenter contra eum excipere, sicque defendere se valeat, profecto persaepe etiam dicta nomina Reo petenti manifestanda sint. 329

Dicitur autem notanter in Conclusione *nu.* 321. posita: *Reo petenti communicari debent nomina*; quia si non petit, non est necesse, ut eidem tradantur, uti *loc. cit. num.* 59. post Clarum bene docet Ludovicus de Ameno. 330

Conclusio *num.* 321. posita, et hactenus probata quoad utramque partem videtur plane conformis Practicae Criminali Ordinis nostri, ubi *cit. Tit. Patronus. XX.* §. *IV.* ita statutum habetur: *Nomina vero Accusatorum, et Testium nullo modo Reis vel petentibus, vel non petentibus communicanda sunt, nisi ubi, et quando eorum judicio in oppositione alicujus gravis, et infamatorii criminis justitia periclitaretur, nam eo casu, si Reus petat Accusantium, et Testium nomina sibi notificari, non est ei denegandum.* Subjungitur dein consilium bonum per modum cautelae illis verbis: *Poterit tamen Judex ea uti cautela, ut Testium nomina a Depositionibus separata assignet. Melius etiam futurum credimus, si in casu, quo innocentiae detrimentum pateretur, ex suppressione Nominum Accusatoris et Testium, quod Judex in sua Aula ostendat Processum Patrono, vel Procuratori Rei, eumque diligenter lustrari faciat, imposito praecepto, et exacto juramento, de servando secreto talium nominum publicationem. Remittitur tamen pio et prudenti Judici alterutrum Reis exhibere, prout timor Dei, fraterna charitas, et justitiae defensio suaserit.* 331

Haec dispositio, ut patet, idem plane vult, quod Conclusio nostra, videlicet, quod Reo etiam petenti nomina Accusatorum et testium non sint

manifestanda, nisi alias justitia periclitaretur; quod idem est, ac dicere, non semper sunt manifestanda, sed tunc tantum, quando horum notitia Reo ad sui defensionem servire forsan potest; quia si tali casu negaretur, justitia utique periclitaretur ex eo, quod denegarentur Reo media defensionis debita jure naturalis juxta dicta.

332 Ludovicus de Ameno suam sententiam manutenere volens, conatur quidem hunc textum explicare dicendo, eum loqui de casu, quo *Civiliter*, et non *Criminaliter* agitur, contra Regularem vel de casu Visitationis ordinariae. Verum cum venia tanti viri loquendo, haec explicatio videtur potius torquere textum, quam sensum ejusdem aperire; nam ex Rubrica Practicae evidenter patet, quod in ea sit sermo de *Criminali* Processu, et non de *Civili*, nec in praefato textu esse possit sermo de Visitatione ordinaria, utpote quae est Inquisitio Generalis et paterna nullum requirens, aut supponens verum Accusatorem, Reum, et Testes, de quibus tamen ibi loquitur textus.

333 Quaeritur III. An, et quae specialia habeantur, circa Processum *Criminalem* in Ordine *nostro* Seraphico? Resp. Quamvis habeamus in ordine nostro specialem Practicam *Criminalem*, juxta quam vi statutorum Generalium *cap.* 10. §. 2. *numer.* 11. sub poena nullitatis formare debemus Processus *criminales*, tamen praefata nostra Practica *criminalis* fere in omnibus conformis est juri communi, utpote ex eodem compendiose collecta, adeo, ut quae de Jure communi circa Criminales Processus Regularium disposita, et concessa inveniuntur, etiam in memorata Practica continentur, paucis, quae specialiter pro Ordine faciunt, exceptis, prout patet ex Titulo, seu Rubrica allegatae Practicae ita sonante: *Practica Criminalis ad sancte administrandam justitiam in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci Regularis observantiae juxta praescriptum statutorum Generalium, ex SS. Canonibus, et probatis Auctoribus compendiose collecta, Generali Capitulo Romano* 1639. *probante, et mandante.*

334 Et licet Practica haec Criminalis juri conformis sit, solida, clara, et plane insignis, tamen quia etiam compendiosa est, et fere in cunctis notitiam Juris communis supponens, Glossam et Commentarios desiderabat, hoc ipso, quod non omnes judices Regulares aequalem jurium notitiam habeant, et vel ideo memoratam Practicam sufficienter non penetrant. Hinc Ludovicus de Ameno Reformatae Provinciae Trident. Lector Emeritus, vir profunde doctus, et maxime expertus, in Practicam praefatam glossatus, et commentatus est, edendo integrum Tomum in Folio (cui Titulus, *practica Criminalis Illustrata etc.*) in quo prius semper ponit textum Practicae Criminalis, dein eum explicat et declarat, practicisque Quaestionibus, miraque claritate, et soliditate pro praxi rem totam ita ad captum proponit, ut vix aliquid amplius desiderari possit. Quapropter etiam Capitulum Generale Victoriense statuit, ut dictum Auctorem imposterum sequerentur Judices nostri Regulares in formandis processibus criminalibus; prout videre est in statutis memorati Capituli Generalis *fol.* 39.

335 Porro supradicta P. Ludovici de Ameno *Practica Criminalis Illustrata*, ita est composita, ut non tantum nostrae, sed etiam aliarum Religionum Superioribus et Judicibus, imo etiam saecularibus Judicibus apprime serviat. Invenitur etiam in Compendio Sanctorii de Melphi ad finem.

§. VIII.

Compendiosa, et clara Instructio practica rite formandi Processum Criminalem apud Regulares, praesertim in Ordine nostro Seraphico.

SUMMARIUM.

336 *Causa tradendi hanc Instructionem, et modus scribendi de illa.*

337 *Adjungitur integer Processus formalis Criminalis: et quomodo?*

338 *Processus criminalis ordinarie instituti nequit sine praecedente Accusatione, vel denuntiatione, vel exceptione, vel infamia, indiciis, aut aliis causam praebentibus Processum ab Inquisitione formandi.*

339 *Nisi crimen sit notorium, aut in flagranti deprehensum.*

Quamvis juxta dicta §. *praeced.* pro Ordine 336
nostro pulcherrima jam extet Practica Criminalis, et insigniter in eam practice simul et theorice commentatus sit P. Ludovicus de Ameno, nihilominus quia memorata Practica, utpote Municipalis, non pro quavis Religione plene quadrat, nec pro quovis Judice Ordinis etiam nostri sufficit, et insuper Commentarii dicti Ludovici de Ameno valde prolixi sint, ita ut Superiores et Judices ob temporis angustias, et negotiorum copiam ea, quae pro servando debito Juris ordine et forma, scitu necessaria, vel utilia, sunt, legere et conquirere non semper possint; consultum judicavimus, compendiosam hic annectere Instructionem, eamque ita simplicem et claram, ut quivis etiam minus peritus in Jure facile scire valeat, quomodo in Religione Processum Criminalem a principio usque ad finem instituere possit, ac debeat.

Pro cujus majori claritate et facilitate integrum 337
adjungimus Processum formalem, ut in Jure minus peritus, vel in causa Criminali minus expertus Judex in exemplo videre valeat, qualiter instructio haec practica in praxin actu deducatur. Processui huic formali immiscentur breves instructiones practicae, ita tamen, ut hae litteris Typi ordinarii, ipse autem Processus litteris cursivis exprimatur, quatenus qui desiderat aliquem Processum integrum rite formatum, quasi ex Protocollo legere, id habere possit; dummodo omissis iis, quae ordinariis Typi litteris exprimuntur, legat ea, quae litteris cursivis (uti vocantur) comprehenduntur. Econtra qui de quavis parte Processus compendiose instrui cupit, instructionem practicam cujusvis annexam ad manus habeat. Ubi tamen benevolum Lectorem monitum volumus, quod, quia non pro doctoribus in Jure, vel bene practicis, sed pro minus peritis in Jure, minusve expertis in causa Criminali, et quidem non nisi compendiose haec scribimus, simpliciter tantum, et breviter incedimus, nil vel parum ex Jure, vel Doctoribus simus allegaturi, probaturi, aut dicturi, doctrinam tamen securam tradituri, ejus probationes, et fundamenta aliunde supponentes, praesertim ex *Lib. II Titulis v. g. de Libelli Oblatione, de Juramento Calumniae, de Dolo, et Contumacia, de Confessis, de Attestationibus, de Fide instrumentorum, de Praesumptionibus, de Exceptionibus, et Sententia, et re judicata, de Appellationibus etc.*

Et quia nihilominus §. *praesens* valde longus erit, illum in plures *sub* §. dividemus, cuivis Rubricam et Summarium addentes pro majore claritate.

Caeterum Lector ob prolixitatem hujus §. non terreatur; quia dum Processum *active, vel Passive* habet, non est necesse totam hanc materiam simul legere, sed sufficit, et proposito suo satisfaciet, si unum *sub* §. post alium, semper nempe illum legat, de cujus objecto pro tempore agere habebit, ordinem et seriem videbit ex Elencho ad initium Libri posita.

338 Sciendum itaque inprimis, et bene notandum, quod cum ordinarie Processus Criminalis non nisi quadruplici via institui queat, videlicet vel media *Accusatione*, vel *Denuntiatione Judiciali*, *Inquisitione*, vel *Exceptione*, Judex Processum instituere non debeat, nec possit, si nemo accusat, vel *Judicialiter* denuntiat, nec adest infamia, vel indicia, aut alia ad inquirendum requisita, juxta dicta supra §. *praeced.*

339 Dicitur autem *Ordinarie*; quia in dictis sine ordine puniendis, notoriis nempe, et in flagranti deprehensis, nec Accusatio, nec Denuntiatio, nec Fama requiritur per dicta supra §. 5. Hoc notato praxin procedendi, et ipsum processum pro quovis ex praedictis modo, seu via subjungemus, praefixa cuivis modo, et partibus ejus, Rubrica majoris claritatis gratia.

De Praxi formandi Processum via Accusationis institutum.

SUMMARIUM.

340 *Si per Accusationem instituitur Processus, debet Accusator prius Judici ordinario offerre libellum, vel ei insinuare, quod accusare velit.*

341 *Dein liberum est Judici ordinario, an per se, vel Delegatum instituere velit Processum.*

Quinam et quomodo delegari possint, aut, debeant? Ibid.

342 *Delegatus ante omnia quid facere debeat?*

343 *An, et quando Delegatus Judex habeat praecedentiam ante Superiorem localem?*

340 Quaeritur I. Qualiter in praxi institui, et formari debeat Processus Criminalis per modum vel viam *Accusationis*? Resp. per viam Accusationis Processus apud Regulares taliter instituitur. Inprimis requiritur, ut adsit Accusator Judici ordinario (qui apud nos A. R. P. Provincialis) libellum Accusationis debite formatum juxta exemplar. *nu.* 354. praesenti offerat, vel absenti mittat. Potest autem etiam Accusator, si velt, prius, id est, ante libelli oblationem oretenus, vel per litteras Judici insinuare, quod Reum aliquem de certo crimine accusare intendat; idque adeo, ut Judex ordinarius se praeparare, et Notarium, ut pro Actuario inserviat, creare, et deputare (nisi jam aliquis adsit; prout in pluribus Provinciis sunt Secretarii Provinciae) cum eoque vel ipse in persona, vel per Delegatum rite, ac Judicialiter inchoare valeat Processum.

Accepto libello, vel insinuatione Accusationis praecepta Judex Ordinarius debet citare vel vocare Accusatorem, tum ut coram se, vel coram delegato libellum personaliter offerat: tum ut juramentum calumniae, vel potius malitiae praestet juxta dicenda infra *n.* 349.

341 Si per Judicem delegatum Processum instituit Judex ordinarius, debet ei in forma debita suam jurisdictionem per scriptas Patentales delegare, ut iisdem legitimare se valeat Delegatus, et ipsa delegatio Actis inseri queat. Ubi attendendum; ut nonnisi debite qualificatus delegetur: quasnam vero qualitates delegandus habere debeat in Ordine nostro, habetur in Practica Criminali *Tit.* 1. *quid Judex*, et ibi Ludovicus de Ameno. Solum notandum, quod apud nos Guardianus non possit delegari ab A. R. P. Provinciali, nisi gaudeat qualitatibus *loc. cit.* requisitis. Porro in Patentalibus delegativis debet ordinarius exprimere, an usque ad sententiam definitivam inclusive, vel exclusive jurisdictionem deleget. Forma autem delegandi potest esse sequens, vel similis, quam habet Ludovicus de Ameno *in Formular. Criminal. Sect. II. num.* 46.

Nos F. N. Minister Provincialis Dilecto nobis in Christo R. P. N. N. salutem in Domino, qui est vera salus.

Exigit muneris nostri ratio, exacta boni Pastoris diligentia, omnem curam Ovilis a Deo nobis commissi habere, ita ut Oves nostrae custodiae demandatas, non solum suavi exhortationis sibilo ad salutis pascua dirigamus, et virtute deficientes medicinalibus correctionibus sanemus, sed etiam devias a semita rectitudinis, et per culparum praerupta errantes adhibita rigoris virga ad caulam reducamus. Cum igitur ex Accusatione coram nobis producta, vel ex Denuntiatione Judiciali oretenus, vel per litteras, quas hic accludimus nobis facta, vel ex fama ad nos delata, non sine animi moerore intelleximus, F. N. in *Conventu N. de Familia commorante, diabolo instigante commisisse etc.* (Hic recenseantur delicta Rei processandi) *nos vero Officii nostri gravissimis negotiis implicati, judicialem indaginem debitam personaliter instituere non valeamus, cogimur hoc munus alteri delegare. Tibi ergo, cujus prudentia, Jurium peritia, rerum Criminalium praxis, ac junctus discretioni Zelus nobis abunde sunt perspecta, Provinciam nostram duximus, demandare; prout harum serie Te Judicem nostrum delegatum constituimus, Tibique committimus, ut assumpto tibi bene viso socio, et Actuario (quem prius in Notarium debite crees) ad memoratum Conventum te conferas, et super praefato delinquente ac delictis ejusdem Processum Criminalem usque ad sententiam definitivam exclusive, vel inclusive instituas: pro quo omnem nostram facultatem ac potestatem necessariam, et opportunam delegamus. Proinde omnibus, et singulis dicti Conventus praecipimus, ut Te tanquam Judicem nostrum delegatum recipiant, et agnoscant, atque in hac causa, ac spectantibus ad eam, tibi ut nobis obediant sub poenis per Constitutiones nostras contra Rebelles et contumaces latis Datum.*

Ego F. N. Minister Provincialis.

Delegatus, si format Processum, debet ante omnia 342
se legitimare, faciendo, ut in Conventu, vel Monasterio, ubi Jurisdictionem exercet, ejus delegatio publice legatur; nisi magis expediret, ut coram aliquibus Discretis in secreto fiat legitimatio, ne Reus fugiat, aut subornet testes; prout facile contingere potest; quia in hoc casu non tantum Judex ordinarius, sed etiam delegatus Reum ad carcerem per modum custodiae detrudere potest, ac debet, per dicenda infra *num.* 398. *et seq.* et sufficit legitimationem coram discretis fieri.

Vi Delegationis nulla competit Delegato ad 343
causam Criminalem praecedentia extra locum judicii, consequenter nullatenus praecedere potest Superiorem localem extra judicium, nisi Ordinarius aliter disponat, vel nisi contra ipsum Superiorem localem Processus esset formandus, uti ha-

ne edvertit Ludovicus de Ameno *in Practica Criminal. Tit. I. Quid Judex.* §. 4. *quaest.* 18. *nu.* 143. vel nisi superior Accusator, Denuntiator, et consequenter Actor esset, tunc enim eeque ec Reus est principalis persone ed judicium requisite, judici e principio usque ad finem specialiter subjecta. Tres siquidem personae principales ed judicium requiruntur, videlicet *Actor*, *Reus*, et *Judex*, inter quem Judex respectu duerum eliarum durante judicio est legitimus Superior, eui *Actor* non minus quam *Reus* est specieliter et continuo subjectus, et usque ed sententiam needum securus, en non contra ipsum potius, quam contra Reum sententie feretur, ipseque ed poenam Talionis, vel calumnietoris prout fieri debet partim juxta dicta supra, partim juxta dicenda *Tit. seq.* Hinc sicut ex eo, quod Superior localis ut *Reus* sit persona principalis judicii, indeque specialiter judici etiem delegato subjectus, Delegatus illum in, et extra judicium etiam in publico Refectorio praecedit. Quod in Ordine nostro olim jam declaratum eeistit; Nam teste Ludovico de Ameno Judex delegatus praecedit Superiorem locslem etiem eetra locum judicii, qeando lis est inter Caput et Membra; prout revera est; si Superior localis est *Actor* Judicielis, et Subditus *Reus*.

De Creatione Noterii, initio Processus, et Libelli Oblatione.

SUMMARIUM.

344 *Judex ante omnes alios Jurisdietionis actus debet ereare Notarium: quare, et quomodo? Et nem. seq.*
346 *Expedit subinde, statim ab initio adhibere Assessores, quando autem constituitur, et examinatur Reus, necesse est: quales debeant esse? ibid.*
347 *Forma incipiendi Processum, si Judex adest ordinarius.*
348 *Forma, si adest Judex delegatus.*
349 *Citatio Accusatoris, oblatio et acceptatio Libelli.*
350 *Juramentum Calumniae, quid? et quomodo praestetur a Sacerdote? et quomodo a Laico?*
351 *Libellus quid? et quomodo debeat esse formatus?*
352 *Expedit ut articulatus, et cum denuneiatione Testium offeratur. Et num. seq.*
353 *Qeamvis non teneatur statim denominare Testes, et edere probationes, sed sufficiat, si cum tempore successive id fiat.*
354 *Forma Libelli Articulati cum denominatione testium.*
355 *Alia forma.*

344 Facta Legitimatiooe debet Judex delegatus ante omnes alios actus jurisdictionis sibi creare Notarium publicum (nisi a judice ordinario jam sit deputatus, vel creatus) quod etiam ente omnes actus in Processu facere debet Judex ordinarius, si ipse in persona Processum format: Cum enim ed hoc, ut Actus in judicio sint legales, et authentici, fidemque publicam mereantur, scribi debeant vel e Notario publico, vel e duobus Scriptoribus idoneis, *arg. c. Quoniam. de Probat.* etc. *Ut officium de Haeret.* consequens est, ut ante omnes alios actus creetur Notarius (quo siquidem Scriptores non amplius sunt in usu) ut subseqeentibus Actibus fidem publicem faciat. Creato Notario debet dein e judice deferri, et a Notario praestari juramentum de Officio fideliter eeequendo, idque totum fieri debet in praesentie duorum testium, et Actis inseri, cum subscriptione praefatorum testium, ut de creatione, et juramento Notarii tanquam parte essentiali judicii ex Actis legitime constet.

Forma creandi Notarium facilis est, plus enim 345
non reqeirit, quam ut Judee sive Ordinarius, sive Delegetus coram duobus testibus ed id vocatis, haec eut similia dicat: *Notum est Patres NN. quod ad Processum rite formandum omnino requiratur Notarius publicus, ut Actis, quae ut Actuarius scribere debet, fidem publicam faciat; hinc in vestra tanquam testium ad id specialiter rogatorum praesentia hunc NN. ex competente nobis privilegio Apostolico in Notarium publicum de facto creamus, creatum pro Actuario deputamus, eique juramentum de Officio fideliter exequendo imponemus;* quod deputatus Actuarius illico etiam in praesentia testium deponit, more Sacerdotibus consueto; tangens nempe manu pectus et dicens v. g. *Juro per Deum quod velim Officium meum fideliter exequi.*

Poterit etiam, et si arduitas causae, vel Rei 346
nequitia specialis adest, expedit, deputare duos Assessores; quamvis enim sola praesentia judicis et Notarii plenam faciat fidem in judicio, tamen quie subinde Rei tam malitiosi sunt, ut negent eliquando jam confessa, Judicem, vel Notarium de falsitate insimulent. Protocollum falsificatum proclament, justitiam sibi denegari lamententur etc. Omnino conducit adhibere duos Assessores, ut Judex e dicteriis ob loquentium se immunem reddat. Ubi per Assessores hic intelligimus peritos in Jure, et expertos in re Criminali; sed viros omni exceptione majores, qui quasi testes adsunt pro majori fide Processus rite et fideliter formati; quamvis loco horum duos, vel saltem unum in jure peritum et expertum edhibere possit Judex, et ut edhiberet, saepe necesse foret, prout pluribus demonstrat Ludovicus de Ameno *in Pract. Criminal. Tit. Canones III. quaest.* 5. *num.* 117. Porro, si eb initio Processus non edhibentur Assessores, saltem ee tunc edhibeantur, quando constituitur, et dicetur edhuc infra *num.* 404.

Creatione Notarii finita, inchoat Actuarius seri- 347
bere Actus Processus, et imprimis refert factam legitimationem judiciis (si adest delegatus) salque creationem in Notarium, cui praemittit competens Processus initium sequenti, eut simili modo.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis, quem ad instantiam Patris, vel Fratris Titii NN. via Accusationis incedere volentis formare intendit A. R. P. N. N. Minister Provincialis: eum enim coram illo comparuisset dictus Fr. N. et porrexisset libellum Accusationis contra Fr. N. volens A. R. P. Provincialis procedere prout juris, vocavit me ad suam cameram, et in Notarium publicum, quatenus pro Actuario inservire valerem, creavit, atque juramentum de officio fideliter exequendo detulit: quod etiam in praesentia testium praestiti. Acta sunt haec Anno. Mense. die. loco quo supra.

Quod si vero Accusator ante libelli oblationem judicii prius uretanus, vel in scriptis insinuat quod accusare intendat, juxta dicta *num.* 340. Poterit initium processus ita notari.

Hic est Processus Criminalis etc. ut supra *cum enim coram illo comparuisset dictus Fr. N.* et ore-

tenus, vel in scriptis propotuisset, vel scripserit eidem, quod unum, vel alterum ex Zelo Religionis intendat accusare de certo, vel pluribus criminibus, A. R. P. Provincialis vero respondisset, paratum quidem se esse ad justitiam administrandam, sed necessarium ad hoc esse, ut prius offerat libellum Accusationis in praesentia Notarii publici, videret proin et interea rite formaret, aut formari faceret hujusmodi Libellum, vel certe praepararet se, ut veniente Notario ad Protocollum oretenus dictare valeat, dictas Titulas discessit: ipso autem discedente A. R. P. Provincialis me infra scriptum ad suam cameram, in qua suum Tribunal erexit, et in praesentia testium NN. me in Notarium publicum creavit, ut pro Actuario inservire valerem, mihique juramentum de Officio fideliter exequendo detulit, quod et in praesentia praefatorum Testium praestiti. Acta sunt haec Anno, Mense, die, loco, quo supra.

Dein fit subscriptio tali modo.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Testis fui praesens.
Ego N. Testis fui praesens.
Ego N. Actuarius.

348. Quod si vero Judex delegatus Processum format, tunc observatis prius observandis, praemissa nempe legitimatione, et Notarii creatione Processus ita inchoatur.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis, quem via Accusationis informare intendit NN. Judex delegatus: Cum enim etc. ut supra *num.* 347. usque ad verba: *A. R. P. Provincialis aliis negotiis impeditus Jurisdictionem suam super hac causa specialiter delegasset NN. (Praefatus NN. Judex delegatus ad locum NN. se contulit, ibique ante omnia se legitimavit, faciendo ut publice in Refectorio, vel coram Testibus NN.* (si ita fieri oportet juxta dicta supra *nu.* 342.) *legerentur Litterae patentales Jurisdictionis delegatae: postea me infra scriptum etc.* ut supra nu. 347. *Acta sunt haec anno etc.*

Dein fit subscriptio ut supra.

Ego NN. Judex delegatus.
Ego NN. etc.

349 Initio ita facto Judex sive ordinarius, sive delegatus (qui quoad subsequentia aequaliter procedit) tempore opportuno vocat Accusatorem, vel accusare intendentem, eumque admonet, ut juxta extrajudicialiter proposita, vel Litterae missas, offerat modo, si in proposito manere velit, in loco Judicii Libellum: quem ille offert, Actuarius autem cuncta Protocollo inserit hoc vel simili modo. *Consequenter vocatus comparuit F. Titius N. quem monuit NN. Judex ordinarius vel delegatus, ut juxta extrajudicialiter proposita nunc in loco Judicii offerret Libellum, quem ille etiam porrexit: instando, ut acceptaretur, et prout Juris procederetur. A. R. P. Judex etc. vero illum accepit, et legit, consideratisque considerandis decrevit, illud acceptare, si, et in quantum etc. provisurumque prout Juris, ita tamen, ut Accusator prius deponeret juramentum Calumniae, vel potius malitiae, quod ille statim praestitit: ego vero juxta mandatum A. R. vel R. N. Judicis delegati etc. Libellum Actis inserui, prout videre est in adjacenti charta sub Litt. A. Libellus: incipit etc. et desinit etc.*) scribatur tenor initii, et finis Libelli (*Acta sunt haec Anno, Mense die, loco. N.* uti supra

Ego N. Judex delegatus.
Ego F. Titius N.
Ego N. Actuarius.

Notandum hic, quod apud nos Judex non possit acceptare Accusationem, *nisi prius Accusator juret, se malo zelo ad accusandum non moveri;* prout expresse habetur in Practica Crimin. Titulo, *Accusatio. §. III.* quod juramentum calumniae, vel potius malitiae dicitur.

Si adsunt Assessores, etiam ut illi subscribant, consultum est, et quidem ante Actuarium. Per *juramentum Calumniae* intelligitur illud, quod Accusator jurat, se non odio, vel animo calumniandi accusare, quod hac vel simili forma fieri potest *Juro per Deum, quod non odio, nec animo calumniandi Fr. Maevium accusem.* Ubi notandum, quod Sacerdotes tacto pectore, Laici vero tacta sacra Scriptura, Evangelio v. g. jurare debeant; prout bene notatur *in nostra Practica Criminali Tit. Inquisitio IX.* §. 8. 350

Per *Libellum Accusationis* vero intelligitur Scriptura, in qua Accusator rite exprimit ea, de quibus Reum accusat. Ad quem debite formandum attendere debet Accusator, ut observet requisita ad illum juxta dicta supra §. 1. *a num* 6. si in aliquo ex necessario requisitis caret, Judex illum acceptare non debet, sed monere minus peritum Accusatorem, ut defectum hunc suppleat; si non potest suppleri, illum rejicere, et a Processu supersedere debet. 351

Et licet saepe, praesertim in Actionibus Civilibus Libellus inarticulatus, seu sine Articulis offeratur, et primum post litem contestatam Articuli una cum Denuntiatione ac Directorio testium, et aliorum mediorum probationes Judici offerantur, qui dein illos ante omne examen testium communicat Reo ad hoc, ut, quid ipse negat, vel fatetur, pateat, ut, ut si aliquas exceptiones habet, sive contra ipsos Articulos quasi irrelevantes, sive testes opponere valeat; tamen quia in Processu Criminali ante omnem litis contestationem, et antequam quidquam de accusatione facta communicetur Reo, testes pro summaria informatione Judicis super Accusationis punctis praevie examinentur ad hunc finem, ut saltem semiplena habeatur probatio, et consequenter ut Reus constitui, et legitime examinari valeat (nequit enim is constitui, vel legitime interrogari super re, quae saltem semiplene probata prius non existit) ideo omnino expedit, et pro utili brevitate Processus omnino servit, ut statim ab initio Libellum rite articulatum, seu cum Accusatoris Articulis, quos probare se confidit Accusator; ac denominatione et directorio Testium Judici offerat. 352

Enim vero quamvis juxta jam dicta *numer.* 96. Accusator in Libello non teneatur statim denominare Testes, et edere vel indicare probationis Instrumenta aut media, sed sufficiat, si ad probandum sub poena Talionis se obliget, et Testes, aliaque suo tempore successive producat, ne forsan citius manifestati Testes a Reo, vel aliis subornentur, impediantur, terreantur etc. ipseque propter ea in probatione succumbere, et Talionem subire debeat, prout bene advertit Ludovicus de Ameno, tamen quia ordinarie nihil horum timendum est; cum Judex Testes in Libello jam denominatos usque ad examinis, vel citationis tempus manifestare nequeat, bonum et commodum est, ut illos statim in Libello denominet Accusator, simulque exprimat, super quo Articulo, vel Capitulo quivis examinari debeat. Ad quem finem servit, si totum Libellum in Articulos, seu Capitula ordinarie dividat. 353

Ut autem constet, quomodo Libellus Articulatus in praxi formari debeat, subjungitur forma sequens.

Forma Libelli Accusatoris.

Coram A. R. P. N. N. Ministro Provinciali (si causa delegata est alteri, exprimatur nomen illius) *comparet F. Titius N. et non odio, vel passione, nec animo calumniandi, sed justo zelo Religionis ductus, ut videlicet delicta in uno publice punita alios a delinquendo terreant, accusat Fratrem Maevium N. tanquam furem sacrilegum, injustum percussorem, violentum carceris effractorem, et malitiosum Apostatam. Ponit enim Accusator, et dicit verum esse.*

Primo: *quod pretiosissima monilia, et miraculosa B. V. Mariae ordinarie pendentia de pretio circiter 3000. florenorum: sicut etiam duos pretiosos calices e Sacristia fuerint ablata.*

Secundo: *quod dictus Fr. Titius N. habuerit clavem Regiam.*

Tertio: *Quod memoratam clavem furtive sibi fieri curaverit.*

Quarto: *Quod noctis tempore inopportuno, et postquam janua etiam interior jam erat clausa, visus fuerit in templo imaginem B. V. Mariae hinc inde circumspiciens, an nemo illi attenderet.*

Quinto: *die 5. Maij hoc anno, in Mense Aprilis in Sacristia clausa fuerit deprehensus.*

Sexto: *Quod habeat correspondentiam litteralem cum puella Bibiana N.*

Septimo: *Quod apud dictam puellam praefata monilia fuerint visa.*

Octavo: *Quod ipse monilia et calices revera furatus fuerit Anno. Mense. die.*

Nono: *quod Custodiae causa carceratus carceres violenter effregerit.*

Decimo: *Quod Fratrem Justum N. accurrentem graviter percusserit, et vulneraverit.*

Undecimo: *Quod per octos dies, postquam e Monasterio aufugit in domo praefatae puellae delituerit.*

Ad quae in judicio legitime probanda sub poena Talionis se offert, et subscribit Accusator. Instat proin, ut Libellus acceptetur, et prout Juris procedatur, compertaque veritate propositorum eus juxta Juris, et statutorum tenorem puniatur. Atque hoc, et omni meliori modo etc. Datae die Mense. Anno etc.

Fr. Titius N.

Directorium Probationis, et Denominatio testium.

Super primo *constabit per visitationem Corporis.*
Fr. Homobones N. super 2do, 4to, 5to, et 7mo,
F. Justus N. super 2do, 8vo, 9no, et 10mo.
Servitialis N. et Faber serrarius N. super 3tio.
Fr. Benedictus N. super 4to, et 7mo.
Fr. Benignus N. super 10mo.
Fr. Fidelis N. et Fr. Angelus N. super 11mo.
Super 6to *Articulo Litterae A. et B. interceptae.*

Hujusmodi directionem, et denominationem Testium statim in eadem Libelli charta subjungit: nisi forsan timeret subornationem Testium; tunc enim denominationem Testium omittere, et eos suo tempore successive producere poterit, juxta dicta num. 353.

355 Porro, si unum, vel plura delicta, in quibus alium quis accuset, absque aliis indiciis statim per sufficientes Testes, vel alia Instrumenta plene probare potest, v. g. per duos Testes omni exceptione majores, vel per unum, et propriam scripturam Rei, non esse necesse, ut faciat Articulos de indiciis et conjecturis, sed ipsa delicta pro Articulis ponere potest, v. g. Ponit enim Accusator, verum esse.

Primo, *Quod furatus fuerit pretiosa monilia pendentia a statua B. V. Mariae in templo N. Mense. die.*

Secundo, *quod furatus sit calicem ex Sacristia mense. die.*

Tertio, *quod graviter vulneraverit Fratrem prope portam mense etc.*

Testes Examinandi.

Fr. N. et Fr. super 1mo. *et* 3tio.
Fr. N. super 2do, *et super eodem Littera A. B.*

De Visitatione Corporis delicti.

SUMMARIUM.

356 *Visitatio Corporis delicti, facti permanentis fieri debet ante ullum aliud examen Testium, vel Rei.*

357 *Et quomodo?*

358 *Forma visitandi, et notandi Visitationem factam.*

359 *Quando ad visitandum Corpus delicti requiruntur periti in arte, quid faciendum?*
Saeculares non adhibeantur, quamdiu haberi possunt Regulares ex proprio Ordine.

Oblato, et acceptato Libello, juramento calum- 356
niae per Accusatorem praestito, et facta horum narratione in Actis modo supra allegato, procedit Judex ad visitandum Corpus delicti, seu ad cognoscendum, quod delictum revera sit commissum. Et quidem, si delictum est *Facti permanentis*, id est, relinquens post se vestigium, juxta dicta supra *numer.* 202. vadit ipse in persona, vel mittit suum Actuarium cum duobus testibus, et per inspectionem ocularem videt, an delictum sit commissum; si autem delictum est *Facti transeuntis*, talis inspectio ocularis utpote impossibilis non fit, sed delictum una cum delinquente simul cognoscuntur, juxta dicta §. *IV. a numer.* 201.

Porro visitatio et cognitio Corporis delicti *Fa-* 357
cti permanentis debet circumstantionate describi, et inseri Actis, quod vulgo dicitur *visum*, et *repertum*: cum igitur publice pendentium monilium ablatio, sicut et carceris effractio, ac etiam vulneratio in primo, nono, et decimo articulo Libelli propositae, sint delicta *Facti permanentis* eorum visitatio et cognitio facta, ita describitur.

Consequenter A. R. P. Provincialis Judex ordi- 358
narius volens debito Juris ordine procedere, associatus a me, et duobus testibus NN. ad hoc specialiter vocatis se contulit ad visitandum Corpus delicti in libelli articulo primo propositi, visumque, et repertum fuit, quod monilia e statua B. V. Mariae alias dependentia, amplius non adessent. Acta sunt haec die Mens. Anno.

Ego Fr. N. Minister Provin.
Ego Fr. N. testis fui praesens.
Ego Fr. N. testis fui praesens.
Ego Fr. N. Actuarius.

Dein habita commoditate contulit se A. R. P. Provincialis ad vulneratum Fr. Justum N. visumque et repertum fuit, quod etc. (hic describitur locus loci, in quo est Corpus Delicti, et omnes circum-

stantiae, quae in Corpore delicti apparent v. g. de vulneratione juxta Articulum decimum) *quod in praefati Conventus infirmaria Fr. Justus N. decubuerit in lecto, caput habens involutum fasciis, quibus per NN. remotis apparebat satis notabile vulnus figura talis, longitudinis talis etc. Acta sunt haec Anno, Mense, die, loco, quo supra.*

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

Visitato praefato Corpore delicti perrexit mecum, et memoratis testibus ad visitandum Corpus delicti Articulo nono propositi, visumque et repertum fuit, quod janua carceris in duas partes confracta ibidem adhuc jacuerit, postibus et vectibus e loco suo amotis etc. Acta sunt haec etc. ut supra.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

359 Quod, si ad plene cognoscendum Corpus delicti, requirantur etiam periti in arte, prout contingere potest, debent vocari, et viso Corpore delicti, quid sentiant jurato examinari, habita prius ad id licentia suorum Superiorum (si saeculares vel alterius Religionis Regulares adhibendi sunt) de cujus praxi vide Ludovicum de Ameno *Formulario Criminali. sect. 3. nu. 4. et seqq.* Ubi tamen monemus Judices, ut ad avertenda scandala, et Religionum confusiones nunquam adhibeant saeculares, nec alios extra propriam Religionem, quamdiu haberi possunt artis periti in propria Religione; prout plerumque haberi possunt Chirurgi ad cognoscendum vulnus, si (quod Deus avertat) in Religione aliquod cuidam infligeretur, item boni scriptores ad comparationem Litterarum etc. cum quaevis Religio fere semper similes Religiosos in arte peritos habeat.

De Examine Testium ante constitutionem Rei.

SUMMARIUM.

360 *Visitato Corpore delicti facit Judex Decretum ad ulteriora procedendi: et quomodo?*
361 *Statimque incipit examinare Testes ad hoc, ut saltem semiplena probatio habeatur ante constitutionem, et examen Rei.*
Quid? et quomodo probent testes in hoc examine? Ibid.
362 *Potest Judex, et expedit plures examinare Testes ante examen Rei, et quare?*
363 *Regulae, et principia, quae Judex observare debet in examine Testium, usque ad num. 370.*
368 *Actuarius debet omnia dicta Testium tam pro, quam contra Reum fideliter scribere, et quidem in lingua vernacula Testis, in qua Judex etiam proponit interrogatoria, quamvis haec idiomate latino scribere debeat Actuarius.*
369 *Si Testis est absens, quomodo citandus?*
370 *Si Accusator Testes in Libello nondum denominavit, jubetur ante examen, ut illos producat: et praxis. Ibid.*
371 *Potest autem dein simul et semel omnes vel unum post alium nominare, et producere.*
372 *Forma et praxis examinandi testem, et proponendi eidem interrogatoria Generalia.*
373 *Fiunt interrogatoria Generalia, ut Judex quo et ad quem cognoscere valeat qualitates, et habilitatem Rei.*
374 *Finitis Generalis proponuntur specialia.*
375 *In quibus non est necesse per multas ambages, et a longe Testes interrogare, si fit Processus ad praecedentem Accusationem, vel Denunciationem Judicialem per Inquisitionem specialem: Et num. seqq.*
377 *Solvitur instantia: et num. seq.*
378 *Reus tamen per ambages interrogatur: et quare?*
379 *Potest etiam Testem per ambages et a longe interrogare, si ei ita videatur.*
380 *Forma, et praxis proponendi interrogatoria specialia.*
381 *Qualiter claudatur cujusvis Testis examen, et quid fiat, dum clauditur?*
382 *Quid, et quomodo agendum, si alicujus Testis examen non totaliter absolvitur, sed interrumpi debet?*
383 *Modus iterum reassumendi interruptum examen unius Testis.*
384 *Completo examine unius vocantur, et examinantur alii, et primus. Examen Testis* 2di.
385 *Testes saeculares pro possibili vitare oportet.*
386 *Examen* 3tii *Testis.*
387 *Examen* 4ti *Testis.*
388 *Testis* 5ti *examen interruptum.*
389 *Interrumpitur, et iterum assumitur examen Testis* 5ti.
390 *Examen* 6ti. *Testis.*

Visitato et probato Corpore Delicti debet Judex 360
facere Decretum de procedendo ad ulteriora, sequenti aut simili modo.

Cum ex hactenus agitatis appareat delicta Articulo nono, et decimo exposita fuisse commissa, videlicet monialia fuisse ablata, Fr. Justum N. graviter vulneratum, et carceres effractos etc. A. R. P. Provincialis decrevit, prout praesenti Decreto decernit ad ulteriora procedere inquirendo de Delinquente per examen testium, et alia praestando, prout de Jure acta sunt haec Anno. Mense. die.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Conformiter itaque huic Decreto, et ordini Juris 361
incipit vocare, et pro informatione summaria per Processum informativum examinare Testes ad hoc, ut saltem semiplenam probationem delicti, vel delictorum in Libello expositorum ante citationem, et constitutionem Rei habere valeat: cum juxta certo dicta, et dicenda Reus constitui, et legitime examinari nullus possit ante semiplenam probationem delicti contra eundem; quaevis enim Testes etiam jurate examinati ante constitutionem Rei plene non probent ad convincendum et condemnandum Reum, imo ad hunc finem ante litem contestatam a Reo nec citari et examinari valeant, *claris Juribus*, sed, si velit Reus, post factam ipsius constitutionem, et examinationem, examen eorum denuo repeti debeat, tamen sufficienter probant ad hoc, ut Reus constitui, et legitime examinari valeat. Quapropter examen hoc Testium, quod ante litem contestatam, et Rei constitutionem fit, est tantum et vocatur informatio summaria, et offensiva, seu Processus informationis, seu potius pars illius ad hoc principaliter instituta, ut Reus legitime constitui, et examinari valeat.

Dicitur notanter *principaliter ad hoc instituta*,

quia, si Reus repetitionem illorum Testium non desiderat, consequenter illos pro rite examinatis habet, etiam ad convincendum, et condemnandum Reum plene probare valent, ut bene observat Ludovicus de Ameno *in Practic. Criminali, Tit. Quam formam VII. quaest. 2. num. 18.* et alii. Hinc

362 Provide facit Judex, si in Summaria informatione ante constitutionem Rei tot examinet Testes, quot etiam ad plenam probationem sufficiant, ut, si dein Reus illorum repetitionem non urgeat, nec contra aliquem legitima excipiat, sine ulteriori examine ad convincendum etiam et condemnandum Reum sufficere valeant.

363 Porro ut Testes tam ante, quam post constitutionem Rei *rite* examinentur, sequentia bene observet. *Primo*, an Testis non sit inhabilis ad testificandum. Quinam autem Testes sint habiles, et qui inhabiles, habes ample *Lib. II. Tit. XX de testibus*, ac etiam in *Practica Criminal. nostra Tit. XV. Testes.* Ad cognoscendum autem, an sit habilis: juvat praemittere interrogatoria Generalia modo infra ponendo *num.* 372.

364 *Secundo*, ut statim ante initium examinis exprimat, an Testis ex Officio sit *assumptus*, seu ab Accusatore productus vel examinatus.

365 *Tertio*, ut ante examen eidem imponat juramentum de dicenda veritate, ipsumque moneat de obligatione, quam habeat ad dicendam veritatem, et qualis Deo, justitiae, et proximo injuria inferatur, si veritas taceatur, vel mendacium in judicio proferatur.

366 *Quarto*, ut omnes singillatim, et non duos simul examinet; alias examen esset nullum.

367 *Quinto*, Bene facit, ut interrogatoria, quae Testibus proponere intendit, prius in separata schedula, Testi tamen non manifestanda annotet, pro adjutorio memoriae, debet etiam adlaborare, ut clare et distincta habeatur depositio Testis, qui, si vacillare, variare, aut tergiversari videtur, adhortatione urgeri, et interrogatoriis fatigari debet, interrogando etiam; *Quare modo ita deponat, cum prius aliter dixerit? quomodo potuerit hoc esse, stante tali circumstantia, quo asseruit etc.*

Sexto, debet Judex quemvis interrogare de causa scientiae, id est, unde sciat hoc, quod deposuit: Et hoc interrogatorium fieri solet, etsi jam pateat ex depositis causa scientiae; quia evacuari debet; proponitur autem tali modo: *Interrogatus in causa scientiae.* Resp. etc. Si autem jam constet de ea Resp. Intellectum; supra nempe.

Septimo, summopere, et sub poena nullitatis cavere debet ab interrogatoriis suggestivis, id est talibus, quibus quasi suggeritur Testi, quid respondere debeat.

368 *Octavo*, debet Actuarius dicta, seu depositiones Testium tam pro, quam contra Reum fideliter scribere, et inserere Actis; et quidem lingua vernacula, ac quantum fieri potest, de verbo ad verbum, vel saltem genuinum sensum deponentis. Pariter debet Judex interrogatoria in lingua vernacula proponere Testibus, et aliis; Actuarius vero inserit illa Actis idiomate latino.

369 *Nono*, si Testis est absens, et ipse Superior Major tanquam Judex ordinarius format Processum, potest ipsum vocare per litteras familiares Missivas; quod idem facere potest Judex delegatus, si putat, quod Testis ad has sit statim compariturus; si vero judicat, vel ipsum Testem non venturum, vel Superiorem ipsius localem non daturum licentiam ad comparendum ad solas litteras familiares, debet illum citare *juridice* sequenti modo.

Frater N. Commissarius Judex delegatus Fr. N. etc. Salutem a Domino.

Cum nobis ab A. R. P. Ministro Provinciali delegata sit commissio in causa, quam ex lectura litterarum patentium Delegationis nobis factae (quarum exemplar authenticum manu nostra ac Notarii nostri firmatum, ac Sigillo Conventus N. ubi de facto moramur, munitum hic accludimus) cognoscere poterit, Persona vero Reverentiae vestrae NN. nobis in causa hac sit necessaria, harum serie in virtute Obedientiae eidem praecipimus, ut assumpto socio per Superiorem localem assignando, ad Nos quamprimum se conferat. Sub eodem praecepto etiam Superiori locali injungimus, ut Reverentiam vestram cum Socio Religioso ad Nos dimittat. Datae die. Mense. Anno. loco etc.

Fr. NN. Commissarius etc.

Si Superior, vel subditus praevideratur inobediens, possent citationi tres dilationis termini inseri, ita, ut si intra illos non obediant, poenis contumaciis, aut rebellis subjaceant.

Caeterum, si Testis est praesens, per quemvis ad locum Tribunalis vocari potest; qui tamen, si recusaret venire, *juridice* citari deberet, modo supra dicto, mutatis mutandis.

Porro, si Accusator Testes in Libello nondum denominavit, jubetur illos adducere seu denominare speciali Decreto Actis inserendo v. g. 370

Quandoquidem Accusator nullos adhuc denominavit aut produxit Testes, vocavit ipsum N. Judex etc. et mandavit, ut eos produceret (si vero Accusator est absens, uti alias videtur consultum, et in scriptis mittatur illi Decretum, tunc loco *vocavit* dicitur) *Ideo N. Judex praesenti Decreto mandat eidem, ut illos producat. Acta sunt hoc Anno. Mense. die. loco.*

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Accusator autem habito Decreto potest testes vel simul, vel unum post alterum denominare, si timet, ne simul nominati subornentur, terreantur etc. et quidquid facit, notat Actuarius. v. g. 371

Accusator autem percepto mandato respondit, se denominaturum quidem Testes, verum ex justo motivo non omnes simul, sed successive unum post alterum examinatum, prout etiam primum denominavit NN. Postea incipit examen Testium modo, quo sequitur.

Vocatus igitur coram A. R. P. Provinciali NN. comparuit Fr. Homobonus N. Testis a Parte producens, quod delato sibi juramento de dicendo veritate, quod tacto pectore more Sacerdotali, vel tactis sacris Paginis (si est Laicus) *praemissa adhortatione debita deposuit, ut sequitur.* 372

Testis primus Homobonus.
Ad Interrogataria Generalia.

1. *Interrogatus: Quomodo vocatur? Respondit, vocor Fr. Homobonus.*

Notandum, quod quamvis depositiones seu responsa Testium debeant scribi idiomate materno, et consequenter apud nos Germanico, tamen hic exprimuntur latine, ex eo, quia non quivis Lector linguam Germanicam intelligit.

2. *Interrogatus: Cujus aetatis existat? Respondit, ago annum quadragesimum.*

3. *Interrogatus: Ubinam existat de Familia, et quamdiu? Respondit, sum per 4. annos in hoc Conventu. N.*

4. *Interrogatus: Cujas conditionis, vel Officii existat? Resp. Sum Sacristanus in hoc Conventu.*

5. *Interrogatus: An sciat, vel imaginari sibi possit causam vocationis suae huc? Resp. Non.*

Si responderet, se scire vel imaginari sibi posse debet Judex mandare, ut edicat causam, quae manifestata si praebet ansam ulterios interrogandi, an forsan non fuerit subornatus? debet Judex id facere; si autem talis ansa non praebetur, pergit reliqua Generalia interrogare.

6. *Interrog. An noscat Fr. Maevium?*

7. *Unde aut quomodo noscat ipsum?*

8. *Interrogatus: An non sit sanguine junctus Fr. Titio? Resp. sum quidem, sed in quinto gradu.*

9. *Interrogatus: An non habeat inimicitiam cum Fr. Maevio? Resp. Non.*

10. *Interrogatus: An non ab aliquo instructus, requisitus, aut rogatus fuerit, quid, vel quomodo respondere debeat? Resp. Venit quidem ad me Fr. Titius N. et rogavit me, ut testimonium perhiberem de etc. addidit tamen, se nihil desiderare, quam ut nudam veritatem deponam, prout coram Deo et in conscientia invenio.*

11. *Interrogatus: An non convenerint testes inter se, quid, et quomodo respondere vellent? Resp. Collocuti quidem sumus de hac re, sed quivis dixerat, se depositurum, prout coram Deo, et in conscientia notitiam habet.*

373 Haec sunt potiora Generalia interrogatoria, quae proponi solent ad videndum, an non Testis sit inhabilis, aut exceptionem patiens: Et quamvis non nulla jam sint nota Judici de Teste, v. g. nomen, aetas, officium, Conventus ipsius etc. tamen desuper interrogari debet, ut etiam Judex *ad quem* cognoscat qualitates Testium casu, quo forsan ad ipsum appellare contingeret.

Caeterum licet plura alia interrogatoria Generalia formari possent, v. g. An hoc anno saltem semel communicaverit? An non fuerit excommunicatus? An nunquam processatus? etc. tamen si de his aperte constat, iis omissis subjungitur ultimo interrogatorio.

An reliqua Generalia recte.

374 Finitis interrogatoriis Generalibus proponuntur Testi a Judice Specialia, praemissa Rubrica, super quo Articulo examinandus erit: ubi notandum, quod quamvis plures DD. generice moneant, Testes non statim debere interrogari unde, vel etiade de Reo, vel illius delictis in specie, sed prius in genere et a longe, an per ambages, donec successivo veniatur ad ipsum delictum, de cujus etiam circumstantiis loci, ac temporis postea indagandum erit.

375 Verum DD. loqui videntur in casu, quo Processus instituitur per viam Inquisitionis *generalis*, aut *mixtae*, vel *specialis* ex mero Officio, non autem quando instituitur Processus et Inquisitio specialis per viam Accusationis, vel Denuntiationis judicialis, oblato Libello rite articulato. Cum enim in his duabus viis delictum, et Delinquens *judicialiter* jam sint manifestata, et Judex non procedat ex mero Officio, sed ad instantiam Partis, quae debet satisfactionem praestare, si in probatione deficiat, nulla videtur necessitas prius in genere, ac per ambages, *et* a longe interrogare de delicto, et Delinquente, praesertim si Libellus Articulatus, seu cum articulis, et denominatione Testium offeratur juxta formam supra *nu.* 364. specificatam; siquidem communis Tribunalium praxis habet, ut Testes denominati super Articulis oblatis, non per ambages et a longe, sed finitis interrogatoriis generalibus immediate et directe interrogentur, an sciant Articulum, qui eis praelegitur, esse verum: dein interrogentur de causa scientiae, circumstantiis, contestibus etc.

376 Accedit, quod Inquisitio *specialis* in hoc essentialiter differat a *Generali* et *mixta*, quod in his generaliter tantum, in illa vero specialiter indagetur de delicto et Delinquente; consequenter necesse non est, ut in Inquisitione *speciali* ad instantiam Partis accusantis, vel *judicialiter* denuntiantis instituta, Testes de delicto et Delinquente in genere, et per ambages interrogentur, sed possunt de iisdem statim in specie juxta tenorem Accusationis, vel Denuntiationis interrogari, praesertim si Libellus vere Articulatus offertur, dummodo vitentur suggestiva interrogatoria.

377 Nec dicas, hoc ipsum esse interrogatorium suggestivum, si Testes statim in specie interrogentur de delicto et Delinquente, v. g. *An Fr. Maevius vulneraverit Fr. Justum? L.* 1. § *Quaestionem. ff de Quaestion.* Resp. distinguendo *Antecedens*, est interrogatorium suggestivum in Inquisitione *Generali* et *mixta*, vel *speciali* ex mero Officio, concedittur; in *speciali* autem ad instantiam Partis cum denominatione Testium, instituta, negatur; hoc ipso enim, quod in hac jam praesuppommuntur tot indicia, aut probationis media, ut probari valeat, interrogatorium de delicto et Delinquente in specie fieri potest, praesertim si Libellus Articulatus cum designatione Testium offertur.

378 Dices, Reus etiam in Inquisitione *speciali* non statim in specie et directe, sed a longe et per ambages interrogatur de delicto; ergo nec Testis. Resp. *negando Conseq. et paritatem.* Disparitas est; quia, cum de publica agatur vindicta, prudenter timetur, quod, nisi is a longe interrogetur, et capiatur in sermone, crimen negaturus, et veritatem celaturus sit; secus in Teste, cum enim de causa ipsius non agatur, praesumendum est, eum propter alios perjuria in publico judicio non commissurum, sed veritatem absque hoc, quod a longe, et per ambages inducat, edicturum.

379 Si tamen placet judici, aut ex aliqua ratione expediens ei videtur, etiam Testem per ambages et e longe interrogare, liberrime id facere poterit. Cujusmodi interrogatoriorum formulas super diversis materiis abunde habes apud Ludovicum de Ameno in Formulario Criminali, *sect. IV.*

380 Caeterum conformiter dictis post interrogatoria generalia Judex statim descendit ad specialia: Et quidem si Libellus Articulatus fuit oblatus, ut supra *numer.* 364. praelegitur prius Testi Articulus, et interrogatur, an sciat Articulum esse verum? Actuarius autem cuncta inserit Actis modo sequenti.

Ad specialia super Articulo 2.

1. *Interrogatur, an sciat Articulum esse verum? Respondit: Scio, Articulum esse verum.*

2. *Interrogat. In causa scientiae? Resp. Quia ipsemet eam vidi apud illum.*

3. *Interrogat. Quando, et qua occasione eam viderit apud illum? Resp. Ante viginti circiter dies, perdideram enim meam clavem ad cellam, et absente N. P. Superiore locali eam aperire, et intrare non valens lamentabar coram Fr. Maevio: dixit ille ad me; sis sine cura, ego jam aperiam; arreptaque ex sacco clave Regia cellam meam aperuit.*

4. *Interrogat. de Contestibus? Resp. F. Justus etiam praesens erat.*

Et quoniam idem Testis super Articulo 4. et 7. fuerat designatus, super iisdem etiam statim examinare illum voluit A. R. P. Provincialis. Et quidem

Super Articulo 4.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Articulum esse verum quoad omnes circumstantias.*

Notendum, quod qaendo onoe Articulos habet plura membra, prout habet quartus iste sopra n. 354. epecificatus, (dicit enim, *quod nocturno tempore, janua interiori jam clausa, prope Altare B. V. M. in templo hinc inde circumspiciens, 5. Maii fuerit visus*) debet Jadex Testi non tantum praelegere Articalum, sed ipsum monere, ut ad omnia bene attendat; imo expedit, ut de membro ed membrum interroget, ne quid ex inadvertentia affirmetur: Quemvis enim non sit necesse, ut singula interrogatoria de membris Articeli primentur in Actis.

2. *Interrogatus de causa scientiae? Resp. vidi iptum meis oculis.*

3. *Interrogat. de Contestibus? Resp. eram solus; quia dum ex Officia volebam visitare Ecclesiam, an nemo ibi lateret, deprehendi Fr. Maevium: audivi quidem esse etiam aliquem supra in Oratorio, sed ignoro, quis fuerit, et an etiam viderit Fr. Maevium.*

4. *Interrogat. Quid dixerit ad Fr. Maevium ita deprehensum? Resp. Interrogavi eum, quid ipse hic tam sero facere? ad quod ille : habui ex certa causa confidentiam ad B. V. Mariam.*

Super Articulo 5.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. utique scio.*

2. *Interrogatus, in causa scientiae? Resp. quia ipsomet deprehendi ipsam.*

3. *Interrog. De Contestibus? Resp. Eram solus.*

Super Articulo 7.

1. *Interrogatus: An sciat Articulum esse verum? Resp. Articulus est verus.*

2. *Interrogat. In causa scientiae? Resp. Vidi ipsemet iam calices nostros, quia monilia B. V. M. apud memoratam Bibianam: dum enim ante tres septimanas Sacristiae linea quaedam paramenta lavanda portarem, et hypocaustum intrarem, erat cista illius semi aperta, in qua vidi duos calices involutas, et partem monilium non satis coopertorum.*

3. *Interrog. Quomodo scire, et dicere possit, fuisse nostros calices, et monilia, cum non plene viderit? Resp. Hoc colligo inde, partim quia ipsa utpote paupercula calices, et monilia aliunde habere non potest· partim quia est valde suspecta cum F. Maevio, cum quo solo illam solam tempore importuno in illa distincta Capella N. deprehendi: partim quia, ut audio, ex litteris Fr. Maevii ad eam missis, deeumitur.*

4. *Interrog. An, et quid propterea locutus sit ad Bibianam? Resp. Dissimulavi, cogitans, quod prius vellem indicare Superiori.*

5. *Interrog. Num indicaverit Superiori, et quid ille resolverit? Resp. Omnino indicavi ei, qui audita narratione mandavit mihi, ut illico iterum accederem, et inprimis bonis verbis, dein minis conarer, ut fateatur, unde habeat, et injuste accepta restituat; Obedivi, sed nil effeci, illa enim cuncta negabat, dicens, nec calices, nec monilia in suam domum venisse; ad quod dum ego reponi; tamen ego vidi illos in cista, illa statim aperuit cistam, et permisit me omnia lustrare, sed nihil amplius inveni, absconderat enim alibi.*

6. *Interrog. de Contestibus? Resp. Fr. Benedictus semper erat mecum, quando fui apud puellam Bibianam.*

7. *Interrog. An nihil aliud haberet dicere ad propositum? Resp. Non.*

381 Quando examen alicujus Testis finitur, debet Actuarius Testi praelegere factam suam depositionem, ad hoc ut addere, minuere, vel mutare valeat, si ex majori reflexione id forsan necesse judicaret. Casu quo autem in uno vel alio quid minuit, addit, vel immutat, debet id Actuarius inserere Actis. Depositionem dein suam sibi praelectam jubetur Testis subscribere, et silentium de depositis in examine servare. Hinc universalis formule conclusionis in quocunque examine Testis est sequens.

Quibus habitis si et in quantum acceptatis, ad mandatum A. R. P. Provincialis praelegi memoratam Testi suam depositionem: cui cum nec addere, nec demere quid voluisset, jussus est subscribere (si Testis est Laicus scripturae ignarus, fecit loco subscriptionis manu proprie signum Crucis, et loco *jussus est subscribere*, dicitur, *jussus est manu propria formare signum Crucis, utpote litterarum ignarus*) *addito formali obedientiae praecepto, servandi decretum de depositis in hoc examine. Acta sunt haec die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. Homobonus deposui, ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si vero addere, vel demere, aut mutare quid vult; etiam notatur in Actis, et post illa verba *praelegi Testi suam depositionem* ponitur, *cum audisset, dixit, in illo loco, ubi sonat etc. addatur, vel dematur, vel ponatur etc. recordor enim, quod fuerit ita etc.* dein fit subscriptio.

382 Quod si examinem unius testis ob interveniens negotium aut impedimentum, vel temporis circumstantiam interrumpitur, ita ut absolvi nequeat, debet in Actis notari sequenti modo.

Quoniam ob horae tarditatem, seu ob urgens negotium A. R. P. Provincialis examen praefati testis complete expedire non potuit, decrevit illud ad interim terminare animo tamen id ipsum opportuno tempore iterum reassumendi, et perficiendi; Testis vero praelecto sibi examine, acceptisque, si, et in quantam ipsius depositionibus subscribere jussus, et imposito silentio dimissus fuit, salvo jure etc. Acta sint haec, mense, anno etc. loco.

Ego Fr. N. Testis affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

383 Quando postea iterum reassumitur, et continuatur examen ejusdem Testis prius interruptum, sequenti modo registratur in actis.

Die. Mense. Anno. Loco.

A. R. P. Provincialis volens continuare examen Testis N. ex causa praefata interruptum, vocari illum coram se fecit, et denuo obtulit juramentum de dicenda veritate, quod ille deposuit tacto etc. ac ulterius respondit, ut sequitur.

8. Interrogatus : etc.

Si vero examen unius testis completur, fit clausula uti supra n. 381. et vocatur, examinaturque alius testis sequenti modo.

Testis secundus Fr. Justus. N.

Quia hic Testis ob vulnus ad constitutum locum Tribunalis venire non poterat, A. R. P. Provincialis me socio accessit illum in infirmaria decumbentem, qui deposito juramento more Laicis consueto deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia.

1. *Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Justus*

2. *Interrog. cujus aetatis, conditionis et officii? Resp. annum 45. jam complevi, ex obedientia ago officium sartoris.*

3 *Interrog.* etc. ut supra de Generalibus interrogatoriis.

Ad Specialia super Articulo secundo.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Ita, scio Articulum esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp. vidi apud Fr. Maevium propriis oculis talem clavem.*

3. *Interrog. Quando, et ubi viderit illum? Resp. Fr. Homobonus aliquando perdiderat clavem suam ad cellam, quod audiens Fr. Maevius dixit ad illum; se velle statim aperire, uti et fecit per clavem regiam e sacco extractam.*

4. *Interrog. Quando id contigerit? Resp. Diei determinatae non amplius recordor, bene tamen scio, in hoc mense contigisse.*

5. *Interrog. de Contestibus? Resp. Intellectum.*

6. *Interrog quare non indicaverit Superiori? Resp. Non libenter incaepi turbationem in Conventu, quae secuta fuisset, ex correctione et confusione Fr. Maevii, utpote hominis perditi, et vix non desperati.*

Et quia idem Testis super aliis quoque Articulis Octavo nempe, nono, et decimo fuerat denominatus, super iisdem etiam statim examinavit illum A. R. P. Provincialis. Et quidem.

Super Octavo Articulo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum? Resp. scio certo Articulum esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp. vidi monilia et calicos in ipsius Cella.*

3. *Interrog. quomodo, et qua occasione eas videre potuerit? Resp. Aliquando afferens Fr. Maevio habitum, subito, et nihil mali cogitans intravi cellam, ubi vidi quod praefatos calices et monilia imponere vellet magnae cuidam scatulae. Ego terrefactus interrogavi ipsum, amore Dei, unde habet ipse haec? ipse vero magis territus et confusus statim ad genua provolutus rogavit me per omnia, ne ipsum patefacerem, fateri se, quod a diabolo deceptus ea sit furatus, hodie vero ad noctem aliis dormientibus iterum certo restituere vellet. Ego correctione fraterna, quantum potui, ei data discessi, expectans, an promissum esset servaturus. Et, cum viderem, illum promisso non stetisse, accessi illum altera die, et monui eum serio, ut illico redderet furtive ablata, ni vellet, ut statim adirem Superiorem. Ad quod ille; scito Fr. Juste, quod ego ista jam miserim alio, et omnia non tantum negaturus, sed etiam contra te tanquam Calumniatorem acturus sim, si me apud Superiorem manifestas, quia nihil potes probare.*

4. *Interrog. quando id contigerit? Resp. primum ante 14. dies.*

5. *Interrog. An indicarit Superiori locali? Resp. Non statim sed tunc primum, quando inaudivi quod et alii dicta monilia et calices viderint apud puellam Bibianam, cum qua est suspectus Fr. Maevius, et quod essent interceptae litterae idem annuentes.*

6. *Interrog. Quid fecerint dein Superior? Resp. Custodiae causa inclusit illum in carcerem.*

7. *Interrog de Contestibus? Resp. fui solus.*

Super Articulo nono.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum? Resp. Utique scio, esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp Superior deputaverat me, ut subinde viderem an non Fr. Maevius tentaret effringere carceres, hinc quia aliquando noctu diu audieram strepitum, surrexi, et accessi locum carceris, quem januis confractis vidi apertum, et Fr. Maevium acte currentem contra me. Ego apprehendi ipsum et clamavi pro auxilio, ille autem fortior prostravit me in terram, et quia dimittere illum nolui, scilicet ibidem jacentem aliquoties gravissime me percussit in capite, et semimortuum relinquens aucerrit ad portam, quam aperuit, utique clave sua regia.*

3. *Interrog Quando hoc contigerit? Resp. Ante 13. dies.*

4. *Interrog. de Contestib.? Resp. Eram solus, quando res contigit, venerunt quidem postea alii, sed nimis sero.*

Super Articulo decimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum? Resp. Proh dolor! non tantum scio, sed etiam sentio esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp. Intellectum supra.*

3. *Interrog. de Contestibus? Resp Intellectum supra.*

4. *Interrogatus, An nil aliud habeat, quod diceret? Resp. Nihil aliud habeo, quam quod amore Dei rogem pro ipso, ne propter me puniatur: ego enim ex corde eidem ignosco, paratus etiam pro ipso sustinere poenam, quae eidem dictabitur.*

Quibus habitis, ac si, et in quantum acceptatis, ad mandatum A. R. P. Provincialis praelegi Testi suam depositionem, cui cum nil addere, nec demere vellet, jussus est manu propria formare hic in Actis signum Crucis, utpote litterarum ignarus, et imposito formali obedientia praecepto servandi secretum de depositis in examine: demissus est. Acta sunt haec die. Mense. Anno loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testem in ordine denominationis tertium et quartum, quia saeculares erant, Servitialis scilicet noster N. et Faber Serarius N. A. R. P. Provincialis examinare distulit, ut si forsan eis non indigeret, illos omnino omittere posset: hinc assumpsit testem in ordine denominationis quidem quintum, in ordine examinis vero tertium.

Notandum hic, debere Judicem Regularem ad vitanda scandala, et parcendum famae Religionis pro possibili, supersedere a testibus saecularibus, ita, ut quamdiu spes superest, posse absque illis sufficientia haberi ad Reum constituendum, et veritatem eruendam ab eis abstinere debeat: quamvis enim saeculares potius aedificari, quam scandalizari deberent videntes, quod delicta etsi rarissima in religione commissa, tam exacto inquirantur, et tam severe puniantur; nihilominus quia ab uno statim ad alios argumentari solent; pro possibili abscondere expedit causas hujusmodi a saecularibus. 385

Testis tertius Fr. Benedictus.

Ad Generalia.

1mo. *Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr Benedictus.* 386

2do. *Interrog. Cujus aetatis, conditionis, et officii existat? Resp. 50 annum jam complevi, sum simplex Confessarius in hoc Conventu aliud officium non habens.*

3. *Interrog etc. Fiunt reliqua Generalia ut supra num. 372.*

Ad Specialia super Articulo quarto.

1. *Interrogatus, An sciat, Articulum esse verum quoad omnes circumstantias? Resp ita, excepta illa circumstantia, qua dicit Articulus Fr. Maevium hinc inde circumspexisse, an nemo eum observaret, quia ad hoc non attendi.*

2. *Interrog In causa scientiae? Resp. quia dum illo tempore eram superius in Oratorio visitans Venerabile, et peragens meam exiguam devotionem, vidi illum, ut habet Articulus.*

3. *Interr. de Contestibus? Resp postquam Fr. Maevius*

aliquali tempore erat prope Altare B. V. M. venit Sacristanus Fr. Homobonus, et allocutus est eum; quid autem dixerit, non bene percepti.

Super Articulo Septimo.

1. *Interrogatus, An sciat articulum esse verum? Resp. quamvis non physice tamen moraliter scio esse verum.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp. Inde scio; quia, dum nuper cum Fr. Homobono iveram ad puellam Bibinnam, vidi duos calices linteo involutos, ac penes illos monilia secundum partem.*

3. *Interrog. Ubi erant illi calices? Resp erant in cista semi aperta.*

4. *Interrog Quomodo scire potuit, esse calices, cum fuerint involuti? Resp ex figura facile cognovi.*

5. *Interrog. Quomodo scire potest, esse nostros calices? Resp. ideo praecipue: quia dum postea ex mandato Superioris eam iterum accessimus ad disponendum, ut nobis mysterium patefaceret, et injuste accepta restitueret, ipsa negavit, quod aliquando calicem habuerit et monilia, prout etiam a cista removit: Profecto si non nostri, sed alii calices fuissent, causam ita negandi non habuisset.*

6. *Interrog. de Contestibus? Resp. intellectum.*

7. *Interrog. An nil aliud haberet dicere? Resp. non.*

Quibus habitis, si et in quantum acceptatis etc. fit clausula ut supra *num.* 381.

Ego Fr. Benedictus affirmo ut supra
Ego Fr. N. Minister Provincialis
Ego Fr. N. Actuarius.

Arrepta jam ad subscribendum calamo dixit: audivi, quod etiam suspectas litteras scripserit puellae Bibinnae, sed quia apud Acta jam erant ulterius desuper non interrogavit sed subscribere Testem fecit A. R. P. Provincialis.

Ego Fr. Benedictus N testis deposui ut supra
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testis quartus Fr. Benignus.

Ad Generalia.

387 1. *Interrog. quomodo vocetur? etc. ponentur Generalia uti supra num.* 372.

Ad Specialia.

Super Articulo decimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum? Resp. Certo quidem non scio (quia non interfuit) tamen non dubito esse verum.*

2. *Interrog. in causa scientiae, vel opinionis? Resp. Audivi in mea cella prius strepitum, dein Fr. Justum, alta voce clamantem, occurrite, juvate. Fr. Maevius vult aufugere; quo audito statim cucurri et Fr. Justum graviter vulneratum penes carceres jacentem inveni, qui mihi narravit eum a Fr Maevio, quem aufugientem apprehendit, et dimittere noluit, ita esse vulneratum, cui utique in istis circumstantiis credendum est.*

3. *Interrog. de Contestibus? Resp. post me plures accurrebant, quibus eadem narravit Fr. Justus.*

4. *Interrog. An nil aliud haberet dicere? Resp. non: sed laudo Divinum Judicem, quod iste infelix homo ad propriam suam salutem tandem in manus Judicis venerit, qui ob tepidam suam vitam et alia mala signa alias plane in periculo perditionis aeternae fuisset, praesertim, quia correctiones et monita Superiorum haud amplius curabat.*

Quibus habitis si et in quantum acceptatis et fit clausula et subscriptio ut supra *n.* 381.

Ego Fr. Benignus ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego F. N. Actuarius.

Testis quintus Fr. Fidelis.

Ad Generalia.

1. *Interrog Quomodo vocetur, etc. ut supra* 388
num. 370.

Ad Specialia.

Super Articulo Undecimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum?* 389
Resp Utique scio.

2. *Interrog in causa scientiae; Resp. Dum acta inciperet Testis narrare causam scientiae, venit Janitor, et dixit adesse Excellentissimum Dominum N. et velle in ardua causa loqui A. R. P. Provinciali, qui proinde decrevit examen Testis interim terminare, animo tamen illud oportuno tempore iterum reassumendi, Testis vero praelecto sibi examine, acceptisque si et in quantum ejus depositionibus subscribere, et silentium de depositis servare jussus est. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco.*

Ego F. Fidelis ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Eodem die et loco A. R. P. Provincialis volens 390
continuare examen Fr. Fidelis, prius ex praefata causa interruptum, vocare illum coram se fecit, qui praestito iterum juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

3. *Interrogatus igitur de novo in causa scientiae? Resp. Postquam Superior localis a viro fide digno certificatus, et plene informatus, quod Fr. Maevius in domo Bibinnae, et quidem in certo loco lateret, animo, data occasione, nescio quorum fugiendi, misit me, et Fr Angelum ad praefatam domum data prius instructione, quomodo nos habere debeamus, ut Fr Maevium capere, et ad Monasterium reducere possimus: Obedientiae et instructioni conformiter accessimus domum memoratam, et habito prius discursu indifferenti manifestavimus Bibinnae nostram commissionem; illa indignata negavit, et pernegavit omnia, jurans, quod jam per 14 dies non viderit Fr. Maevium Nos econtra petivimus, ut aperiret nobis cameram, ubi Fr. Maevius esse dicebatur: renuit illa: nos minitabamur Potestatem saecularem: ipsa vero magis indignata, et plena furia jussit nos e domo sua discedere Nos minime attendentes ejus furiam, adhuc instabamus, ut illico nobis aperiret, alias essemus vim illaturi, timebamus enim ne Maevius cuncta audiens e fenestra prosiliret: Et cum verbis nil efficeremus, Fr Angelus januam vi effregit; qua effracta Fr. Maevium sub lectica absconditum invenimus, quem optimis verbis rogavi et monui, ut ad evitanda scandala altro nobiscum ad Monasterium se conferret, alias vim certe experturus. In discursu fatebatur, quod per 8. dies hic jam haereret absconditus, expectans occasionem Romam ad Generalem se conferendi.*

4. *Interrog. de Contestibus? Resp. intellectum, Fr. Angelus erat praesens, et Bibianna.*

5. *Interrog An nihil aliud haberet dicere? Resp. non. Quibus habitis etc.*

Ego Fr. Fidelis confirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Testis Sextus Fr. Angelus.

Ad Generalia.

1. *Interrogatus, quomodo vocetur, etc.* ut supra *num.* 372.

Ad specialia super Articulo undecimo.

1. *Interrogatus, An sciat Articulum esse verum? Resp. Omnino.*

2. *Interrog. in causa scientiae? Resp. Audivi ex ore*

ipsius, quando Fr. Fidelis, et ego ipsum e domo Bibianae ad Monasterium reduximus.

3. *Interrog. de Contestibus? Resp. intellectum.*

4. *Interrog. An quid aliud haberet dicere? Resp. Non: nam qualiter peractae sint, dum Fr. Maevium deprehendimus, jam notum suppono.*

Quibus habitis etc. fit clausula, ut supra n. 381.

Ego Fr. Angelus ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

De Recognitione, et Comparatione Litterarum, seu Scripturae.

SUMMARIUM.

391 *Decretum, et modi recognoscendi Litteras, seu scripturas.*
392 *Modus examinandi Testes super Recognitione Litterarum.*
393 *Debet subinde etiam fieri Comparatio Litterarum, et quomodo? ac n. seq.*
394 *Praestat ad eam assumere peritos in arte ex Ordine.*
395 *Praxis deputandi pro Comparatione perito in arte.*
396 *Judicium peritorum de Litteris, et oblatio illius.*
397 *Non semper requiritur, ut recognitio, et Comparatio litterarum simul fiant, sed plerumque sufficit una.*

391 *Auditis praefatis Testibus A. R. P. Minister Provincialis volens pergere ad Recognitionem et Comparationem Litterarum Fr. Maevii interceptarum juxta Articulum 6. tum misit ad cellam dicti Fr. Maevii, et curavit sibi afferri illo alias scripturas manu illius certo exaratas, si quae ibidem invenirentur. Et inventi atque allati sunt ad A. R. P. Provincialem aliquot quaterniones, qui manu Fr. Maevii dicebantur scripti, quibus habitis curavit sibi afferri varias diversarum manuum epistolas et scripturas, ad videndum, an Testes ex illis scripturam Maevii eisdem commixtam noscerent. Ad quem finem decrevit vocare, et examinare Testes manum et characterem Fr. Maevii bene agnoscentes. Acta sunt haec die. Mense. Anno. loco.*

392 *Vocatus igitur comparuit F. Gervasius N. et deposito juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.*

Ad Generalia.

1. *Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Gervasius N.*

2. *Interrog. etc.* Fiunt interrogatoria Generalia ut supra *num.* 372.

Ad Specialia.

1. *Interrogatus, An cognoscat Fr. Maevium. Resp. optime cognosco.*

2. *Interrog. An habeant, vel habuerint familiaritatem et correspondentiam ad invicem? Resp. Ante hac bene, sed per duos annos non amplius.*

3. *Interrog. An scripserint etiam ad invicem, et quoties? Resp. Ita, valde saepe ad invicem scripsimus.*

4. *Interrog. An bene cognoscat characterem et manum Fr. Maevii? Resp. Perfecte cognosco.*

5. *Interrog. An habeat adhuc aliquas Epistolas ab eo? Resp. Jam omnes combussi.*

Si respondet affirmative jubetur illas afferre, et quod fit, inseritur Actis v. g.

Jussus dein attulit duas epistolas a Fr. Maevio acceptas, quarum prima data Monachii die incipit, ponatur initium epistolae: *altera Landishuti die incipit, etc.*

6. *Interrog. An inter alias plures scripturas cognosceret manum, et characterem Maevii? Resp. inter mille cognoscerem.*

Tunc A. R. P. Provincialis varias scripturas una cum scriptura Fr. Maevii posuit ante Testem, itatamen, ut nullibi alicujus subscriptio pateret: et dixit ei, ut seligeret modo scripturam Fr. Maevii; qui non multum deliberans extraxit unum folium dicens: Haec est scriptura Maevii, prout etiam erat.

Quibus habitis, si et in quantum acceptatis etc. fit clausula, et subscriptio ut supra n. 381.

Ego Fr. Gervasius affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Simili modo examinatur alius manum scribentis Rei cognoscens (si habere potest), ut adsint duo Testes de Recognitione Litterarum.

Si causa et circumstantiae requirunt, potest et debet etiam fieri Comparatio Litterarum, quae tali modo fit. Una vel plures scripturae, de quibus certo constat, esse scripturas manu rei exaratas, afferuntur, et comparantur cum scriptura illa, de qua est quaestio, ad videndum, an characteres sint similes vel non, et consequenter, an ab eadem vel diversa manu proveniant. 393

Et quamvis de Jure ad hanc comparationem debeant adhiberi periti in arte, id est Magistri, qui alios scribere et litteras formare docent, ut bene advertit Ludovicus de Ameno, tamen apud Regulares, qui ad Juris apices non tenentur, sufficere videtur, si assumantur ex Ordine aliqui in arte scribendi perfectiores, praesertim tales, qui in saeculo apud Tribunalia fuere, aut Praeceptores qui Juvenes docuerunt scribere; qui etiam in arte censentur periti: tales ergo vocantur, et quod fit, inseritur Actis, sequenti modo. 394

Postea pro majori veritatis certitudine vocati comparuere Fr. Guido N. et Fr. Magnus N. quorum prior per tres annos agebat Scribam apud Judicem NN. alter vero ut Praeceptor plures Juvenes scribere docuit, ambo in arte scribendi satis perfecti, qui deposito juramento de fideliter exequendo officio in comparatione Litterarum exercendo, et veritate dicenda, jussi sunt A. R. P. Provinciali, ut Scripturas, quas de manu Maevii esse, certo jam constabat, cum interceptis Litteris accurate, diligenter, et exacte considerent, atque examinent, suumque postea judicium manifestent, nem ab una eademque, vel diversa manu sint exaratae. Acta sunt etc. ut supra. 395

Accepta commissione ad faciendam comparationem Litterarum, Deputati singula juxta artem scribendi exacte considerant, atque examinant, suumque judicium in scriptis praesentant, quod Actis inseritur sequenti modo.

Consequenter praefati duo Fratres in arte scribendi periti, scripturas sibi consignatas, et sequens desuper judicium suum in scriptis praesentarunt: incipit etc. et desinit etc. ponatur tenor judicii ab eis dati *Quod cum ad mandatum ejusdem denuo praelegerem, confirmarunt. Acta sunt haec die. Mense. Anno. loco.* 396

Ego Fr. Guido Affirmo ut supra.
Ego Fr. Magnus confirmo ut supra.

Notandum hic, non semper esse necessarium, ut *recognitio Litterarum per Testes, et comparatio per peritos simul fiat,* sed tantum si rationabilis sit suscipio, ne Litterae sint imitatae; secus enim quaevis harum sufficit semiplene, aut etiam plus quam semiplene ad probandum contra scribentem per dicta *Lib. II. tit. XXII. §. V.* 397

1. De Carceratione Rei custodiae causa.

SUMMARIUM.

398 *Reus quandocunque est suspectus de fuga, aut ne impediat, subornet etc. Testes, custodiae causa incarcerari potest, etiam ante initium Processus.*
399 *In Ordine nostro requiritur ad hoc consilium peritorum in Conventu, si haberi possunt.*
400 *Antequam incarceretur, Reo fit Decretum, et exprimitur causa.*
401 *Forma hujus Decreti.*
402 *Si Reus a Decreto carcerationis custodiae causa factae appellat, executio non impeditur.*

398 Jam alibi diximus, quod quandocunque Reus est suspectus de fuga, aut ne terreat, impediat, vel subornet Testes, possit, imo debeat custodiae causa carcerari etiam ante Constitutionem ipsius, imo, ante initium Processus ex habita sufficienti informatione extrajudiciali, si crimen est atrox. Potissimum autem id facere potest, et debet Judex, quando ex Processu informativo jam adsunt sufficientia ad constituendum, et examinandum Reum de gravi delicto, si, ut dictum, Reus est suspectus de fuga, subornandis testibus, prout etiam statuitur in Practica nostra Criminali *Tit. Reus.* §. *II* et ibi Ludovicus de Ameno.

399 Juxta citatum locum in Ordine nostro Judex etiam existentibus praefatis causis, custodiae causa nullum carcerare potest, nisi cum consilio peritorum in Ordine, id est in Conventu illo, ubi Judex tunc temporis existit. Nec est necesse, ut sint Diffinitores, uti *loc. cit. num.* 8. bene advertit Ludovicus de Ameno, addens, quod in casu, quo desunt in simili causa periti, et periculum fugae requirat, possit se solo carcerationem decernere Judex.

400 Porro si Judex cum, vel sine consilio peritorum, custodiae causa carcerare vult Reum, debet desuper facere Decretum, et in illo exprimere causam, ob quam incarcerat Reum, et ante omnia advertere, ne in Rei captura saecularibus scandalum ingeratur; nisi summum aliquod scelus, et publicum commisisset, quo scandalum saecularium inferius esset, ut bene statuitur in nostra Practica Criminali *loc. cit.* Decretum autem carcerandi statim ad, vel ante initium Processus potest fieri, ut sequitur.

401 *Cum Fr. N. fuerit accusatus de gravi crimine N. trahente secum gravem poenam, ita ut inspecta natura vel malitia Rei aliunde cognita, merito suspicandum sit, ne fugiat, aut testes subornet, impediat, vel terreat, ac insuper vi informationis extrajudicialis satis appareat, ipsum revera fore condemnandum. Hinc ne Justitia fine suo frustretur, A. R. P. Provincialis cum consilio PP. NN quos magis peritos et habiles ad propositum in hoc Conventu reputavit, decrevit, prout praesenti Decreto decernit, praefatum Fr. N. carceri custodiae causa tradere, data commissione P. N. Priori, vel Guardiano* (si in nostro Ordine est, addatur) *ita tamen, ut nec chorda, nec caputium eidem auferatur. Acta sunt haec die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Intimato per me hoc Decreto P. N. Priori, vel Guardiano dixit ille se statim executurum commissionem; prout post spatium iterum coram me comparuit, et retulit, se executioni jam mandasse Decretum. Acta sunt haec etc.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si post Processum informativum incarcerare Reum vult ante constitutionem ipsius, paulo aliter, et quidem tali modo fit initium Decreti.

Consequenter cum A. R. P. Provincialis consideratis considerandis, et attentatis depositionibus testium, ac indiciis constet, crimen non tantum semiplene vel ultra jam esse probatum, sed etiam tam grave, et poenam gravem secum trahat, adeoque inspecta natura etc. Reliqua ut supra.

Si Reus a Decreto carcerationis appellat, non attenditur, sed executio fiat; quia talis appellatio effectum suspensivum non habet sed tantum devolutivum. 402

De Constitutione Rei.

SUMMARIUM.

403 *Examinatis Testibus in Processu informativo, seu offensivo, et habita saltem semiplena probatione delicti, fit Decretum de constituendo Reo. Et quomodo? Ibid.*
404 *Deinde assumuntur Assessores (si nondum adsunt) qui intersint examini Rei.*
405 *Postea citatur, et constituitur Reus. Et quomodo? ibid.*
406 *Qualiter ante omnia monere, et adhortari debeat Judex Reum constitutum?*
407 *Si Reus ante sui examen, et responsiones a se dandas, petit Advocatum, vel copiam Actorum, vel nomina Accusatoris, aut Testium, nullatenus exaudiri, sed urgeri debet, ut prius respondeat? Et num. seq.*
408 *Aliter res habet in Processu Civili.*
409 *Si Reus est excommunicatus, prius absolvitur.*

Quando Judex cognoscit, quod ex Processu 403
informativo, seu ex informatione summaria, seu offensiva (ita dicta, quia per visitationem Corporis delicti, examen Testium, et scripturarum, quae in illa fiunt, informatur Judex, et offenditur Reus, contra quem praefata militant) delictum, in quo Reus fuit accusatus, jam plene vel saltem semiplene existat probatum, procedit ad constituendum, et examinandum Reum, nisi enim ex processu informativo constet, delictum esse saltem semiplene probatum, non potest constitui, et examinari Reus, prout jam dictum, supra *num.* 361. Unde si Judex ante semiplenam probationem delicti Reum citaret, et constitueret, illicite et invalide ageret, ac saltem in nostra Religione peccaret mortaliter, uti constat ex praxi *Crimin. Tit. Reus* §. *III.* et ibi amplius notat Ameno. Pro quo fine facit Decretum, ut sequitur.

Cum ex actitatis hactenus ad minimum semiplena habeatur probatio, Fr. Maevium saltem esse Reum furti monilium, suspectarum Litterarum, violentae effractionis carceris etc. (et quando non de omnibus, sed tantum de uno, vel altero, aut aliquibus, in quibus accusabatur

Reus, adest semiplena probatio, dicatur esse Reum saltem de NN. (exprimantur delicta) et de illis solis constituatur, et examinetur, *sicque sufficientia adesse, ut Reus constitui, et constitutus legitime examinari valeat. A.R.P. NN. Judex decrevit, dictum Fr. N. Reum constituere, et examinare, aliaque, prout de Jure prosequi. Acta sunt haec die. Anno. Mense. loco.*

Ego Fr. N. Judex etc.
Ego Fr. N. Actuarius.

404 Dein assumit duos Assessores Patres graves, qui obligati ad secretum intersint examini Rei, illudque semper subscribant; licet enim necessarii non sint praesertim in Processu informativo, tamen, ut examini Rei intersint, necesse videtur ob multas rationes, de quibus supra *num.* 346.

405 Assessoribus assumptis, et jam praesentibus citatur, et constituitur Reus vel familiariter; vel Juridice, eo modo, quo diximus supra *num.* 369. de citatione Testium. Casu quo autem Reus jam aufugit, citatur etiam absens, de quo vide Ludovicum de Ameno *in Practica Criminali Formul. Sect.* 5. *num.* 10.

406 Si Reus nondum fugit, sed citatus comparet, et constituitur coram Judice, debet ante omnia charitative Reum admonere de statu suo, videlicet, quod modo ut legitime constitutus Reus compareat, debet ipsum adhortari debite, et imponere illi juramentum de dicenda veritate: Adhortatio praecipue fieri potest de obligatione sub mortali peccato duplici tam contra obedientiam, quam contra Religionem (contra quam perjurando ageret) sincere in omnibus fatendi veritatem, et ad sensum judicis sine aequivocatione, aut restrictione mentali respondendi: In eadem adhortatione praemonere poterit, quod nisi in cunctis sincere et veridice respondeat, brevi temporis spatio plurima sit commissurus perjuria (quorum gravitas etiam declaretur (indeque causam sibi duriorem faciat; Deum sibi Adversarium reddat; judici liget manus ad clementiam exhibendam: econtra si sponte fateatur, signaque poenitentiae et emendationis edat, Deum et judicem tanquam patrem pro se habiturus, poenas diminuturus, clementemque sententiam habiturus sit etc. Praecipue autem debet ei intimare, quod delictum vel delicta, de quibus interrogabitur, sint taliter in Actis probata, ut Judex ipsum legitime interrogare, et consequenter Reus ad interrogationes sub obedientia, et sub culpa, ac poena perjurii respondere teneatur.

407 Quod si Reus id credere nollet, sed se innocentem diceret, ac propterea peteret copiam Processus hactenus formati, vel Libellum accusatorium, aut depositionem Testium, aut nomina eorum etc. nullo modo ei deferre potest, aut debet Judex, sed econtra urgere Reum, ut prius ad cuncta proponenda respondeat; alias enim, si prius sciret Reus, quae contra ipsum proposita, et deposita essent, item quae, et qualiter probata existerent, facile praeparare se posset ad respondendum, suasque ad responsiones indicia evacuare, et facere posset, ut Processus effectu careret.

408 Hinc quamvis in causa et Processu Civili Libellus communicetur, statim ac Reus citatur, et post litis contestationem etiam communicentur Articuli etc. idemque de rigore juris fieri debere in Processu Criminali, velint nonnulli, tamen consuetudine (quae est optima Legem interpres) jam introductum habetur; ut antequam ad cuncta respondeat Reus, nec Libellus, nec depositiones Testium, nec quid aliud ex Actis communicetur, nec Patronus seu Advocatus assignetur: idque ob rationes *num. praeced.* assignatas, uti cum aliis bene advertit Lodovicus de Ameno *Tit. XIX. §. IV. num.* 15.

Actuarius vero factam Rei constitutionem, ejusque praestitum juramentum, ac judicis adhortationem praemissam, Actis inserit sequenti modo.

Anno Mense. die. In Conventu etc. in Camera N. utpote loco pro Tribunali erecto vocatus et canonice constitutus fuit coram A. R. P. Provinciali, et RR. PP. NN. Assessoribus, et me Actuario N. Fr. Maevius N. Reus in causa principali, qui declarato illi statu causae suae (videlicet, quod in Actis habeantur ea, quae requiruntur ad eum Juridice constituendum et examinandum ut Reum; praemissaque monitione, quod sub gravissimo peccato mortali, et aeterna damnatione teneatur ad sensum, et mentem Judicis sine dolosa aequivocatione, aut restrictione mentali sincere ac simpliciter respondere, veritatemque fateri; accedente praesertim juramento de dicenda veritate, quod tacto pectore praestitit) ad factas interrogationes respondit, ut sequitur.

Notandum hic, quod si Reus ex delicto aliquo, 409
de quo jam constat, esset excommunicatus, deberet, dum constituitur, ante omnia absolvi ab excommunicatione, et absolutio facta inseri relationi hujus constitutionis, v. g. post verba illa: *Reus in causa principali*; ita fieret relatio: *Et quia per legitimas probationes, prout in Actis sufficienter constat, Reum commisisse delictum ac propterea in excommunicationem incidisse ideo A. R. P. Provincialis eum absolvit praecise ad effectum adstandi et se tuendi in judicio et non aliter, ac cum reincidentia; cum ipse non possit probare se absolutum.*

De Recusatione Judicis, Actuarii, vel Assessoris.

SUMMARIUM.

410 *Si reus recusare vult Judicem, potest id facere statim ac rescit, ipsum incipere Processum informativum contra se: vel potest exspectare, donec citetur, et constituatur.*
411 *Et quomodo?*
412 *Reus debet in libello recusationis allegare causam coram Judice recusato, qui eam examinat, et si justam reperit, recusanti defert.*
413 *Forma, et praxis recusandi Judicem.*
414 *Forma acceptandi libellum recusatorium, et alium concedendi judicem.*
415 *Si causa recusandi judicem non est aperte justa, sed dubia: quid faciendum judici tam delegato, quam ordinario?*
416 *Dubia causa potest etiam arbitris dijudicanda committi: Et quomodo?*
417 *Forma et praxis hujus Commissionis.*
418 *Qualiter causam Recusationis examinent, et super ea pronuntient Arbitri?*
419 *Si causa Recusationis est aperte falsa, aut frivola, eam ipse recusatus Judex statim rejicere et in Processu pergere potest: Forma hujus ibid.*
420 *Si Reus post recusationem Judicis etiam juste factam, ei adhuc sine protestatione Judicialiter obedit respondet etc. in eum de novo consentire videtur.*

421 *Sicut Judex, ita etiam Actuarius, vel Assessor recusari potest. Et quomodo? Remissive.*

410 Si Reus recusare vult judicem tanquam suspectum, prout ex justa causa potest, optime facit, si statim ac notitiam acquirit, Judicem jam incipere formare Processum informativum contra se, Libellum Recusationis formaret, et judici offerat, sic enim cito provenit, et a Processu informativo impedit. Si vero exspectare vult, donec citetur, vel non scit, quod contra se Processus fiat, potest, et etiam debet Recusationem necessario facere ante litis contestationem; nam post illam, et quando semel Judici parere et litigare incipit, praestando juramentum vel respondendo judici examinanti, in illum consentire censetur, ut eum amplius recusare non potest, nisi justa causa de novo superveniat, aut prius existens ei incognita fuerit.

411 In casu itaque, quo citatus coram judice comparet, et hic ei juramentum de dicenda veritate imponit, nullo modo juret, sed (si recusare vult judicem) debita cum reverentia, ac modestia dicat, v. g. *A. R. Paternitas mihi ignoscat, ego non juro, nec litem contestor; quia A. R. Paternitatem ut Judicem acceptare non possum, sed eandem ex justa causa tanquam suspectam recuso juxta Libellum, quem hic humillime offero*: si Libellum nondum fecit, vel secum non habet dicet: *juxta Libellum quem hodie adhuc offeram*, dein faciat libellum Recusationis, et illo die adhuc offeret.

412 Ut autem Recusatio legitime fiat, debet Recusans allegare causam in Libello Recusationis coram judice recusato, qui Recusationis causam bene perpendat, et, si eam invenit legitimam ac justam, debet illam admittere, ac Reum ad Superiorem remittere, vel (*si Judex ordinarius recusatus fuit*) judicem delegatum non suspectum, deputare. Inter causas legitimas recusandi judicem sunt etiam, si Judex est consanguineus, vel Affinis partis adversae, Denuntiatoris v. g. vel Accusatoris, vel si nimio affectu erga eam ducatur: vel si sit inimicus Rei: vel habeat interesse in causa etc. Incumbit tamen Reo onus probandi causam: et quidquid fit, registratur in Actis sequenti modo: Et quidem, si Reus, antequam citetur, et constituitur, judicem recusare vult ad hoc, ut neque in Processu informativo pergere valeat, Libellus tali modo formari potest.

413 *Cum fama deferente pervenerit ad aures Fr. N. Processum formari contra se ab A. R. P. Provinciali, et ipse timeat, sibi eventurum aliquod gravamen, hoc ut praeveniat, ad evitandum omne secuturum praejudicium comparet coram A. R. P. Provinciali. et dicit (omni tamen qua par est, reverentia et respectu) quod persona ejusdem in hac causa sibi sit suspecta ex eo, quia,* (hic exprimitur causa suspicionis, et consequenter recusandi judicem.) *Quopropter cum omnia jura concedant suspectum Judicem declinare, repetita reverentia et humilitate debita, ipsum ut Judicem contra se omni meliori Juris forma ob praefatam causam recusat. Quod si nihilominus causae huic se immiscere contra Juris formam attentaverit ex nunc, et pro tunc dicit de nullitate actuum appellatque ad quum, et ad quos de Jure, atque recursum petit ad Superiorem*: si vero primum postquam citatus fuit, judicem recusat et libellum offerre vult, eum formet sequenti aut simili modo.

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. N. et dicit omni debita reverentia quod persona ejusdem etc. ut supra. *Acta sunt haec die. etc.*

Ego Fr. N. Ita recuso, appello, recurro.

Potest etiam Reus, si ex causa Superiorem adire non vult, coram Testibus ita recusare Judicem; et Libellum ad ipsum mittere subscriptum a Testibus.

Porro Actuarius Recusationem, et oblationem Libelli Actis inserit, sicut etiam resolutionem Judicis desuper factam, v. g. 414

Die. Mense. Anno. loco. coram A. R. P. N. Provinciali comparuit F. N. et recusare volens Judicem praesentavit Recusationis libellum adjacens signatum Litter. D. incipit etc. ut definit etc. tenor autem ipsius est sequens: scribitur tenor Libelli.

Oblatum hunc Libellum, postquam A. R. P. N. Provincialis consideratis considerandis sati perpendit, admisit, si, et in quantum etc. decrevitque, prout praesenti Decreto decernit alium non suspectum Judicem delegare, vel reum ad Superiorem dirigere, vel (si Judex est delegatus) *A. R. P. Provinciali referre, ut alium reo deputet Judicem. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si causa recusandi judicem non est aperte justa, sed dubia, et Judex est Ordinarius, potest pro libito suo Recusantem vel dirigere ad Superiorem, vel ei alium non suspectum Judicem delegare, vel causam Arbitris dijudicandam committere, ita ut Judex aliquem, et Reus aliquem denominet; vel etiam Reus plures nominet, quibus liberum sit judici vel Actori unum ex his a Reo denominatis seligere. 415

Si autem Judex est delegatus, debet existente dubia Recusationis causa admittere, ut causa per Arbitros praefato modo eligendos dijudicetur, nisi velit causam ad Superiorem delegantem remittere.

Porro sive Judex si delegatus, sive ordinarius, potest, et debet Arbitris electis praefigere terminum ad pronuntiandum super validitate causae, ita, ut si intra terminum praefixum non pronuntiaverint, in causa procedere valeat, nisi forsan ad instantiam Arbitrorum, aut Rei terminum ulterius prolongaverit. Forma deputandi Arbitros, et terminum eis praefigendi sequens est. 416

Post oblatum nempe Recusationis libellum, causam nonnisi dubiam continentem Judex insinuat Reo, quod vel in simul velint unum, aut plures Arbitros assumere, vel ipse Reus denominet aliquos, ex quibus Judex, aut Accusator dein aliquem assumere pro libito possit; quo facto fit Registratio per Notarium modo sequenti.

Oblato per reum, et sufficienter pensato per A. R. P. N. Provincialem recusationis libello resolvit idem A. R. P. Provincialem causam recusationis committere Arbitris, prout Juris. Hinc reo intimavit, quod vel in simul velint unum aut plures denominare, aut quivis aliquem aut ipse reus solus denominet plures, relinquatque libertatem Judici, aut Accusatori assumendi ex his unum, vel plures, qui super validitate causae cognoscerent, quo percepto reus gratias egit A. R. P. Provinciali, et dixit, quod pro sua parte denominet P. N. vel denominet hos P. P. NN. etc. Acta sunt haec etc. 417

Ego Fr. N. nominavi ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Consequenter etiam A R P. Provincialis nominavit in arbitrum ex parte sua P. N. sive ex nominatis a reo, in arbitrum communem deputavit P. N. vel P. P. NN. illumque, vel illos coram se vocari fecit, et electionem illorum in Arbitros manifestavit. Et cum Arbitrium acceptasset, assignavit illis terminum octo v. g. dierum de pronuntiandum: processuras in causa, prout de Jure; si intra illud tempus non pronuntiarent. Acta sunt haec Die. Mense etc.

418 Postea Arbiter, vel Arbitri examinant causam, et Testes e Reo productos, aliasque probationes ut veri judices recipiant, adhibito ad id etiam Notario, pro Actuario cuncta notante, prout de jure (de quo amplius videri potest Ludovicus de Ameno in *Formular. Criminal. sect. II. num.* 41. Causa sufficienter examinata ferunt sententiam in scriptis, citato prius Recusante. Forma sententiae esse potest sequens.

In Nomine SS. Trinitatis, et B. V. Mariae Amen. JESU Christi Salvatoris Nomine invocato, Nos FF. NN. Arbitri Juris electi, et respective a Partibus destinati ad judicandum in causa recusationis in Judicio factae a Fr. N reo praetenso, de persona A. R. P. Provincialis, examinatis Testibus, et probationibus hinc inde productis, et auditis Partibus pro, ac contra informantibus, pleneque discussis causae meritis, Deum solum omnis justitiae fontem prae oculis habentes, JESU Christi Nomine repetito dicimus, nullatenus, nec plene, nec semiplene constare de causa recusationis assertae, vel causam recusationis assertam esse frivolam, videlicet quod (exprimitur hic causa) *proinde sententiamus, praedictam recusationem nullius esse valoris, et per eam nullo modo impediri jurisdictionem A. R. P. Provincialis, quo minus causam contra Fr. N. inceptam, vel incipiendam prosequi valeat. Ita pronuntiavimus Nos qui supra, die etc.*

Ego Fr. N Arbiter.
Ego Fr. N. Arbiter.
Ego Fr. N. Actuarius.

Quod si causa Recusationis Arbitris videatur dubia, vel semiplene probata, debent pro Reo pronuntiare; quia in dubio semper magis favendum est Reo, v g.

In Nomine etc. Christi Nomine repetito, dicimus constare de causa quantum satis est: Proinde sententiamus, eam tanquam legitimam subsistere, et propterea A. R. P. Provincialem debere a prosecutione, vel inchoatione causae contra recusantem desistere, ipsumque reum, vel ad Superiorem remittere vel illi eum ejusdem consensu suspectum Judicem delegare. Ita pronuntiavimus etc. ut supra.

419 Si causa recusandi judicem est aperte falsa, vel frivola, ipse Judex solus, etiam delegatus, illam statim rejicere, eaque non obstante in Processu pergere potest. Decretum rejectionis notat Actuarius, v. g in causa Fr. Maevii.

Die Mense. Anno Fr. Maevius praesentavit quidem Libellum Litt. D. Qui incipit etc. et desinit etc. quo A. R. P. Provincialem tanquam suspectum Judicem recusat. Verum quia allegata suspicionis causa manifeste falsa, vel frivola est, memoratus Libellus ab A. R. P. Provinciali rejectus fuit.

420 Notandum hic specialiter, quod, si Reus post judicis Recusationem etiam ex justa causa factam, Judici sine protestatione *judicialiter* adhuc obedit, respondet, jurat, comparet etc. hoc ipso Recusationi denuo desercre, et in judicem consentire censetur, adeo, ut in posterum Judex valide et licite in Processu agat.

Item notandum, quod sicut Judex, ita etiam Actuarius, Assessor, Diffinitor etc. recusari potest ex causa in Libello Recusationis exprimenda: vide de hoc Ludovicum de Ameno *Tit. Canon. q.* 5. *a num.* 176. et *in Formul. Criminal. sect.* 1. *num.* 24. et 25. 421

De Examine Rei.

Quando Reus citatus comparet, et neminem recusat, vel si Recusatio ejus fuit rejecta, incipit Judex examinare Reum modo statim allegando. Notandum autem prius, quod Judex in examinando prudenter et caute procedere debeat: pro quo serviunt ei Regulae examinandi Reum a DD passim praescriptae, ut a Ludovico de Ameno *loc. cit. a num.* 17. Passerin. *in Tribunali Regular. q.* 22. *art.* 1. Praecipue autem observare debet. 422

Primo, ut se accommodet conditioni, et qualitati Rei. 423

Secundo, ne facile excandescat contra Reum quantumvis criminosum, pertinacem, et mendacem; quamvis exigentibus circumstantiis etiam increpare, confundere, indeque illum ad veridice respondendum adigere valeat. Imo potest Reum in sua praesentia delinquentem statim etiam punire, juxta dicenda infra n. 417. 424

Tertio, ut non statim de ipsa substantia delicti, sed a longe incedat incipiendo a Generalibus ad particularia descendendo, interroget prius de indiciis, de circumstantiis variis etiam talibus, ut Reus non statim advertat, quo tendat Judex, quia tali modo multa concedet Reus, quae sibi non nocere existimat, quibus postea concessis et combinatis, cum aliis cogitur fateri, quod alias nunquam fassus esset. Ad quem finem etiam non ordinarie et secundum seriem eventus interrogare, sed interrogatoria perturbare, et miscere debet; quia si Reus consecutive interrogatur, facile fingere potest mendacia sibi non repugnantia, vel facile non capitur in sermone. E contra si interrogatoria sine ordine confundantur, Reus mendax difficillime recordari poterit, quae hinc inde deposuit, et inde illi a variae contradictiones, mendacia ac perjuria eveniunt, ex quibus Reus confundi, et ad dicendam veritatem efficacius urgeri poterit. 425

Ad eandem finem poterit Reus de eadem re, aut circumstantia per intervallum denuo et saepius interrogari ad videndum, an sibi sit constans; quod si intentionem judicis advertens Reus et timens, ne sibi contradicat, ad prius responsum se remittere velit, dicendo, *de hoc jam respondi, quod dixi, dixi*, urgeri debet, et potest etiam per torturas, ut de novo per extensum respondeant.

427 Si ad evadendas contradictiones, et pallianda forsan mendacia petit spatium deliberandi, et se recolligendi, non debet ei concedi; quia in criminalibus non datur Reo spatium ad deliberandum. Pariter gratificari eidem non debet, si petit, ut sibi praelegantur antecedentia responsa ob eadem facta; quia hoc esset ipsum instruere, ut contradictionem evadere, et consequenter mentiri posset. Secus est de Teste, cui petenti depositio sua praelegitur, cum enim non de propria sed aliena causa respondeat, minus recordari, minusque suspectus de falsitate censetur. De quibus fusius Ludovicus de Ameno *Tit. Reus XIX. §. IV.* a num. 23.

428 *Quarto*, Si Reus incipiat delictum fateri, debet Judex uti occasione, et indefesse pro tunc prosequi examen; quia Reus pro tunc videtur dispositus ad confitendum; unde etiam habita confessione delicti, debet omnes circumstantias loci, temporis, occasionis, causae, finis, modi, complicum etc. indagare.

429 *Quinto*, Suggestive interrogatoria quoque vitare oportet, et ut suggestio cognosci valeat, debet quodvis interrogatorium ex integro clare et distincte registrari, consequenter illud vitari, quo in Protocollo tantum ponitur: *ad opportunam interrogationem, respondit etc.*

430 *Sexto*, si Reus custodiae mussa est in carcere, ordinarie extra illum in loco libero examinari debet, ita tamen, ut si est robustus, et fortis, ac perditae vitae, consequenter rationabiliter timeri posset fuga, aut alia insolentia ipsius, ligatus maniois ferreis duci possit ad locum examinis. Quod si commode, vel absque scandalo extra carcerem examinari nequit, etiam in illo examinari poterit.

431 Tandem scire debet Judex, quod non tantum ter, sicut aliqui minus recte senserunt, sed toties quoties ei videbitur, constituere et examinare Reum, sicut et Testes possit.

Facta itaque constitutione, et adhortatione Rei, praestitoque per eum juramento examinatur, ut sequitur.

Ad Generalia.

432 1. *Interrogatus, quomodo vocatur? Resp. vocor Fr. Maevius.*

Notandum, quod etsi juxta dicta supra num. 368. responsiones Testium, et Rei debeant idiomate materno Actis inseri, tamen ut omnes cujuscunque Lectores eas intelligant, ad evitandam repetitionem, hic latine tantum eas ponere intendamus.

2. *Interrog. Cujus aetatis, et status existat? Resp. Ago 40. annum, et sum indignum membrum hujus Ordinis.*

3. *Interrog. In quo Conventu de familia existat, et quamdiu? Resp. Jam per 2. annos in isto Conventu moror.*

4. *Interrog. Quale officium ibidem habeat? Resp. Sum communis Sacerdos.*

5. *Interrog. An sciat, vel imaginari sibi possit causam vocationis suae? si respondit: ita, vel, bene mihi possum imaginari*, urgeat ipsum edicere causam, et unde eam sciat, continuetque pro diversitate responsionum interrogatoria: si autem respondeat se nescire, ulterius perget, et, si fuit incarceratus,

6. *Interrog. A quo loco veniat? Resp. E carceribus.*

7. *Interrog. An sciat, aut imaginari sibi possit causam incarcerationis suae? Si Resp. affirmative, continuetur interrogatio de causa scientiae, si minus, pergatur ulterius.*

Inter generalia interrogatoria poni volunt aliqui etiam illud. *An et quales reus habeat inimicos? vel quid de his?* (nominentur aliqui promiscue, inter quos etiam misceantur Testes, vel accusator, vel Denuntiator Judicialis) *an sint viri honesti? et an nullus inter hos sit ejus inimicus?* Et hoc interrogatorium fieri ideo suadent? ut si Reus ignarus, an, vel quis ex istis sibi contrarius sit, illos, vel certos aliquos sibi inimicos non esse asserat, contra illos postea tanquam sui inimicos excipere non valeat. 433

Verum alii, et in specie Ludovicus de Ameno contra hujusmodi interrogatoria multum clamant, dicentes, illis adimi defensiones Reo jure naturae debitas.

Nos media via incedentes arbitramur, docendo, praefatum interrogatorium non ordinarie, sed subinde et tunc praecipue fieri posse, et debere; quando ex una parte jam satis constat de Rei crimine, ex altera parte autem non latet malitia, et astutia Rei omnibus etiam modis quaerentis evadere, et consequenter etiam viros omni exceptione notorie majores suspectos, et inhabiles reddere ad testificandum, vel accusandum, praesertim ob falso praetendendam inimicitiam, bono communi interim exigente, ut ad exemplum aliorum, et tollenda scandala publice puniatur, quando autem circumstantiae ita se habeant, judicis arbitrio et consuetudine relinquitur.

Caeterum his et similibus generalibus expeditis ad specialia descendit Judex, et si Libellus articulatus fuit oblatus, potest pro sua propria majore commoditate sibi facere et ante oculos habere separatam et privatam aliquam rubricam, super quo articulo, et qualibus interrogatoriis velit ipsum examinare; nam in ejus libertate est, prius super ultimo, aut secundo, vel primo Articulo examen instituere; pariter in ejus libertate est, num velit in examine super uno Articulo aliqua admiscere pertinentia ad alium Articulum; imo hoc expedit, ut, si Reus mendax sit, facilius confundatur, et ad fatendam veritatem adigatur; vel potest Rubricam ponere super aliquibus, aut omnibus Articulis promiscue juxta dicenda infra. 434

Potest autem Judex Reum non tantum ter, ut aliqui minus recte putarunt, sed saepius, et prout ei visum fuerit, constituere et examinare in quovis constituto juxta arbitrium suum. Quamvis enim ordinarie in primo constituto a remotis indiciis incipere, et ad proximiora successive in secundo, et tertio constituto descendere expediat, tamen bene, et saepe contingere potest, ut exigentibus circumstantiis, praesertim in examine emergentibus, statim in primo constituto de proximis indiciis, et super ipso delicto interrogari possit ac debeat; ut proin Judex non multum attendere debeat ad numerum constituti, seu an prima, secunda, vel alia vice sit constitutus, sed ut ita prudenter examinet Reum, quatenus veritas eruatur. Itaque

Ad Specialia super Articulis promiscue, praesertim super secundo, quinto, et sexto.

1. Interrogatus, an noscat puellam Bibianam N. Resp. Cognosco.

2. Interrog. Unde et qua occasione illam noscat? Resp. visitavi illam una vel altera vice in domo.

3. Interrog. Quare ipsam visitarit? Resp. Pro discursu spirituali.

4. Interrog. An cum licentia Superioris illam visitarit? Resp. Non, praesumpsi tamen, illum non fore contrarium.

5. Interrog. An nunquam ei scripserit Litteras? Resp. Non.

Monitus ab A. R. P. Provinciali, ut bene se reflecteret, simulque memoriam revocaret gravissimam obligationem, quam tum ex obedientia, tum ex juramento habet, dicendi nudam veritatem: respondit: non scripsi eidem.

Postea A. R. P. Provincialis accepit Litteras indifferentes, quas ipse reus Fr. Pio aliquando scripserat, et manu tegendo cuncta, tamen nomen ipsius subscriptum exhibuit eidem et interrogavit: An non sit haec scriptura ejus? Ad quod reus nesciens an non forsan esset aliqua intercepta epistola Bibianae scripta, audacter respondit: Non est meus character.

6. Interrog. Quomodo non possit esse suus, cum sit simillimus? Resp. Fateor esse similem, tamen meus non est; saepius fiunt imitationes litterarum.

7. Interrog. Quomodo dicere possit, non esse suum characterem, cum fateatur esse simillimum? Resp. Quidquid sit, non est meus character.

8. Interrog. An nunquam scripserit Fr. Pio? Resp. scripsi ei saepius.

Dein A. R. P. Provincialis exhibuit ei totam epistolam, dicto Fr. Pio per ipsum scriptam, de cujus subscriptione prius interrogaverat, an non hanc epistolam totam ipse scripserit. Resp. Verum est, hanc epistolam scripsi totam.

9. Interrog. Cur ergo hactenus tam audacter negaverit esse suum characterem? Reus vero confusus diu non respondit, tandem dixit, non putavi meum esse characterem.

A. R. P. Provincialis eum tanquam suspectissimum de perjurio objurgavit, et ad dicendam veritatem, declinandamque gravissimam Dei offensam omnibus modis cohortatus est: postea accepit epistolam signatam Litt. B, a reo Bibianae scriptam, et versus cuncta praeter subscriptum Nomen, vel mediam lineam tegendo interrogavit, an non hic esset character ipsius? Reus nesciens, utrum non ut prius induceretur, fassus veritatem respondit. Ita, hic est meus character.

Tunc A. R. P. Provincialis totam exhibuit epistolam dicens. Ecce! juxta propriam confessionem haec epistola a reverentia vestra est scripta; reus vero videns initium epistolae sonare Charissima Bibiana, totus expalluit, quod illico advertens A. R. P. Provincialis cum indignatione interrogavit quare superius jurata negaverit, se unquam scripsisse Bibianae, reus totus confusus et timidus tacuit et musitavit. A. R. P. Provincialis vero urgebat, ut cito responderet. Resp. Non fui recordatus. Ob quod responsum tanquam perjurum rursus increpatus, et de novo admonuit ad dicendam veritatem.

10. Interrog. An non plures alias epistolas puellae Bibianae scripserit? Resp. Non recordor, me saepius quam semel scripsisse.

Jussus dein ab A. R. P. Provinciali, ut bene se recolligat, et cathegorice respondeat. Resp. absolute: Non saepius scripsi.

Dein A. R. P. Judex accepit epistolam signatam Litt. C, et cunctis occultatis exhibens partem lineae interrogavit, an non hic esset character ipsius? Resp. ita est. Ad quod A. R. P. Provincialis denuo discooperiens totam exhibuit epistolam: ecce iterum tuum characterem, reus se rursus confusum videns tacuit.

11. Interrog. Qua fronte prius iterum perjurare et dicere ausus sit, unam tantum se scripsisse epistolam. Reus autem erubescens tacuit.

12. Interrog. An praeter has duas non alias scripserit Bibianae epistolas, et quot? Resp. Scripsi etiam alias: quot autem, non amplius scio.

13. Interrog. Quid scripserit eidem? Resp. Non amplius recordor.

14. Interrog. An nunquam scripserit eidem inter alia etiam haec verba: Charissima Bibiana collige cuncta, quae misi, et ita compinge, ut portatu difficilia non sint: Praepara etiam reliqua ad abitum. Consultum enim est, ut adhuc ista septimana simul discedamus; quia ob varias musitationes in Conventu periculosum judico, diutius manere: audio enim, Superiorem in secreto jam indagare; Certe si manifestus fierem, in perpetuos carceres conjicerer: sextriassitae enim apud nos omnia publicatur. Reus utique advertens, praeter alias, etiam litteras hunc tenorem continentes fuisse interceptas, noluit respondere. Cum autem urgeretur ad A. R. P. Provincialis rogavit pro facultate parum discedendi, et urgenti naturae satisfaciendi, A. R. P. Provincialis non obstante praesumptione, quod hac occasione tantum intendat lucrari tempus, ad recolligendum se, quomodo vellet respondere nihilominus facultatem dedit, ita tamen ut duobus sociatus iret et statim iterum rediret.

Emansit autem fere per quadrantem, et rediens denuo interrogatus: Num verba illa scripserit. Resp. potest esse, quod scripserim. Ad quod A. R. P. Provincialis non tantum potest esse, sed certum est, quod scripseris: ita enim habet illa epistola, quam a se scriptam esse, jam fassus est: Quam etiam ex mandato A. R. P. Provincialis alta voce legi: Reus vero totaliter confusus tacuit.

16. Interrogatus, quid miserit puellae. Resp. Misi eidem quaedam munuscula spiritualia.

17. Interrog. An nihil aliud? Resp. Nihil scio.

18. Interrog. An nunquam fuerit deprehensus solus in Sacristia. Resp. Fui deprehensus.

19. Interrog. Quid fecerit, vel quae quaesierit ibidem? Resp. Volebam accipere stolam ad benedicenda Nomismata.

20. Interrog. Quomodo potuerit intrare clausam Sacristiam? Resp. Jam erat aperta.

21. Interrog. Quo tempore fuerit deprehensus in Sacristia? Resp. Nocte media decima.

22. Interrog. Quomodo tunc potuerit esse aperta, cum illo tempore semper clausa sit, et debeat esse clausa? Resp. Nescio causam.

23. Interrog. An prius, antequam adiverat Sacristiam, jam sciverat esse apertam? Resp. Non scivit.

24. Interrog. Si prius non sciverat, Sacristiam esse apertam, quare adiverit illam, sciens, illo tempore semper esse clausam? Resp. Volui videre, an non esset aperta.

25. Interrog. Cur tam importuno et nocturno tempore accesserit? Resp. Non potui dormire ideo cogitavi, quod vellem benedicere Numismata.

26. Interrog. An clauserit post se Sacristiam in illa jam existens, vel apertam reliquerit? Resp. Semet ipsam clausit, janua violenter ad seram prolabente.

27. Interrog. An sciat Fr. Homobonum perdidisse aliquando clavem ad suam cellam? Resp. Recordor.

28. Interrog. Quis aperuerit ei dein cellam? Resp. Ego aperui.

29. Interrog. Quomodo potuerit aperire? Resp. habuit Patronam.

30. Interrog. Unde acceperit clavem regiam? Resp. Inveni eam.

31. *Interrog. Ubinam, et quando eam receperit? Resp. Jam pridem inveni illam in platea.*

32. *Interrog. Quare ausus sit tam diu retinere, et cur non potius exhibuerit P. Superiori? Tacuit reus aliquamdiu, compulsus tandem respondit, ut in casu necessitatis illa uti possem.*

Super aliis Articulis promiscue, praecipue super quarto, septimo, et octavo.

33. *Interrog. An non subinde solus accesserit Altare B. V. Mariae? Resp. Accessi subinde.*

34. *Interrog. An de die, vel de nocte? Resp. Subinde de die, subinde de nocte.*

35. *Interrog. Cur solus de nocte? Resp. Majoris devotionis causa.*

36. *Interrog. An etiam, quando inferior janua jam fuit clausa? Resp. Ita.*

37. *Interrog. Quis aperuerit ei? Resp. Ego aperui clave regia, quam, uti jam dixi, inveni.*

38. *Interrog. An clave hac etiam aperuerit clausam januam Sacristiae, quando illam pro stola accessit? Resp. Ita.*

39. *Interrog. Quare ergo superius responderit januam Sacristiae fuisse jam apertam. Resp. Erravi.*

40. *Interrog. An sciat, in hoc Conventu, furto ablata esse Monilia B. V. M. consecrata, et calices e Sacristia. Resp. Audivi.*

41. *Interrog. an sciat, a quo furtum hoc sit factum? Resp. Non scio: nec enim sum custos harum rerum.*

42. *Interrog. An non sit suspicio de uno vel altero? Et de quo? Resp. Ego de nullo suspicor, quid alii suspicentur, ignoro.*

43. *An non fuerit incarceratus? Resp. Fui proh dolor!*

44. *Quare fuerit incarceratus? Resp. Nescio, quia nullius mihi conscius sum: unde injuste me carceravit.*

45. *An semper manserit in carcere? Resp. Non: effregi carceres.*

46. *Interrog. an habuerit adjuvantem se? Resp. Neminem habui, nisi solum Deum, innocenti assistentem.*

47. *Interrog. Quomodo solus destitutus omni instrumento, carcerem tam arcte clausum effringere potuerit? Resp. Et narravit totam speciem facti, videlicet etc.*

Scribitur hic species Facti ab ipso narrata.

48. *Interrog. an nemo ipsum impedierit, aut detinuerit? Resp. Fr. Justus accurrebat et apprehendens me detinere voluit, sed juvante Deo projeci ipsum ad terram, et sic evasi manus ejus.*

49. *Interrog. an percusserint invicem? Resp. Non.*

50. *Interrog. Unde ergo vulnera Fr. Justi? Resp. Nescio: potest esse quod cadens in terram, alliserit caput ad lapides.*

51. *Interrog. Quare effringens carcerem aufugerit, cum innocens timere sibi non debuisset? Resp. Etiam innocentes subinde damnantur.*

52. *Interrog. Quo aufugerit? Resp. Ad puellae Bibianae domum.*

53. *Interrog. Quare ad hanc domum? Resp. Quia notus eram ibi.*

54. *Interrog. Quamdiu ibidem manserit? Resp. Per octo dies, donec nempe Fr. Fidelis N. et Fr. Angelus N. me iterum duxerint ad Monasterium.*

55. *Interrog. An in illa domo etiam alii homines habitent? Resp. Nemo, praeter unam ancillam Bibianae.*

56. *Interrog. An illa ancilla sciverit ejus praesentiam? Resp. Quia aperuit mihi januam.*

57. *Interrog. Quomodo ausus sit tam diu solus morari in domo inter puellas? Resp. Sunt honestae puellae.*

Et quia nox ingruebat, non valens A. R. P. Provincialis examen Rei omnino complere, statuit illud pro tunc terminare animo tamen id ipsum oportuno tempore iterum reassumendi, et perficiendi. Hinc Rei depositiones, uti et in quantum acceptatae etc. Ego depositiones Reo praelegere, ipse vero sibi praelectas subscribere jussus, et dimissus est salvo Jure etc. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. Maevius ita deposui.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Quamvis juxta dicta superius in primo statim 436
constituto, seu quando prima vice constituitur Reus, possit Judex exigentibus circumstantiis de proximis indiciis, ac ipso delicto directe interrogare, tamen id plerumque fit in secundo, et tertio constituto, ubi ex depositionibus Testium, et responsionibus a Reo in primo constituto jam datis facile formari possunt interrogatoria Reum summe stringentia; praesertim, quia plerumque in primo constituto malitiosi Rei saepius mentiuntur, et plura committunt perjuria, quae Judex in secundo, et aliis constitutis Reo exprobrare, indeque ad veritatem edicendam zelose adhortari debet. Continuatur ergo Processus in secundo constituto; ut sequitur.

Die. Mense. Anno. Loco. Secundo vocatus et constitutus comparuit coram A. R. P. Provinciali Fr. Maevius, et charitative ac zelose simul monitus, ne cum tantis mendaciis et perjuriis, uti in primo constituto responderet, et gravissime Deum offenderet; tali enim modo causam suam non meliorem, sed deteriorem efficeret, Deumque, et Judicem sibi redderet inimicum etc. Dein jussus ut de novo deponeret juramentum de dicenda veritate, tacto pectore illud praestitit, et respondit, ut sequitur.

1. *Interrogatus, an cogitaverat interea periculosum suae animae statum, et gravitatem peccati, ac perjurii perpendens resolverit sincere imposterum et veridice respondere, an vero deliberatissime Amantissimum et semper praesentissimum Deum graviter offendere, et in statu damnationis mancipium daemonis permanere? Resp. Nihil aliud intendo, quam veritatem dicere.*

2. *Interrog. Cur in priori constituto non responderit veridice, sed toties mentiri, et perjurare ausus sit? Resp. Ego nec mendacium nec perjurium feci, sed nudam dixi veritatem.*

Ad quod A. R. P. Provincialis: Ecce hoc ipsum est gravissimum et apertissimum perjurium; cum nobis, et ipsimet certo constet, illum in priori constituto et examine plura fecisse perjuria. An non timeat sibi, ne ob tam deliberatam, et post tot correctiones, continuata gravissima peccata, Deus ipsum subito puniat. Ecce Charissime etc. cesset itaque tam malitiose offendere Deum.

3. *Interrog. Quid velint sibi illa verba* (consultum est, ut hac septimana adhuc simul discedamus) *quonam voluerint discedere? Resp. Ivissemus ad Capellam B. V. M. media hora hinc distantem.*

4. *Interrog. Ad quid ergo verba sequentia?* (periculosum judicio diutius permanere) *Resp. Quia forsan postea non amplius fuisset tam oportuna occasio.*

5. *Interrog. Quomodo quadret cum his, et quid velint verba statim sequentia* (certe si manifestus fierem, in perpetuos carceres conjicerer) *Quid est illud, ratione cujus timet carceres perpetuos? Ad hoc reus diu respondere noluit, continuo autem urgenti responsum A. R. P. Provinciali tandem respondit. Ipsemet, nescio, quare, vel quomodo haec verba stolta scripserim; cum nullius mihi conscius sim.*

A. R. P. Provincialis autem hoc responso minime

contentus urgebat absolutum responsum: reus vero tacuit, et ad repetitas instantias denuo respondit: quod dixi, dixi.

437 Notandum hic, quod si Reus vel omnino respondere recuset ad interrogatorium aliquod, vel non absolute respondere velit dicendo: *Non recordor, non amplius scio etc.* vel remittit se ad priora dicta, vel vacillat, aut sibi hinc inde contradicit, possit sub carceris, aut alia poena adigi ad absoluta, et simpliciter respondendum, adhibito tamen (praesertim si carcer imponitur) consilio Discretorum, et facta protestatione, quod hoc praecise faciat, ut Reum adigat ad debite respondendum, de quo vide Ludovicum de Ameno *in Formul. Criminal. sect. V. nu. XX.* sic etiam ad propositum nostrum.

Verum A. R. P. Provincialis ulterius urgebat absolutum responsum, additis repetitis minis torturae et aliarum poenarum, quas minime curans reus, quia nihilominus pertinax manebat, ideo salvis per omnia Juribus curiae hactenus acquisitis decrevit, prout praesenti Decreto decernit cum consilio duorum Assessorum, utpote alias Discretorum Conventus (si Assessores non adessent, alii adhiberi et exprimi in Decreto deberent) *reum tamdiu pane et aqua punire, donec ad praefatum interrogatorium absolute et simpliciter responderet. Addidit tamen A. R. P. Provincialis, quod hanc torturam praecise ad hunc, et nullum aliam finem adhibeat, ut reus debite respondeat. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Assessor ita consului.
Ego Fr. N. Assessor idem censui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Reus vero praelecta sibi responsa subscribere jussus, et dimissus est eodem tempore, et loco.

Ego Fr. Maevius confirmo ut supra.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Imposita Reo poenitentia per modum torturae potest Judex aliquo tempore, juxta arbitrium suum expectare, et videre, an non ipse resipiscat: in sua autem pertinacia permanentem postea iterum vocare, *et* examinare: quod si necdum debite respondeat, poenas et torturas adhibito praefato consilio, et protestatione augere: ac si nec tunc quid efficit, hoc interrogatorium ad torturas majores post datas defensiones adhibendas differre, interea autem ad alia interrogatoria pergere, cuncta vero, quae fiunt, per Notarium Actis inseri debent: sic ad casum nostrum.

Post duos dies A. R. P. Provincialis, videlicet Mensis. Anni denuo, et sic tertio constituit Reum, illumque praestito prius juramento de dicenda veritate interrogavit, an velit modo parere, ac debite respondere ad nuperum interrogatorium, videlicet, quid sit illud, ratione cujus timet perpetuos carceres? Resp. Rogo, dignetur mihi A. R. Paternitas legi facere meam responsionem ad hoc interrogatorium nuper datam.

Cum autem ei in hoc deferre nollet A. R. P. Provincialis, Dixit Reus: Ergo remitto me ad priora dicta.

A. R. P. Provincialis ulterius instabat, saepiusque monuit, et minatus est adhuc graviorem poenam et torturam, nisi debite responderet: sed nil effecit, reo permanente in suo antiquo responso dicendo: Jam respondi, quod dixi, dixi. Hinc eundem iterum dimisit prius jussum, ut praelectam hodiernam responsionem subscriberet.

Ego Fr. Maevius confirmo ut supra.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Discedente Reo A. R. P. Provincialis cum duobus Assessoribus consilium inivit, quid cum reo incipiendum esset: et consultatione facta decrevit, prout praesenti Decreto decernit, reum diutius adhuc torquere pane et aqua, addita etiam poena NN. Acta sunt haec Die. loco. quo supra.

Ego Fr. N. Assessor consului.
Ego Fr. N. Assessor ita suasi.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.

Notatur etiam, et Actis inseritur executio poenae facta.

Elapsis postea tribus diebus, Reus iterum vocatus apparuit coram A. R. P. Provinciali, et praemissa zelosa exhortatione minis variis mixta, praestitoque per reum juramento fuit interrogatus: An necdum timeat Deum, et in sua pertinacia, ac perjuris responsionibus persistere, an vero sincera confessione Deum et Judicem placare, sibique hic et in aeternum consulere vellet? Reus vero loco responsi partim lacrimans, partim indignans conquestus est, non Christiane, sed Tyrannice secum agi, dum jam per 5. dies non nisi panem et aquam gustaverit, et insuper illam gravissimam NN. poenam sustinere debuerit.

Ad quod A. R. P. Provincialis, esse in sua potestate, quavis hora liberandi se ab his poenis, dummodo ad interrogatorium propositum debite respondeat, quidnam scilicet sit illud, ratione cujus timet perpetuos carceres? Resp. Jam respondi, non possum aliter respondere.

Interrogatus, an non propterea timeat perpetuos carceres, quia furando calices, et Monilia B. V. M. gravissimum morte dignum commisit sacrilegium? Resp. Nil minus, quam ratione hujus timeo; in hoc enim tam innocens sum, sicut Infans adhuc uberibus matris adhaerens.

Interrogat. Quomodo possit negare, cum fuerit visus furari praefata Monilia et calices? Resp. Nequam et mendax est, qui dicit, me furatum fuisse ista, reservo mihi contra illum jura mea.

Interrogat. Qua fronte et praesumptione alios insimulare, et se innocentem dicere audeat? cum per testes et indicia convictus sit hujus furti? Resp. Fit mihi injuria, innocens enim sum.

Interrogat. Quid dicturus sit, si Testes in faciem ei dicant, quod haec furatus sit, et quid, si ille quoque per quem misit praefata furtiva ad puellam Bibianam? Et quid, si ipsamet Bibiana totam rei seriem jam manifestasset, et in faciem exprobare parata esset? Resp. Omnes mentiuntur. Ego sum innocens.

Tunc A. R. P. Provincialis de novo zelose adhortatus est eum, ut desisteret a tam mendaci, perjura, et malitiosa simulatione: admonuit eundem miserrimi status, in quem se conjiceret, et crederet, quod per media Reo adversa magis se intricet, quam extricet, et poenas non evadat, vel minuat, sed augeat. Fore enim, ut tanquam convictus consequenter gravius condemnetur, si sponte fateri nolit. Verum surdo cecinit: Reus enim nil aliud respondit, quam, sum innocens. Hinc videns A. R. P. Provincialis, se nil efficere, decrevit

dientes illum pro nunc dimittere, et opportuno tempore facere, quae sunt Juris prius autem jussus fuit subscribere praedictam sibi depositionem. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. Maevius N. confirmo ut supra.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. *Minister Provincialis.*
Ego Fr. N. Actuarius.

De Confrontatione Rei cum Testibus.

SUMMARIUM.

438 *Judex potest, sed non tenetur Reum confrontare cum Testibus: Quando expediat?*
439 *Quomodo fieri debeat Confrontatio haec?*
440 *Forma et praxis confrontandi.*

438 Si Judex nil efficit suis monitionibus et minis, Reo in suis negativis semper permanente, potest adhiberi Confrontatio Rei cum Testibus: Quamvis haec Rei Confrontatio cum Testibus non facile sit adhibenda in Processu Regularium, ubi Testes ordinarie debent manere occulti: Nec Judex Reo in Negativis permanente tenetur confrontare ipsum cum Testibus, etiamsi id Reus petat, sed sit in arbitrio ejus: tamen si inde speret effectum, adhibere eam potest etiam Judex Regularis praesertim in casu, quo Testis nil habet timere a Reo, simulque promptus est ad idem etc.

439 Ut autem debite fiat, debet fieri antequam Reo detur copia Actorum; quia est pars examinis non rigorosi, ante quod completum, Reo non dantur defensiones. Item debet Judex prius de illa adhibenda facere Decretum; dein vocare adhuc semel Reum, et illum interrogare, an in suis negativis persistat, postea mandare, ut introducantur Testes (et quidem unus post alium, si plures sunt confrontandi) introductus ponatur contra faciem Rei, et in illius prospectu deponat juramentum de dicenda veritate: quo praestito Reus et Testis unus post alium interrogentur, an noscant invicem? postea examinentur Reus etc. Omnia patebunt in casu nostro.

440 *Cum A. R. P. Provincialis videret, se monitionibus suis nihil efficere, sed Reum in negativa circa principalem Articulum, de furto calicum et Monilium pertinaciter permanere, perjuriae, et Dei offensam multiplicare, decrevit, prout praesenti Decreto decernit, confrontare Reum cum Teste Fr. Justo, qui ex proprio visu, et auditu deposuit de furto praefato, praesertim quia hic omnino paratus est ad eam, Reus vero eam timere videtur.*

Consequenter denuo vocavit, et coram se constituit Reum, cumque praemissa adhortatione convenienti, imposito et per Reum praestito juramento interrogavit, ut sequitur.

1. Interrogat. An necdum confiteri velit, quod ipse furatus sit calices et Monilia? Resp. Non possum fateri; quia non possum mentiri.

2. Interrogat. Quomodo possit negare, cum fuerit in flagranti deprehensus? Resp. fit mihi injuria.

3. Interrogat. Qua fronte negavit, si Testes omni exceptione majores in faciem ejus id testentur? Resp. Bona conscientia non poterunt dicere.

Videns itaque A. R. P. Provincialis se nil efficere, vocavit imprimis Fr. Justum N. supra jam examinatum, qui monitus et jurare jussus, praestito juramento, contra faciem Rei positus deposuit, ut sequitur.

Interrogat. An noscat sibi astantem, et sciat quomodo vocetur? Resp. Utique nosco, est Fr. Maevius.

Interrog. In causa scientiae? Resp. Quia jam per duos annos simul sumus de Familia.

Tunc A. R. P. Provincialis conversus ad Reum interrogavit ipsum, an noscat hunc coram se stantem virum? Resp. Optime nosco.

Casu quo Reus negaret, se noscere, non impedit, quin pergere possit Judex, si manifestum est, quod illum noscat.

Postquam Reus et Testes, se invicem noscere fassi sunt, A. R. P. Provincialis rursus ad Testem.

Interrog. An hic coram se existens sit ille ipse, de quo nuper in examine jurato deposuit. Resp. Is ipse est.

Interrog. An in illo examine veridice deposuerit? Resp. Utique, est enim gravissima res.

Interrog. An recordetur, quod nuper deposuerit Fr. Maevium furatum esse calicem et Monilia, et quidem his formalibus: Praelegi testi formalia depositionis suae nuper factae ad interrogatum 3. super Articulo 8. Quo percepto. Resp. Omnino recordor.

Interrog. An vera sunt ista, quae deposuit Reverentia vestra? Resp. Verissima sunt, et sicut nuper jam sub juramento, sic etiam modo jurato affirmo, et desuper mori volo.

Tunc A. R. P. Provincialis ad Reum conversus interrogavit eum: Quid modo ipse dicit?

Notandum, quod durante Confrontatione Actuarius cuncta notare, et scribere debeat, responsiones Rei, replicationes Testis, verba, motus, gestus, et alia ad rem facientia accidentia tam Rei, quam Testis; sicut in casu nostro.

Resp. Reus. mentitur, et gravissime mihi detrahit.

Fr. Justus N. vero, Clarissime Fr. Maevi putatne, me deliberate velle committere gravissimum peccatum mortale, dicendo talia de ipso, si non scirem.

Fr. Maevius, si unquam peccavit graviter, modo peccavit, tamen graviter mentiendo.

Fr. Justus N. Amore Dei, quomodo potest negare? Nonne ipsum deprehendi, dum in cella volebat involvere et mittere ad Bibianam? Nonne statim flexis genibus me rogavit, ne ipsum manifestarem Nonne ipsum fui adhortatus, ut a lurida et tepida sua vita aliquando desisteret, et ablata in secreto statim iterum restitueret? Ipse vero omnia facturum se promisit: dummodo non manifestaretur.

Haec dum Fr. Justus N. serena mente, cordate, et sine mutatione coloris aut vultus diceret, Fr. Maevius mutato subinde colore vultus Fr. Justum N. aspicere non audebat, sed in terram, vel ad latus respiciens, dicebat, sunt mera mendacia, sunt mera mendacia, loquitur ex odio et passione.

Fr. Justus N. Quomodo ex odio? tamen per totum annum nec verbo, nec facto offendimus invicem; imo speciali charitate et condolentia semper prosecutus sum eundem.

Fr. Maevius: quidquid sit: modo mentitur.

Tunc A. R. P. Provincialis: Miserrime Mortalium, quo usque malitia sua eum deduxit, ut non expavescat, continuis et gravissimis perjuriorum peccatis mortalibus offendere praesentem Deum, qui in ictu oculi potest ipsum perdere in gehennam. Resipiscat aliquando, et det gloriam Deo, fateatur humillime suam culpam: Ecce vultus et omnia ipsum produnt: Ecce non audet aspicere aliquem.

Fr. Maevius vero solum dicebat: sum innocens.

Fr. Justus N. econtra, quae dixi, verissima esse, jurata repeto, Deumque judicem justum denuo in Testem invoco, et desuper mori volo.

Fr. Maevius, et ego mori volo. Cum itaque uterque in suo dicto persisteret, et A. R. P. Provincialis cum reo etiam hoc medio nil effici cerneret, ambos dimittere, et ulterius, prout juris progredi decrevit: dato prius ambobus mandato, ut depositionibus sibi

praelectis subscriberent. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loc.

Ego Fr. Maevius confirmo ut supra.
Ego Fr. Justus N. ita deposui.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincielis.
Ego Fr. N. Actuarius.

De concedendis et admittendis Patrono, Procuratore, et Defensionibus.

SUMMARIUM.

441 *Finito examine rei, sive confessus, vel convictus sit sive non, debet judex reo etiam non petenti offerre Patronum, et Defensiones, easque concedere; nisi eisdem sponte renuntiet.*

442 *Reus potest etiam ex alieno Conventu, imo et Provincia petere Patronem, si causa esset valde ardua: saecularis vix concedi debet.*

443 *Si ipse reus vult facere suas Defensiones, loco Advocati petere potest Procuratorem.*

444 *Forma offerendi, deputandi, acceptandi Patronem et Defensiones.*

445 *Si reus renuntiat Defensionibus repetita vice, acceptatur, et Actis inseritur.*

446 *Patronus a reo nominatus vocatur ad Judicem, et si acceptat munus, debet jerare de officio fideliter exequendo.*

447 *Si nominatus Patronus ex causa rationabili munus recusat, alium concedere debet Jedex: si vero ex causa insufficienti recusat, illum instante reo compellere debet ad acceptandam.*

448 *Patrono acceptanti munus, consignat Actuarius copiam Actorum; prius tamen a se authenticatam. Et quomodo?*

441 Examine Rei finito debet Judex Reo offerre Patronom, seu Advocatum ex Ordine tamen, et Defensiones cum competenti termino trium, vel quatuor dilationum, assignato pro quavis spatio trium dierum v. g. Quae oblatio fieri debet, etiamsi Reus jam confessus, et convictus esset; nisi ipsemet Patrono, et Defensionibus sponte renuntieret, quem renuntiationem Judex non facile, vel statim recipere, sed oblationem adhuc repetere debet essecurando, quod libentissime audire et examinare velit, quidquid pro sua Defensione attulerit. Quo facto, si Reus nihilo minus jo sua Renuntiatione manet, eam acceptare, et ad sententiam progredi poterit.

442 Caeterom Patronum etiam ex alio Convento, imo exigentibus circumstantiis, et gravitate causae etiem ex alia Provincia, raro autem saecularem sibi ipsi eligere poterit. Reus, quem electum Judex admittere et deputare, eique juramentum de Officio fideliter exequendo offerre debet.

443 Si Reus ipsemet Defensiones suas facere, et loco Patroni seu Advocati Procuratorem petit, ei etiem deferri debet.

Forma autem offerendi, et deputandi Patronum, et Defensiones patebit ex sequentibus casus nostri.

444 *Cum ex actitatis hue usque contra Fr. Maevium accusatum de delictis, prout supra in libello Accusationis, tales emerserint probationes, et indicia, ut verisimiliter appareat, ipsum revera commisisse delicta, de quibus accusatus fuerat; quia vero Reus principalia delicta, videlicet sacrilegia, furta Monilium a statua B. V. M. pendentium, et caliceum constanter negat, uti patet ex Actis, A. R. P. Provincialis ordinem juris servare volens, eundem in rigoroso examine per torturam constituere decrevit. Quoniam vero tortura adhiberi nequit ante datas et concessas reo Defensiones. Hinc ulterius decrevit, prout praesenti Decreto, decernit. memorato reo offerre Patronum, et copiam Actorem* (absque tamen nominibus Accusatoris et Testium) *cum spatio octo dierum ad hoc, ut intra hoc spatium quidquid pro innocentia et defensione sua conducere potaverit, producere valeat: vel, si mavult loco copiae Actorum per suum Patronum lustrare in camera nostra ipsum Processum originalem, id etiam concedit; habitis tamen prius a reo pro recte receptis, et examinatis, salvisque exceptionibus et repetitione etc. ac sine praejudicio ulterioris Processus et examinis; hoc, et omni meliori modo etc. Datum Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si ex Actis apparet, Reum jam esse confessum, et plene convictum de crimine, consequenter torture necessaria non sit, tunc conformiter circumstantiae mutatis mutandis fit Decretum praefatum v. g.

Etsi ex actitatis hac usque liquido constat, Reum Fr. N. jam esse confessum, vel convictum de crimine N. volens nihilominus A. R. P. Provincialis ordinem juris servare, decrevit, prout, etc. ut supra.

Potest etiam unico Decreto tres dilationis terminos simul concedere v. g. cum spatio 12. dierum, ita ut 4. pro uno, alii 4. pro 2. do, ultimi 4. dies pro tertio dilationis termino peremptorie serviant.

Decretum deio potest Judex vel ipse Reo praesenti oretenus intimare, vel eidem per Notarium notificare. Quidquid fit, inseritur Actis v. g.

Praefatum Decretum per me infra scriptum fuit intimatem Reo Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si Reus renuntiet Patrono, et Defensionibus repetita vice oblatis, diligenter inserendum est Actis: 445
Si vero Reus acceptat, debet sibi Patronum eligere, et coram Judice manifestare, Judex vero acceptare sequenti forma.

Anno Mense. Die loco. comparuit coram A. R. P. Provinciali Fr. Maevius N. et gratiis actis pro oblatis Patrono, et Defensionibus, ac termino concesso, omnia acceptavit, et in Patronum suum elegit P. Justinianum N. Theologiae Lectorem, cujus electionem A. R. P. Provincialis acceptavit, et memoratem P. Justinianem N. reo in Patronum indulsit.

Ego Fr. Maevius acceptavi, nominavi.
Ego Fr. N. Minister Provincielis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Postea vocatus coram A. R. P. Provinciali comparuit P. Justinianus N. Theologiae Lector, et fuit ei intimatum, quatenus illum Fr. Maevius in Advocatum elegerit in causa Criminali, quae actitatur contra ipsum, hinc interrogatus, num onus acceptare velit? Et respondente ipso affirmative, A. R. P. Provincialis eidem juramentum de officio fideliter exequendo obtulit, quod ipse tacto pectore etiam praestitit. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco. 446

Ego Fr. Justinianus N. acceptavi et juravi.
Ego Fr. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

447 Si nominatus Patronus officium ex causa rationabili et legitima, v. g. quia acta docere, vel conciones inevitabiliter habere deberet, Reus autem est in alio Conventu, ad quem Patronus conferre se deberet, debet Reus alium nominare, et quod fit, Actis inseri.

Si vero absque rationabili causa recusat, v. g. quia hoc officium est ei odiosum, vel quia non vult se reddere odiosum, vel quia deberet multum temporis insumere etc. debet Judex, si reus instat, recusantem sub poenia Juris compellere ad munus acceptandum. Formam talis compulsionis vide apud Lodovicum de Ameno *in Formal. Criminal. sect. VI. num. VII.*

Non videtur causa sufficiens ad recusandum munus Advocati, seu Patroni, quod quis dicat, se non esse versatum in jure, nec juri studuisse, neque habere praxin ullam in hac re, debere primum diu studere; si Reus haec omnia jam scit, et ipsum elegit; quia sibi computare habet Reus, quod talem et non alium eligat. Debet tamen dein taliter electus studere, legere, et peritiores etiam (si ad manus habeat) interrogare, ut officio suo rite satisfacere queat. Serviunt pro hoc libri praxin Criminalem tradentes, inter quos ad hominem omnino est Lodovicus de Ameno *in Practic. Criminal.* Serviet etiam, si legit ea, quae hic pro praxi damus.

448 Postquam Patronus acceptavit munus, et juramentum de officio suo fideliter exequendo praestitit, debet eidem vel ipsi Reo, aut Procuratori ipsius, si Advocatum nolens, se ipsum defendere vult Reus, Actuarius dare copiam Actorum (nisi potius Patronus velit lustrare originalem Processum) copiam a se prius authentisatam, ita tamen, ut in copia occultet nomina Accusatoris, et Testium: potest etiam brevitatis causa omittere ea, quae Reum non gravant, nec ad defensionem ejus serviunt. Caeterum collationem et authentisationem facit sequenti forma, legit nempe solus, aut cum alio de verbo ad verbum, et confert cum Originali copiam a se, vel alio descriptam, et subscribit eidem, ut sequitur.

Supra scripta copia fuit de verbo ad verbum cum originali per me infra scriptum collationata, et in omnibus, quantum de Jure, concordat. In quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Actuarius.

Dein consignet Patrono Rei, vel ipsimet Reo, vel Procuratori illius, factamque consignationem, et tempus illius inserit Actis.

Anno. Mense. die. loco. per me infra scriptum Actuarium fuit P. Justiniano N. Patrono vel Procuratori Fr. Maevii praesentata copia Actorum de verbo ad verbum collationata, et authentisata, qui eam recepit reservatis sibi de Jure reservandis, in quorum fidem etc.

Ego Fr. Justinianus N. Patronus, vel Procurator.
Ego Fr. N. Actuarius.

De iis, quae agere debet Patronus, vel Procurator, aut etiam Reus pro Defensione causae.

SUMMARIUM.

449 *Advocatus seu Patronus debet ex Actis, et reo se bene informare in causa: Et si necesse est, aut utile judicat, petere prorogationem termini, ac nomina Testium, et accusatoris.*

450 *Forma hujus petitionis, et concessionis.*

451 *Ex causa rationabili debet Judex saepius prorogare terminum: Et quomodo?*

452 *Si reus intra peremptorie praefixum terminum non comparet, vel non respondet, vel defensiones suas non producit, pro contumaci declarari, et etiam sententia contra ipsum fieri potest, et debet: Quomodo?*

453 *Patronus non potest suadere reo, sed potius dissuadere debet, ut delictum vere commissum neget.*

454 *Si reus jam apparet confessus, vel convictus, suadeat ei, ut desistat, et se humiliet etc.*

455 *In casu, quo defendendus videtur reus, potest et subinde debet Patronus facere Articulos interrogatoriales, seu interrogatoria Testibus jam examinatis proponenda.*

456 *Quid sint, et quomodo formari, ac praesentari debeant?*

457 *Oblatis interrogatoriis examinantur super illis Testes, et quomodo?*

458 *Quid faciendum, si Testis in hoc secundo examine variat?*

459 *Testium repetitio facta communicatur Patrono.*

460 *Post factam repetitionem Testium, potest, et debet subinde offerre articulos defensionales.*

461 *Forma et praxis offerendi hos articulos.*

462 *Si Articuli aliqui impertinentes ponantur, moderari, corrigi, vel etiam deleri possunt: et quomodo?*

463 *Super Articulis defensoriis a Patrono propositis examinantur Testes ab eo producti: et quomodo?*

464 *Patronus potest appellare, si Judex Testes pro reo adductos non debite examinaret.*

465 *Examen Testium pro reo completum communicatur Patrono.*

466 *Quo habito praeparat se ad Defensiones.*
Forma defendendi reum. Ibid.

467 *Patronus potest, et debet etiam contra unum vel plures ex Diffinitorio excipere; si videntur suspecti: praxis hujus Exceptionis.*

468 *Si causa Exceptionis est justa excluditur, contra quem fuit exceptum, si non est justa, rejicitur: Et num. praeced.*

Patronus ante omnia exacte informare se debet 449
in causa, tum ex Actis, tum ex Reo. Ad quem finem debet Reus eidem fidelissime aperire, et sincere fateri an, et qualiter sit Reus, nihil prorsus eundem celando (tenetur enim Patronus ad secretum graviter) Patronus vero debet diligenter lustrare Acta, et notanda sibi notare pro defensione Rei (de quo vide Ludovicum de Ameno *Tit. Patronus XX. q. 1. a n. 165.*)

Si ex Actis, et discursu cum Reo judicat, Reum si non totaliter, tamen ex parte defendi, et saltem a poena ordinaria liberari posse, impendat omnes vires. Et si consideratis considerandis ad finem hunc necessarium putet, habere copiam Actorum, de verbo ad verbum non cum nominibus Accusatoris et Testium, illam petere, et Judex dare debet, prout amplius remonstrat Lodovicus de Ameno *in Pract. Criminal. Tit. Patronus. XX. § 4. a n. 37.* Pariter si videt, terminum praefixum sibi non sufficere, petere, et Judex concedere debet prorogationem illius. Forma petitionis patet ex casu nostro.

Coram A. R. P. Provinciali Ministro N. Fr. Ja- 450
stinianus N. Patronus (vel ipse Reus, aut Procurator illius) *comparet, et petit terminum concessum utpote ex certis causis sibi nimis brevem prolongari. Insuper petit, integram copiam Actorum, appositis etiam suo loco nominibus Accusatoris, et Testium, cum*

intendat contra earum personas legitime excipere, protestando etc. Salva semper erga A. R. P. Provincialem reverentia, et sic instat omni meliori modo etc.

Ego Fr. Justinianus N. peto, et insto ut supra.
Ego Fr. N. Actuarius.

Hujusmodi petitionem Actuarius registrat, ut sequitur: *Praefata comparitio et instantia praesentata fuit per eundem Patronum Fr. Justinianum N. et recepta inter Acta. Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Actuarius.

Percepta Instantia Judex deliberat, et nisi causa urgens, ac evidens obstet, defert Instanti et petenti, facto ad id Decreto v. g.

Considerata rationabili instantia Fr. Justiniani N. Patroni, eam admittens, et, et in quantum etc. A. R. P. Provincialis praecepit prorogari terminum ad octo alios dies ad producenda ea, quae pro defensione rei facere possunt. Indulsit etiam, ut integra copia Actorum una cum nominibus Accusationis et Testium eidem daretur. Acta sunt haec etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Die praefati Mensis, et Anni praefatum Decretum Patrono intimatum, et copia integra juxta petitionem data est.

Ego Fr. N. Actuarius.
Ego Fr. N. Justinianus Patronus.

451 Si saepius etiam ultra tres vices petitur prorogatio, ex causa vere rationabili, eam concedere, sicut econtra rejicere debet Judex, si manifeste patet, tantum ad protelandum judicium peti prorogationem, vel dat ultra tertiam dilationem ex abundanti aliquam peremptorie tamen sequenti Forma.

Quamvis reo, vel Patrono rei sufficientissimum jam indulsimus spatium, et etiam bina vice prorogaverimus illud, (ut patet ex Actis) ad producenda ea, quae pro defensione sua fore judicaverit, nihilominus ex abundanti terminum praefixam adhuc semel, et quidem ad alios quatuor dies peremptorie tamen, et ita prorogare decrevimus, ut, si intra praefatos dies defensiones suas non producat, infallibiliter ea, quae Juris sunt, actum, et ad ulteriora progressuri simus. Acta sunt haec etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

452 Si intra terminum peremptorie praefixum Patronus, vel Reus suas defensiones non offerret, per sententiam pro contumaci declarari, ac ad ulteriora procedi debet; adeo, ut etiam ad definitivam sententiam devenire Judex posset, nisi per rationabilem causam a contumacia se purget Reus. Idem censendum, et Reus pro contumaci declarandus est, si peremptorie citatus non comparet; vel si durante Processus interrogatus non respondet. Notandum tamen, quod, quamvis Judex, postquam Reum post litis contestationem pro contumaci jam declaravit, possit etiam examinatis et consideratis causae meritis, et probationibus devenire ad sententiam definitivam; tamen Reum etsi jam contumacem declaratum debeat adhuc citare ad sententiam definitivam, modo infra n. 486. allegando.

Porro Formula declarandi aliquem pro contumaci in substantia ita fieri potest.

Cum elapsi essent termini ad comparendum, vel respondendum, vel defensiones suas producendas, et A. R. P. Provincialis adhuc per aliquot dies exspectasset, reus vero tamen non comparuerit, vel non responderit, vel nullas defensiones produxerit, ideo eum pro contumaci, poenasque contumaciae incurrisse declaravit, ac contra illum tanquam contumacem ad ulteriora prout Juris, progredi decrevit. Dein citatur ad audiendam sententiam, quae fieri potest contra contumacem juxta dicenda infra. Jam vero ad casum nostrum.

Illud specialiter observare debet Patronus, quod nunquam suadere possit Reo, ut neget delictum revera commissum, aut ut ad interrogatoria sincere non respondeat, sed id potius dissuadere, et corrigere Reum debeat, si hactenus jam falsa respondit, hoc ipso, quod duplici peccato mortali contra obedientiam nempe, et virtutem Religionis teneatur Reus veridice respondere.

453 Hinc si Cliens suus vere reus est criminis, non debet, nec potest in defensione sua articulare, quod crimen non commiserit, aut sit innocens etc. Sed debet aliunde quaerere remedium juvandi Clientem, et eum saltem ab ordinaria poena liberandi, impugnando v. g. indebitam formam Processus, vel demonstrando delictum non esse plene probatum, vel Testes non esse omni exceptione majores etc.

454 Si vero deprehendit ex Actis, Reum jam esse confessum, aut convictum, suadeat Reo, ut a causa desistat, judicisque clementiae se subjiciat, et per humilem ac sinceram delicti confessionem inter poenitentiae et emendationis signa judicem ad mitiorem sententiam permoveat; ubi enim Reus jam confessus, aut legitime convictus dignoscitur, tempus per ulteriorem Processum inutiliter perditur, et Rei causa non melior, sed deterior evadit, poenaque ipsius non minuitur; sed augetur.

455 In casu autem, quo defendere oportet Reum, debet ante omnia formare, et judici offerre Articulos interrogatorios, seu interrogatoria, et instare, ut fiat repetitio Testium, seu proponantur illa interrogatoria Testibus jam examinatis contra Reum pro fisco, si putat, quod exinde aliquod argumentum sui defensorium, et sibi favorabile sit reportaturus; secus omittere potest, et offerre Articulos, et Defensiones probatoriales, vel ipsam statim defensionem. Nec enim est absolute necessarium ad defensionem Rei offerre Articulos, sed dari potest casus, quod absque illis v. g. ex ipso Processu solo sufficienter formetur, ostendendo v. g. delictum non esse probatum, Testes aperte sibi contradicere, vel non esse omni exceptione majores, non esse observata substantialia etc.

456 Porro Articuli interrogatoriales nil aliud concernere debent, quam majorem declarationem illorum, quae Testes jam deposuerunt, ex qua declaratione Reus, seu Patronus ejus sperat ansam defendendi se v. g. *secundus Testis Fr. Justus N. fuit interrogatus, an Fr. Maevius furatus sit calicem*; et *non fuit interrogatus de tempore*: Facit Patronus interrogatorium et a Judice proponendum: Interrogetur, *quo tempore furatus sit?* quia forsan ostendere potest, se illo tempore alibi fuisse, consequenter furtum non commisisse. Qualiter autem Articuli formari, offerri, et instantia pro repetitione Testium fieri debeat, ex sequentibus patet.

Anno. Mense. Die. loco. comparet coram A. R. P.

Provinciali P. Fr. Justinianus Procurator Fr. Maevii Rei praetensi, et nomine sui Principalis petit, ut fiat repetitio Testium infra specificatorum, contra se pro fisco examinatorum, et proponantur eisdem interrogatoria infra pariter specificata, videlicet.

Interrogatoria Testibus proponenda.
Testis secundus Fr. Justus N.

1. *Interrogetur, Quo tempore fuerit in mea cella habitum afferens?*
2. *Qualis fuerit habitus?*
3. *An prius pulsaverit ad januam cellae, antequam fuit ingressus?*
4. *Quare non statim indicarit Superiori?*

Testis primus Fr. Homobonus N.

1. *Interrogetur, Qua die, et hora fuerit apud Bibianam, et calices viderit?*
2. *Interrog. Quare non statim arguerit Bibianam, vel calices ab ea petierit, si certo cognovit, esse nostros?*
3. *Interrog. Quandonam calices et Monilia fuerint perdita?*

Ego Fr. Justinianus N. Patronus Rel.

Haec et similia interrogatoria plura Testibus examinatis uni, vel pluribus proponenda formare poterit, prout nempe pro defensione sui Clientis utile, vel necessarium duxerit.

Factae et praesentatae instantiae tempus registrat Actuarius, ac etiam acceptionem a Judice factam. v. g.

Praefata instantia una cum interrogatoriis praesentata, et ab A. R. P. Provinciali, si, et in quantum etc. accepta fuit. Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Oblatis et acceptatis Articulis interrogatoriis Judex vocat, et examinat Testes denominatos super interrogatoriis propositis.

457 *Anno. Mense. Die. loco. vocatus comparuit Fr. Homobonus N. testis alias pro informatione Curiae informatus, et ad instantiam Fr. Justiniani N. Theologiae Lectoris, iterum examinandus super interrogatoriis a se datis, prout supra in Actis, qui praestito juramento de dicenda veritate, et exhortatione debita praemissa, respondit, ut sequitur.*

Interrogatus super primo? Resp. Dici, non amplius bene recordor.

Dictum est ei, ut aliquantum se reflecteret; et post spatium respondit: contigit die 8. Maii circa horam 2.

Interrog. super secundo. Resp. Non statim me resolvere potui, quid agere deberem, praesertim cum calices nonnisi involutos viderim.

Interrog. super tertio. Resp. Recolligam me, et post intervallum dixit die 6. vel 7. Maii.

Quibus habitis depositionem sibi praelectam, cui addere, vel demere quid noluit, subscribere jussus, et dimissus est imposito silentio.

Ego Fr. Homobonus deposui ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Postea eadem adhuc die et loco vocatus comparuit Fr. Justus, Testis pro informatione Curiae pariter jam examinatus, et modo ad instantiam Patroni denuo examinandus, qui praestito juramento solito ad interrogatoria respondit, ut sequitur.

Interrog. super primo. Resp. Parum me recolligam, et postea dixit 7. die Maii contigit.

Interrog. super secundo. Resp. Erat habitus Æstivalis.

Interrog. super tertio. Resp. Utique pulsavi; quia tam inurbanus non sum, quod Sacerdotis cellam ingrediar sine pulsu praevio.

Interrog. super quarto. Resp. Volui parcere famae; quia res erat occulta, et ipse mihi promittebat, quod illa nocte adhuc vellet restituere.

Et his depositionem finivit, eamque sibi praelectam subscribere jussus est.

Ego Fr. Justus ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Notandum, quod quando testis variat, aut contradicit dictis prioris examinis, debet Judex quaerere rationem variationis; qui si causam rationabilem reddit, bene, si non suspectus est de subornatione facta per Reum, et proin torqueri potest Testis, de quo vide Ludovicum de Ameno *in Practic. Criminali sect. 6. n. 22.* 458

Facta repetitione Testium hujusmodi traditur Patrono copia Testium authentica repetitorum. 459

Anno. Mense. Die. loco. postquam completa fuit Testium repetitio, decrevit A. R. P. Provincialis, ut authentica copia ipsius traderetur Patrono, in quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Decreto conformiter eadem die copiam prius de verbo ad verbum collationatam et authenticam Patrono ad me vocato tradidi, qui ea recepta gratias egit, in quorum fidem etc.

Ego Fr. Justinianus N. Patronus.
Ego Fr. N. Actuarius.

Habita copia praefata debet Patronus diligenter lustrare, an Judex omnes Testes examinarit, juxta interrogatoria eidem publicata, et, si videt, quod unum, vel aliud indebite omiserit, debet de novo facere instantiam, ut suppleatur, alias appellare super gravamine intendit: Si vero Testes rite examinatos invenit, videre et considerare debet, an et quae ex repetitione Testium serviant, ut ea dein in Defensione habere valeat. Ante Defensionem autem debet formare, et offerre Articulos defensionales, quos probare debet vel ex Actis, vel per Testes de novo productos, vel per alia instrumenta, et probationis media, si videt, quod pro Defensione necessarii, vel utiles sint; secus omittere, et ipsam statim Defensionem facere, ac offerre potest, uti supra *n.* 445. de Articulis interrogatoriis dictum est. 460

Porro si Articulos defensorios offert, debet simul etiam designare Testes examinandos super quovis Articulo; et instare, ut recipiantur, ac Testes desuper nominati examinentur prout juris; totum liquet in casu nostro. 461

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. Justinianus Patronus Fr. Maevii Rei praetensi, et praesentat infra scriptos Articulos defensorios ad favorem sui Principalis, instatque, et petit, ut super iis examinentur Testes infra designati, (si Testes successive producere vult juxta dicta supra *n.* 353.) tunc loco *infra signati*, ponit, *quos opportuno tempore producet. Articuli vero sunt sequentes, quibus ponit, et asserit, verum esse.*

1. *Quod puella Bibiana die 8. Maii non fuerit domi ab hora duodecimo, usque ad horam sextam.*

2. *Quod septimo Maii tam Monilia quam calices fuerint in suo loco.*

3. *Quod septimo Maii Fr. Maevius habitum Æstivalem nondum habuerit, nec portaverit.*

4. *Quod Fr. Justus sit capitalis inimicus Rei.*

5. *Quod Fr. Titius Accusator sit infamis, utpote, qui jam semel accusavit, ut in probatione defecit.*

6. *Quod Fr. Maevius diligens semper fuerit in Choro.*

7. *Quod Judex nullam possit condemnare, nisi confessum, vel convictum.*

Testes examinandi.

Puella Constantia famula Bibianae, et uxor Æditui Civitatis super primo.

P. Primitivus, et Joannes Servitialis in Sacristia super secundo.

Quivis ex Conventu obvius super tertio et sexto.

Super quarto patet ex Processu, ubi deposuit Fr. Justus, ipsum lethaliter vulneratum esse a Fr. Maevio, consequenter ipsius saltem praesumptum esse inimicum, sive vere, sive falso deposuerit.

Fr. Aurelius super quinto.

P. Lector Theologiae Marius super septimo.

Ego Fr. Justinianus Patronus Rei.

462 Notandum, quod, si Reus, aut Patronus Articulos impertinentes, superfluos, ad rem non facientes, periculosos etc. proponeret, Judex illos corrigere, moderare, differre, vel totaliter delere et omittere posset, apponendo cuivis causam, et censuram, cur id faciat: sic in casu nostro.

Consideratis, et bene ponderatis Articulis Defensoriis A. R. P. Provincialis censuit primam differre, et si necessarii non fuerint, omnino omittere; tum quia Testes saeculares super illo fuere denominati: tum quia denominatae notorie patiantur exceptionem. Sextum autem etiam tanquam ad causam nihil facientem omnino delevit: sicut et septimum utpote non Facti, sed Juris quaestionem continentem: Reliquos si, et in quantum de Jure, admisit, salvo Jure. Acto sunt Die. Mense. Anno. loco

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si vero Articulos absolute acceptat Judex, notatur in Actis ut.

Praesentati fuerunt supra scripti Articuli, et ab A. R. P. Provinciali acceptati, si, et in quantum, salvoque Jure illos moderandi Die. Mense. Anno. loco.

Ego Fr. N. Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

463 Oblatis et acceptis Articulis Defensoriis Judex Testes a Patrono nominatos vocat, et examinat in favorem Rei eodem modo, quo prius Testes in Processu informativo contra Reum examinari solent, ita tamen, ut illos super Articulis a Reo propositis non per ambages, sed simpliciter interroget, v. g. An sciat, vel putet Articulum esse verum, quamvis in causa scientiae, et de Contestibus Interrogatoria ex officio facere, simulque attendere debeat, an non Testes sint subornati, et inique instructi, cum praejudicio justitiae vindicativae.

Porro Testes super Articulis Defensoriis producti etiam super Generalibus interrogari debent: quia ordinarie sunt novi Testes in causa nondum examinati, sicut jam examinati sunt illi, qui super Articulis interrogatoriis fisci examinantur, et consequenter super generalibus non amplius interrogantur. Res patebit in casu nostro.

Consequenter vocatus comparuit Fr. Primitivus denominatus Testis a Patrono, et praestito juramento de dicenda veritate respondit, ut sequitur.

Testis primus Fr. Primitivus.
Ad Generalia.

1. *Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. Vocor Fr. Primitivus.*

2. *Interrog.* Fiunt interrogatoria ut supra *n.* 372. mutatis mutandis.

Ad specialia super Articulo 2.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. scio pro certo.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp. Quia die septimo Maii legi in Altari B. V. M et meis oculis adhuc tunc vidi Monilia pendere; habuique unum ex calicibus, qui nunc dicuntur perditi.*

3. *Interrog. de Contestibus? Resp. Monilia viderint omnes in Ecclesia existentes: de Calice notitiam habebit Sacristanus, utpote praeparans illum quotidie pro usu Sacerdotum.*

4. *Interrog. An nil aliud haberet, quod proponeret? Resp. Non.*

Quibus habitis fit clausula ut supra.

Ego Fr. Primitivus.
Ego Fr. N. Minister Provinciali
Ego Fr. N. Actuarius.

Post hunc vocatus comparuit Servitialis Sacristiae, Testis a Patrono productus, cui juramento praestito, et audita exhortatione, A. R. P. Provincialis sequentia proposuit.

Testis secundus Servitialis.
Ad Generalia

Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. etc. Fiunt proportionata Generalia ut supra *n.* 374.

Ad Specialia super Articulo 2.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Ita A. R. P. Provincialis.*

2. *Interrog. In causa scientiae? Resp. Quia Monilia, et calices ambo adhuc vidi hora 11. quando finitis Missis claudebam Ecclesiam, et Calices ad suum locum reposui.*

3. *Interrog. An bene sciat, fuisse illos Calices, qui modo sunt perditi? Resp. Optime scio, quia perfecte nosco.*

4. *Interrog. de Contestibus. Resp. Non dubito, quin plures viderint Monilia, et plures Sacerdotes habuerint calices ad sacrificandum.*

5. *Interrog. An nil aliud haberet dicere? Resp. Non.*

Quibus habitis etc. clausula ut supra.

Ego Joannes Servitialis ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Subsequenter vocatus comparuit Fr. Aurelius Testis a Patrono productus, et deposito juramento respondit, ut sequitur.

Testis tertius Fr. Aurelius.
Ad Generalia.

1. *Interrogatus, quomodo vocetur? Resp. ut supra.*

Ad Speciale super Articulo 5.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Puto esse verum*

2. *Interrog. in causa scientiae? Resp. Audivi ab aliis*

3. *Interrog. A quibus audierit? Resp. Non amplius bene recordor.*

4. *Interrog. An Fr. Titius tanquam Accusator in probatione deficiens fuerit penitus? Resp. Hoc non audivi.*

Quibus habitis, fit clausula ut supra.

Ego Fr. Aurelius ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Postea vocatus comparuit Fr. Pomponius Testis a Patrono productus, qui praestito juramento deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia ut supra.
Ad Specialia super Articulo 5.

1. *Interrogatus, an sciat Articulum esse verum? Resp. Pro certo non possum dicere, quia tantum audivi a Fr. Aurelio, quasi Fr. Titius in Conventu N. accusasset Fr. N. et probare non potuisset.*

Quibus habitis etc. ut supra.

Ego Fr. Pomponius ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

14 Si Patronus ex relatione Testium a se productorum resciret, quod Judex illos pro favore Rei deponentes, aut deponere volentes increparit, deterruerit, impedierit, vel Actuario prohibuerit, ne Depositiones aliquas scriberet, vel ipse Judex dictatas non fideliter dictaret etc. potest Patronus contra illum tanquam suspectum appellare, de quo vide Ludovicum de Ameno *in Formular. Criminal. sect. 6. n. 32.*

15 Completo examine Testium a Patrono designatorum, aut productorum, consignatur copia authentica examinis Patrono.

Anno. Mense Die. Cum Testium a Patrono super Articulis defensoriis productorum completum esset examen, decrevit A. R. P. Provincialis copiam illius authenticam Patrono communicare, prout Juris, in quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Conformiter Decreto eodem die Patrono ad me vocato memoratam Copiam prius de verbo ad verbum collationatam consignavi, qui ea recepta gratias egit. In quorum fidem etc.

Ego Fr. Justinianus Patronus.
Ego Fr. N. Actuarius

Habita copia hujus examinis rursus videt Patronus, an Judex super cunctis Articulis, et alias rite perfecerit examen: si reperit defectus insta[t], si nullus, praeparet se ad faciendas Defensiones. In faciendis autem Defensionibus studeat claritati, brevitati, et soliditati, omittendo minora motiva et argumenta, si efficacia et demonstrativa habet. Studeat etiam efficaciora ad finem allegare. Forma Defensionum aliqua patet ex sequenti.

In Nomine Domini Amen.

A. R. P. Provincialis, et AA. RR. PP. de V. Diffinitorio etc. *Constat AA. RR. Paternitatibus, quod infra scriptus ego considerans in me defectum tam scientiae, quam praxis in re Criminali, munus patrocinandi meo Principali, Reo praetenso nonnisi invitus, et ex obedientia susceperim, susceptum autem fideliter exequendi juramentum deponere debuerim, consequenter non uno, sed pluribus titulis obstrictus maneam, Clientem meum pro possibili defendendi. Hinc omnia, qua decet reverentia sequentia pro Defensione Principalis mei proponere volui, firmiter sperans, fore, ut AA. RR. Paternitates Vestrae, praesertim A. R. P. Provincialis tanquam Judex Ordinarius ex officio suppleturi sint ea, quae tenuitas mea, vel omnino omisit, vel defectuose adduxit; cum juxta communissimam DD. in Jure fundatam doctrinam, Judex ex officio non tantum debeat indagare, et facere, quae pro rei favore salvis Jure et Justitia servire possunt, sed Lex etiam praecipiat, ut pro favore rei suppleat ea, in quibus tenuitas Advocati defecit.*

Ad propositum itaque pro plena Defensione mei Principalis facit primo quod nullum ex delictis principalibus plene sit probatum.

Secundo Quod etsi dato non concesso, probatio aliqua appareret, nullius efficaciae contra Principalem meum esset, eo quod (salvo semper respectu A. R. P. Provincialis) in Processu nec forma debita, nec essentialia Juris sint observata.

Tertio etc Quoad 1. constat ex Actis, principalia, in quibus Fr. Maevius Principalis meus fuerat accusatus, esse furtum Monilium e Statua B. V. M. pendentium, et Calicum e Sacristia; ac vulneratio Fr. Justi, neutrum autem horum in Actis apparet probatum.

Nam de furtis loquendo, patet ex Actis, quod unicus Testis de visu fuerit adductus nempe Fr. Justus, qui nec plene, nec semiplene, imo nihil probat in hac causa, quia notissimi Juris est, quod unicus etiam omni exceptione major Testis plene non probet, unde c. Veniens. de Testib. expresse statuitur, quod nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus; quia juxta vulgare relatum in summario, c. Cum nobis, de Testib. Vox unius, vox nullius.

Neque semiplene, imo nil probat: quia est inimicus mei Principalis; cum testibus Actis ex propria ipsius confessione (quae contra ipsum, non vero contra meum Principalem probat) fuerit a praetenso reo graviter vulneratus. gravis autem vulneratio omnino facit, quod vulneratus a tempore vulnerationis praesumatur inimicus vulnerantis, seu habeatur pro praesumpto gravi inimico vulnerantis; prout cum communi aliorum Ludovicus de Ameno *in Practic. Criminal. Tit. Quales esse debeant. II. §. 2. n. 39.* bene docet.

Nec dicat aliquis, furtum Sacrilegum esse unum de exceptis criminibus, contra quae etiam inhabiles probant Nam contra est, quod inimicitia adeo inhabilitet testem, ut in nullo quantumvis alias excepto crimine contra inimicum testificari valeat, juxta communem DD. arg c. Per tuas. 32. §. Nos vero, de Simonia

Accedit praesumptio contra hunc Testem ex ipsius Depositione: Ad interrogatorium enim tertium eidem in repetitione propositum Respondit, quod antequam ingressus fuerat cellam Fr. Maevii, prius pulsaverit ad januam cellae. quis autem credat, quod Fr. Maevius ad pulsantem non clamasset, ut exspectaret, si memoratas res furtivas ibidem apertas habuisset.

Nec gravatur indiciis: Inventa enim ab eo clavis regia nullam facit praesumptionem. Nocturna visitatio B. M. V. sapit devotionem Quod fuerit in Sacristia, sufficientem allegavit causam. Ex Litteris

nil clare habetur, ut legenti patet. Effractio carceris nec delictum nec indicium importat; quia fuit justa, et licita, hoc ipso, quod Fr. Maevius innocens, consequenter injuste fuerit incarceratus: injuste autem incarceratus potest sine culpa et poena effringere carceres juxta communem DD.

Pariter nec plena, nec semiplena probata existit vulneratio Fr. Justi meo Principali imputata, ob fundamenta dicta: cum de illo unicus iterum testis Fr. Justus Fr. Maevii inimicus, consequenter nil probans existat; prout etiam solemniter contra illum tanquam inhabilem Testem excipio.

Cum itaque ex hucusque deductis satis constat, quod de Fr. Maevio delictum aliquod nec plene, nec semiplene sit probatum, nec indicia contra ipsum militent, recte concluditur, meum Principalem sine ulteriori dilatione esse absolvendum, nec torqueri posse. Econtra Accusatorem Talione esse puniendum. Quod cum Justitiae conforme sit, ab Æquitate AA. RR. Paternitatem Vestrarum indubitate speratur. Ita etc. Salvo etc.

Ego Fr. Justinianus Patronus.

Hoc vel simili modo facta Defensio praesentatur judici, et praesentata registratur. Si in Defensione contra aliquam personam excipit ex causa Criminosa, vel turpi: debet apponere clausulam protestatoriam, videlicet, *quod haec proponat absque animo injuriandi, offendendi, aut diffamandi, ad puram nempe, et necessariam Defensionem sui Principalis*: ob quod etiam crimen simpliciter: sine exaggeratione, imo diminute quasi proponere debet. Relatio praesentationis fit sequenti modo.

Praesentatae, et Actis appositae fuerant Fr. Maevii Rei Defensiones quae incipiunt etc. et desinunt etc. Die. Mense. Anno. loco. In quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Actuarius.

467 Si Reo, vel Patrono unus, vel plures ex Diffinitorio merito sunt suspecti, potest oblatis Defensionibus etiam contra illos excipere instando apud A. R. P. Provincialem, ne illos ex causa allegata merito suspectos ad judicandum in hac causa admittat. In qua tamen Exceptione, seu Recusatione causa suspicionis legitima allegari, et probari debet per Testes, vel alia legitima probationis media a Patrono exhibita; quod si causa insufficiens quidem sed non probata intelligatur, rejicitur instantia Patroni: si vero legitima et probata, vel alias evidens apparet, admitti, et illi, qui recusantur, per Decretum a judicatora excludi debent. v. g.

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. Justinianus Patronus Fr. Maevii Rei praetensi de Criminibus, prout in Processu, et dicit, personas P. N. et P. N. sibi merito esse suspectas, eo quod notorium sit, unum esse Fratrem Accusatoris, alterum vero Patruelem; quapropter ex causa praefata in Jure fundata illos ut Conjudices recusat, et vult, ut nullo modo, et nunquam in Diffinitorio admittantur ad consulendum, vel judicandum in hac causa, protestando de nullitate Actuum, si aliter fieret, prout etiam in eventu appellat ex nunc pro tunc, et petit Apostolos instanter, instantius, instantissime. Acta sunt haec Die. Mense. Anno.

Ego Fr. Justinianus Recuso, appello, ut supra.

Die. Mense. Anno praefata instantia praesentata, ac si, et in quantum acceptata, Actisque inserta, in quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

468 Si causa Recusationis liquido non constat, coram A. R. P. Provinciali legitime probari debet, juxta dicta, de quo videatur Ludovicus de Ameno in *Formul. Criminal. sect.* 6. *num.* 39. *et* 40. Si probatur, vel alias in facto evidens, eo in Jure fundata existit, desuper pronuntiatur. In casu nostro cum causa recusandi in facto et Jure liquida supponatur, fit Decretum exclusionis, sequenti modo.

Consequenter cum A. R. P. Provincialis vellet congregare Diffinitorium, vel eidem communicare Acta ad consultandum, an, et quomodo Reus sententiari, vel torqueri deberet, reus vero, vel Patronus illius recusasset, R. P. N. et R. P. N. ne unquam admitterentur in hac causa ad consultandum, vel judicandum, idque expressa manifesta causa, eo quod scilicet unus esset Accusatoris Frater germanus, alter vero Patruelis, decrevit, prout de facto decernit praefatos PP. NN. excludere. Ut autem horum loco alii substituerentur, vocavit AA. RR. PP. NN. ipsosque consuluit, quosnam loco exclusorum substituendos putarent, et auditis eorum consiliis decrevit substituere PP. NN. Acta sunt haec Die. Mense. Anno.

Ego P. N.
Ego P. N.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

De Responsionibus Actoris, vel Advocati Fiscalis contra Defensiones Rei.

SUMMARIUM.

469 *Oblatis Rei Defensionibus, si Processus per Accusatorem, vel Denuntiationem judicialem fit, debet Accusator, vel Denuntiator ad eas respondere, easque impugnare, si vero per Inquisitionem ex mero officio fit, praestat hoc Advocatus Fiscalis, et non Judex.*
Praxis contraria reprobatur. Ibid.
470 *Praxis citandi Accusatorem ad impugnandas Defensiones Rei.*
471 *Quomodo Accusator, vel Denuntiator, aut Advocatus Fiscalis, ad Defensiones Rei respondere, easque impugnare debeat?*
Forma hujus practica? Ibid.

469 Praesentatis per Patronum Defensionibus Rei, citatur Accusator, vel Denuntiator Judicialis, et monetur, ut, si quid contra Defensiones Rei proponere velit, id intra certum assignandum Terminum faciat: Vel si Processus fit per viam Inquisitionis ex mero Officio, deputatur Advocatus Fiscalis ad respondendum contra Defensiones Rei pro Justitia vindicativa.

Quamvis enim apud nonnullos Regulares usus, et praxis obtinuerit, ut completo examine Rei, oblatisque Defensionibus Patroni, Judex ipse respondeat ad jura, et rationes Defensionis pro Reo oblatas; sive dein Processus ad instantiam partis, sive ex mero officio Judicis inquirentis fiat. Tamen melius, jurique ac Justitiae conformius est (prout bene demonstrat Ludovicus de Ameno *in Pract. Criminal. Tit. Patronus, num.* 187.) ut in casu, quo Processus ad instantiam partis, puta Accusatoris, vel Denuntiatoris Judicialis fit, Actor post oblatas a Reo Defensiones citatur, et monetur, ut, si quid dicere habet contra Processum Defensivum (hujus nomine veniunt omnia, quae pro Defensione Rei post communicationem Actorum facta sunt, puta, interrogatoria

et Articuli a Reo vel Patrono ejus oblati, Repetitio testium, Defensiones, Exceptiones etc.) intra terminum eidem praefigendum proponat. Ad quem finem ei etiam debet Copia omnium Actorum, si petit, communicari. Hoc ipso enim, quod Accusator in probatione deficiens, ad poenam Talionis, et calumniae tenetur, ei non minus, quam Reo communicari debent Acta, ad defendendum se, et ostendendum, quod rite accusaverit. Item ad refutandas Defensiones a Reo propositas, et deducendum, quod eis non obstantibus Reus ad exemplum aliorum vindicta publica affici debeat. Id quod Accusator principaliter intendit.

Quod si Processus ex mero Officio Judicis inquirentis instituitur, deputatur Advocatus Fiscalis, qui Defensiones Rei impugnet, sicut Accusator: de quo vide infra num. 471. Caeterum Citatio, et monitio Actoris, seu Accusatoris, vel Denuntiatoris in casu nostro fit, ut sequitur.

470 *Receptis Defensionibus Rei, volens A. R. P. Provincialis ulterius procedere citavit Fr. Titium Accusatorem, eumque monuit, ut, si quid forsan contra Processum Defensivum proponere haberet, id in tempore faceret. Accusator autem his oretenus perceptis statim rogavit, ut eidem prius communicarentur Acta, quatenus videre possit, an, et quid adhuc in causa expediat. Cui illico deferens A. R. P. Provincialis mandavit mihi, ut permitterem Actorem lustrare Acta, et volenti etiam authenticam Copiam Actorum, juxta petitionem ipsius darem, assignato quatuor dierum spatio, intra quod proponenda proponat. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco.*

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Dein describit Actuarius, vel describi facit Acta, (vel si Actor contentus est, brevitatis causa permittit ipsum lustrare Originale) eaque prius debite collationata, et authentisata praesentat Accusatori, vel Denuntiatori, aut Advocato Fiscali (si Processus per viam Inquisitionis fabricatur) et praesentationem registrat; ut sequitur.

Anno. Mense. die per me Actuarium Fr. Titio Accusatori praesentata fuit Copia Actorum de verbo ad verbum collationata, et authentisata, et assignatus terminus pro respondendo indicatus eidem, qui reservatis sibi de Jure reservandis accepit, et gratias egit. In quorum fidem etc.

Ego Fr. Titius Accusator.
Ego Fr. N Actuarius.

471 Porro sive Accusator, sive Advocatus Fiscalis pro Justitia vindicativa respondet, et Defensiones impugnat, debet in modo respondendi idem fere observare, quod supra n. 460. diximus de Patrono: hac tamen cum distinctione, ut sicut hic pro Reo, ita ille contra Reum et Defensiones ejus pro justitia vindicativa, quidquid potest, proponere debeat. In casu nostro Accusator contra Reum, et Defensiones illius ita respondit.

In Nomine Domini Amen.

AA. RR. Patres de V. Diffinitorio, officio suo debita cum reverentia et obedientia intra terminum sibi assignatum satisfacturus comparet F. Titius, et contra reum ac Defensiones illius pro Justitia vindicativa respondet, quod etsi Officium Judicis exigat ut Judex pro reo indaget, et faciat quae pro rei favore servire possunt, ac propterea etiam tenuitatem Patroni supplere debeat; tamen idem Judicis Officium etiam requirit, ut pro Justitia vindicativa quoque omnibus viribus vigilet et laboret, indeque defectum et tenuitatem Actoris, vel Advocati Fiscalis in iis saltem, quae Juris sunt, suppleat, ne aliis delictis manentibus impunitis, alii liberius peccent, scandala crescant, mala invalescant, magno cum praejudicio, imo et ruina Monasterii, Provinciae, et Religionis. Religionem enim, in qua delicta manent impunita, ruinae proximum, et actu jam miseram, malamque esse, bene observat Doctor noster Seraphicus S. Bonaventura afferens distinctionem inter bonam et malam Religionem dicendo, hanc ab illa discerni non ex eo, quod etiam in bona Religione non fiant aliquo mala, sed quia in hac, mala non manent impunita. Accedit, quod ubi Superiores delicta non puniunt, Deus ipsos, et integras Communitates punire soleat. Quapropter non minus ac Patronus Rei confido in nota aequitate et justitia AA. RR. Paternitatum Vestrarum praesertim A. R. P. Provincialis tanquam Judicis ordinarii, minime dubitans, eos majorem habituros respectum pro bono Communi, quam unius privati praesertim, qui reus et quidem malitiosus liquido apparet. Nec enim pro illo quidquam faciunt Defensiones a Patrono illius allatae, quibus ostendere frustra nititur, delicta principalia, in quibus reus fuit accusatus, nec semiplene esse probata, consequenter reum esse absolvendum, et Accusatorem esse ad poenam Talionis condemnandum.

Nam contra est, quod ex Actis evidenter apparent, delicta principalia, si non plene, saltem plus quam semiplene esse probata, et per consequens, si non ordinaria, saltem extraordinaria poena reum affici, vel torqueri posse, Accusatorem vero ab omni poena immunem esse; cum juxta vulgaria Juris etiam semiplene tantum probans poenis Talionis, ac calumniae minime subjaceat juxta communem DD. et Praxin, nostrumque criminalem ℣. Accusatio §. IV.

Quod autem delicta principalia, et imprimis Sacrilega furta plus quam semiplene probata sint, patet ex Processu offensivo: siquidem de memoratis furtis adest imprimis Testis de visu Fr Justus, qui etiam solus jam semiplene probaret, cum unus omni exceptione major Testis de visu semiplene probet, juxta Gloss. communiter receptam in l. 3. C de Reb. Credit. ℣. decidi oportet, per Jura ibidem copiose allegata.

Nec obest, quod contra illum tanquam praesumptum ex facta vulneratione inimicum, et consequenter inhabilem excepit Patronus: Tum quia testibus Actis Fr Justus sacrilega furta de Fr. Maevio, Superiori jam manifestavit, antequam a Fr. Maevio vulneratus, et inde ex praesumptione inimicus illius factus erat. Tum quia etiam post vulnerationem amicus illius permansit, et realem amicitiam erga illum exhibuit, rogando pro illo apud Judicem, ne ob vulnus sibi inflictum Fr. Maevius puniatur, quod verissimum amicitiae signum omnem inimicitiae praesumptionem excludit; utpote quae semper cedit cognitae veritati, per vulgaria Juris: Tum quia simul plura et quidem talia concurrunt indicia, quae una cum ipso (etsi dato non concesso praesumptus inimicus, et consequenter Testis omni exceptione major non esset) si non plene, saltem plus quam semiplene probant.

Indicia autem sunt Primo, Confessata clavis Regia, seu adulterina, quae ordinarie furem indicat.

Secundo, *quod in loco furti, in Ecclesia scilicet, et Sacristia januis clausis tempore nocturno, et quidem importuno, ac solus fuerit deprehensus.*

Tertio, *quod per duos Testes omni exceptione majores plene probatum existat, res furtivas fuisse visas apud puellam Bibianam, cum qua suspectissimam consortium Fr. Maevius habet, et quae altera die negavit, quod a duobus visum est: quod ipsam puellam plene suspectam reddit.*

Quarto, *effractio carceris juncta fugae Rei grave indicium facit.*

Quinto, *furtum praefatum clare indicant litterae a Reo ad Bibianam scriptae, prius saepius perjure negatae, postea cum confusione confessatae; hae enim, quia expresse continent Fr. Maevium misisse Bibianae aliqua, ratione quorum, si manifesta fierent, perpetuos timet carceres, quod aperte indicat, ipsum misisse res furtivas, et quidem tales, quarum furtum, sicut apud saeculares mortem, sic apud Regulares perpetuos carceres inducit: Monilia nempe, et calices, quos sacrilege ablatos Fr. Justus in cella Fr. Maevii vidit, et ex ore ejus audivit, ac quos duo alii in domo Bibianae, cui fuerant missi, propriis oculis conspexerint, quae gravissima indicia simul juncta et uni Testi de visu conjuncta plenam probationem facere videntur, vel certe probationem plus quam semiplenam efficiunt; praesertim quia scriptura propria confessata plene probat contra scribentem, L. Publica. § fin. ff Depositi. Cum concordant. Ae indicia simul juncta praesertim gravia inducunt praesumptionem Juris.*

Pariter plus quam semiplene probata existit vulneratio; dictum enim ipsius vulnerati, effractio carceris per Reum facta, et fuga ejusdem, nec non clamor Fr. Justi, quod actu Reum apprehenderit, utique plus quam semiplene vulnerationem probant.

Estractio carceris denique violenta ex propria confessione rei, consequenter optime probata habetur; cum propria confessio sit optima probatio per vulgaria Juris.

Ex quibus cunctis patet, quod si Reus ratione furtorum sacrilegorum, et vulnerationis non ad poenam ordinariam, saltem ad extraordinariam condemnari, vel pro veritate adhuc magis eruenda torqueri valeat.

Ratione autem violentae effractionis carcerum, utpote confessata reum ordinaria poena affici debere, dubio caret Et quia sola violenta et injusta carcerum effractio de Jure Civili poena capitis, consequenter apud Regulares perpetuis carceribus punitur, absque ulteriori Processu reus ad eosdem condemnandus videtur, non obstante, quod Patronus in Defensionibus dicat, reum injuste carceratum, carceres juste effregisse. quia ex dictis evidenter patet, carcerationem hujus rei fuisse justissimam. Et quamvis AA. RR. Paternitatibus quidquam praescribere nullatenus praesumam: tamen pro administratione justitiae juxta Leges, Canones, et Statuta nostra ex zelo Religionis et justitiae, omni meliori modo justo, Salvis etc.

Ego Fr. Titius Accusator.

Hujusmodi responsio ab Accusatore, vel Advocato Fiscali contra Defensiones Rei dari potest (ut patet) et debet magis ex jure deduci et probari. Hic ob brevitatis causae tantum rudem aliquam formulam damus. Casu quo autem Actor visis Actis nil amplius proponere, sed enocta justitiae judicis relinquere vellet, prout ordinarie fit, et ad Processum abbreviandum fieri expedit, si ex Processo patet, quod Reus jam confessus, vel convictus habeatur Reus, et ipse dein Actor citatur ad audientiam sententiam juxta dicenda infra a *numero* 484.

De Tortura.

SUMMARIUM.

472 *Apud nos sine consilio, et consensu Diffinitorii, vel proborum, ac peritorum Reus torqueri non potest.*

473 *Oblatae defensiones, et earum impugnationes ante Torturam communicari debent Diffinitorio, vel probis, ac peritis: et quid hi facere debeant?*

474 *Qui jam confessus, vel convictus est de aliquo crimine, ratione illius nequit torqueri.*

Quinam torqueri valeat? Ibid. et num. seq.

475 *Modus torquendi apud Regulares quinam usitatior?*

476 *Ante Torturam fit Decretum de consulendis illis, quorum interest. Formula hujus n.* 469.

477 *Sub Tortura notantur omnes actus, et gestus Rei.*

478 *Modus decernendi Torturam, et ultimo monendi, ne examinandi Reum ante illam.*

479 *Modus torquendi Reum.*

480 *Confessio in Tortura facta, ut probet, debet altera die in banco Juris ratificari, et quomodo?*

Bancus Juris quid? Ibid.

481 *Ratificatione facta datur Patrono Copia examinis cum termino respondendi, quare non debeat ad poenam ordinariam condemnari.*

482 *Si expediens videbitur, communicatur Patroni Defensio Actori, vel Advocato Fiscali pro responsione, haec vero iterum et ultimato Patrono. Horum praxis.*

Oblatis a Patrono Defensionibus, et contra eas 472
Responsionibus Actoris, vel Advocati Fiscalis Judex apud nos illas una cum aliis Actis Diffinitorio communicare debet, ad audienda consilia, et vota eorum, an, et qualiter torquendus sit Reus. Quia in Ordine nostro absque consilio et consensu Diffinitorii nec Reus sententiari, nec torqueri potest, nisi ratio suaserit, et pro adhibenda Tortura loco Diffinitorii probi et periti assumantur ex conventu, ubi fit Processus, vel vocentur ex vicino uno vel altero Conventu. Cujusmodi ratio, et causa esset, si Diffinitores essent inexperti in causa Criminali, vel pro ac contra affecti Reo, aut esset valde incommodum convocare propterea Diffinitorium: ob quam ultimam causam in majoribus Provinciis, ubi Patres Diffinitorii longe ab invicem sunt separati, ad Torturam adhibendam plerumque sufficit consilium proborum et peritorum, qui commodius haberi possunt.

Habita copia Actorum tenetur quivis ex Diffi- 473
nitorio apud nos, (apud alios, quorum est de Jure) legendo et perpendendo acta videre, an statim et qualiter sententiari, an vero prius torqueri possit, ac debeat Si statim sententiandus, et non torquendus, utpote jam confessus, vel convictus apparet, debent ante sententiam responsiones Actoris, vel Advocati communicari Patrono Rei, ejusque replicatio desuper audiri, et tunc primum sententia ferri, ita ut ultimo audiatur Reus, seu Patronus ejus, ut bene observet Ludovicus de Ameno *in Pract. Criminal.*

Si vero Reus nec confessus, nec convictus, et 474
per consequens nec sententiandus apparet, debent illi, quibus competit, (apud nos Diffinitorium, vel probi et periti) diligenter examinare Processum tam Defensivum, quam Offensivum, et videre, an, et qualiter possit, aut debeat torqueri, si ex Processu constat, Reum jam esse confessum, vel convictum nil in contrarium probantibus Defensionibus, torqueri apud nos non potest, hoc ipso, quod exinde condemnari valeat, consequenter Tortura amplius necessaria non sit, ut bene habet textus *Practicae nostrae Criminal. Tit. Tortura. § VI.* Si autem non confessus nec convictus existit Reus, et tamen semiplena, vel plus quam semiplena adest probatio contra ipsum, torqueri potest leviter vel gravius pro diversitate delicti, juxta *cit. Practicam nostram, loc. cit. § V.*

475 Modi torquendi sunt varii; inter quos apud Regulares frequentior, et commodior est ercitatio Rei (ut vocant) quae consistit *in repetita flagellatione*, propriis manibus Rei facienda, *ac jejunio* in pane, et aqua. Item flagellatio, qua per unum, vel duos alios Fratres Laicos Reus *omnino nudus* solis indutus femoralibus per tria intervalla flagellis, nodosis funibus, aut virgis acutis tot ictibus graviter caeditur, quot Judex determinaverit (quos caedentibus non idem Reo prius indicat) quod etiam bis vel ter repeti poterit; ut habet textus *nostrae Practicae loc. cit.* §. *II.*

Debiles autem, infirmi, pueri, et senes sexagesimum annum attingentes apud nos torqueri non possunt.

476 Ante torturam debet fieri Decretum, et inseri Actis subscriptum e consultis et consentientibus Diffinitoribus, aut probis et peritis, contra quod Decretum, si appellat Reus, attendi non debet, sed Tortore executioni mandari, in Actis autem notari, quod Reus ad effugienda tormenta appellaverit quidem, sed appellatio non fuerit attenta.

477 Sub actuali Tortura Actuarius notare debet et scribere in Actis omnia, quae dicit, vel facit Reus in tormentis.

478 *Consequenter A. R. P. Provincialis attendens, quod Fr. Maevius N. super principali Articulo de furto calicum, et Monilium nec confessus, nec plene convictus, bene vero graviter indiciatus, et plus quam semiplene probatus appareat, inhaerendo Constitutionibus Ordinis, consilium eorum, quorum de Jure, adhibere voluit, num et quomodo torqueri debeat Reus. Et quoniam nidem summe incommodum videbatur congregare ob causam hanc totum Diffinitorium, Patribus, per plures distantes Conventus, dispersis, vocavit ex hoc Conventu M. V. P. N. Lectorem Theologiae, et ex illo Conventu P. N. etc. in re Criminali magis expertos, eosque requisivit, ut lustratis et pensatis Actis, solum Deum prae oculis habentes, suam manifestarent mentem, et praeberent consilium, num et qualiter in hac causa locus sit Torturae. Acta sunt haec Die. Mense, etc.*

Ego Fr. N. Theologiae Lector.
Ego Fr. N. Theologiae Lector.
Ego Fr. N. Lector Jubilatus.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Altera die, eodem loco omnes praefati rursus convenerunt, et habita conferentia concluserunt, quod cum testibus Actis super principali aliquo Articulo, de furto videlicet monilium et calicum etc. non tantum semiplene, sed etiam plus quam semiplene probatio adsit, camque non infirmarent Defensiones a Patrono Rei oblatae: delictum vero gravissimum furtum Sacrilegum sit satis atrox, reus praemissa adhuc semel gravi monitione, et minis omnino torqueri possit et debeat: et quidem ita, ut per duos Fratres Laicos virga acuta nudus per tria intervalla graviter caedatur, dando nidem primo intervallo 10. ictus: altera vice tertia vice, 20. idque tribus sequentibus diebus pro arbitrio A. R. P. Provincialis repeti possit, si in perjura negatione persistat. Acta sunt haec Die. etc.

Ego Fr. N. Theogiae Lector.
Ego Fr. N. Theologiae Lector.
Ego Fr. N. Lector Jubilatus.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Anno. Mense. Die. Loco. volens satisfacere votis Patrum peritorum decrevit A. R. P. Provincialis Fr. Maevium N. Reum in rigore constituere, et torquere, prius tamen adhuc monere, et minis terrere. Quapropter vocavit ipsum, et delato ipsi, praestitoque juramento de dicenda veritate, charitative et serio ipsum admonuit, quod quamquam apud Judicem, certum et indubitatum sit, ipsum esse Reum furti monilium et calicum, tamen conclusum fuerit hoc scire ex proprio ore Rei, det ergo gloriam Deo, et dicat sincere, quare furatus sit praefata. Resp. Jam dixi me esse innocentem.

Dein rursus fuit monitus, ut sponte fateretur veritatem, alias per Torturam cogetur ad fatendum, Resp. In Nomine Domini; incipiam mecum, quidquid velint: ego sum innocens, et vindicabit Deus, si innocentem hominem torquebunt.

Videns autem A. R. P. Provincialis, quod veritas aliter quam confessione ipsius haberi non posset, Reus vero in pertinaci negatione permaneret, decrevit, prout de facto decerait, reum juxta vota Proborum et Peritorum, ut supra, torquere, ita ut nudatus, et manibus ligatus a duobus fratribus Laicis virgis acutis graviter, toties, quoties ei visum fuerit, caederetur: ubi tamen protestatus est, hanc Torturam fieri absque praejudicio jam probatorum, aut confessatorum ad solum finem habendi veritatem super caeteris; et hoc Decretum in facie ipsius Rei lectum, et intimatum fuit Die. Mense. Anno. Loco.

Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Pro Decreti executione vocati sunt Fr. N. et Fr. N. Laici, qui ex mandato A. R. P. Provincialis duxerunt reum ad Cameram N. tanquam locum pro Tortura electum, et spoliaverunt eum usque ad femoralia, manusque illius ligarunt; sub spoliatione autem non cessavit A. R. P. Provincialis charitative monere, ut fateretur veritatem, et sincere dicat, quare, et quomodo furatus fuerit Monilia B. V. Mariae, et calices, adhuc esse tempus evadendi tormenta. Resp. Reus, jam dixi, non possum aliter respondere, patiar innocens propter Deum, qui propter me graviora passus est innocens. 479

Postquam spoliatus, et ligatus fuerat, jussit A. R. P. Provincialis Laicos, ut arriperent virgas. Reo autem dixit, jam ultimo moneo ipsum verbis, ut fateatur veritatem, postea incipient verbera. Resp. Jam dixi veritatem, et propter veritatem volo pati, nolo enim mentiri.

Tunc mandavit A. R. P. Provincialis, ut inciperent valide percutere, donec juberet cessare, interponendo spatium dimidiae Ave Maria inter unum et alium ictum; quod et fecerunt, numerante interim A. R. P. Provinciali ictus in secreto per globulos Rosarii sui.

Ad primum statim validum ictum exclamavit, O Injustitia!

Pergentibus autem Fratribus percutere, rursus exclamavit, O Crudelitas injusta!

A. R. P. Provincialis vero interea continuo varie exhortatus est Reum ad fatendam veritatem. Resp. Etiamsi occidant me, non possum aliter dicere! O Juste Deus! adjuva me, et vindica hanc injustitiam.

Finitis 10. ictibus praecepit Laicis; ut cessarent ad aliquod intervallum, reum vero alloquens ait: Videat Charissime Fr. Maevi! qualiter existat diaboli Mancipium, qualiter suis perjuriis cruciet animam et corpus: vult vitare poenas temporales, et conciliat sibi aeternas, ipsasque temporales augebit: quo magis enim perjuria multiplicabit, eo magis

augebit poenas per sententiam inferendas, et eo gravius adhuc torquebitur: Dicat ergo, et fateatur veritatem.

Resp. Reus, Amore Dei, ergo nondum satis saeviit in me? Adhuc semel tam crudeliter tractabunt me?

A. R. P. Provincialis: utique non tantum semel, sed saepius adhuc, et semper severius ita excipietur virgis hisce, donec fateatur veritatem.

Resp. Non possum aliter respondere.

Tunc mandatum est Fratribus Laicis, ut denuo inciperent, et validius quam prius ictus facerent, vix autem unus primum perfecit ictum, statim clamavit reus dicens: Cesset, non possum amplius pati, volo itaque cuncta fateri.

Dictum est ei, ut incipiat fateri, postea illico cessabitur: cum autem tergiversaretur, alter etiam percussit: Reus autem rursus clamavit: Cessate; fateor me furatum fuisse calices monilia.

Tunc mandavit A. R. P. Provincialis, ut cessarent: Ad Reum autem conversus ait: Laudetur Deus, quod tandem aliquando incipiat sapere, et desinat Deum tot perjuriis offendere etc. Dicat ergo, quare, et quomodo furatus sit? Resp. Rogo per amorem Dei pro meo habitu, et omnia dicam.

A. R. P. Provincialis ei statim gratificavit, et permisit habitum: quo indutus Reus in genua praevolutus inter copiosas lachrymas rogavit veniam de tot mendaciis et perjuriis huc usque factis; fui deceptus a diabolo, et putavi, quod, cum unicus testis, videlicet Fr. Justus, sciret meum delictum, et consequenter plene probare non posset, vellem cuncta negare, et negando evadere poenas. Sed fateor proh dolor! me tam monilia quam calices furatum fuisse.

Interrogatus, quomodo potuerit furari? Resp. Maledicta clavis Regia serviebat ad hoc

Interrog. Unde habuerit hanc clavem Regiam? Resp. Magister N. mihi eam fecit

Interrog. quando perpetrarit hoc furtum? Resp. die N. de nocte circa horam.

Interrog. Quare furatus sit ista? Non libenter dico.

Tunc A R P Provincialis ipsum adhortatus est, ut sincere fateretur. fore enim, ut per humilem confessionem, et spontaneam sui confusionem Deum (cui alias jam cuncta sunt cognita) sit aliqualiter placaturus, et veniam tot scelerum impetraturus. Resp. In Nomine Domini, propter Deum ergo fatebor: Volui proh dolor! apostatare, et cum Bibiana discedere: prius autem per res furtivas pretio vendendas, tot media procurare, ut inde commode possemus vivere

Interrog. An propterea alia adhuc furatus sit? Resp. Ita

Interrog. Quae? Resp. etc. etc.

Interrog. Ubinam habeat modo res furtivas omnes? Resp. partim misi, partim portavi ad Bibianam

Interrog. De sociis criminis? Resp. Sum solus in hoc, quia nulli fidebam.

Et quia hora erat tarda, fit clausula, et subscriptio, ut supra n. 382.

Ego Fr. Maevius depono ut supra.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

480 *Notandum hic, quod confessio, quam Reus occasione Torturae facit, non probet ad poenam ordinariam rei, nisi altera die extra locum Torturae, et absque vinculis in Banco Juris id est, ubi Tribunal erexit Judex, denuo cuncta, quae ei ab Actuario praelegantur, ratificet. Hinc sequenti die rursus vocatur, examinatur, reus, ut sequitur.*

Anno. Mense. Die Loco. coram A R P. Provinciali, et RR. PP. Assessoribus ac me infra scripto Fr. Maevius reus, vinculis solutis, et extra locum tormentorum positus, vocatus fuit ad ratificandum ea, quae heri in Tortura deposuit, prout supra in Actis: cui, postquam de dicenda veritate juravit, clara et intelligibili voce praelegi suam depositionem Qua audita.

Interrogatus fuit I. An modo bene audiverit, et intellexerit id, quod heri confessus erat? Resp. Ita

2. Interrog an sint omnia vera quae tunc dixit? an ea ratificet et an revera commiserit illa delicta, quae confessus erat? Resp. Sunt omnia vera; proh dolor! et utinam non essent vera.

3. Interrog. An libere ac sponte, vel potius ex metu ulterioris Torturae praefata crimina confiteatur, et ratificet? Resp. Coactus a veritate et timore Dei confiteor.

4. Interrog. An confessioni huic ratificatae vellet addere aliquid, vel minuere, vel quid aliud proponere? Resp. Nihil habeo dicere, quam ut pro clementia et misericordia humillime rogem

Tunc A. R. P. Provincialis acceptatis, si, et in quantum Depositionibus Rei ratificatis examen terminavit, et reum ad carcerem reduci mandavit, simulque decrevit, ut Patrono daretur Copia Confessionis ratificatae, et constitutorum, nec non impugnationis, et Defensionum ab Accusatore oblatarum, assignato termino trium dierum ad producenda Jura, quare non debeat reus condemnari ad poenam ordinariam. In quorum fidem etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N Assessor.
Ego Fr. N. Assessor.
Ego Fr. Maevius confirmo ut supra.
Ego Fr. N. Actuarius.

Finito examine datur Patrono Copia Confessionis et constitutorum conformiter Decreto. 481

Die. Mense. Anno. Loco. per me Actuarium Fr. Justiniano consignata fuit Copia confessionis a reo ratificatae, et intimatum Decretum Judicis, ut intra triduum Defensiones praestaret, qui gratias agens terminum acceptavit, reservato sibi jure petendi legitimas Dilationes, si opus fuerit In quorum fidem etc.

Ego Fr. Justinianus Patronus.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si postea intra terminum assignatum Patronus nil amplius proponit, vel solum dicit, quod se clementiae judicis committat, uti fit, si Reus in et post Torturam confitetur delictum, registratur in Actis, et servatis servandis proceditur ad Sententiam.

Si verò post Torturam novas Defensiones, novaque jura allegat, debent ea pro responsione communicari Accusatori, vel (si ex mero Officio Processum sit) Advocato Fiscali, et hujus responsio denuo communicari Patrono, ut ultimate respondeat: quae tamen breviter fieri possunt, v. g. si Patronus post ratificatam confessionem in Tortura factam ita patrocinaretur. 482

Die. Mense. Anno Loco. comparet Fr. N. Patronus etc. et dicit, quod quamvis multa haberet contra suarum Defensionum impugnationem ab Accusatore factam, nihilo minus, quia Reus modo cuncta delicta sponte confessus est, nil amplius proponere habeat, nisi hoc unicum, quod hoc ipso, quia Reus suo delicto sponte confessus est, mitius, et consequenter non ordinaria, sed extraordinaria poena afficiendus

sit, *cum juxta Municipalia, et communia Jura sponte confessus mitius puniri debeat, arg. can. Presbyterum.* 3. et *can. De his.* 38. *dist.* 50. et *L. 1. C. Quae appellat. non recipiend Ita, et omni meliori modo etc.*

Ego Fr. Justinianus Patronus.

Posset Actor, vel Advocatus Fiscalis breviter etiam oretenus coram judice ita respondere.

Multa illa, quae Patronus contra meam impugnationem habere se dicit, paucis, juvante Deo, et justitia refutare sperarem. Ad id, quod de novo producit, videlicet, suum Principalem, utpote sponte confessum esse mitius, consequenter, non ordinaria, sed extraordinaria poena afficiendum per Jura a se allegata. Resp. breviter, Reum Fr. Maevium neutiquam annumerari posse sponte Confessis, de quibus Jura allegata; siquidem haec solum illos sponte Confessos mitius puniri volunt, qui vel ante Accusationcm, aut inquisitionem se ipsos produnt, et humiliant, prout cum Glossa et aliis vult Abbas in c. De hoc. de Simonia. n. 8. Vel qui praecedente Accusatione, aut Inquisitione citati, in primo examine interrogati statim sine ulla negatione delictum fatentur, ut docet Farinacius in Praxi. q. 8. n. 177. et alii. Vel si omnino favorabiliter loqui velimus, qui in primo examine, seu constituto negavit, in secundo, vel saltem tertio confitetur, ut videre est apud Ludovicum de Ameno in Pract. Criminal. Tit. Reus. 11. a nu. 58. Neutiquam autem si etiam in tertio constituto neget, Decreta, et minas tormentorum exspectet; et multo minus, qui ipsa tormenta sustinere incipit, prout repetitis, ac deliberatissimis cum perjuriis malitiosissime fecit Fr. Maevius testibus Actis, qui propterea non tantum mitius, sed gravius poena ordinaria merito puniendus venit. Ita et omni meliori etc.

Fr. Titius Accusator.

Ad haec vero impugnationem utpote est claram Patrono communicatam, is, et quidem ultimo respondere posset. *Remitto me in cunctis Judicio et et Clementiae Judicis etc.*

Ego Fr. Justinianus Patronus.

Quod si Reus in Banco Juris constitutus iterum negaret, quae pridie in Tortura confessus est, posset ac deberet denuo torqueri. De quo vide Lodovicum de Ameno *in Formul. Criminal. Sect.* 7. *num.* 37.

De Sententia, et Observandis, faciendisque ante illam.

SUMMARIUM.

483 *Breviter recapitulando recensentur, quae fieri debeant ante Sententiam.*
484 *Citatio Rei ad audiendam sententiam est de substantia Processus.*
385 *Citatio oretenus fieri potest, si Reus et Actor sunt praesentes: si sunt absentes per Deputatum fit in praesentia testium.*
486 *Forma hujus Citationis.*
Non est necesse, ut Reus vel Actor intersint Sententiae, dum fertur, nisi jam essent in loco. Ibid.
487 *Recensentur plura necessaria requisita, et observanda circa ferendam Sententiam usque ad num.* 500.
500 *Forma Sententiae Definitivae.*
501 *Si Judex delegatus fert sententiam debet esse praesens, et alius praecedere.*

Constat jam ex dictis, quod finitio benigno, 483
id est, sine Tortura facto examine Rei debeant I. Reo offerri defensiones, cum assignatione termini juxta dicta *a n.* 441.

II. Si Reus non acceptat, sed forsan jam convictus vel confessus eis plene renuntiat, negotium et Processus brevi finitur; potest enim dein statim deveniri ad Sententiam, praemissa tamen Citatione joxte juxta dicta *n.* 441. et dicenda *infra.*

III. Si Reus Defensiones per Patronum oblatas acceptat, debet et concedi Patronus, quem sibi elegerit, et petenti etiam communicari Copia Actorum, etsi jam confessus, vel convictus esset, juxta dicta *a n.* 441.

IV. Debent Interrogatoria, Articuli, et Defensiones Patroni acceptari, et Processus Defensivus juxta dicta *a n.* 450.

V. Debent Defensiones oblatae communicari Actori, vel si Processus ex mero Officio judicis inquirentis instituitur, Advocato Fiscali, et Responsio ac impugnatio illius exspectari.

VI. Habitis Defensionibus Rei, et Responsione Actoris vel Advocati Fiscalis ad eas data, examinantur cuncta Acta ab iis, quorum est judicare (apud nos sunt Patres de V. Diffinitorio, quibus communicantur acta) et videre, an Reus torqueri, vel sine Tortura sententia ferri possit, ac debeat.

VII. Si apparet, quod Sententia absque Tortura ferri debeat, quia forsan Reus ex actis jam habetur confessus, vel convictus; vel quia ex alia ratione Tortura omittenda judicatur, communicatur Patrono Defensio, et Impugnatio ab actore, vel Advocato Fiscali facta, et datur ei terminus ad replicandum; Replicatione autem illius accepta, fertur Sententia, nisi talia *nova* specialia a Patrono essent proposita, *et* necessarium videretur judici, illa ad refutandum communicare actori, vel Advocato Fiscali.

VIII. Si vero consideratis considerandi videtur adhibenda Tortura, decernitur illa, et fit, juxta dicta *a n.* 474.

IX. Finita Tortura communicatur nova Rei Depositio Patrono illius. Et hujus nova Defensio, Actori (si necesse videtur) istius vero Depositio rursus Patrono; ac postea fit Sententia juxta dicenda *a num.* 484.

X. Si completis cunctis his Defensionibus, et Responsionibus apparet, quod Reus per Defensiones suas ita evacuaverit indicia et probationes Processus Offensivi, ut Crimen nec semiplene quidem existat probatum, debet Accusator, vel Denuntiator condemnari ad poenas calumniae (et apud nos etiam Talionis) ita tamen, ut ante Sententiam citetur ad dicendum, quare non debeat condemnari ad dictas poenas, pro quo in citationis Decreto assignatur ei terminus, intra quem defendere se potest. De quo vide Formulam apud Ludovicum de Ameno *in Formul. Criminal. sect.* 8. *nu.* 3. Nos hic damus dictorum Formulas practicas pro casu nostro.

XI. Quando autem ex Actis apparet, Reum esse confessum, vel convictum, vel crimen saltem semiplene, aut plus quam semiplene probatum, citantur tam Actor, quam Reus ad audiendam Sententiam certa die in Decreto citationis exprimenda faciendam. Ubi specialiter notandum, quod haec Citatio Rei ad audiendam Sententiam sit de substantia Processus. 484

Citatio tam Rei, quam Actoris oretenus, vel in scriptis, et per quemcunque ad hoc Deputatum fieri potest. Et quidem, si Reus et Actor sunt praesentes, expedit, ut statim oretenus citentur; 485

Citatio facta Actis inseratur. Si autem Reus est absens, (prout plerumque fit, hoc ipso, quod fabricato Processu non statim fecatur Sententia, sed Acta prius communicentur aliis (apud nos Diffinitorio) ut cuncta bene pondereot, an, et qualiter delictum sit probatum, qualiter condemnari vel absolvi possit ac debeat Reus, vel Accusator; interea autem Judex tamdiu non manest in loco, in quo Reus, et Accusator existit) commodius est, si det alicui commissionem, ut nomine ejusdem in praesentia testium citet, aut citationem scriptam consignet, et, quod factum est, referat. In nostro casu Res ita fieri potest.

486 *Postquam A. R. P. Provincialis acta jam completa prius a se bene perpensa AA. RR. et RR. Patribus de Diffinitorio communicavit, et quivis eorum consideratis considerandis ac probe cognitis meritis causae votum suum de Sententia ferenda manifestavit, idem decrevit, prout praesenti Decreto decernit, ut citentur Fr. Titius N. Accusator, et Fr. Maevius Reus, illiusque Advocatus ad audiendam Sententiam die. Mensis ferendam, et promulgandam in Conventu nostro N. Et quoniam citandi ita absentes distant, ut ad locum ferendae Sententiae personaliter venire ob certas causas commode non possint, decrevit idem A. R. P. Provincialis easdem Sententiam, postquam lata fuerit, et promulgata in praefato Conventu N. publicare per P. N. per quem etiam eosdem in praesentia duorum Testium nunc citari vult ad audiendam Sententiam. Acta sunt haec Die. etc.*

Notandum, non esse necesse, ut Reus, vel Actor sint praesentes in loco, ubi fertur Sententia, dummodo eis postea promulgetur; si tamen jam existunt in Monasterio, ubi fertur, omnino convenit, ut personaliter intersint, dum fertur, et promulgatur sententia.

Postquam Citatio est facta, fit relatio illius, et inseritur Actis.

Anno. Mens. Die. missa in Scriptis fuit relatio Citationis factae, sequentis tenoris. Nos infra scripti testamur, quod per P. N. Nomine A. R. P. Provincialis ad audiendam Sententiam definitivam die. Ferendam citati fuerint Fr. Titius N. Accusator, et Fr. Maevius N. ejusque Patronus Fr. Justinianus N. In quorum fidem etc.

Ego Fr. N. citavi.
Ego Fr. N. interfui.
Ego Fr. N. fui praesens.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si post factam Citationem Accusator, vel Reus adhuc aliquid proponit, debet illud Judex bene perpendere, et, prout aequum videtur, admittere, vel rejicere, et Sententiam die determinata ferre.

487 Porro circa Sententiam ferendam plura observanda habet Judex. *Primo*, quod ferri debeat juxta causae merita ex Actis habita, et consequenter debet esse absolutoria, si Reus invenitur *Innocens*: vel condemnatoria, si reperitur *nocens*; vel partim condemnatoria, partim absolutoria, si quoad aliqua *nocens*, ad aliqua *innocens* dignoscitur.

488 *Secundo* Nullus condemnari potest ad poenam ordinariam, nisi ex Actis appareat confessus vel convictus, vel utrumque.

Tertio. Potest aliquis condemnari ad poenam ordinariam, etiamsi non sit confessus, dummodo plene et rite convictus, v. g. per duos Testes omni exceptione majores, vel alia media plenam probationem facientia.

489 *Quarto*, quando Reus confessus, vel convictus est, debet necessario condemnari ad omnem, et solam poenitentiam ordinariam, id est, a SS. Canonibus et Constitutionibus Ordinis sancitam, nisi causa aliqua minuendi, vel augendi poenam ordinariam adsit, quae causa necessario exprimi debet in Sententia, si ob eam poena ordinaria augetur, vel minuitur. Nec enim potest Judex Regularis dispensare in Lege communi, neque in Statutis Ordinis, prout circa poenas Practica nostra Criminalis expresse ordinat *Tit. VI. Applicatio poenarum.* §. *fin.* ibi: *Di licet poenas has per statuta Generalia impositas Judex commutare, alterare, et moderare regulariter non possit, tamen in aliquo casu mutatis circumstantiis, et qualitatibus, cum consilio Patrum, qui ad ferendam Sententiam concurrunt, poterit augere, vel minuere lenitatem, vel rigorem poenarum, prout excessus, et defectus criminis, sive scandalum, aut peccandi fragilitas, et consuetudo suaserit. Item persona, locus, modus, et alia hujusmodi. Nullum tamen ei relinquitur arbitrium circa moderationem poenarum, ubi delicta, prout recensita sunt, committi contigerit.*

490 *Quinto*, licet Reus, qui nec confessus, nec convictus est, ad poenam ordinariam condemnari nequeat, potest tamen condemnari ad extraordinariam minorem ordinaria, si Reus graviter indicatus existit, praesertim, si plus quam semiplena probatio contra ipsum adsit; nisi se per Torturam purgaverit.

491 *Sexto*, Si Reus Torturam negando sustinet super illo, super quo tantum semiplena, vel plus quam semiplena probatio habetur, nulla nec extraordinaria poena ob id amplius puniri valet.

492 *Septimo*, Antequam feratur Sententia, de substantia requiritur, ut citetur Reus juxta dicta *n.* 484.

493 *Octavo*, Si ex Processu Reus ita reperitur innocens, ut nec semiplena probatio contra ipsum existat, absolvi, et Accusator ad poenas calumniae (apud nos etiam Talionis) condemnari, prius tamen citari, et audiri debet juxta dicta *n.* 483.

494 *Nono*, Debet Sententia in Scriptis ferri, et legi, id est, debet prius Scriptis mandari, et dein ex Scriptura legi.

495 *Decimo*, Si Reus est absens, debet eidem etiam in praesentia Testium in faciem legi Sententia, et legendo promulgari.

496 *Undecimo*, apud nos necessario requiritur, ut feratur cum consilio et consensu V. Diffinitorii: et quidem in praesentia V. Diffinitorii, vel saltem majoris partis, utpote conjudicis actu congregati, ut habet textus *in Pract. Crimen. Tit. Sententia* §. 4. et ibi Ludovicus de Ameno *num.* 32. Item debet esse subscripta manu judicis, et Diffinitorii, ac promulgari publice in Refectorio, aut saltem Diffinitorio, et potest factam promulgationem subscribi a Testibus ad id rogatis, ut testentur de promulgatione facta.

497 *Duodecimo*, convenit, ut Sententia etiam promulgetur in locis delicti (non tamen extra Ordinem) ut ubi scitur delictum, sciatur etiam poena: et in loco, ubi puniatur Reus, quatenus appareat, quare ita puniatur.

498 *Decimotertio*, in Sententia debet Judex recensere delicta per extensum, ut ex illis Delinquens, et aequitas poenae cognosci, caeteri autem a similibus delictis abstinere valeant

499 *Decimoquarto*, si Reus poenae statutariae capax non est, mutanda est in aequalem aliam. Ut autem in praxi res appareat, datur hic Sententia pro casu nostra hactenus ventilato.

In Nomine Domini Amen

500 *Haec est Sententia definitiva, in causa Criminali lata contra Fr. Maevium N. accusatum* (vel judicialiter denuntiatum, aut ex Officio inquisitum) *prout in Processu.*

In Nomine Sanctissimae ac individuae Trinitatis, ac Beatissimae V. Mariae Amen. Christi JESU Sacratissimo Nomine invocato, Nos Fr. N. Minister Provincialis etc. ac Judex Ordinarius, visis, ac diligenter consideratis omnibus et singulis in causa et causis, coram Nobis (si Judex delegatus formavit Processum, dicatur loco Nobis, *coram Judice nostro delegato Fr. NN. etc.*) *actitatis de, et super* (recensentur delicta v. g. in casu nostro) *Furtis Sacrilegis, gravi vulneratione, et violenta injusta carcerum, effractione, de quibus Fr. Maevius fuerat accusatus; mature quoque consideratis testium Depositionibus indiciis, et probationibus, contra praefatum Fr. Maevium militantibus; ipso etiam Reo citato, et interrogato, ac sufficienter audito, visis tandem omnibus videndis, et consideratis considerandis, habita insuper consilio, et assensu V. Diffinitorii; Deum solum prae oculis habentes, ut de illius vultu judicium nostrum prodeat.*

Christi JESU Salvatoris nostri Nomine repetito, et invocato, per hanc nostram definitivam Sententiam, quam in scriptis ferimus, dicimus, declaramus, pronuntiamus, et sententiamus, Fr. Maevium N. esse confessum, et ex parte convictum de criminibus, de quibus fuit accusatus, et processatus, videlicet primo, quod sacrilege furatus sit Monilia pretioso e statuta B. V. Mariae in Capella N. pendentia. Secundo, quod itidem sacrilege furatus sit calices e Sacristia. Tertio, quod violenter ac injuste effregerit carceres. Quarto, quod graviter percusserit pro custode carceris deputatum Fr. Justum; dum fugientem ex officio apprehendit, et detinere voluit. Et quia memoratus Reus praefata crimina furti et vulnerationis saltem, in pluribus constitutis malitiosissime negavit, perjuria saepius considerate, ac deliberate repetendo, ac nonnisi post adhibitam Torturam; consequenter non tam libere, quam timore poenarum adactus delicta confessus est, eum utpote nulla remissione dignum ad poenam ordinariam, juxta Ordinis Constitutiones condemnamus. Et quia ob repetita sacrilega, pessimeque qualificata furta de Jure Civili mortem, consequenter apud Regulares perpetuos carceres promeritus est, ad dictos perpetuos carceres una cum omni effectu eorum illum ob praefata furta condemnamus. Ob injustam, et violentam carcerum effractionem, licet eidem poenae de Jure Civili subjaceret; quia tamen illam ex priori delicto impositam jam habet, commutantes eam condemnamus ad jejunium in pane et aqua ter in Septimana per 10. annos sustinendum. Ob gravem vulnerationem declaramus ipsum excommunicatum, et loco carceris ejusque effectum, memoratum jejunium ad alios tres annos condemnando extendimus. Volentes insuper, ut etiam in reliquis diebus, communibus Fratrum alimentis privatus, non nisi parce, ac frugaliter pascatur. Atque hoc, et omni meliori modo Sententia istaec lata, lecta, et publicata fuit Die. Mense. Anno. in Conventu N.

Ita pronuntiavimus pro Tribunali Sedentes.

Fit subscriptio Judicis, et eorum, quorum de jure, Statuto, aut consuetudine, apud nos fit, ut sequitur.

Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Provinciae Custos.
Fr. N. Minister Provincialis.
Fr. N. Actuarius.
Fr. N. Testis rogatus Promulgationi interfui.
Fr. N. Testis rogatus etiam interfui.

Ita mutatis mutandis fertur sententia etiam in aliis, quorum Formulas absolutorias, partim condemnatorias, item partim absolutorias, qui cupit habere, invenit apud Ludovicum de Ameno *in Formul. Criminal. Sect. VIII.* et Passerinum *in Praxi Causarum Judicialium*, et alios.

Si Judex delegatus usque ad Sententiam definitivam inclusive procedit, et fert ipse sententiam (prout saepe fieri debere suadet Ludovicus de Ameno) dum eam fert, necessario praesens est, ac praesidet, utpote tunc loco A. R. P. Provincialis, aut alterius Judicis Ordinarii, existens et tanquam verus Judex jurisdictionem in loco judicii exercens, consequenter omnes alios praecedens per dicta *n.* 343. et 496. 501

De Appellatione, et aliis Observandis post Sententiam.

SUMMARIUM.

502 *Sententiae executio debet per decem dies differri ad videndum, an, et qualiter Reus appellet.*
503 *Si appellatio et manifeste frivola, rejicitur. Appellatio frivola quae? Ibid.*
504 *Appellatio dubia, vel non manifeste frivola debet admitti.*
505 *Quomodo Appellatio fieri possit, ac debeat?*
506 *Post quivis pro Reo, sive praesente, sive absente appellare.*
507 *Ad quem, et quo ordine appellari debeat?*
508 *Quid debeat facere Judex a Quo, dum eidem Appellatio insinuatur?*
509 *Frivole appellanti potest Judex dare Apostolos refutatores: Et quales.*
510 *Rite appellanti debent dari Apostoli dimissoriales, vel reverentiales, una cum sigillata Copia Actorum.*
Expedit subinde, ut Copia Actorum non detur Reo appellanti; nec statim transmittatur. ibid.
511 *Appellatio potest etiam fieri coram honestis viris, vel per Edictum.*
512 *Appellatio facta, etiam debito tempore introduci debet, alias censetur deserta.*
513 *Sicut a definitiva, sic etiam interlocutoria appellari potest, et quando?*
514 *Ea interposita quid facere debeat Judex a Quo?*
515 *Poena per sententiam imposita, an, a quo, et quando possit minui?*

Post latam, et publicatam Sententiam attendi 502
debet, an non, qualiter, et quando Reus, vel Patronus ejus appellet.

Si Reus expresse dicat, quod sententiam acceptet, vel ei se submittat, consequenter appellare nolit, statim fieri potest executio Sententiae. Si tacet, et nil dicit, nec alias manifestat, quod appellare nollet, executio Sententiae differri debet, donec decem dies elabantur, intra quos, si non appellat Reus, transit Sententia in rem judicatam, et fit executio. Quod si Reus est suspectus de fuga, potest et debet etiam intra decendium custodiae causa carcerari.

Si audita Sententia statim, vel saltem intra 503
decendium appellat; videndum, an Appellatio sit legitima, vel frivola, seu frustratoria. Si non legitima, sed illegitima, utpote in Jure prohibita vel frivola manifeste apparet, non attenditur; sed ea non obstante ad executionem proceditur.

Appellationes frivolae, et a Jure prohibitae inter alias censentur. 1. Appellatio a Sententia contra

delicta notorie commissa. 2. Appellatio Rei confessi, et coovicti. 3. Appellatio Rei condemnati ex eo, quod contumax fuerit in comparendo, vel respondendo, uisi prius purgaverit moram. 4. Appellotio a sententia Judicis arbitri, in quem appellans prius consenserat. 5. Appellatio post fatalia, decem nempe dies a lata et intimata Seotentia, interposita. 6. Appellatio contra Jus clarum, id est, Seotantiam vel Decretum, quod Judex juxta clarum juris textum fecit. 7. Appellatio interposita, postquam Reus sententiam jam acceptavit, de quibus amplius vide *Lib. II. Tit. XXXVIII. §. XI. et XII.* ac *Pract. nostrom Criminal. Tit. Canones. circa recursum, §. XI.* et ibi Ludovicum de Ameno.

504 Si vero Appellatio legitima, vel saltem dobia, aut non maoifeste frivola est, eam admittere, et Appellanti Apostolos concedere Judex debet.

505 Qui vult appellare a Sententia definitiva, potest id facere vel statim in continenti, seo sante pede, postquam aodivit Sententiam, vel post intervallum, dummodo intra decem dies faciat, et Apostolos debite petat. Et si in continenti appellat, eam oretenus proponere potest. Nec est necesse, quod causam Appellationis assignet, sed sufficit, quod Appellationem insinuet, et Apostolos petat; potest tamen, si volt addere causam in genere, dicendo, se esse gravatum v. g. *Quandoquidem per Sententiam hanc inveniam me gravatum, ideo ab eadem appello, et peto Apostolos instanter, instantius, instantissime.*

506 Porro, quamvis Appellatio a Definitiva valida sit, si coram judice, vel solo Actuario fiat; tamen bene facit appellaos, si in praesentia testium eam faciat, saltem dum dubitat de integritate judicis, vel Actuarii, an Appellationem factam actis inseraot.

507 Eodem modo, quo ipse Reus potest appellare, potest etiam Patronus ejus, imo quivis alius extraneus, sive amicus, vel consanguineus Rei sit, sive non, pro illo appellare, sive dein Reus absens sit, vel praesens taceat; et hoc contiogere potest, si Reus simplex rem non intelligens tacet, bonus autem amicus injuriam ei fieri cernit, et propterea pro illo appellat.

508 Debet autem appellans observare debitom ordinem, qui est, ut fiat Appellatio ad proximum Superiorem illius, a quo appellat. Item a Delegato ad Delegantem, a Subdelegato autem non ad Subdelegantem, sed ad primum delegaotem, nisi delegatus quis fuisset ad universitatem causarum. In Ordine nostro fit a Provinciali ad Generalem Superiorem, ab hoc ad Protectorem, a Protectore ad S. Congregationem, et ab hac ad Papam: quo ordine non servato non auditur, sed punitur, prout habet *Practica nostra Criminal. Tit. Canones. §. IV.* Porro, si horum aliquis causam alteri delegat, fit Appellatio etiam a Delegato a Delegantem, ad Provincialem v. g. si hic delegavit aliquam causam.

509 Facta Appellatioue Judex non statim resolvit, an Appellationem rejicere, vel acceptare, item an, et quales Apostolos impertiri velit, sed dicit, se facturum ea, quae juris suot. Dicta hactenus pateot in casu nostro.

Anno Die. Mense comparet Fr. Justinianus N. Patronus Fr. Maevii, et dicit, quod cum per sententiam definitivam die. etc. latam dictus Fr. Maevius multum gravatus existat, contra eandem omni cum humilitate et reverentia, salvoque respectu A. R. P. Judicis a Quo, in praesentia testium meum assumptoram appellat, et Apostolos instanter, instantius, instantissime petat.

Fr. Justinianus N. Patronus.

Supra posita Appellatio insinuata et praesentata fuit Die. Mensis. Anno. loco qua percepta respondit A. R. P. Provincialis se praestiturum ea, quae Juris esse judicaverit. In quorum fidem etc.

Ego Fr. Justinianus appello, et peto, ot supra.
Ego Fr. N. Testis fui praesens.
Ego Fr. N. Testis interfui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Eadem adhuc die A. R. P. Provincialis consideratis considerandis invenit, Appellationem esse manifesta frivolam, et a Jure prohibitam, utpote a Confesso factam: quapropter eandem ut talem rejiciendam, illaque non obstante ad executionem Sententiae procedere decrevit, prout de facto decernit.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Decretum rejectae Appellationis debet indicari Reo, si acquiescit, res est salva, et fit executio Sententiae: si denuo etiam a Decreto hoc appellat, vel Appellationi priori inhaeret, potest Judex ei dare Apostolos refutatorios, quos etiam statim una cum Decreto rejectae Appellationis dare potest, assignando causam Appellationis v. g.

Cum memoratum Decretum Reo intimarem, denuo etiam a praesenti Decreto appellavit, ac iterum Apostolos instanter, instantius, instantissime petiit, A. R. P. Provincialis vero eam rursus rejecit, simul tamen decrevit eidem Apostolos refutatorios concedere. Die. Mensis. Anno.

Ego Fr. N. Actuarius.

Apostoli *refutatorii* (qui aliud non sunt, quam litterae, quibus Judex *a quo* testatur Reum appellasse quidem, Appellationem vero a se esse rejectam ex causa, quam necessario apponere debet) sequenti vel simili modo fiont.

Apostoli refetatorii.

Reverendissimo in Christo P. NN totius ordinis N. Generali, Nos Fr. NN. Provincialis omni, qua decet, reverentia tenore praesentium notum facimus, et significamus, quod postquam in causa sacrilegi furti, violentae effractionis carceris, et gravis vulnerationis, de quibus apud nos accusatus fuerat Fr. Maevius, contra illum Sententiam tulimus, ille appellaverit quidem, et Apostolos petierit; nos vero eandem Appellationem tanquam aperte frivolam utpote a libere confesso factam speciali Decreto rejecerimus. Verum quia Reus ad hoc Decreto rejectionis denuo appellavit, vel appellationi suae institit, et Apostolos de novo petiit, nos Decreto priori inhaerentes, eidem Apostolos nonnisi refutatorios hosce impertimur, Sententiam non obstante hac manifeste frivola Appellatione, prout Juris executuri, et Reum sub jurisdictione nostra conservaturi. Dat. Die. Mense. Anno. loco etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Quod si Jodex Appellationi defert, prout tenetur, si legitima, vel dubia, vel saltem si non aperte frivola erit, debet Appellanti dare Apostolos *Reverentiales*, vel *Dimissoriales*, quibus testatur, quod quamvis Appellatio Rei merito rejicii debe- 510

tet, ex reverentia tamen Judicis ad Quem eidem deferat, et hisce notum faciat, quod Reus appellaverit, eique detulerit Judex; propterea illum cum sigillata Copia Actorum dimittat ad Judicem ad Quem; nisi expediat Copiam Actorum alia via transmittere Judici ad Quem.

Notandum hic, quod si Judex *ad quem* longe distet, expediat, ut Reus in persona non dimittatur ad judicem *ad quem*, sed prius scribatur eidem et rogetur, quatenus judicem delegatum dratinare vel indicare dignetur, quid habere velit; interea Reus, si est suspectus de fuga, custodiae causa detineatur in carcere: si non est suspectus, conservetur in suo Monasterio. Constita voluntate judicis *ad quem*, eidem Judex *a quo* se accommodet.

Si Reus suspectus de fuga domi retinetur, potest ipse Judex per se, vel per alium Copiam Actorum sigillatam transmittere ad judicem *ad quem*, si ipse velit causam assumere, vel judici delegato consignare, si alicui causa delegatur. Consultissimum autem videtur, ut donec de voluntate judicis *ad quem* constet, ob periculum perditionis, et confusionis Acta ad illum, si longe distans v. g. Romae existit, non transmittantur.

511 Ulterius notandum, quod in casu, quo Reus appellare volens, non potest habere praesentiam judicis, vel eum timeat, possit a Sententia contra se lata appellare contra honestis viris, qui eidem dant Apostolos *Testimoniales*, id est, litteras, quibus testantur, Reum coram ipsis appellasse: vel si viros, qui eidem attestari nollent, non inveniret, posset per Edictum appellare affigendo in publico aliquo Monasterii loco Appellationem suam. Formulam, qui vult, habet apud Ludovicum de Ameno in *Formul. Criminal. Sect IX. n. 4.*

512 Facta Appellatione tenetur Reus infra sex Menses introducere, et prosequi suam appellationem, nisi eidem brevior terminus a judice praefigatur, prout fieri potest, et solet: quod si intra terminum a jure, vel judice praefixum appellationem non introducat apud judicem *ad quem*, et eam prosequatur, censetur appellatio deserta, et proceditur ad executionem Sententiae.

513 Porro sicut juxta hactenus dicta potest Reus appellare a Sententia *definitiva*, ita etiam appellare potest ab *interlocutoria*, durante Processu, lata, seu a Decreto aliquo, v. g. a Decreto de notorietate delicti, a Decreto non admissi; sed indebite rejecti, aut correcti unius vel plurium interrogatoriorum, vel Articulorum a Reo porrectorum, a denegata exclusione Diffinitorii, Assessoris, Actuarii, a Decreto rejiciendi recusationem judicis etc. a Decreto carcerationis, a Decreto Torturae etc.

Notanda tamen notabilis differentia inter appellationem *a Definitiva*, et eam, quae fit ab *interlocutoria*. Videlicet, quod in illa non teneatur appellans allegare causam Appellationis, bene vero in ista. Item, quod Appellatio, quae fit *a Definitiva* possit fieri oretenus, si in continenti interponitur: ab *interlocutoria* vero debeat fieri in scriptis, loquendo de Jure. Item quod Appellans ab *interlocutoria* non possit alias Appellationis causas allegare coram judice *ad quem*, quam allegavit in ipsa Appellatione coram judice *a quo* insinuata: secus est Appellatione a Definitiva.

514 Appellatione ab interlocutoria facta, Judex *a quo* considerat Appellationis causam: quam si aperte invenit frivolam, vel falsam, Appellationem ipse rejicit, et pergit in causa, sicut supra *n.* 505. diximus de Appellatione *a Definitiva*. Si causa est legitima, vel dubia, vel saltem non aperte frivola, aut falsa, ei deferre tenetur.

Illud etiam hic observandum, quod Judex latam Sententiam definitivam non amplius mutare, nec poenam in ea taxatam augere, vel minuere possit, nisi habeat appositam clausulam *Reservata V. Diffinitorio potestate, poenas post tempus etc. minuendi, si Reus interea specialia poenitentiae, et emendationis signa dederit*, quam clausulam subinde apponendam suadet Ludovicus de Ameno *Tit. Sententia. q.* 8. *num.* 142. *et* 143. ubi etiam addit, quod si alias apud nos A. R. P. Minister Provincialis, vel V. Diffinitorium vellet minuere poenas, deberet recurrere ad Generalem. 515

De Observandis a Judice ad quem appellatur.

SUMMARIUM.

Quamvis hactenus breviter et compendiose tantum adduxerimus, quae pro praxi formandi Processum serviunt, tamen in hoc *Sub* §. adhuc breviores erimus, quia totam hanc praxin solummodo scribimus pro minus peritis, vel expertis in Jure, et re Criminali: non item pro doctis, et expertis, quales supponuntur Superiores Majores, Generales, et Provinciales, quos tangit haec Rubrica. Hinc potius per modum recollectionis, quam instructionis pauca sequentia subjungimus. 516

Itaque in memoriam revocandum: quando Judici *ad quem*, v. g. A. R. P. Provinciali Reus aliquis praesentat appellationem ab ejus Delegato, debet Judex *ad quem* ante omnia videre, an sit ab *interlocutoria*, vel *definitiva*: si est ab *interlocutoria*, puta, Decreto aliquo durante Processu, per Delegatum facto, debet iterum videre, an materia vel Articulus circa quem appellat, sit appellabilis, an nempe ab *interlocutoria* contineat gravamen per *definitivam* non amplius reparabile; vel habeat vim Sententiae *definitivae*: et si materia non est una ex his, consequenter non appellabilis, Appellatio rejici, et Appellans ad Judicem *a quo* remitti debet

Dein debet considerare, an, et qualis allegata sit causa Appellationis, et si videt, quod sit causa naturae frivola, vel falsa, pariter Appellatio illius rejicienda, et Appellans ad Judicem *a quo* remittendus est. Si vero causa est rationabilis, vel dubia, aut saltem non evidenter frivola, vel falsa

Appellatio admittenda, et judicialiter examinanda est.

Et quidem, si causa in facto consistit, per Testes, et alia probationis media per Appellantem producenda probari, ac propterea Notarius pro Actuario serviens creari, et Processus institui debet.

Si vero Appellationis causa dependet a puncto Juris, Reus loco Testium Jura allegare debet, quae si Reus ignorat, debet Judex *ad quem* petenti concedere Patronum.

517 Examinata rite causa citat Appellantem ad dicendum, an aliud adhuc habeat ad probandum causam, et postea cum consilio et consensu V. Diffinitorii (apud nos) Sententiam super validitate Appellationis ferre; ac si invalida agnoscitur, debet Reus remitti ad Judicem *a quo* una cum Sententia, et toto Appellationis Processu, qui dein inseritur Actis prioris Pprocessus.

518 Si valida agnoscitur Appellatio, causa terminari debet apud Judicem *ad quem* servato Juris ordine hactenus recensito. Caeterum qualiter fieri debeat Processus Appellationis *ab interlocutoria*, habes amplius apud Ludovicum de Ameno *in Formul. Criminal. Sect. IX. a n. XVII.*

519 Quod si vero Appellatio fiat a *Definitiva*, debet etiam ante omnia videre, an, et quales Apostolos habeat Appellans: dein, an statim et absque lustratione Actorum ex ipsa Appellatione pateat, Appellationem esse manifeste frivolam, et unam ex illis, de quibus supra *n.* 505. Si sic, tunc statim etiam absque Actorum lustratione per Sententiam cum consensu, et consilio V. Diffinitorii rejicere Appellationem, et (apud nos) Appellantem ad duplicem poenam condemnare debet. Si vero Appellatio manifeste frivola non apparet, lustrare Acta, et ex eis videre debet, an Judex male, vel bene judicaverit, Processumque rite formaverit: si sic, rursus cum consensu et consilio V. Diffinitorii fert Sententiam, *quod bene judicatum, et male fuerit appellatum*; et apud nos duplicat Reo poenam: si vero invenit male judicasse, fert econtra Sententiam, *quod male judicatum, et bene appellatum sit*, absolvitque Reum vel ex toto, vel ex parte, juxta merita causae: Censetur autem omnis illa sententia etiam injusta, quae ex Actis justificari nequit.

520 Si ex Actis patet, aut Reus appellans demonstrat, quod Judex non tantum male judicaverit, vel debitum Juris ordinem non servaverit, sed id etiam dolose, vel malitiose fecerit, debet Judex *a quo* per Judicem *ad quem* subjici poenis contra Judices male judicantes, vel Juris ordinem non servantes latis: ut habet textus *nostrae Practic. Criminal. Tit. Sententia § III.* et ibi Ludovicus de Ameno *num.* 23. *et seqq* qui ad finem merito subjungit, quod Judex male judicans puniri non debeat, nisi prius audiatur: legatur super hoc *loc. cit.*

521 Imo ante Sententiam Judex *ad quem* ordinarie audire debet Judicem *a quo*, et admittere ad impugnandam Appellationem, et manutenendam Sententiam a se latam; sicut etiam ad manutenendam suam Jurisdictionem, casu quo ipse recusatur ut Judex, prout amplius demonstrat Ludovicus de Ameno *Tit. Canones a n.* 122.

522 Hinc laudanda, et merito ubique imitanda videtur praxis et consuetudo Juri conformis, in pluribus Germaniae partibus vigens: Vi cujus Judex *ad quem* porrecta et introducta apud se Appellatione habente Apostolos *dimissoriales*, vel reverentiales, consequenter per Judicem *a quo* admissa, eam una cum causis illius, et aliis a Reo deductis, in Copia, vel Originali communicat Judici *a quo*, eique mandat, ut desuper respondeat, et necessariam informationem cum Actis transmittat, v. g. Si Reus ita introducit Appellationem.

Reverendissime Pater etc. Ex acclusis Apostolis patet, quod legitime appellaverim a Sententia per NN. contra me lata juxta Copiam adjacentem; quia vero per memoratam Sententiam plurimum gravatus existo: Cum primo etc. ponit causas et fundamenta sua ex Actis, rationibus, de Jure: ac denique concludit: *Ex quibus omnibus abunde patet, quod per Sententiam Judicis a quo plurimum et immerito gravatus existam etc. Quapropter ad Reverendissimam Paternitatem justissimum Judicem plena fiducia recurro humillime, rogans, ut etc.* 523

Reverendissimae Paternitatis.

Fr. NN.

Appellatio itaque ita introducta, a Judice *ad quem* communicatur Judici *a quo* postquam prius creato, vel jam existente assumpto Notario publico pro Actuario, per eundem incoepit conscribere Processum apud se per Appellationis introductionem inchoatum, eo fere modo, quo Judex primae instantiae facit juxta supra *a num.* 344. mutatis mutandis. Communicatio autem fieri potest taliter.

Reverende Pater etc. Ex acclusis videbit, qualiter, et quibus de causis a Sententia per Vestram Paternitatem lata appellaverit Fr. N. Quapropter praecipimus, ut desuper respondeat, et debitam informationem in hac causa, una cum Actis nobis transmittat. 524

R. Paternit.

NN.

Recepto hujusmodi Mandato Judex *a quo* una cum actis suam transmittit Responsionem et informationem (germanice Appellations-*Berricht*) in qua allegatis causis, rationibus, et Juris Sententiam a se latam justificare, et Appellationem, ejusque causas refutare conatur, v. g.

Reverendissime Pater etc.

Mandatum Rever. Paternitatis Suae una cum acclusis rite habui: cui omni, qua par est, reverentia obsecuturus humillime respondeo, et partim ex Actis (quae juxta mandatum hic acclusa sequuntur) partim ex Jure, partim ex rationibus deduco, sententiam a me latam Justitiae esse conformem. 525

Et quidem primo hic deducit sua Jura, et rationes, deinde refutat causas Appellationis v. g.

Nec obstant quae in contrarium adducit Appellans: Nam etc. Dein concludit: *Quibus omnibus consideratis, judico (salvo prudentissimo Reverendissimae Paternitatis judicio) me bene judicasse, Reum vero appellasse. Hinc pro sententiae confirmatione humillime rogo, et me demississime commendo Die. Mensis. Anno. etc.*

Reverendissimae Paternitatis.

Infirmus.
Fr. NN.

Acceptis responsione et informatione Judicis *a quo*, Actisque primae instantiae Judex ad quem cuncta diligenter legit, perpendit, et considerat, simulque Testes et Instrumenta, si quae a Partibus de novo producuntur, legitime examinat,

prout supra in Processu, et tandem consideratis cunctis considerandis Sententiam pro, vel contra Reum profert, v. g.

In Nomine Domini Amen.

526 *Haec est sententia definitiva a Reverendissimo lata etc. In nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, et B. V. Mariae Amen.*

Christi Jesu Sancto Nomine invocato, Nos NN. Totius Ordinis N. Generalis, et Judex Ordinarius, visis et consideratis, ac actitatis in causa et causis discussis coram Patre N. Provinciali N. Provinciae N. contra Fr. N. diffamatum, vel accusatum, vel judicialiter denuntiatum de etc. Exprimuntur delicta: *Visis item omnibus in Jure, et facto ad favorem dicti Rei productis: Visa pariter sententia et definitiva contra ipsum lata: Visa tandem Appellatione apud nos introducta ipsiusque causis, Juribus, et probationibus pro ea sustinenda productis: Visa insuper responsione Judicis a quo desuper data: Visis tandem omnibus videndis, et consideratis considerandis, matureque discussis, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in scriptis ferimus.*

Christi Jesu sacratissimo nomine repetito, ut de ipsius vultu nostrum judicium prodeat, dicimus, pronuntiamus, et declaramus a praefato P. N. Provinciali bene judicatum, et a Reo male appellatum: Quapropter sententiam latam confirmamus, Reum vero condemnamus ad etc. vel *male judicatum, et bene appellatum esse: Quapropter Reum absolvimus etc. Ita et omni meliori modo sententia lata, lecta, et publicata fuit, Die, Mensis, Anno, loco etc. Ita pronuntiavimus pro Tribunali sedentes.*

Ego N. Generalis.
Ego N. Secretarius Generalis.
Ego N. Testis fui praesens.
Ego N. Testis interfui.

527 Eodem modo proceditur, etiamsi Reus Apostolos nonnisi *refutatorios* habeat, et Appellatio tanquam manifeste frivola per Judicem *a quo* rejecta sit: excepto, quod Judex *ad quem*, dum Judici *a quo* communicat Appellationem apud se introductam, una cum deductione ejusdem, simul non statim petat Acta, sicut facit, si admissa Appellatione Reus Apostolos *dimissoriales*, et *reverentiales* habet, sed prius simpliciter mandet Judici *a quo*, ut responsionem et informationem necessariam transmittat, principaliter autem causam allegat, quare Appellationem rejecerit: Si enim causa rejectionis in Facto, et Jure manifeste legitima existit, necesse non amplius est petere, et lustrare Acta, sed potest et debet Judex *ad quem* ob eandem causam absque ulteriori Processu per Sententiam pariter rejicere Appellationem apud se introductam, et sententiam Judicis *a quo* confirmare: quod idem fieri oportet, si Judex *ad quem* ex ipsa Appellatione introducta, et deductione ejus manifeste videt, Appellationem esse frivolam: Imo in hoc casu necesse non est, a Judice *a quo* responsionem et informationem petere; hoc ipso, quod, ut supponitur, ex ipsa Rei appellantis scriptura, consequenter ex propria illius confessione Appellatio aperte frivola dignoscatur. Et tali modo juste abbreviantur lites. Si vero ex Appellatione introducta, vel ex responsione et informatione judicis *a quo* manifeste non apparet, quod Appellatio evidenter frivola sit, Acta per judicem *ad quem*, vel Delegatum utique peti, et lustrari debent.

528 Porro hic notandum circa Ordinem nostrum, quod licet *in Practica Criminali Tit. III. Canones circa Recursum. §. VI* statuatur, *ut facta Appellatione teneatur Judex a quo, ad Judicem ad quem appellatum est per ipsam eum Copiam sigillatam, et gratis concessam, intra 30. dies cum litteris Obedientialibus destinare etc.* ac ne ante receptionem Actorum aliquid decernat: tamen textus iste plures patitur limitationes, praesertim in partibus a judice *ad quem* remotis, uti est nostra Germania respectu Romae, ubi Superiores Generales plerumque resident.

Siquidem I. Ob tantam distantiam, et divagationis pericula nunquam expedit, ut ipsi Rei appellantes in persona mittantur Romam, sed ut alia via secura, Acta sigillata transmittantur illuc: vel potius, ut ante Actorum transmissionem rogetur Reverendissimus, quatenus judicem delegatum in his partibus destinare, vel ad eum mittere dignetur, prout ad *loc. cit. Practic. Criminal.* bene observat Ludovicus de Ameno *num.* 44. In quo Reverendissimi Superiores Generales etiam propterea deferre deberent; quia in transmissione Actorum praeter maximam incommoditatem, et laborem in transpositione Actorum e Germanico (in quo Rei hic interrogari, et respondere debent) in Latinum idioma, plerumque etiam est periculum, ne Acta perdantur, vel aperiantur maxima cum confusione Ordinis, et jactura justitiae. Et hinc transmissio Actorum, quacunque via facienda merito differtur, donec sciatur, quid Generalis Superior rogatus resolvet, ne forsan cum duplici incommoditate et periculo mittantur, et remittantur. 529

II. Acta non transmittuntur, imo nec petuntur, quando Superior Generalis tanquam Judex *ad quem*, vel ex ipsa Appellatione introducta, vel ex informatione judicis *a quo* evidenter videt, Appellationem esse manifeste frivolam, juxta dicta *n.* 527. Quibus accedit 31. *Regula Juris in 6.* dicens: *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*; consequenter si Reverendissimus Generalis alia via plene certus est de invaliditate Appellationis, et justitia Sententiae; ex Actis amplius certiorari non est necesse; praesertim cum alias non teneamur ad Apices Juris. 530

Caeterum ulterius notandum, quod, si Ordinarius Judex *ad quem* mittit ad partes hos, vel delegat in his aliquem judicem Delegatum, debeat is eodem, quo ipse Delegans modo procedere. Videlicet creato Notario, et inchoato Processu ut supra *num.* 344. debet Appellationem introductam una cum fundamentis, et deductione illius communicare judici *a quo*, eique mandare, ut responsionem, et informationem suam una cum Actis ei transmittat, juxta dicta *num.* 522. *et* 527. Quibus receptis cuncta lustrare et examinare, Testesque et Instrumenta (si erit necesse) legitime examinare, et tandem consideratis considerandis Sententiam ferre debet ut supra num. 526. si usque ad Sententiam inclusive est delegatus; vel ad Superiorem delegantem, relationem super causa una cum voto, et opinione sua remittere, si usque ad Sententiam exclusive delegatus sit. Quod ultimum etiam fit in casu, quo Ordinarius Judex *ad quem* aliis negotiis distractus, vel forsan in jure minus peritus aut expertus quibusdam viris doctis committit revisionem et cognitionem Actorum, et Processus, cum mandato, ut eidem desuper referant, votumque et opinionem suam aperiant. Modum hujusmodi Relationis, vide apud Ludovic. de Ameno *in Formular. Criminal Sect. IX. n. XXXII.* 531

Tandem notandum, quod, si Reus invenit, vel rationabiliter suspicetur, Acta sibi jam pridem data, vel judici *ad quem* jam pridem missa, esse vitiata, possit instare, ut cum Originali legitime 532

collationentur; cui Judex *ad quem* sive Ordinarius, sive delegatus deferre debet, et mandare, ut fiat collatio Actorum cum Originali citato et praesente Parte, uno scilicet vel duobus confidentibus seu amicis Rei ab eodem denominatis, et loco ipsius tanquam Procuratoribus ejusdem assistentibus, ipsi collationi per Actuarium faciendae: Qui dein in fine Actorum collationatorum se subscribunt, et testantur, prout inveniunt. Praxin hujus vide apud Ludovic. de Amen. *loc. cit. n. XXIV.*

533 Ut autem iterum redeamus ad nostrum Processum contra F. Maevium institutum, et hactenus ventilatum.

Maevius ergo si Appellationem suam apud Reverendissimum Generalem introducere, causasque et fundamenta pro illa sustinenda allegare voluisset, facere potuisset modo supra n. 523. allegato, quas dein une cum causis communicari debuisset A. R. P. Provinciali tanquam judici *a quo*, addito mandato, ut desuper responderet, praecipue vero causam exprimeret, quare Appellationem rejecerit, juxta dicta n. 527.

A. R. P. Provincialis postea respondet, et causas rejectae Appellationis allegat, ac econtra causas appellantis refutare conatur, additis precibus, ut Reverendissimum quoque eam rejicere dignetur: idque facit modo supra *n.* 525. allegato.

Si accepta hac responsione, vel ex ipsa Rei Appellationis introductione, in Facto, et Jure evidenter apparet, Appellationem esse manifeste frivolam, eam absque petitione et Lustratione Actorum statim rejicit, et Sententiam confirmat, juxta dicta num. 527. Si vero in Facto et Jure manifeste frivola non apparet, petit Acta, et format Processum juxta dicta *num.* 524. *et num.* 527. vel causam delegat alteri, qui eodem modo ut Reverendissimus procedere debet juxta dicta *num.* 531. Et tandem causa sufficienter et legitime examinata, fit Sententia juxta dicta *num* 526. Quae si in Ordine nostro contra Reum appellantem fit, tunc post verba, *Bene judicatum, et male appellatum*, additur: *Quapropter Sententiam primae instantiae non tantum confirmamus, sed Reum ad poenam duplicatam condemnamus conformiter statutis nostris Generalibus.* Quod si poena aliqua duplicari non potest, v. g. perpetui carceris, addatur: *Et quia perpetui carceres duplicari non possunt, volumus, ut loco duplicatae poenae singulis Septimanis ter in pane et aqua jejunet.* Vel quid simile, dein sit clausula et subscriptio ut supra n. 526.

De Praxi formandi Processum per viam Denuntiationis Judicialis.

SUMMARIUM.

534 *Per viam Denuntiationis Processus fere eodem modo fit ut per Accusationem.*
535 *Secundum aliquos est differentia: Et qualis?*
536 *Requisita ad Accusationem requiruntur etiam ad Denuntiationem vere judicialem.*
537 *Si Denuntiator debite non denuntiat, informari, vel sub juramento pro informatione examinari debet.*
Praxis hujus examinis. ibid.
538 *Consultius est accusare, quam denuntiare Judicialiter.*

534 Quaeritur II. Qualiter in praxi institui, et formari possit, ac debeat Processus Criminalis per viam Denuntiationis judicialis? Resp. Eodem fere modo, quo formatur per viam Accusationis, de quo hucusque diximus. Et ponitur tantum loco *Accusationis*, vel *Accusatoris*, Nomen *Denuntiationis*, vel *Denuntiatoris*; quia Denuntiatio vere judicialis succedit Loco Accusationis, praesertim si Denuntians instat, ut Reus puniatur. Unde *Practica nostra Criminalis Tit. Denuntiatio.* §. *III.* vult, quod, si Denuntiator instet, ut Judex puniat (prout ordinarie fit, quia et fieri debet, si est vere et proprie Denuntiatio judicialis) Denuntiator etiam se inscribere, id est, ad probationem sub poena Talionis se obligare debeat; quia censetur esse Accusator, et revera in effectu est.

Caeterum volunt aliqui, quod Denuntiatio etiam judicialis ab Accusatione in nonnullis, modicis tamen differat; videlicet I. Quod Denuntiator non necessario se inscribat, nec ad poenam Talionis, bene tamen Calumniae teneatur deficiens in probatione. De consuetudine tamen se subscribit Denuntiationi, vel litterarum ignarus Crucem format. 535

II. Quod licet Denuntiator judicialis teneatur denominare testes, et alia suggerere probationis media; testes tamen hujus dein dicantur ex officio assumpti; quia in Denuntiatione non ipse Denuntiator probare dicitur, vel tenetur, sed tantum testes et media suggerere, quibus dein ex Officio Judex assumptis probationem facit; hinc quamvis facta Denuntiatione Judex non *ex mero Officio*, sed ad instantiam Partis procedat; tamen adhuc ex Officio inquirere, et procedere dicitur.

III. Accusator debet citari ad audiendam Sententiam definitivam, non item Denuntiator judicialis: sicut etiam ille, non iste appellare potest, si Judex male, vel remisse judicet; quamvis alia via dein contra Judicem agere valeat Denuntiator judicialis.

IV. Quod Accusator juramentum Calumniae, Denuntiator Judicialis vero juramentum de dicenda veritate deponat; quamvis et hoc, juramentum Calumniae tacite includat; ut bene advertit Ludovicus de Ameno.

V. Volunt aliqui, quod ad Processum via Denuntiationis judicialis instituendum praerequiratur infamia, et probatio ejus. Verum, uti dictum, si Denuntiator instat, ut Reus puniatur, uti in vera judiciali Denuntiatione fit, evadit Accusatori similis: specialiter autem notavimus, et probavimus §. 4. *a num.* 117. Infamiam, vel probationem ejus non requiri ad instituendum Processum via Denuntiationis judicialis.

Hinc eadem, quae requiruntur ad Accusationem, requiruntur etiam ad Denuntiationem vere judicialem, juxta dicta *a num.* 94. Potest etiam Libellus vere articulatus in Denuntiatione offerri, sicut in Accusatione, per dicta *a num* 353. unde qui scire cupit, quomodo Processus per Denuntiationem in praxi fieri debeat, videat dicta *a n.* 340. *de praxi* Processus per Accusationem. 536

Porro si Denuntiator Libellum informem reddit, vel Denuntiationem obscure minus rite profert, Judex ex officio debet ipsum monere, ut Libellum rite formatum offerat, vel sub juramento ipsum examinare pro informatione necessaria, v. g. facta creatione Notarii ut supra num 345. et posito initio Processus n 347. ponit Actuarius, ut sequitur. 537

Quoniam vero Denuntiator cum requisitis circumstantiis Denuntiationem non proposuit. hinc A R.P. Provincialis ea solum acceptata ut et in quantum etc. pro pleniori necessario circumstantiarum informatione circa Factum, de quo denuntiavit, Denuntiatorem delato prius, et ab eo praestito juramento de dicenda veritate, et consequenter, quod animo calumniandi non denuntiaverit, examinavit, ut sequitur.

Interrogat. *Unde sciat eo, quae denuntiavit? Resp. etc.*

Interrog: *Quo tempore? quo loco? quibus praesentibus?*

Interrog. *An ea viderit, vel ab aliis audiverit?* Item *quando? ubi? quibus praesentibus.*

Interrogat. *An fuerit instigatus ad denuntiandum? A quo? Quomodo etc.*

Interrogat. *An non monuerit Superiorem? Et de circumstantiis?*

Interroget. *Quare tamdiu distulerit?*

Interrog. *An quid aliud pro informatione dicere habeat?*

Quibus et similibus interrogatoriis paucioribus aut pluribus pro exigentia circumstantiarum, et Denuntiationis ad necessariam informationem factis, concluditur examen.

Quibus auditis, et respondenti relectis, cum aliquid addere, vel minuere nollet, subscribere jussus est.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Facto, sive omisso tali examine, fit dein examen Testium, constitutio Rei, defensio illius, Tortura, Sententia, Appellatio etc. uti in Accusatione, de quibus vide *a n.* 340. *usque ad n.* 535.

538 Et ex his patet, eum, qui ex zelo Religionis desiderat, ut alicujus crimina ad exemplum aliorum et tollenda scandala, vindictae publicae efficiantur, melius facere, si formaliter accuset, libellumque Accusationis offerat, quam si judicialiter tantum denuntiet: Tum ad evitandas controversias, quae forsan ratione Denuntiationis possent oriri; Tum ad evitandum odiosum sui examen supra *numero* 519. allegatum: Tum quia Accusator habet favorem, quem non habet Denuntiator etiam Judicialis: Tum etiam quia Accusatoris in probatione deficientis poenae non sunt majores, quam Denuntiatoris judicialis; cum juxta dicta *numer.* 10. et dicenda *Tit. seq.* hic aeque, ac ille subjaceat poenis Calumniae; Talionis autem jam abierit in desuetudinem, juxta dicta *num.* 11. (*apud nos tamen viget*) Accedit, quod Accusator deficiens in probatione, facillime evadat poenas, juxta dicenda *num. seq.*

Praxis formandi Processum Criminalem via Inquisitionis ex mero Officio.

SUMMARIUM.

539 *Processus via Inquisitionis plerumque etiam absque praecedenti infamia fieri potest.*
540 *Quomodo inchoetur?*
541 *Quando requiritur praevia infamia, non requiritur juridica probatio ejus: quamvis utilis sit.*
542 *Ubi praerequiritur infamia: quomodo probari possit, ac debeat?*
543 *Si non constat de infamia, in casu, quo requiritur, ulterius contra Reum procedi non potest.*
544 *Examen Testium, constitutio Rei, et alia fiunt in Processu per Inquisitionem, sicut per Accusationem.*
545 *Excepto, quod Testes super delicto non nude ac statim aperte de delicto, sed a longo, et per ambages examinari debeant.*
546 *Praxis hujus.*

539 Supponitur ex dictis §. *III.* Quod possit judicialiter institui Inquisitio, vel Generalis, vel mixta, vel specialis et *specialis* quidem plerumque etiam absque infamia non tantum, quando ad instantiam Partis, denuntiantis nempe, sed etiam quando ex mero officio instituitur, praesertim si adsunt sufficientia indicia delicti ab aliquo commissi, vel si fit contra delicta cit. §. *III. a n.* 185. specificata.

Quando itaque Iudex via Inquisitionis Processum judicialiter instituere vult, creat ante omnia Notarium ut supra, qui creatus statim inchoat scribere initium Processus, et annotare, qualis sit Processus; et qua occasione, vel causa institutus; puta, quia ex Visitatione Paterna, vel aliunde Judex sufficientia indicia criminis ab aliquo commissi habet, vel quia fama est contra aliquem etc. v. g. 540

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis, quem ex speciali Inquisitione ex mero Officio instituere intendit A. R. P. Provincialis NN. contra Fr. NN. eo, quod in Visitatione ordinaria habita (vel aliunde) plura contra eum emerserint indicia delicti N. ab eo commissi, prout amplius in Actis Visitationis. Quapropter, ne delicta manerent impunita, Officio suo satisfacturus decrevit super hoc informationes sumere, testes examinare, et alia de Jure praestanda facere. Hinc me infra scriptum ad suam Cameram, ubi Tribunal erexit, vocavit, et in praesentia Testium me in Notarium creavit etc. ut supra.

Notandum, quod ubi indicia commissi ab aliquo criminis adsint, nulla praerequiratur infamia, multo minus probatio ejus ad instituendam Inquisitionem specialem. 541

Si autem indicia non adsunt, nec est casus ex illis, de quibus §. *III. a num.* 186. utique praerequiritur infamia; quamvis non requiratur probatio ejus Juridica, sed sufficiat, quod judici extrajudicialiter constet de fama delicti ab aliquo commissi, prout amplius diximus *cit.* §. *III. num.* 192. ubi tamen *num.* 193. addidimus, consultum esse, ut Judex creato Notario a probatione infamiae incipiat Processum. Quando itaque sine indiciis aliis ob solam famam vigentem instituere vult Processum, creatus Notarius sic incipit registrare.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis, quem via Inquisitionis specialis ex Officio formare intendit contra F. NN. cum enim perveniret ad aures A. R. P. Provincialis communem exterae famam etiam apud graves, et non malevolos Religiosos, dictum Fr. commisisse N. (hic narratur delictum) *Officio suo satisfacere volens decrevit, prout Juris, inquirere* (si vult prius assumere probationem infamiae, seu malae famae, uti potest, sed non tenetur, addit) *Et quidem inprimis super ipsa fama, hinc me infra scriptum* etc.

Porro si a probatione infamiae incipere vult, ab illa post creatum Notarium incipit Processum, vocando successive saltem duos Testes, qui si de ea rite testentur, Judex pronuntiet constare de Fama, v. g. 542

Consequenter idem A. R. P. Provincialis vocari coram se fecit P. NN. Testem ex Officio assumptum, qui praestito prius juramento de dicenda veritate, et facta debita exhortatione respondit, ut sequitur.

Ad Generalia.

Interrogatus: *Quomodo vocetur? Resp.* etc. et fiant interrogatoria Generalia, ut supra *n.* 372.

Ad Specialia.

Interrogatus: *An Fratres de Conventu bene ac exemplariter vivant? Et an de nullo mala fama vigeat?* Resp. *De Fr. N. viget non satis bona fama.*

Interrog. *Qualis fama?* Resp. *Dicitur de eo, quod etc.*

Interrogat. *Quis hoc dicat de eo?* Resp. *Est communis loquela in Conventu.*

Interrogat. *A quibus signanter audiverit?* Resp. *Audivi a P. Lectore N. a P. Concionatore N.* et *P. N. etc.*

Interrogat. *An non sciat, vel audiverit, hos esse inimicos Fr. N. diffamati?* Resp. *Nec scio, nec audivi, eos Ipsi contrarios; imo potius P. N. esse Fr. diffamati alias specialem amicum.*

Interrogat. *Qua occasione, vel a quo ortum habeat haec mala fama?* Resp. *etc.*

Interrogat. *Quanto tempore jam vigeat haec fama?* Resp. *etc.*

Quibus habitis etc. fit clausula et subscriptio ut supra *n.* 381.

Ego Fr. N. Testis ita deposui.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Similiter examinatur adhuc unus vel alter de fama, ut plene de ea constet, quo habito pronuntiatur, constare de Fama, v. g.

Consideratis considerandis Testium praefatorum Depositionibus A. R. P. Provincialis pronuntiavit constare de Fama, decrevitque contra Fr. N. tanquam diffamatum ulterius, prout Juris procedere. Acta sunt haec, Die etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

543 Quod si fama rite non probata pateret in casu, quo requiritur ad specialem Inquisitionem, pronuntiat Judex non constare de Fama, ac decernit, non esse ulterius procedendum v. g.

Consideratis depositionibus Testium videns A. R. P. Provincialis, quod Fama ortum habeat ab inimicis, vel factionariis, garrulis etc. vel non esset satis probata; et ipse Fr. N. apud viros probos, et prudentes non esset diffamatus etc. pronuntiavit, legitime non constare de mala fama, ac propterea ex illa ulterius non esse procedendum. Acta sunt haec Die etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

544 Facto, vel omisso (prout omitti potest juxta dicta) Judiciali indagine de Fama, procedit Judex ad probandum delictum, examinandos Testes super delicto, constituendum Reum, dandas eidem defensiones, Torturam illius, si necesse est, Sententiam etc. eodem modo, sicut in Processu per viam Accusationis instituto: Sciendum enim, quod ad condemnandum aliquem, vel puniendum Judicialiter, non sufficiat, extare de illo famam plene probatam, sed debeat etiam probari ipsum delictum ab eo esse commissum, ut proin aliud sit probatio famae, aliud probatio delicti.

545 Illud etiam specialiter notandum, quod juxta dicta *n.* 375. quando instituitur Processus per viam Inquisitionis ex mero Officio, testes examinandi super delicto non possint statim nude ac simpliciter interrogari super delicto, v. g. *An non sciat, a Laico fuisse occisum Sempronium*, vel, *An Titius commiserit fornicationem etc.* Sicut fieri potest in Processu per viam Accusationis, vel Denuntiationis instituto, si Accusator, vel Denuntiator Judicialis libellum rite articulatum offert, juxta dicta *n.* 374. *et* 375. sed debet Judex absolutis interrogatoriis Generalibus interrogatoria Specialia ita proponere, ut non nisi a longe, et per ambages incedat, donec ad ipsum delictum deveniat, et de ipso aperte interroget: quod etiam observare debet, si ipsum Reum examinat.

Modum et praxin Testes a longe examinandi super variis Criminibus habes apud Ludovicum de Amena *in Formul. Criminal. sect. IV.* Nos unicum exemplum afferamus de hujusmodi examine Testis super furto.

Absolutis Generalibus interrogatoriis
ut supra *num.* 372.
Ad Specialia.

Interrogatus: *An sciat in hoc Conventu delictum aliquod esse commissum contra Legem Dei?* Resp. *Quantum audio, grave delictum esse commissum.*

Interrog. *Quale delictum sit commissum?* Resp. *Furtum calicis.*

Interrogat. *Ubi, et quando fuerit commissum?* Resp. *Ante octiduum e Sacristia.*

Interrog. *An sciat, quis furatus sit, vel saltem habeat aliqua indicia, vel suspicionem contra aliquem?* Resp. *Fr. N. furatus est.*

Interrog. *In causa scientiae?* Resp. *Audivi ab aliis pro certo.*

Interrog. *A quibus audierit?* Resp. *Ab* N. N. N.

Interrog. *An ex his fuerit aliquis praesens, et deprehenderit furem?* Resp. *Quantum audio Fr. N. ipsum vidit.*

Tali modo vocat dein, et examinat alios, et praecipue illos, qui Testes de visu, vel plura scire perhibentur. Quod si Testis aliquis a longe interrogatus delictum, et Delinquentem statim specificat, et speciem Facti narrat, non est necesse alia interrogatoria per ambages facere, sed de causa scientiae, contestibus, et aliis pro diversitate circumstantiarum examinare poterit. 546

Reliqua, ut jam dictum sicut in Processu per viam Accusationis instituto, de quo vide a *n.* 340. et Elenchum Rubricarum ad initium hujus *Tit. a* §. *VII.*

De Praxi instituendi Processum contra Delinquentem in praesentia Judicis pro Tribunali sedentis, et Jurisdictionem exercentis.

SUMMARIUM.

547 *Hic Processus paucis et breviter absolvitur.*
548 *Praxis, et forma hujus: si Reus delictum in praesentia commissum fatetur.*
549 *Praxis, et forma illius, si negat.*
550 *Quamvis hic Processus statim in continenti fieri possit, expedit tamen, ut primum post unum, vel alterum diem fiat.*
551 *Sententia in hoc Processu quomodo fiat?*
552 *Potest apud nos fieri non petito consilio, vel consensu Diffinitorii.*

Quaeritur IV. Quomodo practice instititui, et formari debeat Processus contra Delinquentem in praesentia Judicis pro Tribunali sedentis, aut in actu seu exercitio Jurisdictionis suae existentis? Resp. Si Reus in conspectu ipsius Judicis pro Tribunali sedentis, et Reum forsan examinantis peccat, v. g. blasphemet, Judicem percutit, gravi calumnia afficit, statim incipere et finire potest Processum; in continenti, examinando ipsum, et sententiando tali modo. Actuarius ad mandatum Judicis sive Ordinarii, sive Delegati, incipit, ut sequitur. 547

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis contra Fr. Rusticum in conspectu Judicis pro Tribunali Sedentis delinquentem.

548 *Cum A. R. P. Provincialis pro Tribunali sederet, et dictum Fr. Rusticum, testemque cum ipso confrontaret, ipse Reus timore Dei postposito, Testi alapam inflixit, ipsum quoque Judicem aggredi tentavit, a me tamen, et Assessoribus impeditus fuit. Hinc A. R. P. Provincialis ad eum coercendum vocavit Laicos Fr. N et Fr N. et Justitiae satisfacere volens statim.*

Interrogavit Reum: *Quare ausus sit in conspectu sui Testem percutere?* Resp. *Quia mentitus est.*

Dictum est ei, hoc restare incertum, et dein certo existente, non debere ipsum vindictam sumere, sed Judici relinquere.

Interrog. *Quare ausus sit ita blasphemare?* Resp. *Feci ex nimia iracundia.*

Interrog. *Quare ausus fuerit attentare, manus injicere ipsi Judici?* Resp. *Contigit mihi ex praedominante iracundia.*

Interrog. *Quare non debeat condemnari in poenam Ordinariam?* Resp. *Spero, A. R. P. Provincialem fore mihi propitium, eo, quod prae ira vix mihi fuerim praesens.*

Notandum hic, quod in Notoriis non interrogetur Reus, an commiserit delictum, cum de hoc notorie constet, sed quare id fecerit? Et, si fatetur delictum, interrogatur, quare non debeat condemnari ad poenam Ordinariam? Quibus absolutis condemnari potest ad poenam delicto debitam, ita tamen, ut poenam aliqualiter minuat, si causa invenitur, ratione cujus aliqualiter excusetur, uti esse potest vehemens passio irae. Sententia autem fertur sine solemnitatibus, ut infra *n.* 551.

549 Si vero Reus delictum negaret, statim examinat desuper illos, qui fuere praesentes, v. g. Assessores delato prius et praestito ab eis juramento de dicenda veritate, v. g.

Cum autem Reus delictum palam in conspectu nostro commissum negaret: examinavit praesentes Assessores delato eis prius juramento de dicenda veritate.

Ad Generalia

Interrogatus: *Quomodo vocetur?* Resp. *Vocor etc.*
Interrogat. *Cujus aetatis, et conditionis existat?* Resp. *etc.*
Interrog. *An fuerit praesens, quando Fr. Rusticus examinabatur?* Resp. *Ita.*

Ad Specialia.

Interrogatus: *Quid viderit, et audiverit a Fr. Rustico, dum examinabatur?* Resp. *Vidi, proh dolor! quod A. R. Paternitatem voluerit aggredi, et Fr. N. Testi cum ipso confrontato inflixerit alapam; Audivi insuper horrende blasphemantem, et quidem in specie etc.*

Ita etiam interrogatur alius Assessor, si qui adfuit. Postea ad Reum convertere se potest Judex, et interrogare, ut sequitur

Dein conversus A. R. Judex ad Reum, et ipsum interrogavit, quare non debeat modo condemnari? et respondendo adhuc negat delictum, non curet Judex, sed eum tanquam convictum condemnat.

550 Si autem ad hoc Interrogatorium responderet; *ideo non possum condemnari, quia hi Testes nil probant, cum sint mei inimici, vel quia non sunt omni exceptione majores, utpote jam olim perjuri inventi.* Non curet, Judex, si satis ei constat, Reum mentiri, et haec tantum ad evadendam poenam proponere: imo etsi de hoc non constet, sed dubium existat, nihilo minus pergat; nisi etiam rationabilem causam, et exceptionem contra ipsum quoque Judicem, et Actuarium proponeret; alias enim sola Judicis et Actuarii Actis inserta testificatio plene contra Reum probat, per dicta *n.* 263. Pro majori tamen securitate in casu, quo excipit contra Assessores, pergat ulterius interrogare.

Interrogatus Reus, quare non prius exceperit contra Assessores, modo testes; cum jam diu adsint, et prius subscripserint ipso tacente? Resp. etc.

Dein dictum est ei, quod etsi dato, non concesso, Assessores non essent omni exceptione majores, tamen ipse Judex, et ego Actuarius viderimus, et audiverimus delinquentem ut supra.

Si ad hoc proponit contra Judicem, et Actuarium causam vel exceptionem aperte frivolam, aut falsam, contemnat, et ad condemnationem pergat: si vero dubiam aut apparentem, ulterius.

Interrog. *Quare non prius exceperit contra Judicem, et me Actuarium; cum tamen aliquos jurisdictionis actus in ipsum jam exercuerimus, ipseque sese subjecerit, comparendo, respondendo, jurando etc.* Et quoniam ad hoc efficaciter respondere ordinarie non possit: fit Sententia non obstante negatione delicti a Reo commissi.

Porro si Reus coram Judice et Actuario solo, utpote Assessores forsan non habentibus deliquit: tunc statim postquam interrogavit Reum, *quare hoc delictum fecerit?* et Reus fatetur, condemnet ipsum: si autem neget; jubeat ei praelegi delictum Actis jam insertum, et ad Reum conversus dicat.

Quomodo potest hoc negare, quod coram me et Actuario fecit, Actisque propterea insertum est? Resp etc.

Dein interrogat ulterius: *Quare non debeat condemnari ad poenam Ordinariam?* Resp. etc. Postea condemnet eum ad correspondentem delicto poenam.

Notandum hic, quod quamvis Judex Reum in conspectu, et praesentia sua delinquentem, statim in continenti, modo praedicto processare, et condemnare, ac punire valeat: tamen plerumque expediat, ut altera, vel tertia die id faciat: Tum ut maturius procedat: Tum ne ex passione, et praecipitantia nimia agere videtur.

Caeterum necesse non est, ut Sententia cum requisitis alias Juris solemnitatibus feratur: imo ad puniendum Reum coram Judice pro Tribunali sedente, non requiritur vera formalis Sententia, sed sufficit, si per Decretum Judicis condemnetur, modo sequenti. 551

Cum Fr. Rusticus in causa Criminali constitutus, timore Dei postposito ausus fuerit in praesentia A. R. P. Provincialis pro Tribunali sedentis Fr. N. testi alapam infligere, et insuper graviter blasphemare, nec non aggressionem ipsius A. R. P. Provincialis temerarie attentare, prout in Actis continetur; hinc A. R. P. Provincialis decrevit, prout praesenti Decreto decernit, quod, quamvis vi Legum et Constitutionum nostrarum deberet (adducantur poenae) *sustinere, tamen quia ex fervore iracundiae, sicque animo aliqualiter indeliberato deliquit, eum ad poenas nonnisi moderatas condemnare, ita, ut etc.* exprimitur poena sustinenda) *sustinere debeat: prout illum de facto ad praefatas poenas condemnat. Acta sunt haec Die. Mense. Anno Loco etc.*

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr N. Actuarius.

Si Assessores adsunt, etiam illi se subscribant. Decretum ita factum intimatur dein Reo per Actuarium, ac, quod fit, Actis inseritur, v. g.

Memoratum Decretum per me Actuarium Reo in praesentia duorum Testium intimatum, et ab eo humiliter acceptum fuit. Acta sunt haec Die. Mense. Anno. loco. etc.

Ego Fr. N. Actuarius.
Ego Fr. N. interfui.
Ego Fr. N. praesens fui.

Si Reus a tali Decreto appellaret, et Appellatio apparet frivola, rejicistur, et Decretum executioni mandetur; salvo tamen effectu ejus devolutivo.

552 Notandum hic specialiter pro Ordine nostro, quod, licet alias apud nos nec Provinciales, nec alius Judex possit aliquem Reum absque consilio et consensu Diffinitorii per Sententiam, vel Decretum aliquod Sententiae in effectu aequivalens (uti est positum *num.* 533.) ad poenas debitas condemnare; tamen id possit in casu, quo Reus in praesentia Judicis pro Tribunali sedentis delinquit; ut bene advertit Ludovicus de Ameno *in Practic. Criminal. Tit. Inquisitio.* §. *7. num. 37.* ut proin hic casus sit exemptus, utpote in quo ex abrupto statim, et in continenti proceditur.

De Praxi formandi Processum contra delicta notorie commissa.

SUMMARIUM.

553 Suppositis iis, quae §. 5. *a num.* 240. diximus, videlicet, quod, licet delicta *Notoria* sine ordine, id est, non servato ordine Juris puniri valeant, tamen requiratur I. Ut delictum sit vere *Notorium.* II. Ut de *Notoreitate* per testes legitime constat. III. Ut etiam constet de malitia Delinquentis. Et IV. Ut pro majori securitate prius citetur, et audiatur Reus, ac Sententia saltem absque Juris solemnitate fiat, prout amplius *loc. cit.*

Notandum ad propositum, quod etsi delictum in praesentia Judicis pro Tribunali sedentis, etiam reputetur inter *Notorie* commissa delicta, de eo hic non esse quaestionem, utpote de quo *Sub* §. *praeced.* diximus, sed de *Notorio* in absentia Judicis, vel pro Tribunali non sedentis, sed coram Communitate, aut majore, vel saltem tanta parte illius commissum, ut tergiversatione aliqua celari nequeat, consequenter vere *Notorium* sit, juxta dicta §. *V.* a *n.* 243.

554 In casu ergo, quo *Notorium* hujusmodi delictum quacunque via venit ad aures judicis Regularis Ordinarii, Provincialis v. g. confert ipse se, vel delegat aliquem ad locum, ubi casus contingit, et una cum Actuario inquirit ibidem, an constet de *Notoreitate* delicti, eaque habita pronuntiat constare de *Notoreitate* delicti, et constituit Reum, ac punit. Praxis est sequens.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis per viam Notorii contra Fr. N. Cum enim ad aures A. R. P. Provincialis modo fide digno pervenisset, praefatum Fratrem in publico Refectorio, vel in horto coram omnibus, vel majori parte, vel tot praesentibus, temerarie ac malitiose alapam infligere ausum esse, ita ut delictum a se commissum nulla tergiversatione celare, vel negare valeat, ideo A. R. P. Provincialis obligationi et muneri suo satisfacturus contra memoratum Reum per viam Notorii procedere, et informationes debitas super Notoreitate sumere decrevit, atque propterea ad cameram suam, ubi Tribunal erexit, vocatum in praesentia Testium in Notarium creavit, ac juramentum de Officio fideliter exequendo detulit, quod etiam praestiti. Acta sunt haec etc. Et subscribunt se Testes, Provinciales, et Notarius.

Notandum, quod Testes non examinentur ad probandum delictum, sed ad probandam *Notoreitatem* illius, v. g. 555

Vocatus, et ex officio assumptus fuit Testis Fr. N. qui praestito juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia.

Interrogatus: *Quomodo vocetur?* Resp. etc. Et fiunt interrogatoria Generalia, ut supra *num. 372.* Quibus absolutis.

Ad Specialia.

Interrogatus: *An sciat aliquod inconveniens, aut scandalum in Conventu esse commissum?* Resp. etc.

Interrogat. *Quomodo? quando? et ubi contigerit?* Resp. etc.

Interrogat. *In causa scientiae?* Resp. *Ipsemet interfui.*

Interrogat. *De Contestibus?* Resp. etc.

Interrogat. *An hoc jam sit publicum et Notorium?* Resp. *Ita.*

Interrogat. *Quid intelligat per Notorium et publicum?* Resp. etc.

Quibus habitis etc. fit clausula ut supra.

Pariter examinatur alius Testis, quia duo saltem requiruntur ad probandum *Notoreitatem*, quibus probet, et pronuntiat Judex constare de *Notoreitate*, et decernit, constituere Reum sequenti modo.

Consequenter A. R. P. Provincialis matore consideratis Testium depositionibus pronontiavit constare de Notoreitate delicti asserti; proinde decrevit ad ulteriora procedere, prout Juris. Acta sunt haec Die etc.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Constito per Testes de *Notoreitate* delicti constituit Reum, eumque constitutum examinat, non de delicto commisso, quia jam Notorium supponitur, sed quare non debeat condemnari ad poenam Ordinariam. Praxis est sequens. 556

Anno. Mense. Die etc. vocatus et constitutus fuit coram A. R. P. Provinciali praefatus Fr. N. qui, uti probatum in Actis habetur, Notorie inflixit alapam Testi, eumque de statu suo monitum, prius ad effectum standi in Judicio ab Excommunicatione absolvit cum reincidentia et non aliter, dein improperato ei delicto, quod timore Dei postposito Notorie perpetrare ausus sit, ipsum

Interrogat. *Quare non deberet condemnari ad Ordinariam?* Resp. etc.

Si delictum negaret, non curet Judex, sed pergat, v. g.

Fuit ei dictum, quod non interrogetur, an delictum commiserit; de hoc enim, et Notoreitate *ejus jam plane constat: dicat ergo solummodo, quare non debeat condemnari ad poenam Ordinariam?* Resp. etc.

Dein lectam depositionem subscribere jussus, ac dimissus est.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

557 Si Reus appellaret forsan allegando nullam vel falsam, vel frivolam causam; decernat Judex Appellationem tanquam frivolam rejicere, et Reum per Decretum, vel (quod melius ac securius est juxta dicta) per Sententiam ad poenam debitam condemnet: si vero contra Testes tanquam sui inimicos exciperet, aut alias Notorietatem obfuscaret, vel ab eadem rite appellaret, deberet contra illum via juris ordinaria procedi, ac petenti Patronus concedi.

558 Porro in Ordine nostro, antequam Sententiam contra *Notorie* delinquentem ferat, debet prius Acta communicare Diffinitorio, et nonnisi cum ejusdem consilio et consensu Sententiam ferre; quia apud nos nullus (exceptis solis delinquentibus in praesentia judicis juxta dicta) Criminaliter condemnari, aut sententiari potest sine consilio, et consensu Diffinitorii. Non videtur autem requiri, ut feratur et promulgetur in praesentia Diffinitorii, et aliae solemnitates juris adhibeantur, quae ad alias Sententias requiruntur; eo quod in casu *Notorii* delicti solemnitates juris non sint necessariae ad Sententiam, per dicta.

559 Sententia autem in *Notoriis* ferri potest, ut sequitur.

Haec est Sententia definitiva in causa Criminali per viam Notorii lata contra Fr. N.

In Nomine Individuae etc. ut supra num. 500.

Christi Nomine repetito etc. Sententiamus, et dicimus, quod, cum Notorie constet, Fr. N. alapam etc. coram etc. etc. inflixisse Fratri N. via Notorii, consequenter absque Juris ordine puniri posse ac debeat. Quapropter ipsum ad poenam a Statutis cap. §. num. impositam condemnamus, ut proin ut illius debeat. etc. (specificatur poena) si adsit causa minuendi, vel augendi poenam, addatur. *Ita hoc, ut omni alio meliori modo Sententia haec lata, lecta, et promulgata fuit, Die. Mense. Anno. loco. etc.*

Ita pronuntiavimus pro Tribunali sedentes.
Fit subscriptio ut supra.

De Praxi formandi Processum contra Reum in Flagranti deprehensum.

SUMMARIUM.

560 *Quotupliciter dicatur quis in Flagranti deprehensus?*
561 *Modus inchoandi Processum contra deprehensum in Flagranti ab ipso Superiore.*
562 *Examen Testium.*
563 *Constitutio, et examen Rei.*
564 *Sententia contra illum.*
565 *Modus formandi Processum contra Reum ab aliis in Flagranti deprehensum, et apprehensum, atque ad Superiorem ductum.*

560 Constat ex dictis §. 5. *a numer.* 267. Triplici modo dici quem in *Flagranti* deprehendi. I. Si in praesentia judicis pro Tribunali sedentis, aut Jurisdictionem exercentis delinquit. II. Si Judex cum testibus ex Officio ei invigilat, et deprehendit. III. Si absente judice ab uno vel pluribus, sive ministris Justitiae publicis, sive aliis in actuali delicto deprehenditur, simulque apprehenditur, et statim ad judicem ducitur, et interea custodiae causa incarceratur.

561 Qualiter praxis servanda sit circa primum modum, jam constat ex dictis *a n.* 529.

Circa secundum vero modum praxis sequens est. Videlicet primo Judex creat, et assumit Notarium pro Actuario. Dein examinat testes, qui cum ipso fuere. Postea constituit, et examinat Reum.

Praxis est sequens.

In Nomini Domini Amen.

Hic est Processus Criminali ab A. R. P. N. formatus contra Fr. N. in Flagranti deprehensum. Cum enim ad praefati A. R. P. Provincialis aures pervenisset, Fr. N. solere etc. (ponatur Crimen, de quo est processandus) *voluit in persona oculari testimonio se certificare. Ideo sero, Die, Mense, hora, ut asseritur, assumptis secum sociis tanquam testibus P. F. N. et F. N. abscondit se in loco, ut commode observare, et videre, ac deprehendere posset reum, ubi post spatium contigit,* (describatur Factum cum circumstantiis) *volens proin A. R P. Provincialis satisfacere Officio suo, me ad se vocatum, in Notarium creavit coram Testibus, coram quibus etiam juramentum mihi detulit, et ego praestiti de Officio fideliter exequendo. Acta sunt haec Die. Mense etc.*

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Testis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Facto taliter initio Processus vocantur dein, et examinantur jurato Testes, qui interfuere, dum Reus in delicto erat deprehensus. v. g. 562

Consequenter vocavit Testem Fr. N. ex Officio assumptum, qui praestito prius juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia.

Interrogatus: *Quomodo vocetur?* Resp. etc. ut supra.

Ad Specialia.

Interrogatus: *Ubi fuerit illo tempore?* (quo videlicet cum Judice deprehenderit Reum) Resp. *Fui cum A. R. P. in loco N. etc.*

Interrogatus: *Quid viderit, et audiverit ibi?* Resp. etc.

Interrogat. *In causa scientiae?* Resp. *Intellectum etc.*

Interrogat. *An bene cuncta observaverit?* Resp.

Interrogat. *Quid sentiat de Fr. N. Reo videlicet?* Resp. etc.

Quibus habitis etc. fit clausula et subscriptio solita. Et ita examinantur alii Testes, qui fuere praesentes.

Finito examine constituitur, et examinatur Reus, ut sequitur. 563

Anno. Mense. Die vocatus, et coram A. R. P. Provinciali constitutus fuit Fr. N. ut supra in Flagranti deprehensus, qui de statu suo monitus, ut jussus, juramentum de dicenda veritate deposuit (si delictum Excommunicationem secum trahat, absolvatur ab ea, ad effectum standi in Judicio, et cum reincidentia, addatur in Actis v. g. Ac postquam ab Excommunicatione standi in Judicio et non aliter fuit absolutus) *responditque, ut sequitur.*

Interrogatus: *Quoties, vel quamdiu hoc scelus etc. committere ausus sit?* Resp. etc. Si omnino negaret, se delictum commisisse:

Interrogat. *Nonne ab ipso A. R. P. Provinciali, et aliis NN. fuit in actuali scelere deprehensus?* Resp. etc.

Possunt fieri etiam alia interrogatoria pro diversitate circumstantiarum, principaliter autem.

Interrogat. *Quare non debeat condemnari ad poenam Ordinariam?* Resp. etc.

Si Reus pertinaciter persisteret in negatione criminis, in quo fuit deprehensus, non attendat Judex, sed objurget eum de temeritate, malitiosissimo perjurio etc. ipsumque urgeat, ac etiam non confitentem condemnet, utpote jam convictum, ita tamen, ut si petat Patronum, ei concedat, qui intra terminum assignandum proponenda proponat, quare non debeat ad poenam Ordinariam condemnari.

564 Condemnatio autem per Decretum, vel Sententiam ita fieri potest.

In Nomine Sanctissimae ac Individuae Trinitatis etc. ut supra *numer.* 500. *Declaramus, sententiamus, et pronuntiamus, Fr. N. fuisse deprehensum in Flagranti delicto* (hic describitur Factum. circumstantionate) *ac propterea esse puniendum juxta tenorem SS. Canonum, et Statutorum Ordinis. Prout etiam eundem hisce condemnamus ad poenam* (ponitur poena infligenda addita causa minuendi vel augendi si minuitur, vel augetur) *Ita et omni meliori modo etc.*

565 Circa tertium modum Judex primo creat, et assumit Notarium pro Actuario ut supra *numer.* 344. Dein examinat Testes super apprehensione, et delicto: et tandem constituit Reum, v. g.

In Nomine Domini Amen.

Hic est Processus Criminalis ab A. R. P. Provinciali N. institutus contra Fr. N. in Flagranti deprehensum. Cum enim dictus Fr. N. ut ajunt, actu perpetraret crimen N. (quod hic describitur) *ab aliquibus, videlicet, N. et N. deprehensus, et apprehensus, atque ad A. R. P. Provincialem adductus esset, volens idem A. R. P. Provincialis procedere prout Juris, me infra scriptum vocavit, et in Notarium coram testibus creavit, creato detulit juramentum de fideliter exequendo officio, quod etiam praestiti. Acta sunt haec.* Fit subscriptio solita Provincialis, Testium, et Actuarii.

Postea statim vocavit, et ex officio assumpsit Fr. N. unum ex illis, qui dicebant deprehendisse et apprehendisse et adduxisse Reum. is praestito juramento de dicenda veritate deposuit, ut sequitur.

Ad Generalia ut supra *num.* 372.

Ad Specialia.

Interrogatus: *Quare apprehenderint, et adduxerint Reum ad Judicem?* Resp. etc.

Interrogatus: *In quo actu deprehenderint?* Resp. etc.

Interrog. *quando, et in quo loco?* Resp. etc.

Interrogat. *Quantum temporis inter delictum, et apprehensionem intervenerit?* Resp. etc.

Interrogat. *De contestibus?* Resp. etc.

Quibus habitis etc fit communis clausula, et subscriptio.

Dein vocatur, constituitur, et examinatur Reus, ut sequitur.

Anno. Mense. Die. Loco. etc. ut supra mutatis mutandis.

Interrogat. *Quomodo vocetur?* Resp.

Interrogat. *Cujus aetatis et conditionis sit?* Resp.

Interrogat. *Quare fuerit incarceratus?* Resp.

Interrogat. *Ubi interea fuerit?* Resp.

Interrogat. *Quare non debeat condemnari ad poenam?* Resp. *quibus dictis Reus dimissus, prius autem depositionem suam sibi praelectam subscribere jussus fuit.*

Ego Fr. N. confirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Si petit, conceditur ei Patronus, ut intra terminum ei assignandum producat, si quae habet, quare non debeat condemnari ad poenam ordinariam.

Postea fit sententia, addita causa minuendi, vel augendi poenam. Si minuitur, vel augetur, ut supra, *numer.* 500. mutatis mutandis: fitque subscriptio debita, et quidem apud nos A. R. P. Provincialis, et totius Diffinitorii, Actuarii, ac Testium ad id rogatorum, ut delata, et promulgata Sententia testificentur.

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

1. *Ratio Continuationis.*

Praecedentem Titulum de Accusationibus, Denuntiationibus, et Inquisitionibus recto ordine sequitur Titulus praesens *de Calumniatoribus*, eo, quod isti non raro appareant in illis. 1

SUMMARIUM.

2 *Calumnia, et Calumniator quid?*
3 *Calumniator praesumitur, qui probare non potest delictum, de quo accusavit.*
4 *Vel denuntiavit Judicialiter alterum.*
5 *An? et quomodo praesumatur Calumniator denuntians ex officio?*
6 *Poenae Calumniatoris tam veri, quam praesumpti sunt. I. Quod debeat refundere expensas litis.*
7 *II. Incurrit infamiam Juris post sententiam: et num. seq.*
9 *III Contrahit poenam Talionis.*
10 *IV. Clericus Calumniator privatur Beneficio, et verberari potest.*
11 *V. Si Calumniator unius poenae non est capax, ea mutari potest in aliam.*
12 *Recensentur variae causae, quae Accusatorem, vel Denuntiatorem in probatione deficientem a praesumpta Calumnia, et poenis ejus excusant, usque ad num.* 22.
22 *Ut autem excusent, debent prius probari.*
23 *Dictae causae etiam excusant ab actione injuriarum, et num. seq.*
25 *Si Accusatio caret omni culpa.*
26 *Praeter Calumniam Accusatores etiam praevaricando. et tergiversando delinquunt.*
27 *Praevaricari quid?*
28 *Poena praevaricatoris.*
29 *Tergiversari quid?*
30 *Tergiversationis poenae.*

Queritur I. Quid sit *Calumnia?* *et quid Calumniator?* Item quas poenas incurrat? Resp. I. *Calumnia* est delictum, quo quis falsum crimen alteri in judicio scienter et dolose intendit, id est, contra alterum proponit, *Calumniator* vero est is ipse, qui hoc facit. Est in re communis *arg. L.* 1. §. *ff. S. C. Turpil.* Definitio ex terminis liquet. Solus notandus terminus *in judicio intendit, seu proponit* ad insinuando, non illum solum, qui aliquem scienter falso accusat, vel denuntiat, sed et quemcunque alium, qui falsum crimen in judicio contra alium proponit, *Calumniatorem* esse, poenisque subjacere, *l. ab Accusatione* 6. §. *fin. ff. eod.* ibi: *Calum-* 2

niae causa puniantur, qui in fraudem alicujus librum, vel testimonium, aliudve quid conquisiisse, vel scripsisse, vel in judicium protulisse dicuntur.

3 Resp. II. Qui accusat alterum de crimine, quod probare non potest, hoc ipso *Calumniator* praesumitur. Communis *arg.* c. 2. *h. t.* juncto *can. Calumniator.* 2. *q.* 3. ibi: *Calumniator, si in Accusatione defecerit, Talionem receperit*, et *can. qui non* 3. *ead. cau. et q.* ibi: *qui non probaverit, quod objecit, poenam, quam intulerit, ipse patiatur.* Nam qui alium accusare, vel denuntiare vult, debet paratas habere probationes, *l. qui accusare. C. de Edendo*; hinc si in probatione deficit, falso, et dolose, sicque calumniose litem movisse censetur, uti bene advertit Glossa communiter recepta *in* c. 2. *h. t.* ℣. *calumniari*; quamvis talis praesumptio non sit juris et de jure, consequenter adversus eam pro innocentia admittatur probatio. Abbas *in cit.* c. 2. *h. t.* et alii, patebitque ex dicendis *n. num.* 12.

4 Resp. III. Sicut qui accusat, sic etiam qui judicialiter, sed non ex officio denuntiat alium, *Calumniator* est, et praesumitur, poenasque Calumniatoris incurrit, si scienter false denuntiat, vel in probatione criminis intentati deficit, Clarus §. *fin. quaest.* 7. *numer.* 12. Farinacius *in Praxi Criminal. q.* 16. *num.* 15. *et* 17. *cum communi arg l. Patronum.* 10. *ff de Jure Patronat.* ubi expresse cavetur: *qui nomen detulit, accusasse censendus est.* Ut proin Accusationis, et Denuntiationis effectus quoad poenas (Talionis excepta) idem sint. Accedit clarus textus *cit.* c. *h. t.* ubi Denuntiator tanquam Calumniator habetur, et punitur, *donec Canonice suam purgaverit innocentiam*, scilicet, *quod non calumniandi animo ad hujusmodi crimina proponenda processerit.* Ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: *Ut caeteri simili poena perterriti ad infamiam suorum facile non prosiliant.*

5 Dicitur autem notanter in Conclusione: *qui non ex officiô denuntiat*; qui enim ex officio denuntiant, Calumniatores non praesumuntur, nec Calumniatorum poenas incurrunt; etsi in probatione deficiant, nisi scienter falso denuntiarent, uti bene advertit Clarus §. *fin. q.* 7. *num.* 12. Farinacius *in praxi Criminal. q.* 16. *num.* 17. cum communi. Ratio est: quia obligatio officii eos excusat a praesumpta, non item a vera Calumnia.

6 Quaeritur II. Quae sint poenae calumniatorum? Resp. *esse* plures. Patet inductione. Nam I. tenetur Calumniator Reo refundere expensas litis, et resarcire omne damnum eidem secutum. Farinacius *in Praxi Criminal. quaest.* 16. *n num.* 10. id tanquam certum regulam asserens, atque extendens non solum ad veros, sed etiam praesumptos Calumniatores, hoc est, in probatione deficientes, et merito; cum enim hanc sustinere debeant etiam, qui *Civiliter* accusant, et in probatione deficiunt; multo magis eidem subjacent *Criminaliter* accusantes, utpote qui ob majus periculum, cui subjicitur accusatus, majori cautela procedere debent. Menochius *de Arbitr. casu* 321. *num.* 1. *et seq.* Clarus *q.* 62. *numer.* 4. cum communi *arg. l. Tum. quam.* 79. *ff. de Judiciis. l. Properandum.* 13. §. *C. eod. c. Finem.* 5. *de Dolo*, cum concord. Hinc Carolus V. statuit, ut Accusatos idoneam cautionem praestaret, quod delicto non probato, expensas litis refundere, et omnia damna secuta resarcire velit; Accusati autem judicio relinquitur, num praeterea apud Judicem Ordinarium, vel apud eum, coram quo *Criminaliter* fuit accusatus, pro his instare velit. *Constitut. Criminal. art.* 12.

7 II. Calumniator incurrit infamiam Juris *can.* 1. *can.* 2. *q.* 3. ibi: *Si quis circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam infamiae sustinere*, *L.* 1. et *L.* 4. §. 4. *ff. de His, qui notantur infamia*, juncta *l. Nostis.* 8. *C. h. t.* quapropter evadit etiam irregularis, ita ut neque Ordines suscipere, neque susceptos exercere valeat, *can. fin. dist.* 51. *can. Infames* 17. *cau.* 6. *q.* 1. ac inhabilis ad Beneficia ac Dignitates Ecclesiasticas, *arg. c. Inter.* 11. *de Excess. Praelat.*

Notandum tamen, hanc poenam infamiae non statim ipso jure, sed tunc primum incurri, postquam per sententiam tanquam Calumniator quis condemnatus est. *arg. L.* 4. §. 4. *ff. de His, qui notantur infamia*, ibi: *Calumniator ita demum notatur, si fuerit calumniae causa condemnatus; neque enim sufficit calumniatum.* Hinc bene attendi debet ad verbas judicis sententiam ferentis. *Nam si quidem ita pronuntiaverit*, non probasti, *pepercit ei: sin autem pronuntiaverit*, calumniatus es, *condemnavit eum*, ut dicitur *L.* 1. §. 4. *ff. ad S. C. Turpil.* 8

9 III. Qui accessorie evadunt Calumniatores, de Jure incurrunt poenam Talionis, *can. Calumniator.* 1. *cau.* 2. *q* 3. ibi: *Calumniator, si in Accusatione defecerit, Talionem recipiat. can. qui non* 3. *eud. cau. et q. l. fin. C. h. t.* cum concordantiis. Et licet juxta jam dicta *Tit. praeced. num.* 10. *et seq.* consuetudine contraria poena Talionis videatur abrogata, et in arbitrariam commutata, tamen a *Pio V. in Constitut. Cum primum, quae est ordine* 5. *inter Constitutiones dicti Papae, in Bullar. Cherub.* denuo renovata saltem respectu verorum Calumniatorum, id est, illorum, qui innocentem scienter falso accusasse confessi, vel convicti fuerint: vide Passerinum *in Tribunal. Regular. q.* 7. *n.* 14.

Porro in Ordine nostro poenam Talionis in Calumniatores etiam tantum praesumptos vi Statutorum adhuc locum habere, patet, *cit. Tit. praeced. num.* 11.

10 IV. Praeter enumeratas poenas Clericus alium Clericum *Calumniose* accusans, Beneficio, et Officio suo privari, et verberibus castigatus in exilium mitti potest, c. 1. *h.* 1. ibi: *Subdiaconum, quo indignus fungitur, privari officio, et verberibus publice castigatum in exilium deportari.* Et quamvis verberatio Clerici per longam consuetudinem non amplius sit in usu, teste Claro §. *fin q.* 70. *nu.* 2. tamen de Jure fieri potest; dummodo absque sanguinis effusione, et non enormiter, sed moderate fiat, Clarus *loc. cit.* Diana *in Pract. Criminal.*

11 Resp II. Si Calumniator non est capax poenae Talionis, debet ea commutari arbitrio Judicis in aliam proportionatam, *arg.* c 1. *h. t.* ubi Subdiaconus in supplementum fuit verberatus. *can. Juxta.* 3. *cau.* 5. *q.* 6. et notant *in cit.* c. 1. *h. t.* Abbas *in fine*, Felinus *n.* 1. cum Glossa.

12 Quaeritur III. An? et quando Accusator, vel *Judicialis* Denuntiator in probatione deficiens immunis sit a nota *Calumniae praesumptae*? Resp. I. Quandocunque justa causa, vel errore probabili quis ductus accusat, vel denuntiat, tam a Calumnia, quam poenis ejus immunis est. Communis ac certa, *arg. L.* 1. §. 3. *ff. ad S. C. Turpil.* Unde non statim ex eo, quod quis in probatione deficiat, *Calumniae*, et poenarum illius reus censeri, sed ita prius discuti, et videri debet, qua mente, vel qua causa ductus accusaverit; ut si appareat, justa causa, vel errore id contigisse, absolvi, sin minus, condemnari queat, ut expresse statuitur *cit. L.* 1. §. 3. *ff. ad S. C. Turpil.*

13 Resp. II. Quamvis arbitrio judicis relinquatur, quae causa sufficiens censenda sit ad excusandum a *Calumnia*, et poenis ejus, Accusatorem, vel Denuntiatorem in probatione deficientem, *arg. cit. L.* 1. §. 3. *ff. ad S. C. Turpil.* tamen dantur etiam quae-

dem causae id praestantes. Veluti I. Quando quis accusat, vel denuntiat ex officio justa dicta supra *numer.* 5. *arg. L.* 2. *C. de His, qui accusar. ut L.* a. *C. de Delat.*

14 II. Infirmitas sexus, si mulier accusat, vel denuntiat *cit. L.* 1. §. 10. *ff. ad S. C. Turpil.*

15 III. Si saltem semiplene, v. g. per unum testem omni exceptione majorem delictum probavit. Farinac. *in Praxi Criminal, quaest.* 16. *numer.* 41. Menochius *de Arbitrio Judicis. casu* 321. *numer.* 17. *et* 18. Felinus *in* c. 2. *h. t. numer.* 3. cum communi. Cui concordat nostra Praxis Criminalis *Tit. Accusatio* §. *IV.*

16 IV. Si quis immenso dolore incitatus accusat, ut si parentes necem prolis vel contra, aut si maritus necem, vel adulterium cum illo commissum accusat *L.* 2. *C. h. t. et l. Quamvis.* 30. *C. ad Legem de Adult.*

17 V. Si jam praecessit infamia, vel alia indicia sufficientia ad inquirendum de delicto contra accusatum. Farinacius *loc. cit. num.* 61. *et* 62. Pirhing *h. t. num.* 5. cum communi.

18 VI. Si Accusans probat, se audivisse a viris fide dignis crimen a Reo fuisse commissum: vel si fuit deceptus a Testibus promittentibus prius, se plenum daturos testimonium, postea vero in judicio vacillantibus, aut negantibus. Farinacius *cit. q.* 16. *numer.* 49. *et* 50. Abbas *in c.* 2. *h. t.* cum Communi. Concordat Praxis nostra *loc. cit.* Idem est, si Testes ab eo nominati, interea fuere mortui, vel a perhibendo testimonio malitiose impediti.

19 VII. Si probavit, vel probare vult per Testes, qui ob testificandi inhabilitatem Accusatori prius ignotam rejiciuntur. Farinacius *loc. cit. num.* 59. Menochius in *Arbitr. Judic. casu* 321. *num.* 31. cum Communi.

20 VIII. Quando Accusatur talis, quem lethalem percussorem fuisse, ante mortem suam dixit lethaliter vulneratus, et postea mortuus. Farinacius *loc. cit. num.* 60. cum Glossa communiter recepta *in l. Maior. C. h. t.*

21 IX. Si fit Accusatio, vel Denuntiatio de Crimine in damnum et grave periculum boni communis redundante, uti Crimen laesae Majestatis etc. Abbas *in* c. 2. *h. t. num.* 2. et ibi Felinus *num.* 6. Farinacius *loc. cit. num.* 57. Ex his ergo ac similibus causis justis arbitrio Judicis cognoscendis excusatur Accusator, et Denuntiator a *Calumnia*, et poenis ejus, etsi in probatione criminis deficiat. De quibus amplius vide Farinacium *in Praxi Criminal. cit. q.* 16. *a n.* 32. Menoch. *de Arbitr. Judicis, casu* 321. Abbatem *in c.* 2. *h. t.*

22 Illud tamen hic notandum venit, quod justa hujusmodi causa in dubio non praesumatur, sed eam Accusator, vel Denuntiator in probatione delicti deficiens, probare debeat; ad quod eidem praefigendus est terminus, infra quem nisi causam justam legitime probet, *Calumniator* praesumitur, poenisque *Calumniatoris* subjacet, ut bene cum aliis docet Farinacius *loc. cit. num.* 38. Pirhing *h. t. num.* 5. et quod in contrarium militet Juris praesumptio *c.* 2. *h. t.* Hinc Accusator in probatione deficiens, a *Calumnia*, et poenis ejus non excusatur per hoc, quod dicat: *Audivi hoc a Viris fide dignis:* vel, *fuit communis fama de hoc etc.* nisi hoc etiam legitime probet.

23 Quaeritur IV. Num enarratae justae causae non tantum a nota *Calumniatoris*, et poenis ejus, sed etiam ab actione *injuriarum* immunem reddant Accusatorem deficientem in probatione criminis objecti? Resp. Affirmative, saltem si justa causa talis sit, quae non tantum a dolo, sed etiam a culpa, et temeritate excuset. Farinacius *loc. cit. numer.* 67. *et* 71. Covarruvias *Variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 6. Menochius *Consil.* 145. *num.* 14. Caepol. *In Consil. Criminal.* 70. *dub.* 3. cum communi contra Alexand. *Consil.* 11. *num.* 4. *volum.* 1. Boss *de Accusat. num.* 19. *ad finem.* Bajard. ad Clarum. §. *fin. q.* 62. *num.* 34. et alios volentes, quod etsi Reus contra Accusatorem in probatione deficientem tanquam *Calumniatorem* agere, et ab eo qua tali expensas litis, et alia praetendere non valeat, possit tamen contra illum instituere actionem *injuriarum*, quae ad damna, et interesse etiam competit. Ratio autem Conclusionis nostrae est: quod justa causa a dolo, et animo injuriandi excuset, per dicta; *injuria* autem sine dolo, et animo injuriandi non committatur, *L.* 3. § *ult. et penult. L.* 4. *ff. de Injur.* et *l. Si non convitii. C. eod.* ergo, ubi adest justa accusandi causa nulla infertur *injuria*, et per consequens non datur actio *injuriarum*.

Confirmatur. DD. omnes etiam Adversarii concedunt, quod in actione *Civili* justa causa excuset ab expensis; ergo etiam in *Criminali*; ut bene docet Bart. *in l. Non ignorat. C. de Fruct. et Lit. expens.* praesertim, quod alias nemo accusare auderet, sicque delicta manerent impunita, si justa causa Accusantem non excusaret ab actione *injuriarum*, et expensis litis, prout consideranti patet. 24

Dicitur tamen notanter in Conclusione, *si justa causa non tantum a dolo, sed etiam ab alia culpa Accusantem immunem reddit*, alias enim illum saltem actione *injuriarum* ad expensas teneri volunt plures, quia si Accusatio temeritati et culpae obnoxia est, tanquam iniqua causa damni Accusantem ad refundendas saltem expensas obligat; Textu valde claro, *l. Eum qui.* 79 *ff. de Judiciis.* Menochius *Consil.* 149. *n.* 14. et alii. 25

Quaeritur V. Quibus aliis modis Accusatores delinquant, et poenas Juris incurrant? Resp. Praeter Calumniam etiam *praevaricari*, et *tergiversari*, ac propterea etiam puniri possunt Accusatores, uti patet ex *L.* 1. §. 1. *ff. ad S. C. Turpil.* ibi: *Accusatorum temeritas tribus modis detegitur, et tribus poenis subjicitur: aut enim calumniantur, aut praevaricantur, aut tergiversantur.* Quid sit, et quibus poenis subjaceat *Calumniari*, jam patet ex dictis. 26

Praevaricari dicitur, qui vel verus, vel simulatus Accusator existens, postea incipit cum Reo inique colludere, veras probationes delicti dissimulando, vel falsas, aut frivolas exceptiones admittendo, sicque partes Rei, cujus adversarium se simulat, fovendo *cit. L.* 1. §. 6. *ff. ad S. C. Turpil.* ibi: *Praevaricatorem eum esse, ostendimus, qui colludit cum reo, et translative*, id est, obiter, *munere accusandi fungitur, eo quod proprias quidem dissimularet, falsas vero rei exceptiones admitteret.* Concordat *L.* 1. *ut* 2. *de praevaricat.* 27

Poena *Praevaricatoris* est, quod contrahat infamiam juris, textu expresso *L. si is.* 4. *ff. de Praevaricat.* et hoc ipso etiam irregularitatem. *can. Infames. caus.* 6. *q.* 1. cum Concordantiis. Praeterea puniuntur poena extraordinaria ad arbitrium judicis *L.* 1. et 2. *ff. de praevaricat.* ibi: *Sciendum est, quod hodie iis, qui praevaricati sunt, poena injungitur extraordinaria, de Praevaricatione* adhuc *Tit. XXII. de collusione detegenda.* 28

Tergiversari (quasi tergum vertere) dicitur, qui post litem contestatam ab Accusatione criminis citra abolitionem desistit, *L.* 1. *ff. ad S. C. Turpil.* ibi: *tergiversari, est, in universum ab Accusatione desistere.* Et hoc delictum est; quia juxta dicta *Tit. praeced. numer.* 50. ab Accusatione vel Denuntiatione semel instituta, post litem contestatam non 29

licet. amplius desistere citra abolitionem, quae est Accusationis institutae peremptio, qua nomen Accusati cum omni inscriptione jam facta totaliter abolatur, remissa necessitate accusandi; quae abolitio impetrari debet vel a Principe, vel alia publica auctoritate, *arg. l. si interveniente. 12. ff. ad S. C. Turpil.*

Poena *Tergiversationis* est quinque librarum auri, juxta *L. 3. ff. de praevaricat.* aut juxta *l. 1. C. ut intra certum tempus accusatur non comparens debito tempore*, quarta omnium bonorum parte privatur, et infamis evadit; et consequenter etiam irregularis.

TITULUS III.

De Simonia, et ne aliquid pro Spiritualibus, exigatur, vel promittatur.

1 *Ratio Continuationis.*

Visis de Processo Criminali in genere, nimirum de Accusationibus, Inquisitionibus, et Denuntiationibus, simulque de Calumniatoribus malitiose proximum accusantibus; pergit Compilator Juris Canonici ad ipsamet Crimina in specie, et singillatim discutienda, ob quae Processus, et Judicium Criminale instituitur; incipiendo a Simonia, utpote gravissimo et Ecclesiae maxime nocivo Crimine, adeo ut *omnia crimina ad comparationem Simoniae, quasi pro nihilo reputentur*; can. *Patet.* 27. cau. 1. q. 7. prout magis dicetur infra n *numer.* 7.

§. I.

De Origine, Natura, et Malitia Simoniae.

SUMMARIUM.

2 *Simonia derivatur a Simone Mago: et quare?*
3 *Definitur Simonia, et explicatur definitio: et duobus seqq.*
6 *Est peccatum mortale gravissimum, et omnium maximum.*
7 *Probatur ex Jure.*
8 *Et Ratione.*
9 *Vocatur etiam, sed non semper est haeresis*
10 *Simonia est perniciosissima Ecclesiae.*
11 *Non datur in ea levitas materiae, nec ex parte rei temporalis. Et seq.*
13 *Nec ex parte rei spiritualis.*

Pro prima §phi. parte communiter receptum est, Simoniam secundum Nominis etymon a Simone Mago derivari. Quamvis enim jam a pluribus ante ipsum, vitium istud commissum fit, ut a Balaam, pretio conducto per Balac Regem, ut malediceret populo Israel *Num. cap.* 22. a Giezi famulo Elisaei Prophetae 4. *Reg.* 5. a Jasone, qui pro Sacerdotio multa talenta Regi Antiocho obtulisse legitur 2. *Machab.* 5. et a Juda Mercatore pessimo, qui triginta argenteis infinitum bonum Christum Jesum vendidit, *can. Qui studet cau.* 1. *quaest.* 1. Tamen non ab istis, sed a Simone Mago crimen istud nomen accepit: Tum quia primus in novo Testamento per Apostolos jam promulgato, crimine isto gravissime, et manifeste se inquinavit, dum rem maxime spiritualem, videlicet mirabilem illam potestatem conferendi Spiritum S. villi pecuniarum pretio malitiose emere volebat, *Act.* 8. ibi *Obtulit eis* (Apostolis) *pecuniam indicens, date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum S.* Cujus malitiam illico increpans Petrus dixit ad eum: *pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti, pecunia possideri.* Tum quia intentione malitiam hanc duplicante id attendebat, ut scilicet potestatem illam pecunia consecutus, eandem cum quaestu et lucro temporali majori exercere posset; uti habetur *can. Salvator.* 8. cau. 1. *quaest.* 3. ibi: *Simon Magus, qui ad fidem ficte accessit, non Spiritum S. propter Spiritum S. quo ipse erat indignus (quoniam ut scriptum est, Spiritus S. disciplinae effugiet fictum) sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quae per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur.* Nota igitur Nominis Simoniae origine

3 Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit Simonia? Resp. I. *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Ita Glossa communiter recepta ad Rubricam *h. t.* Explicantur verba singula. Dicitur primo, *studiosa voluntas*, id est, deliberatus, et cum advertentia mali habitus actus voluntatis: Nam Simoniae reus saltem coram Deo non est, qui vel ex inadvertentia temporale pro spirituali, vel reciproce emit, aut vendit: vel qui ex ignorantia *Juris* aut *Facti* id facit: dum videlicet vel ignorat, id esse illicitum, vel non scit, rem esse spiritualem.

4 Dicitur *emendi, vel vendendi*, quibus verbis non sola emptio, et venditio proprie dicta, sed omnis alius gratuitus, tacitus, vel expressus Contractus onerosus, tam nominatus, v. g. permutatio, locatio, transactio, datio in solutum etc. quam innominatus *do ut des, do ut facias* etc. intelligitur: nam ratio materiae subjectae id postulat, fundaturque talis acceptio in Jure *l. Statu liberi.* 29. *ff. de Statu liberis.* ibi: *Lex duodecim Tabularum emptionis verbo omnem alienationem complecti videtur.*

5 Dicitur *aliquid spirituale, vel spirituali annexum*: per quae verba quid intelligatur, plene declarabitur infra §. *seq.* Addunt aliqui majoris claritatis gratia, *pro re temporali*; verum sicut Glossa omittit illa verba, ita et nos illa hic in definitione Simoniae omittimus; quia tacite jam includuntur in verbis *emendi, vel vendendi*, hoc ipso, quod in emptione, et venditione semper necessario interveniat pretium temporale.

6 Resp. II. Simonia est peccatum mortale Sacrilegii gravissimum. Ita unanimis et certa. Quod sit Sacrilegium, patet ex *can.* 1. *cau.* 1. *quaest.* 3. Ratio est; quia per eam indigne ac irreverenter tractantur res sacrae seu spirituales, quod semper Sacrilegium est; prout magis Theologi. Quod autem sit mortale, et quidem gravissimum, ex sacris Litteris, Jure, et multiplici ratione constat. Ex sacris paginis *Act.* 8. ubi S. Petrus in Simonem Magum cum aeternae perditionis comminatione graviter invehendo dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti, pecunia possideri.*

7 Ex Jure vero variis in locis id manifeste patet, uti *can. Reperiuntur.* 7. cau. 1. *quaest.* 1. ubi Simonia vocatur *execrabile flagitium.* Item *can. Sane.* 4. *cau.* 15. *q.* 3. ubi *Crimini publico, et Laesae Majestatis* aequiparatur, c. *Cum in Ecclesiae.* 9. *h. t.* dicitur *horribile nimis.* Item *can. Quisquis.* 5. *cau.* 1. *q.* 1. nominatur *piaculare flagitium.* Gelasius Papa gravissimam hujus vitii malitiam et pravitatem paucis exprimere volens *can. fin. cau.* 1. *quaest.* 7. dicere non

dubitavit: *Omnia Crimina ad comparationem Simoniae, quasi pro nihilo reputantur.* Unde non immerito statuitur *can. Erga Simoniacos.* 109. *cau.* 1. *q.* 1. ut contra Simoniacus absque ulla misericordia procedatur.

8 Ratio tantae malitiae multiplex quidem, potissima autem haec est: quia per Simoniam res sacrae ac spirituales, seu supernaturales, ac dona Spiritus S. maxime profanantur, indignissime tractantur, a parte rei iniquissime contemnuntur, et vilipenduntur, hoc ipso, quod, dum Simoniace dantur, aut procurantur, re ac pretio temporali aestimantur, eique aequiparentur; cum tamen quaevis etiam minima res spiritualis, seu supernaturalis omnia mundi pretia longe superet. Imo per Simoniam non tantum res spiritualis, sed in rebus spiritualibus ipse Spiritus S. indignissime tractatur, et pretio vilissimo aestimatur, emendoque et vendendo servus creaturarum in libera earundem potestate positus, execrabili Sacrilegio efficitur, prout verbis expressis habetur *can. Eos.* 21. *cau.* 1. *q.* 1. ibi: *Isti* (Simoniaci) *Spiritum S. efficiunt suum servum. Omnis enim Dominus, quod habet, si vult, vendit, sive servum, sive aliquid aliud eorum, quae possidet. Similiter et qui emit, dominus ejus volens esse, quod emerit, per pretium pecuniae illud acquirit. Ita et qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui S. aequaliter peccantes his, qui blasphemant etc. atque Judae comparantur proditori, qui Judaeis Dei occisoribus Christum vendidit.* Quid amplius ad probandam, et detestandam malitiam Simoniacae gravitatem dici posset?

9 His accedit, malitiamque Simoniae auget, quod in Jure passim vocetur *haeresis*, eique aequiparetur; ut *can. Presbyter.* 3. *can qui studet.* 11. *can quicunque* 12 *can. Cum liqueat.* 13. *cau.* 1. *q.* 1. cum concordantiis; imo *can fin. cau.* 1. *q.* 7. dicuntur *Simoniacos veluti primos et praecipuos haereticos ab omnibus fidelibus respuendos esse.* Verum licet Simonia cum haeresi committi possit, nonnunquam committatur, quando videlicet committens illam, vere existimat, res spirituales, seu supernaturales, et dona Spiritus S. pecunia, seu alia re temporali acquiri, ac possideri posse; hoc enim sentire, est formalis haeresis, ac detestabilior haeresis Macedonii, *can. Eos qui cau.* 21. *q.* 1. (prout etiam Simon Magus in hoc sensu committens, veram commisit haeresin, verusque fuit haereticus) tamen sine haeresi committi potest Simonia, quando scilicet quis bene scit, et credit, spiritualia pro temporalibus emi aut vendi non posse, et nihilominus ex avaritia, aut alia inordinata cupiditate id attentat, prout plerumque fit, dum his temporibus Simonia committitur.

10 Augetur ulterius gravissima Simoniae malitia, quod Ecclesiae Dei perniciosissimum, et vel inde etiam pessimum vitium sit, prout bene observat Layman *lib.* 4. *Tr* 4. *cap* 8. *num.* 4. Pirhingh. *t. num.* 3. cum communi aliorum. Ratio est; quia per Simoniam facile fit, et uti nam non saepe fieret, quod indigni assumantur ad Praelaturas cum gravi Ecclesiae, et subditorum damno ac praejudicio, Beneficia conferantur iis, qui parum attendentes onera Beneficiorum, solis inhiant redditibus, non sine injuria et defraudatione Fundationum; Ad Religiones neglectis dignioribus suscipiantur indigni, cum inepti magno cum Religionum detrimento: Ecclesiis Parochialibus tales, qui vel defectu sufficientis scientiae et morum, necessarium doctrinae, et exempli pabulum subtrahunt ovibus, easque lenta fame perimunt; vel, quod deterius est, male habituati, vitiis aperte indulgendo, easdem malo exemplo crudeliter mactant, indeque non tam pastorem, quam lupum pro custodia sua habere cogantur miserae ac simplices oves, cum ingenti earundem strage et interitu, sicut enim per bonos et dignos Pastores plurimas salvari oves, ingensque emolumentum spirituale provenire certum est, ita per malos et indignos, non paucas perire, deplorandumque detrimentum spirituale sequi, compertum est. Propter quae, ad similia Ecclesiae, et animarum damna, mansuetissima alias Christi Sponsa Ecclesia per SS. Canones justa indignatione mirum in modum invehitur in Simoniam ac Simoniacos, ita ut nullam misericordiam exhiberi velit Simoniacis, *cit can. Erga Simoniacos* 109. *cau.* 1. *q.* 1. Simoniam vero praeter gravissimam infra §. *XI.* allegandas poenas varias, iisque pessimis afficiat titulis; nam *c. Sicut.* 6. *h. t. Pestis omnes alios morbos vincens*, ab Ecclesia Dei illico eliminanda dicitur. *can. Reperiuntur.* 7. *cau.* 1. *q.* 1. *Vulnus cancrosum* nominatur *can. cum ordinaretur.* 14. *ead. cau.* et *q.* Lepra appellatur etc. Vae omnibus, qui simoniace vel dant, vel obtinent Beneficia maxime *Curata*; praesertim cum vix sit (excepta ignorantia invincibili) quod a Simonia excuset, uti magis dicetur infra §. *III.*

Quaeritur II. An detur in Simonia levitas materiae excusans saltem a mortali? Resp. Nec ex parte rei spiritualis, nec ex parte rei temporalis (quae pro illa dantur, aut promittuntur etc.) datur levitas materiae, sed omnis Simonia etiam in minimo, et per minimum advertenter commissa, gravissimam supra declaratam malitiam continens peccatum mortale est. Sanchez *lib.* 1. in *Decalog. cap.* 4. *num.* 1. Layman *loc. cit num* 4. Navarrus *h. t. cons.* 5a. *num.* 3. Palao *de simonia puncto* 1. *num.* 7. Bonacina *de Simonia. q.* 3 *n.* 13. cum communi. Quod non detur ex parte rei temporalis, quae datur aut offertur pro spirituali, probatur ex *c. Ex tua.* 2e. *h. t.* ubi Clericus, qui sex tantum solidos pro ordinatione solvit, perpetuae suspensioni subjicitur, quae poena utpote gravis utique gravem culpam supponit, cum poena commensuretur culpae, *arg can. Non offeramus* 21. *can* 24. *q.* 1. *et c. quaesivit* 2. *de His, quae fiunt a majori parte Capituli.* Probatur insuper ex *can. Placuit.* 102. *cau.* 1. *q.* 1. ubi etiam sola Tremissis (est tertia pars unius solidi juxta Glossam *hic* ✠. *Tremissem*) pro modico Chrismate, sub aeternae damnationis periculo prohibetur, *ne forte*, inquit textus, *quod pro salute animarum per invocationem Spiritus S. consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecunia voluit emere, ita et nos venundantes, damnabiliter venumdemur.* Concordat *can Judices.* 13. *cau.* 1. *q.* 1. Ratio est; quia quo minor, ac vilior est res temporalis, eo magis vilipenditur, et indigne tractatur res spiritualis, utpote quae pro parvo pretio temporali aestimatur et aequiparatur; ut proin ex vilitate seu parvitate rei vel pretii temporalis non minuatur, sed augeatur malitia simoniae. 11

Nec obstat *c. Etsi quaestiones* 18. *h. t* ubi ratione modici pretii excusatur quis a Simonia. Nam contra est; quod non excusetur ex eo, quasi vero modica pretii quantitas non sufficeret ad grave et mortale peccatum Simoniae, sed ex eo, quia Ecclesia benigne praesumit, quod modica pretii quantitas sit gratis data, ac insufficiens, ut moveat et obliget accipientem ad dandum propterea aliquid spirituale. Veritas hujus patet ex ipso textu ita sonante: *Si persona offerat electuarium, aut de vino, aut de aliis hujusmodi, quae modici pretii sunt, et quae voluntatem recipientis movere non debeant Ecclesia Romana interpretari non consuevit* (nota benignam interpretationem) *accipientem in his delinquere, vel dantem.* Sufficit ergo quaevis minima quantitas pretii, vel muneris temporalis ad grave Simoniae peccatum committendum, gravesque poenas in conscientia contrahendas, adeo, ut, licet Ecclesia ex benigna interpre- 12

tatione modicum quid temporale pro spirituali, beneficio v. g. consequendo, dantem, vel praestantem, in foro externo Simoniae reum nec judicet, nec puniat, talis nihilominus coram Deo gravis Simoniae, et poenarum illarum reus existat, consequenter (juxta dicenda infra de poenis Simoniae) Beneficium dimittere, et fructus interea perceptos restituere debeat, si illud modicum temporale obligatorie, vel saltem ut motivum pro consequendo Beneficio dedit, ac praestitit.

13 Probatur etiam, quod ex parte rei spiritualis non detur parvitas materiae a mortali excusans ex *cit. can. Placuit.* 102. *cau.* 1. *q.* 1. ubi sub aeterna damnatione, consequenter sub peccato gravi illicitum declaratur, etiam pro *modico balsami benedicti* aliquid temporale dare, vel accipere. Ratio patet; quia cum quaevis etiam minima res spiritualis omnibus mundi thesauris sine comparatione praestantior sit; irreverenter, et sacrilege tractatur, magnaque injuria ei irrogatur, si aequalis cum re temporali pretii indignissime aestimatur, et pro eo datur.

§. II.

De Divisione Simoniae in Mentalem, Conventionalem, Realem, Confidentialem, et in eam, quae est Juris Divini, et humani.

SUMMARIUM.

14 *Ratio hujus Divisionis.*
15 *Simonia* Mentalis *et interna quid? et quomodo differant? Ecclesia tantum judicat de externis. Ibid.*
16 *Simonia* Mentalis *subinde ex parte utriusque, subinde ex parte unius, et quidem persaepe fit: Exemplificatur, et n. seq.*
18 *Transit saepe in* Conventionalem et Realem.
19 *Simonia* Mentalis *quid?*
20 *Et quid* Realis?
21 *Non est simonia Realis, quae utrinque non est completa: et n. praeced.*
Qui promisit temporalem pro spirituali, non tenetur ad illud, etsi istud jam acceperit. Ibid.
22 *Sufficit ad simoniam* Realem, *etsi non totum, sed secundum partem duntaxat detur promissum temporale, aut econtra.*
23 *Non est necesse ut statim tradatur, sed sufficit, si postea fiat.*
24 *Simonia Juris Divini quid?*
25 *Simonia Juris Ecclesiastici quid?*
26 *Simonia recte dividitur in haec membra.*
27 *Solvuntur objectiones contra hanc Divisionem usque ad n.* 32.
32 *Simonia* Confidentialis *quid?*
33 *Eidem annumeratur acquisitio Beneficii ex pacto Accessus, Regressus, et Ingressus: Et quid haec?*
34 *Sunt prohibita haec pacta a Concilio Tridentino, et specialiter a Pio IV. ac V.*
35 *Proponitur duplex controversia circa simoniam* Confidentialem: *et n. seq.*
37 *Qui resignat alteri Beneficium reservata sibi pensione, reus est simoniae Confidentialis.*
38 *Limitatur.*
39 *In Permutatione Beneficiorum non committitur simonia* Confidentialis *ex parte permutantium.*
40 *Bene vero committi potest ex parte Ordinarii, vel alterius Collatoris Permutationem permittentis: et quomodo?*
41 *Simonia* Confidentialis *est subinde Juris Divini, subinde Ecclesiastici.*
42 *Bulla Pii V. per extensum de simonia confidentiali.*

Notandum prius, Simoniam communiter dividi in praefata Rubricae membra, de quibus licet specialis difficultas aut controversia apud DD. non existat, exacta tamen illorum cognitio valde necessaria est ad cognoscendum, an, et quibus poenis ob commissam Simoniam in foro externo, vel interno quis subjaceat; cum non quaevis Simonia poenam secum trahat, nec ob quamvis eadem poena incurratur, prout patebit ex §. *XI.* Hinc pro debita horum notitia specialem *paragraphum* de Divisione, et membris Simoniae apponere placuit. 14

Quaeritur I. Quid sit Simonia *Mentalis*? Quid *Conventionalis*? Et quid *Realis*? Ante responsionem nota, merito sub una Quaestione tria haec Simoniae membra examinari, quia cognitio unius e cognitione alterius dependet, eamque juvat. Notandum alterius, tria ad propositum considerari posse in Simonia, videlicet interna voluntas seu intentio, pactio externa signis vel verbis expressa, et executio ipsius pactionis. Et secundum haec tria communiter dividunt Canonistae Simoniam in *Mentalem*, *Conventionalem*, et *Realem*: prout statim magis patebit. Nam 15

Resp. I. Simonia *Mentalis* illa (de qua Doctores et Jura loquuntur) est quando quis dat temporale pro spirituali, aut reciproce hoc pro illo, sine ullo quidem pacto expresso, vel tacito externe manifestato, hac tamen interna intentione, seu proposito, ut alterum obliget, moveat, aut alliciat ad dandum spirituale Beneficium v. g. Ecclesiasticum pro temporali, aut reciproce ad dandum temporale pro spirituali.

Dicitur notanter, *quando quis dat*; quia, quod acto det, ad hanc Simoniam necessario requiritur, ita, ut quamvis coram Deo etiam veram et mortaliter peccaminosam Simoniam quis committat, quando praecise interne proponit dare, aut praestare temporale pro spirituali, aut econtra; etsi nondum sit executus propositum, tamen haec Simonia, non dicatur *Mentalis* in sensu, in quo de illo communiter loquuntur Doctores, sed potius dici possit, ac debeat *Simonia interna*: *Mentalis* vero, de qua loquimur, sit illa, quae quidem actum externum habet, malitia tamen illius se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. Hujusmodi Simoniae *Mentales* referuntur c. *Tua nos.* 34. *et c. fin. h. t.* simulque additur, illas ab Ecclesia, utpote de manifestis tantum judicante, non puniri, licet apud *districtum Judicem* (*qui est scrutator cordium, et cognitor secretorum*) *culpabiles judicentur*, uti dicitur *cit.* c. 34. *h. t.* unde et *in tali casu delinquentibus sufficit, per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori*, prout additur *cit. c. fin. eod.*

Haec Simonia *Mentalis* a poenis Ecclesiae libera, quandoque ex parte unius tantum, quandoque ex parte utriusque committitur; dum nempe unus dat, et alter accipit quidpiam Simoniaca intentione, ita tamen, ut nullus suam malitiosam intentionem internam verbis vel signis exterius manifestet. Ex parte unius frequentissima, proh dolor! contingit, ut si quis v. g. serviat Episcopo, Patrono, vel alii pro exiguo, aut incompetente salario, hac intentione occulta, nullo signo externo manifestata, ut ab eo in compensationem, aut recognitionem praestiti servitii conferatur Beneficium etc. Item, si quis Canonicatui, Parochiae, aut 16

alii Beneficio inhians munera offert, aut obsequia sive personalia, sive realia praestat Collatori, Electori, Patrono, Commendatori (id est illi quem gratia pollere ad Collatorem v. g. scit) externe simulando, quasi omnino gratis, et nescio quo titulo licito ita faceret, habens interim in mente bona intentionem seu propositum, ut tali munere, vel obsequio alterum moveat ad conferendum, aut procurandum sibi Beneficium.

17 Pariter discurrendum est de illis, qui spirituale dant, Beneficium v. g. conferunt, vel ad illud praesentant, eligunt etc. hac occulta intentione et animo, ut accipiens, vel intuitu accipientis, alii obligentur aut moveantur ad conferendum sibi, vel suis Consanguineis aliquid temporale, vel hoc aut illud sibi suisve praestetur obsequium temporale, vel suo tempore conferantur Officium temporale, vel fiant intercessiones, recommendationes etc.

18 Et quamvis ob hujusmodi Simoniam, quamdiu manet occulta, nulla incurratur Ecclesiae poena, solumque Deum Judicem habeat et Vindicatorem; tamen si ita fit, ut alter facile advertere possit, ac debeat, jam transit in Simoniam *conventionalem*; et si propterea etiam temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali confert, aut praestat, Simonia *Realis* evadit, et poenas Juris in ipso facto inducit.

19 Resp. II. Simonia *conventionalis* est, quando intervenit etiam conventio, seu pactum expressum, vel tacitum, externe manifestatum dandi temporale pro spirituali, aut econtra, ita tamen aut vel ex nulla, aut una tantum parte fiat executio, quo unus quidem dat spirituale v. g. Beneficium cum expresso vel tacito externo manifestato pacto obtinendi rem temporalem, alter vero, Beneficium nempe accipiens non dat illam. De hujusmodi Simonia *conventionali* casus habetur c. *cum essent* 12. *h. t.* Quod si ex nulla parte fit executio, vocatur Simonia Conventionalis *pura*: si vero saltem ex parte unius fit executio, juxta dicta, vocatur Simonia Conventionalis *mixta*: utpote aliquid de reali, et aliquid de *Conventionali* habens. Casu quo autem fieret quidem externa pollicitatio seu promissio dandi temporale pro spirituali, aut econtra: ab alio vero non esset acceptata non esset *Conventionalis*, sed tantum *Mentalis* Simonia, uti bene advertit Farinac. *lib.* 1. *de Decis.* 34. *a numer.* 4. quia deest vera conventio et pactum, quod est duorum, vel plurium in idem placitum consensus tacitus, vel expressus *L.* 1. §. 2. *ff. de Pactis*, cum Concordant.

20 Resp. III. Simonia *realis* est, quando tacita vel expressa pactio seu conventio de danda re spirituali pro temporali, aut econtra, ex utraque parte saltem inchoate impletur, id est, quando unus rem spiritualem, beneficium v. g. et alter istud pro illo jam actualiter tradidit. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *Dubit.* 6. *num.* 36. Pirhing *h. t. n.* 9. Herincx *de Simonia q.* 1. *num.* 9. Gutier. *can. qq. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 10. Covarruvias *in reg. Peccatum.* 2. §. 9. *num.* 7. Flamin. Paris. *de resignat. lib.* 7. *q.* 2. *num.* 7. Suarez, cum communi, ut veriori aliorum, contra Sotum *lib.* 9. *q.* 8. *a.* 1. Palao *de simonia punct.* 22. *n.* 4. Cajetan. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. et nonnullos alios volentes, ad Simoniam *realem* committendam sufficere, si actu traditur, aut praestatur res spiritualis pro temporali, etsi pretium temporale solutum aut praestitum non sit. Verum a priori et communiori sententia recedendum non est; ut proin Simonia quocunque tandem etiam firmissimo contractu commissa tamdiu maneat solummodo *Conventionalis*, et consequenter a poenis Canonicis immunis, donec res utrinque saltem ex parte tradatur.

21 Infertur, si quis etiam serio promitti temporale pro spirituali, vel econtra, et postea Beneficio v. g. jam accepto, poenitentia ductus promissionem ex parte sua adimplere, temporale videlicet promissum dare, aut praestare recusat, et omittit, Simoniae *realis*, et poenarum Juris reus non erit. Neque habet, quod in hoc casu injustitiae sibi timeat; quia res sacrae in commercium, et contractum humanum venire non possunt, *l. inter stipulationem.* 83. §. 5. *ff. de V. O.* et conventio pro illis per aliquid temporale acquirendis invalida est, consequenter nullam obligationem inducit, *arg. can. Si quis.* 8. *cau.* 1. *q.* 1. *l. sed Celsus.* 6. *princ. ff. de contrah. Empt.*

Dicitur autem *saltem inchoate*, quia, ut bene cum praecitatis observat Lessius *loc. cit.* ad Simoniam *Realem* non requiritur ut totum, quod promisit, quis tradat, sed sufficit, si inchoate, seu ex parte det. 22

Infertur, quod, si quis promisit alicui trecentos florenos pro Beneficio v. g. et isto accepto, interea dat centum, vel quinquaginta, vel etiam minus, Simonia *Realis* poenas Juris inducens jam sit completa. Idem est, Si quis plura promisit obsequia temporalia, et accepto Beneficio unum tantummodo, idque exiguum praestat, ita Doctores citati.

Porro non requiritur ad Simoniam *Realem*, ut res temporalis pro spirituali, aut econtra mutuo statim simul tradatur, sed sufficit, si post aliquod etiam longum temporis spatium, annum v. g. tradatur. Hinc licet Simonia maneat *Mentalis*, vel *Conventionalis*, donec ex utraque parte fiat inchoato saltem traditio, tamen ab illo momento, quo etiam postea fit alterius traditio, Simonia *Realis* completur, et quoad poenas Juris retrahitur ad tempus pactionis praeteritae, prout magis dicetur infra §. *XI.* 23

Quaeritur II. Quid sit Simonia *Juris Divini*, et quid Simonia *Juris Ecclesiastici*? Item an bene dividatur Simonia in haec membra? Resp. I. Simonia *Juris Divini*, seu *Naturalis* est, quando pro re temporali datur, vel promittitur res vere spiritualis, aut huic annexa, v. g. Sacramenta, Beneficium, Calix consecratus propter Consecrationem etc. Cum enim natura seu lumen naturale dictet indecens malum, et rei sacrae injuriosum esse, quam a sola liberali Dei manu dependet, omniaque temporalia sine comparatione superat, non ut talem tractare, sed rebus temporalibus aequiparare, hominumque arbitrio et aestimationi subjicere, merito vocatur Simonia *Juris Divini*, et *Naturalis*. Estque propriissime dicta *Simonia*, contra quam potissimum fulminant Summi Pontifices, ac SS. Canones: Et ei proprie convenit Simoniae definitio supra *num.* 3. data. 24

Simonia *Juris* duntaxat *Ecclesiastici* (sic dicta, quia ortum habet a lege sola Ecclesiastica) est, et committitur, quando non quidem datur temporale pro spirituali, aut econtra, sed spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali, contra legem tamen Ecclesiasticam ex motivo Religionis, positam sub poena Simoniae *Juris Divini*, ob periculum, et speciem ejusdem Simoniae. Talis Simonia *Juris Ecclesiastici* est omnis permutatio Beneficiorum facta sine auctoritate Superioris; licet enim per talem permutationis contractum non detur temporale, sed spirituale pro spirituali; nihilominus quia tanquam Simoniacum et sub poenis simoniae ab Ecclesia prohibitum est, ne id propria auctoritate fiat, *c. quaesitum* 5. *c. Cum olim* 7. *de Rerum Permutatione*, labem *Simoniae Ecclesiasticae* contrahit. Talis etiam committitur quando Collitigantes super lite Beneficiali Transactionem faciunt propria auctoritate *arg. c. Cum pridem* 4. *de Pactis*, et *c. Constitutus* 4. *de Transaction.* Talis item Simonia *Juris Ecclesiastici* est, quando venduntur officia Oeconomi, Vicedomini, Thesaurarii, Sacri- 25

stae, et alia similia Officia ad rerum Ecclesiae temporalium administrationem, defensionem, vel custodiam ordinata; licet enim haec Officia sint quid mere temporale, consequenter in eorundem venditione detur solummodo temporale pro temporali, tamen quia Ecclesia id tanquam Simoniacum prohiboit, *can. Si quis Episcopus.* 8. *cau.* 1. *quaest.* 1. *can. Salvator.* 8. *cau.* 1. *quaest.* 3. *c. consulere.* 38. *h. t.* Venditio hujusmodi labi et poenis Simoniae subjacet.

Resp. II. *Simonia* recte dividitur in simoniam *Juris Divini*, et *Ecclesiastici*, ita Glossa *in c. cum pridem. de Pactis* §. *Illicitae*, et *in c. ex parte il.* t. *de Officio delegati.* §. *Dimittere.* quam sequuntur Theologi et Canonistae, tam veteres quam recentiores fere omnes, in specie Anchoranus, Felinus, Abbas, Innocentius, Hostiensis, Decius, Fagnanus, Barbosa, et alii ad *hunc Tit.* contra paucos, inter quos non nemo minus erudite dixit, hanc Divisionem ineptam, et chimericam esse, atque a solis Recentioribus Casuistis inventam. Conclusio manifeste patet ex Juribus *num. praeced.* citatis, in quibus cum plures allegentur Simoniae, quae non sint *Juris Divini Naturalis* utique esse debent Simoniae *Juris humani Ecclesiastici*, a Jure videlicet Ecclesiastico introductae.

Dices: Simonia juxta dicta *numer.* 3. definitur, quod sit *studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale pro temporali*, atqui *Simoniae Ecclesiasticae* non convenit haec definitio; ergo non est vera Simonia, consequenter Simonia supra definita non bene dividitur in Simoniam *Juris Divini, et Ecclesiastici.* Resp. Negando *Major.* Quia hic omissum, *vel Spirituali annexum*, quae verba, si adducor, prout addi debent, Definitio praefata convenit etiam Simoniae *Juris Ecclesiastici*; utpote vi cujus licet non detur temporale pro spirituali, aut econtra, datur tamen spirituale pro spirituali habente quid temporale annexum, vel temporale pro temporali habente spirituale annexum, seu pro spirituali annexo; uti patet, dum propria auctoritate consequenter simoniace Ecclesiastica permutantur, Beneficium pro Beneficio, utpote quod praeter esse spirituale, etiam habet annexos redditus temporales: et in venditione Officiorum *num.* 25. allegatorum, utpote, quae cultum Divinum, ad quem ordinata sunt, quodammodo annexum habent, illumque respiciunt.

Instabis: dum committitur *Simonia Ecclesiastica*, datur spirituale pro spirituali sine respectu ad temporale annexum, vel temporale pro temporali sine respectu ad spirituale annexum; ergo non convenit ei definitio Simoniae. Resp. Transmisso *Antecedente*, negando *consequentiam*; quia concesso *Antecedente* tamen adhuc verum est, dicere, quod detur temporale pro spirituali annexo, etsi non detur propter spirituale, consequenter adhuc ei convenit definitio *numer.* 3. data. Et licet detur sine respecte ad annexum, nihilominus quia Ecclesia ex motivo Religionis id tanquam Simoniacum, et sub poenis Simoniae fieri prohibuit, propter speciem et periculum (quod ob connexionem rei spiritualis cum temporali intervenit) Simoniae *Juris Naturalis*, vera Simonia non quidem *Juris Divini*, sed *Ecclesiastici* committitur.

Urgebis: malitia Simoniae potissimum consistit in hoc, quod res spiritualis inaestimabilis consequatur vili pretio temporali; atqui hoc non contingit in Simonia *Juris Ecclesiastici*; ergo. Resp. distinguendo *Major.* Simonia *Juris Divini*, de qua plerumque in Jure est sermo, consistit in illo, concedītur; Simonia *ut sic*, prout comprehendit sub se omnia membra, negatur.

Dices adhuc, Ecclesia non potest immutare rerum naturas; ergo non potest efficere Simoniacum, quod ex natura non est Simoniacum. Resp. Ecclesiam non posse quidem mutare rerum naturas in genere *Entis*, posse tamen id facere in genere *Moris*: Nam potest aliqua ex se indifferentia, ex justis causis praecipere, vel prohibere sub motivo certae virtutis, ita ut agens contra illud, vere committat vitium tali virtuti oppositum, etsi hujusmodi res ex natura sua tali vitio non subjaceat; uti e simili patet in fornicatione v. g. cum consanguinea vel Affine in gradibus solo Jure Ecclesiastico prohibitis, in quibus committitur incestus, etsi talis ex natura non sit.

31 Et ex his responsis patet, etiam *Simoniam Ecclesiasticam* esse vere Simoniam, eique convenire definitionem supra *num.* 3. datam; consequenter illam a SS. Canonibus merito vocari Simoniam, et Glossam cum communi Doctorum bene facere, quod Simoniam *ut sic* definitam, dividant inter alia etiam in Simoniam *Juris Divini*, et *Ecclesiastici*; quamvis non desint, qui concedant, Definitionem supra *num.* 3. datam, Simoniae *Juris Ecclesiastici* exacte non convenire, consequenter eam Simoniam proprie non esse, inter quos sunt Pirhing *h. t. num.* 6. Sotus *lib.* 9. *de Justitia. q.* 5. *art.* 3. Durandus, Layman etc. Verum quia Canones, Glossa, et communis DD. in sensu proprio bene defendi possunt, in eodem manendum cum Suarez *lib.* 4. *cap.* 2. *et* 7. Lessio *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 5. cum aliis.

32 Quaeritur III. Quid sit Simonia *Confidentialis*? seu (uti ab aliis, sicut etiam in Bullis vocatur) *Confidentia Beneficiorum*? et quando committatur? Resp. I. *Simonia Confidentialis* est, et committitur, quando quis cuipiam Beneficium Ecclesiasticum procurat eligendo, postulando, praesentando, resignando, vel electum, praesentatum etc. Instituendo, confirmando, cum certa confidentia, id est, cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut is, qui Beneficium adeptus est, idem Beneficium suo tempore iterum cedat ipsi, praefato modo procuranti, aut alteri v. g. Fratri, vel Nepoti suo, aut alii, velut alicui horum fructus Beneficii, aut partem illorum, seu pensionem praestet. Ita communis, pateque ex Bulla Pii IV. *Romanum Pontificem* (quae habetur *Tom.* 2. *Bullarii Cherub. estque* 85. *inter Constit. dicti Pontificis*) ubi haec Simonia, ejusque iniquitas amplius describitur, specialibusque poenis subjicitur (de quibus infra) et ex Bulla Pii V. *Intolerabilis* (quae pariter 85. *Constitutio est* dicti Papae *in* 2. *Tom. Bullarii Cherub.*) in qua Antecessoris sui Bullam innovavit, et quomodo haec Simonia in Foro externo facile probari valeat, declaravit.

33 Resp. II. Simonia *Confidentialis*, seu *Confidentia Beneficii* specialiter etiam committitur, si Beneficium conferendo, eligendo, praesentando, resignando etc. alicui procuratur cum reservatione seu pacto *Accessus*, vel *Regressus*, vel *Ingressus*. Pactum seu reservatio *Accessus* fit, quando quis cupiens Beneficium obtinere alicui, Titio v. g qui de facto ob aetatem, vel ob aliam causam inhabilis est ad habendum et fruendum Beneficium, confert illud interea alii, v. g. Cajo, hac tamen conditione, ut Titius habeat jus (quod si nunc confertur) dictum Beneficium propria auctoritate statim apprehendendi, quamprimum factus fuerit habilis, Layman *lib.* 4. *tr.* 10. §. 8. *num.* 75. Flaminius Parisiensis *de Resignat. q.* 5. *num.* 111. Pactum, vel Reservatio *Ingressus* fit, quando quis Beneficium sibi collatum, ante ejus possessionem illud dimittit, vel resignat alteri hac conditione et pacto, ut, si talis ante ipsum moriatur, vel ad aliud Beneficium promoveatur, aut alia ratione illud amplius habere vel non possit, vel non velit, jus Resignanti remaneat

Beneficii sie resignati possessionem, quam prius non esuperat, statim eapiendi et ingrediendi, sicque Beneficio in effectu fruendi. Layman *ibid.* Pactum *Regressus* fit, quando quis Beneficium actu jam possessum resignat alteri, reservato sibi jure regrediendi ad idem, illoque fruendi, easu quo Resignatarius ante ipsum muriatur, aut aliud Beneficium incompatibile recuperet, aut alia retione dictum Beneficium amplius habere? vel non posset, vel non vellet, aut pensionem non solveret. Idem Layman *loc. cit.* patetque elare ex praecitatis Bullis Pii IV. et V.

34 Porro, quamvis praefati modi Beneficia resignandi aut conferendi jam fuerint reprobati a *Concilio Trident. Sess.* 25. *cap. 7. de Reformat.* tamen memorati Pontifices declarando et disponendo addiderunt, quod Simoniae *Confidentiali*, poenisque ejusdem subjacerent, et etiam coram Ordinariis locorum facti, illiciti, simoniaci, et penitus nulli essent; idque praeter alias rationes ideo praecipue, ne in Beneficii introducantur successiones haereditariae tantopere a SS. Canonibus reprobatae, ut *can. Apostolica.* 7. *can. Si ergo.* 15. *cau.* 8. *q.* 1.

35 Et quidem haetenus dieta de Simonia *Confidentiali* sunt aerta, utpote elare espressa in allegatis Bullis. Est autem circa eandem duples controversia inter Doctores. *Prima*, an in easu, quo quis alteri resignat, aut procurat Beneficium eum conditione aut pacto, ut annua pensio solvatur non alicui alteri, sed illi ipsi, qui Beneficium resignat, aut procurat, Simonia confidentialis committatur? Navarrus quidem *h. t. consil.* 76. *num.* 6. et Lessius *lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 97. hoc modo Simoniam communem duntaxat, non vero *Confidentialem* committi, volunt, ducti ea retione, quod Pius V. dum Simoniam *Confidentialem* etiam ob reservationem pensionis committi declarat, expresse dicat, si fit pactum, ut *pensio alii, vel aliis solvatur*: consequenter ajunt, si fit pactum aut conditio, non ut *alii*, vel *aliis*, sed ipsi Resignanti, aut procuranti Beneficium, solvatur pensio. Simonia *Confidentialis* non erit, sed *communis* tantum.

36 Altere controversia est, an etiam in permutatione Beneficiorum committatur Simonia Confidentialis? Pro utriusque decisione sequitur sequens duplex responsio, qua ad quaestionem *n.* 32. positam.

37 Resp. III. Etiam in casu, quo alicui resignator, vel alio, ea allegatis *numer.* 33. modo procuratur Beneficium eum conditione, ut pensio solvatur non *alii*, vel *aliis*, sed ipsi resignanti, vel procuranti Beneficium, vera committitur Simonia *Confidentialis*, Castro Palao *de Simonia punct.* 18. *numer* 6. Garcias *p.* 11. *de Beneficiis cap.* 3. *num.* 194. Suarez *cap.* 43. *num.* 7. et alii. Ratio praecipua est, quia Pius V. per suam Bullam confirmat, et innovat Bullam Pii IV. atqui haec expresse disponit, Simoniam *Confidentialem* etiam in illo easu committi, quo resignans, aut procurans Beneficium, pensionem sibi solvendam paciscitur, uti patet ex 1. §. *Bullae*, hinc licet Pius V. in sua Bulla id specificis verbis non expresserit, tamen implicite idem statuit, innovando et confirmando totam Pii IV. Bullam. Confirmari posset Conclusio pluribus retionibus, quas vide apud eitatos DD.

38 Notandum tamen, cum licentia et auctoritate Papae, sicut et in nonnullis casibus cum licentia Ordinarii fieri posse resignationes Beneficiorum cum onere solvendi Resignanti pensionem annuam; prout ex professo amplius dicimus *Lib. III. Tit. XII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine Diminutione conferantur*, §. *IV.* per totum.

39 Resp. IV. Non committitur Simonia *Confidentialis*, sed *communis* duntaxat, in permutatione Beneficiorum, etiamsi ex parte Commutantium fiat cum pacto, aut reservatione *Accessus*, vel *Ingressus*, vel *Regressus*, vel cum conditione, ut pensio, vel pars fructuum uni permutantium, vel alii solvatur. Navarrus *h. t. consil.* 77. Suarez *cap.* 43. *num.* 11. Palao *de Simonia punct.* 18. *n.* 2. Ratio est; quia lex poenalis (qualis est, quae in duabus Bullis Pii IV. et V. habetur de Simonia *Confidentiali*) est stricte interpretanda *L.* 42. *ff. de Poenis. et c. Odia. de Reg. Jur. in* 6. Non extendenda ultra expressa, per *Vulgaria Juris*; atqui casus *Permutationis* in praefata Lege non exprimitur; ergo.

Dicitur autem notanter *ex parte permutantium*: 40
si enim Ordinarius, vel alius Beneficii Collator cum uno, vel utroque Permutantium pactum iniret, quod vellet v. g. permutationem admittere, vel facta permutatione Beneficium conferre cum hac conditione, ut similia Beneficia permutata, vel eorum aliquod cum tempore alicui certo alteri tribuatur, vel sibi, vel aliis pars fructuum solvatur, Simoniam *Confidentiae* omnino committerent, poenasque illius incurrerent, ut bene advertunt Doctores *num. praeced.* citati, patetque clare ex Constitutione Pii V. *Intolerabilis*, utpote quae ad Collatores universaliter loquens ait: *Si Ordinarius, vel alius Collator contulerit, vel conferat Beneficium, quovis modo vacans* (consequenter etiam si vacat ex causa permutationis, cum verba generalia generaliter sint intelligenda *c. quia circa* 22. *de Privileg.*) *ea conditione tacita vel expressa etc.* Simoniae *Confidentialis* reus erit.

Id tamen limita in casibus, in quibus Ordinarius pensionem imponere potest, juxta dicta supra *num.* 38.

Si quaeras, utrum Simonia *Confidentialis* sit Ju- 41
ris Divini vel Ecclesiastici duntaxat? Resp. Si alicui aliquo ex allegatis *num.* 33. modis procurator Beneficium cum hac conditione, ut beneficium memoratum cum tempore iterum cedatur procuranti, vel alicui alteri, consequenter solum spirituale pro spirituali tradatur, aut promittatur, erit Simonia *Juris Ecclesiastici* introducta per Constitutiones *Pii IV. et V.* Si vero fiat cum conditione, ut procuranti, vel alteri solvatur certa pars fructuum, seu pensio: consequenter detur spirituale pro temporali, erit Simonia Confidentialis *Juris Divini*, prout liquet ex utriusque natura supra *numer.* 26. declarata.

Caeterum quia casus *Confidentialis Simoniae* non 42
rero occurrunt, placuit unam saltem ex praefatis Constitutionem *Pii V.* videlicet, per extensum hic subjungere, ut quivis fontem ad manum habeat, ex quo videre possit, an, quando, et a quibus committatur *Simonia Confidentialis*; quomodo ob eam incurrantur poenae, et quomodo probetur. Licet de poenis illius etiam infra §. *XI.* a *num* 284 *in* specie simus locuturi.

Declaratio casuum, ac praesumptionum, in causis Confidentiae Beneficialis contra quoscunque, etiam S.R.E. Cardinales, cum appositione poenarum.

Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas Constitutiones novis quotidie Fraudibus eludere nituntur, saepe illorum auctores in necessitatem adducit, cautius providendi, quo pertinaciam animi ab improbis conatibus graviore sanctione postposita reprimantur.

§. I. Bene quidem, et providenter fel. rec. Pius Papa IV. praedecessor noster ad tollendam fiduciariae mancipationis Beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit et decrevit.

Ut in Bulla cit. in rub.

§. II. Veruntamen propter improbas multorum cupiditates praedictas, quae ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, et animarum salutem ab ipso praedecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod Judices in causis hujusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes et singulas causas ipsas, ubicunque motas, ad nos advocavissemus, ad omnimodam hujusmodi causarum, et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis et Successoribus nostris reservavissemus, et super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus, vitium quidem confidentiae occulte repsisse, sed plerisque causis praesumptiones, et conjecturas, quae ad illud probandam deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum praedictarum editionem hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in judiciis Confidentias ipsas contempta Constitutione praedicta, Ecclesias, Monasteria, et Beneficia sic recepta, ut prius retinere, alios fructus, pensiones, et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa Beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt saepe Laicis, et inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut Beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt, et renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris, asservent, sacro interdum circuitu retrocessionis reservatione fructuum, et aliarum rerum, aut accessu praesertim ab illis, qui praestandorum jurium Cam. Apost. sunt immunes; alii aut incapaces, aut aliis beneficiis onusti, aut Ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici Beneficia Ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad lib itum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad haec plerique Ordinarii, et Collatores, ac etiam Patroni laici curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorundem, aliisve ministrari. Alia item permulta ejuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum Divinarum puritas turpiter violatur, Disciplinae Ecclesiasticae nervus disrumpitur, et imminens patratur exitium animarum.

§. III. Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi Juris subsidio cohibere, praesentium auctoritate statuimus

Ut si quis quacunque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cujusque personae, simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittantur, vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem haec confidentia censeatur.

Itidem, si Ordinarius, vel alius Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum, beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cujuscunque contra Juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus fructus illius, vel partem admittatem vel libitum conferentis, aut decedentis, aut alterius relinquat, et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius per se vel alium, scripto aut verbo jusserit seu significaverit, persolvat, et pariter, si a patrono etiam laico, vel alteri praesentatori seu electori contigerit, aut contingat id fieri.

Ad haec si Clericus praedictae Camerae, aut Cardinalis, aut alias a solutione jurium ipsius Camerae, vel etiam Cancellariae Apostolicae exemptus, post resignationem vel cessionem alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam et admissam, illam, vel illud etiam confectis litteris Apostolicis, et possessione apprehensa, in eundem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat, in futurum, et ex illa recessione fructus Ecclesiae, seu Monasterii, aut Beneficii, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, et ingressus ad illam vel illud, ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit, fueritve concessus.

Postremo, si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum Confidentiae pravitas sit contracta, casusque hujusmodi litteris praedictis comprehendantur, ac si illis specialim expressi fuissent, licet ipsum confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§. IV. Ad probandum vero plene Confidentiarum abusum, inter alias etiam has praesumptiones, et conjecturae habeantur legitimae. Videlicet.

Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium aut Beneficium, et publicatam resignationem, seu cessionem, captamque a Successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se vel alium seu alios, de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicunque Successor illi, vel ejus propinquis, ipsos aut partem aliquam remiserit eorundem.

Si recipiens Beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, propinquos aut procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimissi, et illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel sola procuratoris depositione, vel liberis rationibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quae personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensae pro ea necessariae ab illo factae fuerint.

§. V. Denique, si quis pro concessione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Ecclesiastico, per se vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis Beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocunque.

§. VI. Testes autem de quacunque re singulares singulas probare valeant praesumptiones et conjecturas, pluresque hujusmodi praesumptiones, et conjecturae plenam probationem faciant in praedictis.

§. VII. Caeterum criminosi, ac caeteri omnes, qui ad prohibendum in causibus Simoniae testimonium recipi possunt, ad praedicta omnia admittantur.

§. VIII. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se judicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censurae stimulo usquequaque prohibeatur, omnes et singulos, qui hucusque Ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliave res intercedente hoc confidentiae vitio receperant, ac retinent nisi statim inde se reverti, et resipiscentes celeri

dimissione sibi prospexerint, et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, et beneficiis obtentis, quae pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, nec non fructibus, pensionibus, et aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanae Curiae, et aliis Officiis temporalibus praesentium auctoritate privamus, et ad futura inhabiles decernimus, et in Juris subsidium Excommunicationis sententia innodamus, a qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim advocatione causarum hujusmodi, et reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis et praedictis Successoribus, ut praedictum est, facta, causis illis dumtaxat exceptis, quae jam coram Nobis pendere cognoscuntur, ac etiam iis quas ratione Ecclesiarum et Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit aut debet, itemque contra ordinarios Collatores Episcopos, et alios superiores Praelatos, etiam Cardinales haberi contigerit, ut jam aliis nostris literis statutum est audiendis, decidendis, et terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscunque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et ipsorum cuicunque, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari, interpretari, et definire debere, nec non irritum, et inane quidquid secus in praedictis per quoscunque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. *Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Civitatibus, Dioecesibus, et locis etiam exemptis, ad praedicta studiose attendat, et quatenus illis relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divinae Majestatis judicium, dictaeque Sedis Censuram voluerint evitare. In caeteris vero causis, et negotiis (nobis, et praedictis successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios praesentium auctoritate delegamus, ut gratia et favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehenso diligenter inquirant, suasque inquisitiones, omnes sigillis obsignatas ad praedictam Sedem quamprimum transferant, ut nos, et praedicti Successores in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis praedictos omnes, et quoscunque alios, etiam exemptos per Edictum publicum, constito prius summarie, et extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu citandi, et monendi, eisque ac Judicibus ordinariis et delegatis, aliisque personis quibuscunque ac praedictorum executionem quoquo modo impedient, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile Interdictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscunque per Censuras et poenas Ecclesiasticas, ac omnia alia juris et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii saecularis quandocunque opus erit invocandi, caeteraque in praedictis, omnibus et singulis necessaria faciendi et exequendi, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.*

§. 10. *Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, et in Concilio Generali edita de duobus dietis aliisque Apostolicis constitutionibus et Ordinationibus, quodque Episcopis, Collatoribus, et Praelatis praedictis etiam Cardinalibus, et quibusvis aliis, communiter et divisim a praedicta sit Sede indultum, vel imposterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad judicium trahi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, et ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, et litteris Apostolicis, generalibus et specialibus, quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum praesentium aut attributae praedictis Ordinariis jurisdictionis explicatio, seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocunque vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis; caeterisque contrariis quibuscunque.*

§. 11. *Litteris Praedecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.*

§. 12. *Volumus autem, ut praesentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, et cujuscunque Curiae Ecclesiasticae, vel Praelati sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem, in judicio et extra, ubique locorum faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.*

Nulli ergo omnino etc. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1569. Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno 4.

§. III.

De Materia, seu Merce Simoniae, Re videlicet Spirituali, vel Spirituali annexa.

SUMMARIUM.

43 *Materia seu Merx Simoniae quid?*
44 *Res spiritualis, quatenus Materia Simoniae quid?*
45 *Alia est spiritualis ex natura sua, et quae?*
46 *Alia est talis* causative: *et quae?*
47 *Alia* effective *talis: et quae?*
48 *Enumerantur plures species materiae Simoniacae, usque ad num.* 52. et *num. praeced.*
52 *Res spirituali annexa, quatenus materia Simoniae? quid?*
53 *Aliqua sunt rei spirituali annexa* antecedenter.
54 *Alia* concomitanter.
55 *Alia* subsequenter.

Notandum prius, rem spiritualem, vel spiri- 43
tuali annexam, pro qua datur temporale a Doctoribus communiter vocari *Materiam*, seu *Mercem* Simoniae: ipsam vero rem temporalem vocari *Pretium*, seu *Munus* simoniacum. In praesenti igitur §. de materia, seu *Merce* Simoniae; in sequenti vero de *Pretio* simoniaco agemus.

Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit Res spiri- 44
tualis, quatenus est Materia Simoniae? et quid intelligatur per eam? Resp. I. Per Rem spiritualem, pro qua tanquam materia, seu Merce datur temporale vi Simoniae, non intelligitur res incorporea, ut Angeli v. g. aut anima rationalis, sed omne, et solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem spectat, et ad spiritualem animae salutem ex institutione Divina, vel humana ordinatum est. Ita Marchantius *Tom.* 3. *Tract.* 10. *num.* 95. Navarrus *in Man. cap.* 23. *numer.* 99. Suarez *de Simonia cap.* 8. *num.* 6. cum *communi* aliorum. *arg. c. Gratia* 1. *can. qui studet.* 11. *cau.* 1. *q.* 1. cum Concordant.

Resp. II. Res hujusmodi spirituales multiplices, 45
et variae sunt: Aliae siquidem tales sunt *essentialiter*, aliae *causaliter*, aliae *effective*, ut videre est apud Phiring *h. t. sect.* 1. §. 1. *numer.* 2. et alios, patebitque addocendo breviter, et explicando singularum species. Sunt ergo Res spirituales ex natura, seu essentialiter tales, consequenter Materia, seu merx Simoniae inter alia a potiori sequentes in specie. Videlicet omnes gratiae superatu-

rales tam gratum facientes, quam gratis datae, tam habituales, quam actuales. Item Virtutes Theologicae et morales infusae, characteres Sacramentales, et similia, argumento desumpto ex *Act. cap.* 8. ℣. 20. Ratio est; quia haec ex natura, seu essentia sua sunt Res spirituales ut puta dona supernaturalia e solo Deo data.

46 Spiritualia *causative* sunt omnia septem Sacramenta, item omnia Sacramentalia, uti sunt omnes Consecrationes, Benedictiones quarumcunque rerum, v. g. aquae, numismatum, Crucium, Rosariorum, vestimentorum et vasorum Ecclesiae, Altarium etc. Item officia Ecclesiastica ad spiritualem, seu supernaturalem finem ordinata, v. g. Praedicatio verbi Dei, Orationes, quae ex institutione Ecclesiae fiunt etc. Quae et similia sunt ac dicuntur spiritualia *causative*, eo quod sint aliquo modo causae rerum spiritualium essentialiter taliter *n. praeced.* specificatarum. Et quidem quod haec omnia sint materia Simoniae, universaliter constat ex *can. fin. cau.* 1. *q.* 3. *c. Non satis* 8. et c. *Cum in Ecclesia* 9. *h. t.*

47 Spiritualia *effective* sunt, quae e Dono, Officio, potestate, vel Jurisdictione spirituali tanquam causa proxime procedunt. Talia plura sunt, et quidem imprimis sunt Patratio miraculorum, quae utpote a gratia gratis data proveniens, ne Simoniace fiat, specialiter prohibuit Christus *Matth.* 10. ℣. 8. dicens: *gratis accepistis, gratis date.*

48 *Secunda* talia etiam sunt actus Officiorum, et potestatum spiritualium, v. g. ordinare, confirmare, sepelire etc. quos materiam Simoniae esse aperte liquet ex *cit. c. Non satis.* 8. *c. Cum in Ecclesiae* 9. *c. Ad nostram* 21. *c. suam.* 29. *h. t.*

49 *Tertio* Talia sunt omnes actus Jurisdictionis spiritualis, Fori Interni, et externi, v. g. Dispensatio in votis, juramentis, impedimentis, legibus Ecclesiasticis, quos Materiam Simoniae reperies *can. nullus Episcopus.* 24. *cau.* 1. *q.* 1. *c. Nemo.* 14. *h. t. c. Ad aures.* 24. *eod.* et novissime *in Concilio Trident. sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat. matrim.*

50 Talia item vel maxime et frequenter occurrentia sunt, Electio, Postulatio, Praesentatio, Nominatio, Institutio, Collatio, Investitura etc. ad Beneficia, Dignitates, et Praelaturas Ecclesiasticas, quae ne Simoniace fiant, passim prohibetur *in Jure, ut c. De hoc* 11. *c. Matthaeus* 23. *c. In tantum.* 36. *h. t.* cum Concordant.

51 Et universaliter taliter sunt omnes alii actus Potestatis ac Jurisdictionis Ecclesiasticae tam voluntariae, quam contentiosae, per Jura citata, quibus adde *c. Vendentes.* 10. *cau.* 1. *q.* 3. et ibi Glossam ℣. *Justitiam* Item *c. cum ab omni* 10 *de vita, et honest. Cleric.* Ratio est: quia omnes isti actus sunt ministerium quoddam Ecclesiasticum, quod ne pro temporali Simoniace praestetur, universaliter prohibetur c. *Ad nostram* 21. *h. t.*

52 Quaeritur II. Quid? et Quotuplex sit *res spirituali annexa*? et quid intelligatur per eam, quatenus est *Materia*, seu *Merx* Simoniae? Resp. I. Per rem *spirituali annexam* ad propositum intelligitur illa, quae quidem in se, et intrinsece spiritualis non est, sibi tamen annexam et conjunctam habet rem spiritualem, indeque *Materiam*, seu *Mercem* Simoniae ingreditur, ita Doctores communiter, et statim magis patebit ex dicendis.

53 Resp. II. Tripliciter potest aliquid esse annexum Rei spirituali, *Antecedenter*, videlicet, *Concomitanter, et subsequenter. Antecedenter* Rei spirituali annexa sunt, quae prius jam existunt, et praesupponuntur, antequam Rei spirituali annectuntur, vel cum ea conjunguntur. Hujusmodi res sunt Templa, Altaria, Calices, Vestes, et Vasa sacra, omnesque aliae res consecratae, et benedictae, utpote quae omnes tanquam quid ex se profanum prius jam existunt, antequam benedicantur, vel consecrentur, seu antequam Benedictioni, et Consecrationi tanquam Rei spirituali annectantur, et cum ea conjungantur. Et quidem has omnes *Materiam* Simoniae esse, passim habetur in Jure praesertim vero ex *can. si quis objecerit.* 7. *cau.* 1. *q.* 3.

Concomitanter annexa sunt, quae cum re aliqua spirituali intrinsece, et inseparabiliter sunt conjuncta; uti est, v. g. labor actualis, seu exercitium corporis in celebratione Missae, administratione Sacramentorum et aliorum Officiorum Divinorum. Intuitu cujus connexionis *Materia*, seu *Merx*, Simoniae sunt, ita, ut pro tali labore dare, vel accipi temporale non possit; prout magis dicetur infra §. V. 54

Subsequenter connexa rei spirituali sunt, quae hanc tanquam causam praesupponunt, eamque seu effectus sequuntur; uti sunt Beneficia, et pensiones Ecclesiasticae, Decimae etc. Primitiae, Oblationes etc. seu Jura has percipiendi; haec enim officium, vel Ministerium spirituale, tanquam sui causam, et originem praesupponunt, cum Beneficium, seu jus percipiendi redditus detur propter Officium. Et haec quoque *Materiam* Simoniacam esse, copiose testantur Jura, *ut can. Si quis dator.* 2. *can. si quis Episcopus.* 3. *can. quaesitum* 4. *cau.* 1. *quaest.* 3. cum Concordant. 55

Verum, uti jam supra dictum, de his omnibus amplius dicetur infra agendo de Simoniacis in specie.

§. IV.

De Pretio, seu Munere Simoniaco.

SUMMARIUM.

56 *Pretium Simoniae Juris Divini est omnis, et sola res temporalis, quae etiam vocatur Munus.*
57 *Simoniae Juris Ecclesiastici Pretium esse potest, etiam res spiritualis.*
58 *Extra materiam Beneficiorum non est Simonia, dare spirituale pro spirituali.*
59 *Pretium Simoniacum aliud est, et dicitur* Munus *a* Manu: *et quid hoc?*
60 *Aliud* Munus ab obsequio: *quid isto veniat?*
61 *Aliud* Munus a lingua: *et quid istud?*
62 *Doctrina practica ad propositum.*
63 *Non est Simonia sine pacto simpliciter orare, aut commendare, ut mihi aut alii conferatur Beneficium.*
64 *Intuitu precum sibi factarum conferre Beneficium minus digno, relicto digniori, non est Simonia, sed aliud peccatum.*
65 *Dare Beneficium, vel quid aliud spirituale intuitu consanguinitatis non est Simonia.*
66 *Pariter non est Simonia ex timore mali incurrendi id facere.*
67 *Dare temporale tanquam motionem consequendi spirituale, an sit Simonia? Remissive.*

Quaeritur I. Quid? Et quotuplex sit *Pretium* Simoniacum, vel Simoniae? Resp: I. Loquendo de Simonia Juris Divini, nomine *Pretii* simoniaci hic non tantum intelligitur pecunia, sed omnis, et sola, quaecunque tandem res temporalis, quae datur, vel offertur pro re spirituali, vel huic annexa. Unanimis et certa, patetque ex dictis supra. Porro hoc *Pretium* simoniacum in Jure vocari solet *Munus*, non quidem, prout munus significat donum gratuitum, sed prout importat onus seu debitum ex obligatione. Nam ut 56

dicitur *L. Munus tribus ff. de V.* tribus modis accipitur *Munus*, *primo* pro dono gratuito, quo sensu dicimus *munera dare*. *Secundo* pro officio, unde *munera militaria, et civilia* dicuntur. *Tertio* pro onere, in quo sensu a ly *munus* derivatur ly *municipes, immunis, immunitas*.

57 Dicitur autem notanter *loquendo de Simonia Juris Divini*; quia in simonia Juris Ecclesiastici *Pretium* esse potest etiam aliquod spirituale, in materia Beneficiorum videlicet, quae licet sint spirituale, nihilo minus si propria auctoritate fit. Commutatio illorum, aut Transactio in materia, committitur simonia *Juris Ecclesiastici*, etsi solum detur spirituale pro spirituali; prout amplius dictum, et ex probatum est supra *n.* 25.

58 Notandum tamen, quod extra materiam Beneficiorum nunquam committatur simonia, si etiam propria auctoritate datur spirituale pro spirituali, v. g. sacrae Reliquiae pro Reliquiis, Missa vel pro aliis rebus spiritualibus, uti cum aliis Suarez *lib. 4. de Simonia cap.* 31. *num.* 20. Pirhing *h. t. num.* 124. Ratio est: quia istud nullo Jure, nec Divino nec humano reperitur prohibitum, nec aliqua irrogatur injuria rei sacrae, hoc ipso, quod non detur pro re temporali, sed spirituali, quod licere constat etiam ex sacris Paginis, Joan. 1. *Gratiam pro gratia*.

59 Resp. II. *Pretium*, seu *Munus* simoniacum dividitur in *Munus a manu*, *Munus*, *ab obsequio*, et *Munus a lingua*. Ita communis, texto claro *can. sunt nonnulli* 114. *cau.* 1. *q.* 1. ibi: *Aliud est Munus ab obsequio, aliud Munus a manu, aliud Munus a lingua*. Per *Munus a manu* intelligitur hic non sola pecunia, quae alias propriissime pretium est, *arg. l. quod si servis* § *fin. et l. si res ff. de in rem verso*. cum Concord. sed etiam quaevis alia res temporalis pretio aestimabilis, utilitatem aliquam, vel commodum afferens, sive dein sit mobilis, sive immobilis, sive corporalis sive incorporalis, qualia v. g. sunt artificiosae picturae, currus, equi, vasa argentea, et aurea, dolia vini. Item juria, census, pensiones, debiti remissio, dilatio, vel anticipatio, mutatio pecuniae. Navarrus *Manual. cap.* 23. *num.* 101. Bonacina *de Simonia* §. 1. *n.* 3. Layman *de Simonia* §. 3. *nu.* 25. cum communi aliorum *arg. can totum* 6. *cau.* 1. *q.* 3. ubi omnia haec pecuniae aequiparantur. De remissione debiti constat ex *c. Veniens* 10. *de Testibus, et Attestat. c.* 3. *et penult. h. t. can. Talia* e. *cau.* 8. *q.* 3. De Mutatione pecuniae, anticipatione, et solutione debitae habetur ex *l. quisquis. C. Si certum petatur*. Ratio universalis est; quia in his omnibus reperitur aliqua utilitas, vel commoditas temporalis, quae si pro spirituali, aut hoc pro illa offertur, promittitur, aut datur, semper Simoniacum est per dicta, et probata supra.

60 Per *Munus ab obsequio* intelligitur omne quodcunque tandem servitium, vel obsequium temporale tacito vel expresso pacto pro re spirituali praestitum, vel praestandum. Ita communis, caretque controversia, *arg. c. Cum essent.* 12. *h. t.* et ibi Doctores. Hinc *Simonia* est, si quis sine omni, vel incompetente salario, Episcopo, Canonico, vel alii Collatori, aut Patrono agat Capellanum, hujus vel illius instruat juventutem etc. tacito vel expresso pacto, ut cum tempore ab eis obtineat Beneficium. Item reciproce si Collator, Praesentator Beneficium promittat, vel conferat, aut Eligens ad id det votum, tacito vel expresso pacto, ut Beneficium accipiens, illi vel Consanguineis ejusdem praestet certum genus obsequii temporalis. Num autem *Simonia* etiam committatur, si quis serviet, seu obsequium praestet alteri sub sola spe et motivo consequendi ab illo Beneficium, dicemus §. *seq.*

61 Per *Munus a lingua* intelliguntur laudes, recommendationes, preces, intercessiones, quae tacito vel expresso pacto pro Beneficio, aut alia re spirituali interponuntur vel interponendae promittuntur, aut exiguntur apud Principem, Communitatem, Magnatem, vel alium quempiam. Navarrus *in Manu. cap.* 23. *n.* 102. Suarez *de Simonia cap.* 4. *a num.* 1. Bonacina *de Simonia* §. 1. *num.* 13. Layman *lib. 4. tr.* 10. *cap.* 3. *num.* 26. cum communi aliorum, *arg. can. sunt nonnulli* 114. *can.* 1. *qu.* 1. Ratio est; quia etiam hoc munus quid temporale, et pretio aestimabile est, ita ut etiam pretio vendi possit, consequenter si pro re spirituali, aut haec pro illo datur, vel offertur, *Simonia* est.

62 Infertur, *Simoniam* esse, quando Collator, aut Praesentator Beneficii, vel habens votum ad illud conferendum, promittet, aut alicui conferat Beneficium, vel praesentet, aut det votum, tacito, vel expresso pacto, ut talis recipiens Beneficium, vel potens illius Pater, Frater, Consanguineus etc. pro Collatore, Praesentatore, aut ejus amicis etc. apud Principem, Communitatem, magnum Dominum intercedat, vel illum commendet, vel ut sua, aut aliorum intercessione, recommendatione faciat, ut Collatori vel ejus amico etc. certum conferatur Officium, aut aliud praestetur obsequium temporale. Idem est, si Beneficium, aut quid aliud spirituale impetraturus, ad similes preces recommendationes per se, vel per alios faciendas se offerat, illasque promittat, vel faciet tacito, vel expresso pacto obtinendi spirituale.

63 Notandum tamen cum Laymano *loc. cit.* et aliis Doctoribus *num praeced.* allegatis, contra D. Thomam 2. 2. *q.* 100 *a.* 5. *ad* 3. Durandum, et Adrianum, non esse *Simoniam*, simpliciter orare, rogare, intercedere, laudem aut recommendationem afferre apud Collatorem, Praesentatorem etc. Ut sibi, vel certo cuidam conferat Beneficium, vel quid spirituale. Item non esse *Simoniam*, si intuitu solius intercessionis, recommendationum aut precum, absque alio tacito, vel expresso pacto, quis conferat alicui Beneficium, *arg. can. Latorem.* 121. *cau.* 1. *q.* 1. ubi ipse Papa fatetur, se ad intercessionem alterius alicui quid spirituale, Ordinem videlicet Acolythatus contulisse, et c. *Tua nos. de Simonia*, ubi declaratur, quod humiliter rogatus conferri possit Canonicatus absque scrupulo *Simoniacae pravitatis*. Ratio est; quia, qui dat aliquid ex eo, quod rogetur, nulla ratione illud vendit, sed omnino gratis dat; consequenter *Simoniam* non committit. Confirmatur universali totius Orbis Christiani consuetudine, qua constat, preces et recommendationes ad obtinenda Beneficia pro se, et pro aliis ubique, etiam apud Sedem Apostolicam libere interponi, et intuitu earum non raro conferri Beneficia.

64 Verum, licet nullum committat peccatum *Simonia*, qui intuitu solarum precum, intercessionis, aut recommendationis sine alio illicito tacito, vel expresso pacto Beneficium confert; nihilo minus tales in alio genere gravissime peccare possunt, et saepe peccant, si videlicet intuitu hujusmodi precum aut recommendationum Beneficia conferant indignis, aut si *curata* conferant minus dignis, relictis dignioribus, quod grave peccatum esse, amplius dictum et probatum est supra *Lib. I. Tit. VI. de Elect.* §. *X. nu.* 241.

65 Quaeritur II. An *Pretium* aliquod *Simoniacum* interveniat, aut Simonia committatur, si alicui datur spirituale v. g. Beneficium ratione et intuitu amicitiae, vel Consanguinitatis? Resp. cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3. et communi aliorum *Negative*. Ratio est; quia licet Beneficium detur alicui Amico, vel Consanguineo qua tali, tamen datur gratuite, et sine ullo pacto tacito vel expresso,

consequenter etiam sine pretio temporali, et sic absque Simonia. Nec quid in contrarium probat *c. Nemo* 24. *h. t.* quia postrema illius verba, quae de Simonia agunt, non sunt referenda ad casum, quo dicitur, nil amicitiae, aut consanguinitati gratia faciendum esse in occultandis peccatis.

66 Quaeritur III. An *Pretium Simoniacum* interveniat? et Simonia committatur, si quis alteri confert spirituale, v. g. Beneficium ex timore damni, aut nocumenti temporalis, aut disgratiae alias incurrendae? Resp. *Negative*, nisi interveniat pactum. Suarez *de Simonia cap.* 37. Soto, cum communi aliorum contra D. Thomam *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 4. et nonnullos alios, *arg. c. Ad audientiam.* 4. *De his, quae vi metusque causa*, ubi restitui jubetur ille, qui ex gravi metu Beneficium resignavit: quod factum non fuisset, si Resignatio ex timore mala facta, Simoniaca fuisset; cum Simoniaca Resignatio ipso facto inducat privationem Beneficii juxta dicenda §. *XI.* Ratio autem Conclusionis est; quia operari ex metu, non est operari ex pacto pro pretio; cum ita operans praecise intendat avertere causam vel ansam aversionis, aut odii, ex quo deinde malum sequi timetur.

Dicitur autem notanter, *nisi pactum interveniat*; quia obligatio, quae vi pacti imponitur alteri, ne mihi noceat, et securitas mea per pactum obtenta est quid pretio aestimabile, consequenter si pro illo datur spirituale, Simoniam esse, volunt Doctores citati, et alii.

67 Quaeritur IV. An *Pretio Simoniaco* annumeretur, vel ei aequiparetur, consequenter Simoniam inducat, si quid temporale datur, offertur, aut promittitur non tanquam *Pretium*, sed tanquam *motivum* consequendi spirituale, seu ea intentione, fine, aut motivo, ut obtineatur spirituale? Resp. Ad hoc Quaesitum patere §. *seq.*

§. V.

De Pacto, seu Contracto Simoniaco: Et an hoc etiam interveniat, consequenter Simonia committatur, si temporale detur, aut praestatur non tanquam Pretium, sed praecise ut motivum obtinendi spirituale.

SUMMARIUM.

Quaeritur I. An? et quale requiratur pactum, 68
seu contractus ad hoc, ut *Simonia* committatur? Resp. I. Certum est, et apud Doctores indubitatum, ad rationem Simoniae requiri pactum aliquod, aut contractum expressum, vel tacitum, saltem ex una parte inchoatum, vel intentum dandi vel praestandi temporale pro spirituali, aut econtra. Patet hoc ex *ipsa* definitione *num.* 3. data, in qua ly *emendi*, vel *vendendi*, tacitum, vel expressum pactum importat, juxta dicta *ibid.* quamvis *non* negetur, posse dari *Simoniam* unius duntaxat, *si* videlicet unus tantum promittendo, dando, aut praestando temporale intendit alterum obligare aut movere ad reciproce dandum spirituale, aut econtra; consequenter facere talem contractum, aut pactum.

Resp. II. Non necessario requiritur pactum, aut 69
contractus expressus, quo quis v. g. dicat, *promitto, do, praesto*, vel *dabo*, aut *praestabo* tibi hoc temporale, hac tamen conditione, seu onere, ut mihi *des*, *conferas*, aut *praestes* hoc vel illud spirituale, v. g. Beneficium, sed omnino sufficit etiam pactum, seu contractus tacitus, et implicitus, saltem ex una parte inchoatus, vel intentus, quo quis temporale quidem dat, aut praestat, aut praestare proponit animo, et intentione alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, aut econtra, sicque aliquam commutationem, et appretiationem rei temporalis cum spirituali faciendi, ita tamen, ut hanc animum suum verbis, aut signis expressis non manifestet, sive dein alter id advertat, sive non. Rursus communis se certa, patetque passim ex SS. Canonibus, praesertim ex c. *Tua nos.* 34. *c. Etsi quaestiones.* 18. *h. t.*

Dicitur tamen notanter in utraque Conclusione, 70
Contractum saltem ex una parte inchoatum, aut intentum, idque ideo, quia potest dari *Simonia* ex parte unius duntaxat; quando videlicet unus offert quid, dat, aut praestat, aut praestare proponit tempo-

ralo, animo alterum obligandi, aut movendi ad reciproce dandum spirituale, sicque contractum, aut permutationem ex sua parte facere intendit; alter vero id vel non advertit, vel advertens non consentit, et propterea non acceptat, vel spirituale reciproce non dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporalis. Ita ex parte unius duntaxat Simonis Magi, non item S. Petri fuit Simonia commissa; dum ille huic obtulit quidem pecuniam pro dono Spiritus S. Petrus vero non acceptavit, sed recusavit dicens, *pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti, pecunia possideri.* Hinc in Definitione *Simonia* non dicitur esse contractus, seu emptio vel venditio, seu contractus, sed *studiosa voluntas* emendi vel vendendi rem spiritualem pro temporali.

71 At vero gravis, et quoad praxin maximi momenti, eimulque periculosa difficultas est, an etiam, quando, et quomodo pactum saltem implicitum intercedat, consequenter *Simonia* committatur, casu quo temporale pro spirituali, aut vicissim offertur, datur, aut praestatur non ut *Pretium*, sed ut *motivum*, intentione et animo, vel etiam sub spe consequendi spirituale. Et quia de his duplex distincte difficultas est, duo distincta ad eam solvendam ponemus quaesita.

72 Quaeritur igitur II. An? et quomodo pactum seu contractus saltem implicitus interveniat? et consequenter committatur *Simonia*, casu quo temporale pro spirituali, aut econtra offertur, datur, praestatur, aut praestari proponitur, non ut *pretium*, sed ut *motivum* consequendi spirituale, seu ideo, hac intentione, et fine, ut mediante tali temporali alter moveatur ad dandum spirituale, vel econtra. Et quoniam quaestio haec summe practica, et valde frequenter occurrens est, ideo pro majori ejusdem resolutionis intelligentia casus aliquos practicos praemittemus.

73 Cajus Clericus venit in notitiam, vacare Parochiam, Canonicatum, vel aliud Beneficium, quod ipse libenter haberet. Verum, quia videt, adesse jam, vel certe brevi venturos etiam alios, et forsan digniores, aut potentiores se, illico se confert ad Collatorem, seu Praesentatorem, eique se commendat, et pro collatione Beneficii, aut praesentatione ad illud supplicat, simul etiam per se, vel alium offert eidem aliquod *honorarium* (uti vocant) v. g. aliquam certam quantitatem pecuniae vel pretiosam picturam, vel artificiosam statuam, vel aureum aliquod, aut argenteum vas, vel quid aliud absque ullo quidem pacto externo, conditione, aut externe imposita obligatione, ut pro tali temporali eidem conferatur Beneficium; hac tamen interna intentione, fine, et animo, ut intuitu illius Collatorem, vel Patronum moveat, et obliget, ad Beneficium sibi prae aliis conferendum.

74 Titius in simili vel alia vacatura Beneficii, scit hunc vel illum Consiliarium, Ministrum, aut alium, apud Collatorem, aut Praesentatorem omnia, aut certe tantum valere, ut mediante illius recommendatione, aut intercessione Beneficium obtinere valeat: Hinc illi per se, vel alium aliquid temporale offert sine ullo pacto expresso, aut obligatione, hac tamen intentione et animo, ut eum moveat, et obliget, quatenus ipsum in ordine ad Beneficium consequendum recommendare, suaque recommendatione, et intercessione Beneficium impetrare dignetur, quam intercessionem ut faciat, etiam roget ipsum.

75 Sempronius videns, quod ob defectum suarum qualitatum, vel meritorum, vel ob copiam Cleri, ac Competentium tam brevi aut facile Beneficium aliquod obtinere non valeat, resolvit se ad tempus aliquod gratis, vel pro minori ac competenti salario agere Capellanum apud Episcopum, Praepositum, Decanum, vel alium Collatorem, Praesentatorem, agere Instructorem, Moderatorem Juventutis apud Praesentatorem, aut talem, qui sua potentia, et intercessione Beneficium impetrare facile potest, idque facit quidem absque ullo pacto expresso, conditione, aut obligatione imposita, occulta tamen interna intentione et animo, ut talem moveat et obliget, quatenus sibi eum tempore Beneficium vacans conferat, vel ad illud praesentet, aut sua intercessione juvet.

76 Similiter Episcopus habens jus conferendi, Canonicus habens *Turnum* aut *vocem* in Capitulo, aut Patronus habens jus praesentandi ad Beneficium va- 77 cans, bene videt, vel saltem sibi imaginatur, quod si huic, vel illi Beneficium conferat, aut ad illud praesentet, recepturus sit ab illo, ejusve parentibus, Consanguineis insigne honorarium, aut obtenturus pro se, vel suis Officium, promotionem, aut aliud utile obsequium temporale: Hinc illi prae aliis Beneficium confert absque ullo pacto externo, vel conditione aut obligatione imposita, hac tamen intentione et animo, ut illum, aut consanguineos illius moveat, et obliget, ad hujusmodi honorarium, vel aliud obsequium temporale praestandum. His praemissis, ad quaesitum *num.* 72. positum.

78 Resp. I. In singulis specificatis, et in aliis similibus casibus, ac universaliter, quotiescunque offertur, datur, aut praestatur quid temporale absque omni quidem pacto expresso, et sine ulla conditione, et obligatione externe apposita, intentione tamen interna, et animo, seu ex hoc fine et motivo, ut acquirat spirituale, vel ut alium moveat, alliciat, inducat, ut saltem tacite obliget, quatenus sibi spirituale, v. g. Beneficium conferat, vel ad illud praesentet, aut sua intercessione juvet, implicitum, et ad *Simoniam* sufficiens intervenit pactum, perfectaque committitur *Simonia*. Haec Conclusio, quamvis olim plures habuerit Adversarios, moderno tamen tempore ob Decretum Innocentii XI. statim allegandum est certa, adeo, ut post memoratum Decretum de veritate Conclusionis dubitare non amplius liceat. Eamque expresse tenet Cardenas *in Crisi Theologica Dissert.* 27. *super damnata Propositione* 45. *et* 46.

79 Probatur igitur Conclusio I. et quidem efficaciter, ac fortissime ex *Decreto Innocentii XI. edito* 2. *Martii* 1679. utpote in quo doctrinam seu opinionem contrariam damnavit tanquam scandalosam, et in praxi perniciosam, simulque in virtute obedientiae, et sub interminatione Divini Judicii prohibuit, ne ullus fidelium, cujuscunque status aut conditionis sit, in praxin deducat memoratam opinionem aut doctrinam, quae *in Propositione* 45. *dicti Decreti* sic sonat: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.* Cum itaque haec Propositio, doctrina, et opinio sit falsa, scandalosa, et perniciosa, necessario erit vera doctrina eidem contraria, quam ponit nostra conclusio; cum duo contradictoria nequeant esse simul falsa. Et quamvis stante allegato Decreto Conclusio ulteriori probatione non indigeret; praesertim cum Pontifex etiam in Decretis *Morum* sit infallibilis; nihilo minus ut veritas illius et error antiquus magis appareat, praxisque contraria magis eliminetur.

80 Probatur II. Ex Jure *c. Etsi quaestiones.* 18. *h. t.* ubi Episcopus Strigoniensis dubitans, an non saltem in-

directe eit reus *Simoniae*, ex eo, quod illius Frater obtulerit equum Cardiuali pallium afferenti, Papam consuluit, causam sui scrupuli inter alia allegens illud Scripturae: *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere*, et in responsis tulit, illum a *Simonia* esse immunem: ad allegatum vero textum respoodit Pape illis verbis: *Quod autem scriptum est (beatus, qui excutit manus suas ab omni munere) de illis donis dictum est, quae accipientis animum allicere, et pervertere solent; quoniam si ipsa persona Electi offerat Ordinatori, aut Consecratori suo electoarium aut de vino, aut de aliis hujusmodi, quae modici pretii fuerint, et quae voluntatem recipientis inclinare, et movere non debeant; non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem*: Ergo e sensu contrario, si talia munere offeruntur, quae accipientis animum movere possunt, et allicere ad dandum spirituale, *Simoniacum* est; consequenter qui dat temporale hac intentione, fine, et animo, ut accipientem moveat ad reciproce dandum spirituale, etsi expresse id non paciscatur, Simoniam committit.

81 Dices, ex hoc textu, et explicatione illius saqui, saltem illum a *Simonia* excusari, qui esculenta et poculenta, vel alia modici pretii offert animo et intentione movendi accipientem ad dandum spirituale; quod est contra dicta supra *numer.* 11. ergo. Resp. Negando *Antecedens*, licet enim Ecclesia pia Mater benigne interpretetur, modica gratis dari et accipi, consequenter *Simoniam* in illis non praesumat, tamen coram Deo Simoniae, et poenarum ejus reus est etiam ille, qui esculenta et poculenta, vel quid aliud modicum dat, si revera non gratis, sed ea intentione et animo det, ut alterum ad reciproce dandum moveat, et alliciat: cum juxte dicta in *Simonia* non detur levitas materiae; imo eo gravior infertur injuria rei spirituali, majusque committatur *Simoniae* peccatum, quo minoris pretii est res temporalis, intuitu cujus datur res spiritualis.

82 Probatur III. Manifeste ex c. *Tua nos. 34. h. t.* ubi postquam Papa consultus respondit, esse *Simoniam*, si quis Ecclesiae offerat sua bona cum pacto et conditione, ut in Canonicum recipiatur; ab eadem vero immunem esse, si hujusmodi bona pure ac sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans tamen humiliter, ut in Canonicum recipiatur, subjungit, talem sine ullo expresso pacto et conditione bona sua offerentem, et praecise humiliter rogantem pro Canonicatu, nihilo minus *Simoniae* esse reum, si ex intentione interna, fine, et animo id fiat, ut recipiatur in Canonicum, seu ut acquirat spirituale: uti patet ex textu sic sonante: *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quae offert, spiritualia valeat adipisci, et Clerici, qui in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem, (qui est scrutator cordium, et Cognitor secretorum) culpabiles judicantur*, utique ob *Simoniam*, utpote de qua ibi agitur, et praeter quam alia culpa in hoc intervenire non cognoscitur. Haec Pontificis responsio veritatem nostrae Conclusionis, et falsitatem doctrinae contrariae tam clare manifestet, ut sane mirari liceet, Doctores tam insignes prius in hoc puncto nihilo minus fuisse hallucinatos.

83 Probatur IV. Ratione: quando temporale offertur, detur, aut praestetur eo modo, qui in prudenti, et communi hominum aestimatione saltem tacite, virtualiter, et aequivalenter est emptio, ac continet tacitum pactum aliquod, seu contractum onerosum, certe committitur *Simonia*, juxta unanimem Doctorum, et clare Jura manifeste innuentia, ad *Simoniam* non requiri expressum, sed sufficere tacitum, et implicitum pactum, seu id, quod virtualiter, et aequivalenter est pactum: Sed qui dat, vel praestat temporale eo animo et fine, ut accipientem moveat ad reciproce dandum spirituale, consequenter eo motivo et intentione, ut mediante tali re temporali acquirat spirituale, dat modo, qui virtualiter ac aequivalenter est emptio, continetque in se pactum, seu contractum tacitum ac implicitum; ergo. Minor probatur a simili: quando quis absque ullo pacto aut conditione expresse, et sine obligatione, vel onere externo imposito, hoc tamen animo, fine, et intentione offert Judici pecunias, vel aliud munus temporale, ut moveat illum ad ferendam pro se injustam sententiam, seu ut mediante tali pecunia, vel munere eam pro se acquirat, et Judex intuitu illius pecuniae motus sententiam injuste pro tali pronuntiet, revera in communi aestimatione hominum virtualiter, et aequivalenter censetur, et dicitur emisse, Judex vero vendidisse sententiam, simulque intervenit inter illos tacitum saltem, vel implicitum pactum seu contractus; cum a parte rei in prudenti hominum aestimatione idem sit justitiam vendere, ac pecunia Judicem corrumpi, illaque mediante ad committendam injustitiam, ferendamque injustam sententiam moveri: ergo etiam qui sine ullo pacto expresso, et absque conditione vel obligatione externe apposita, eo tamen animo et fine dat temporale, ut moveat accipientem ad dandum spirituale, seu ut mediante tali temporali acquirat spirituale, virtualiter, et aequivalenter dicitur emere spirituale, tacitoque, et implicito pacto, aut contractu illud acquirere.

Confirmatur: qui offert, dat, aut praestat temporale pro spirituali, aut econtra, sine omni quidem pacto expresso, et sine conditione aut obligatione externe apposita, eo tamen animo, fine et intentione, ut alterum moveat, et inducat ad reciproce dandum spirituale, seu ut mediante tali re temporali acquirat ab illo spirituale, non dat omnino gratis et liberaliter, sed onus et obligationem non quidem expresse, sed tacite et implicite imponit, videlicet, ut accipiens temporale, reciproce det spirituale, vel temporale non accipiat, hoc ipso, quod alio fine temporale alteri non det, quam ut ab ipso spirituale accipiat, non daturus, si sciret, quod ab illo reciproce non esset accepturus, indeque tacite velit, ut alter vel det vicissim, aut si dare nolit, oblatum non accipiat, vel certe restituat; Prout colligere est ex illo, quod, si suo munere spirituale non acquirat, conqueratur et murmuret; sicut in simili conqueritur, qui judici munera offert, et sententiam pro se non obtinet. Tali autem modo si datur temporale pro spirituali, tacitum et implicitum pactum intervenire, consequenter Simoniam committi, clarum est. 84

Confirmatur ulterius, si dare temporale pro spirituali non ut pretium, sed tanquam motivum obtinendi, mediante illo aliquid spirituale, vitio careret Simoniae, facile eluderetur omnis Simonia, omnesque Canones Simoniam tam zelose, tantisque sub poenis prohibentes, sicut eludebantur ante Decretum Innocentii XI. dum *Simoniace* agentes, omissis terminis expressi alicujus pacti, conditionis, aut obligationis appositae, dicebant, et impoeterum dicturi essent, se temporale non dare, aut praestitisse ut *pretium*, aut per modum contractus, sed praecise ut *motivum* consequendi spirituale, seu ut alterum inducerent ad reciproce dandum spirituale. 85

Infertur proin in omnibus a *num.* 73. usque ad *num.* 78. specificatis, et aliis similibus casibus revera perfectam committi *Simoniam.*

86 Si quaeras, qualis autem sit *Simonia*, offerre, praestare, aut dare temporale pro spirituali, aut econtra, non expresso pacto, conditione, aut obligatione apposita, nec ut verum *pretium*, sed praecise ut *motivum* consequendi spirituale, seu eo animo et intentione, ut accipiens moveatur, et inducatur ad dandum spirituale? Resp. Esse *Simoniam Juris Divini.* Et quidem, si quis hoc facere interne tantum proponit, erit *Simonia Interna*, grave quidem peccatum coram Deo, nullas tamen Juris poenas inducens, juxta dicta *n.* 15. et dicenda infra §. *XI. de poenis Simoniae.* Si propositum suum ipso actu externo etiam exequitur, erit *Simonia Conventionalis*, quae vel ex parte unius, vel ex parte utriusque committi potest, juxta dicta *num.* 19. et *nu.* 16. Quod si dein ex utraque parte completur, transit in *Realem*, poenas Juris secum trahens, juxta dicta *num.* 20. et dicenda infra §. *XI.*

Porro etiam haec dicta a *num.* 78. huc usque, hodie certa sunt, et extra controversiam apud Doctores; sed gravis modo, et satis delicata ac periculosa est Quaestio sequens.

87 Quaeritur III. An etiam? et quando tacitum, seu implicitum interveniat pactum, consequenter vera committatur *Simonia*, si absque omni pacto expresso offeratur, datur, aut praestatur temporale pro spirituali, non tanquam *motivum*, sed tantum sub *Spe* consequendi spirituale? Vel si datur ad captandam duntaxat benevolentiam, et conciliandam amicitiam, ut postea sui memor ex benignitate conferat Beneficium, aut aliam rem spiritualem, vel econtra. Periculosae, ut jam dictum, et difficillimae solutionis est haec Quaestio. Ratio difficultatis est, quia ex una parte, Communissime DD. habet, dare temporale sub *spe* consequendi spirituale, non esse *Simoniam*, juxta dicenda infra. Ex altera vero parte in contrarium urget, quod dare temporale sub *spe* obtinendi spirituale, vel econtra, idem videatur esse, ac dare temporale ex *motivo*, seu tanquam *motivum* consequendi spirituale: cum, qui dat temporale spe, mediante illo temporali, acquirendi spirituale, vere etiam censeatur dare ex motivo consequendi spirituale: nam etiam dans temporale spe consequendi spirituale, si interrogaretur: quare das, aut praestas huic istud temporale, utique responderet: quia per hoc spero consequi ab eo spirituale v. g. Beneficium; sic autem respondendo manifeste indicarem, *motivum* dandi esse consecutionem Beneficii: atqui dare temporale ut *motivum* consequendi spirituale, est *Simoniacum* juxta dicta *a numer.* 78. ergo etiam dare temporale sub *spe* consequendi spirituale, erit *Simoniacum.*

88 Pariformiter, dare aliquid ad captandam alterius benevolentiam, *ut* postea ex benignitate conferat Beneficium, idem a parte videtur esse, ac dare temporale tanquam *motivum* consequendi spirituale, eo quod dans temporale ad captandam alterius benevolentiam in ordine ad consequendum ab ipso Beneficium, revera pro *motivo* et quidem principali, ac ultimato habeat consecutionem rei spiritualis, v. g. Beneficii; cum talis per temporale benevolentiam alterius non alio fine et ratione captare intendat et quaerat, quam ut Beneficium ab eo consequatur; ut proin consecutio Beneficii sit ultimum et principale motivum dandi temporale; atqui dare temporale tanquam *motivum* consequendi spirituale, vel econtra est *Simonia* juxta dicta *num.* 78. et *Propositionem damnatam num.* 79. allegatam; praesertim si spirituale sit principale *motivum* dandi temporale, aut econtra; eo quod specialiter damnatum sit ab eodem Innocentio XI. *in Propositione sequenti, quae est* 46. inter damnatas: *Id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale*; ergo etiam dare temporale ad captandam duntaxat alterius benevolentiam, ut postea memor ex benignitate conferat Beneficium, erit *Simonia*; quod tamen multi Doctores negant, et inde solutionem Quaestionis difficilem reddunt. Nihilo minus ad eandem

89 Resp. I. Offerre, dare, vel praestare temporale sub *spe* consequendi spirituale; vel econtra dare spirituale, v. g. Beneficium *spe*, vel *cum*, aut *sub spe* obtinendi temporale, *non* est *Simonia*, si dans temporale pro fine et motivo principali *non* habeat consecutionem rei spiritualis, sed hanc secundario tantum, et per accidens speret, et intendat, etsi causa impulsiva, et excitativa sit: Sic etiam econtra, si dans spirituale pro fine, aut *motivo* principali *non* intendat acquirere temporale, sed illud secundario tantum, et per accidens speret, aut intendat, non committit simoniam. Ita in re communissima Theologorum, et Canonistarum, signanter Navarr. *in Manual. cap.* 23. *numer.* 102. Suarez *de Religione lib.* 4. *cap.* 45. *numer* 4. ubi dicere non dubitat, hanc esse sententiam omnium, Sylvester *V. Simonia quaest.* 16. *dicto* 4. Pirhing *h. t. numer.* 86. Abbas *in c. Cum essent.* 12. *h. t.* et ibi Barbosa *numer* 4. post Glossam *in idem c. Cum essent.* V. *Promiserat*, ubi ita ait, *potest ergo licite quilibet servire Episcopo, vel alii spe futurae remunerationis, nec committitur Simonia in tali spe; cum sine omni pactione vel conditione serviat; dummodo principaliter hac intentione non serviat.*

90 Probatur Conclusio I. iterum ex c. *Tua nos* 34. *h. t.* ubi postquam Papa de Clerico, qui bona sua offerens Ecclesiae rogavit, et speravit recipi in Canonicum, ita respondit: *Si pure, ac sine pacto vel conditione qualibet* (nec tacita videlicet, nec expresse) *rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, et bona sua sibi retinere liceat pro praebenda, et Clerici ejusdem pure consentiant; hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo Simoniacae pravitatis.* Statim subjungit: *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia dona, quae offert, spiritualia valeat adipisci, et Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum admissuri, sine dubio tam ille quam isti apud districtum Judicem* (*qui Scrutator est cordium, et Cognitor secretorum*) *culpabiles judicantur.* Qua distincta responsione manifeste insinuat Pontifex, non esse *Simoniam* offerre, vel praestare temporalia *cum spe*, et precibus obtinendi spirituale, vel econtra; dummodo hujus consecutionem mediante temporali principaliter quis non intendat, sed alium finem principalem habeat (qualem in hoc casu bene habere poterat Clericus bona sua offerens, promovere v. g. cultum Divinum in illa Ecclesia) et secundario tantum, minus principaliter, et quasi per accidens speret, ac intendat consequi spirituale, qualiter intendere spirituale v. g. Beneficium, utique licet, hoc ipso, quod juxta responsum Papae, offerens ex alio fine temporalia, pro consecutione Canonicatus licite rogare, consequenter etiam sperare licite potuerit; cum nemo pro aliqua re roget, nisi illam etiam speret, et aliquo modo saltem secundario, et per accidens intendat.

91 Probatur II. Quando modo in Conclusione *nu.* 89. expresso datur temporale *sub spe* consequendi spirituale, prorsus nullum nec expressum, nec implicitum intervenit pactum onerosum, nec per se paratur via mediante temporali consequendi spirituale; ergo non committitur *Simonia*, cum juxta dicta ad hanc necessario requiratur saltem pactum implici-

tum. *Ant.* probatur. Qui praefato modo dat temporalem *sub spe* consequendi spirituale, alterum nullo modo nec ex justitia, nec ex gratitudine, neque explicite neque implicite obligare vult, ad reciproce sibi dandum spirituale; ergo nullus rei spiritualis intervenit contractus onerosus nec etiam spirituale per temporale principaliter intenditur; eo quod, uti supponitur, pro fine principali quid aliud habeatur, et spirituale secundario, et per accidens tantum speretur, seu intendatur, ergo nec per se paratur via, mediante temporali consequendi spirituale.

92 Confirmatur. Potest quis licite ab alio sperare illud, quod alter potest licite praestare; atqui si gratis, vel ex justo titulo do, vel praesto alteri quid temporale, potest recipiens ex gratitudinis, et obligationis *Antidoralis*, juxta dicenda infra *nu.* 109. vel benevolentiae, aut alio justo titulo mihi reciproce dare, vel praestare spirituale; ergo possum id etiam licite sperare, minime vero alterum ad id vi pacti expressi vel impliciti obligare, vel ut ex gratitudine *Antidorali* det, exigere vel praetendere, juxta dicenda *num.* 110.

93 Confirmatur universali praxi et consuetudine urbis, et orbis, qua videmus, quod timorati quoque obivia locorum serviant etiam Cardinalibus, Patronis, eisque praestent obsequia temporalia, primario ac principaliter ob causam, ac finem licitum; secundario vero, ac minus principaliter *sub spe* directe aut indirecte consequendi ab eis spirituale, seu ea spe et intentione, ut captent eorum benevolentiam et amicitiam in ordine ad consequendum spirituale; atqui temerarie videtur damnare, aut damnatam censere, universalem timoratorum consuetudinem: praesertim cum sit etiam conformis communi DD. juxta dicta; ergo. Verum pro majori horum intelligentia lege infra posita *a num. seq. usque ad finem hujus* §.

94 Resp. II. Offerre, dare, aut praestare temporale etiam *sub sola spe* consequendi spirituale, vel spe, et animo captandi alterius benevolentiam et amicitiam in ordine ad consequendum ab eo spirituale, *Simoniacum* est, si per talem donationem et praestationem rei spiritualis consecutio principaliter intenditur, sive si spirituale, seu consecutio illius est causa, motivum, et finis principalis, ob quem temporale datur, vel praestatur, aut econtra. Ita expresse tenet Glossa in c. *Cum essent.* 12. *h. t.* ℣. *Promiserat*, cujus textum habes supra *n.* 89. Navarr. *in Manual. cit.* 23. *num.* 102. Adrian. *Quod lib.* 9. *art.* 2. *sub litt. L. M. N. O.* Barbosa *in c. cum essent.* 12. *h. t. num.* 4. et ibi Abbas *num.* 4. Sylvester ℣. *Simonia. q.* 16. *dicto* 4.

95 Probatur Conclusio ex saepe jam citato c. *Tua nos.* 34. *h. t.* ubi declarat Pontifex, *quod si quis etiam pure, ac sine pacto et conditione qualibet temporale dat, aut praestat*, et pro spirituali proinde *humiliter* rogat, consequenter sub sola spe consequendi spirituale, vel sola spe et animo captandi benevolentiam in ordine ad consequendum spirituale, id faciat, veram committat *Simoniam*, si per hujusmodi etiam liberalem jactatam donationem rei temporalis intendit (saltem principaliter) adipisci spirituale, aut econtra: Concordat. c. *Etsi quaestiones.* 18. *eod.*

96 Ratio Conclusionis est; quia quandocumque per temporale *principaliter* quis intendit consequi spiritualem, jam hoc ipso a parte rei dat temporale tanquam *motivum* consequendi spirituale, juxta ampliua dicta *num.* 87. et 88. Nec excusaris, si dicas, te non dare temporale ut *motivum* consequendi spirituale, sed tantum *sub spe* consequendi illud, seu *spe et animo* captandi benevolentiam in ordine ad consequendum spirituale; Nam contra est, quod ita dicere sit mera, et coram Deo nullius valoris lusio in verbis, si, uti Conclusio supponit, per donationem et praestationem rei temporalis spirituale consequi *principaliter* intendis; cum hoc ipso, quod per unum *principaliter* intendes consequi aliud, illud tanquam medium, viam, et motivum, istud acquirendi habeas; hoc autem *Simoniacum esse*, certum est ex Conclusione *num.* 78. data; ergo. Secus foret, si per temporale *principaliter* quid aliud intenderes, et *minus principaliter*, seu secundario, et quasi per accidens inde spirituale sperares.

97 Confirmatur Conclusio; si quis non obstante, quod per temporale speret, et *principaliter* intendat acquirere temporale, excusaretur a *Simonia*; omnia Decreta Pontificia, omnesque Canones *Simoniam* Ecclesiae tantopere *nocivam*, tantis sub poenis prohibentes, quivis facile eludere posset, modo diceret: *Non do, vel praesto hoc temporale, ut pretium, neque ut motivum consequendi spirituale, sed tantum sub spe illud consequendi*: vel *ad conciliandam ipsius benevolentiam et amicitiam, in ordine ad obtinendum ab ipso Beneficium.* Et profecto quaero a quovis Adversario; quid sentiat de duobus sequentibus casibus: Ponamus duos Clericos, quorum unus Parochiam, alter vero Canonicatum vacantem ambit: quivis eorum videns, se vel ob defectum qualitatis, ob copiam plurium, et forsan digniorum Competentium difficulter obtenturum suum intentum, resolvit, Collatori, aut Praesentatori 100. aureos offerre *principaliter* intendens hoc modo Canonicatum, vel Parochiam obtinere; unus vero eorum dicit, vel cogitat: *scio, quod hic etc. amet, et acceptet munera, dabo ergo ei* 100. *aureos, ut moveam, et alliciam ipsum, quatenus mihi prae aliis conferat.* Alter vero ita dicit, vel cogitat: *Scio hunc vel illum non esse inimicum munerum: vel forsan valent apud ipsum aliquid munera: Dabo ergo illi* 100. *aureos, quia N. B. spero inde fore, ut mihi prae aliis conferat Canonicatum*: vel *dabo ei* 100. *aureos ad captandam ejus benevolentiam et amicitiam, ut dein ex benignitate, vel gratitudine Beneficium mihi conferat.* Quaero inquam a quovis Adversario, quid sentiat de his duobus casibus, an non a parte rei idem importent? an audeat coram Deo aliquem horum a *Simonia* excusare? an non quivis revera temporale ex motivo consequendi spirituale, Beneficium videlicet, offerat, consequenter uterque *Simoniae* certae reus sit, licet posterior aliis utatur terminis, dicendo, vel cogitando se temporale non ex *motivo*, sed *sub spe* consequendi spirituale offerre, vel ad conciliandam ipsius amicitiam, aut benevolentiam, ut ei Beneficium conferat.

98 Si dicis, priorem, non item posteriorem esse reum *Simoniae* ob dictorum verborum diversitatem: quaero ulterius, an non exinde manifeste sequatur, quod quivis Decreta Pontificia, et Canones *Simoniam* prohibentes, facillime eludere possit, adhibendo loco termini *motivum*, seu *ex motivo*, terminum *sub spe*, vel *ad captandam benevolentiam*? quae sequela utpote absurdissima et scandalosa, quia admitti minime potest, nec id, unde sequitur, admittere, sed dicere debemus, quod dicit Conclusio nostra *num.* 94. posita, videlicet etiam illum, qui temporale offert seu praestat duntaxat *sub spe* consequendi spirituale, seu *ad captandam alterius benevolentiam, et gratiam*, ut postea Beneficium sibi conferat, vel quibuscunque tandem verbis utatur, revera *Simoniam* committere, si per temporale *principaliter* intendat consequi spirituale, per Jura et rationes ibidem allegatas.

99 Confirmatur ulterius, juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. ad 5. *tum*, quem in hoc Juri conformiter

communiter sequuntur DD. quandocunque quis per temporale parat sibi viam ad obtinendum spiritnale, seu quando dat, vel praestat temporale, animo per illud obtinendi spirituale, semper committit *Simoniam*; quibuscunque tandem utator verborum formulis, et expressionibus; at, qui per temporale *principaliter* intendit obtinere spirituale, id utique facit; ergo *Simoniacus* est; etsi dicat, se temporale non dare, vel praestare ut *motivum* consequendi spiritnale, nec sub aliqua conditione, vel obligatione reciproca consequendi spirituale, sed gratis, *sub spe* tamen obtinendi spiritnale, vel ad conciliandam alterius benevolentiam in ordine ad obtinendum spirituale; quia his verbis in opere contradicit, hoc ipso, quod, uti supponitur, per temporale *principaliter* intendat obtinere spiritnale, eum, quia ita intendit, temporale revera ex motivo obtinendi spiritnale praestet, indeque perfectam *Simoniam* certo committat, juxta dicta *num.* 78. praesertim quia evitare non potest, quin, si praefata intentione temporale praestat, alteri aliquam non quidem ex justitia, sed talem obligationem reciproce dandi spirituale tacito saltem, implicite, et virtualiter imponere velit, quae ad *Simoniam* sufficit, quantumvis, se temporale *gratis*, et sine ulla conditione, vel obligatione *sub spe* duntaxat consequendi spiritoale etc. praestare, prout aperte constat tum ex dictis, tum ex *c. Tua nos.* 34. *h. t.* ubi expresse habetur, quod etsi Clericus dicat, se pure, et sine pacto, vel conditione, aut obligatione offerre sua bona Ecclesiae, tamen *Simoniam* committat, si per talem donationem spirituale, Canonicatum nempe intendat.

100 Quaeritur IV. Unde desumendum sit, temporale *principaliter* dari, aut praestari animo consequendi spirituale, consequenter ex pacto saltem tacito et implicito; vel potius ex alio justo titulo, sicque *Simoniam* committi, vel non? Resp. I. Pro foro interno rem omni carere difficultate; cum enim pro hoc Foro cujusvis attendatur conscientia, ejusque inspiciatur mens et intentio, facile quivis judicabit; dummodo se ipsum, vel potius conscientiam suam interroget: quare praecipue hoc temporale, v. g. istud honorarium, illas pecunias, illam picturam vis dare, aut dedisti, vel quare hoc aut istud obsequium temporale huic aut illi praestas, aut praestitisti? si coram Deo aut in conscientia cognoscis, te revera praecipue seu *principaliter* ea intentione et animo, seu ideo fecisse, ut facere ut ab illo, vel per illum obtineres spiritnale, *v. g.* Beneficium, Ordines etc. reus es *Simoniae*, quibuscunque tandem verbis ad palliandam malitiam utaris, vel usus sis.

101 Si vero coram Deo, et in conscientia invenis, ac in veritate dicere potes, te revera id praecipue ex alio titulo, fine, aut motivo fecisse, immunis es a *Simonia*, etsi minus principaliter, et secundario, ac quasi per accidens inde speraveris etiam spiritnale: imo etsi spes consequendi spirituale fuerit causa impulsiva et excitativa ad dandum, vel praestandum temporale, ita ut istud ex alio etsi principali motivo non praestitisses, nisi etiam spes consequendi spiritoale te ad id impulisset; dummodo, ut dictum, *principaliter* ex alio fine vel titulo id revera praestiteris, ut bene advertit Navarrus *Manual cap.* 23. *n.* 101.

102 Notandum siquidem pro consolatione multorum ex Navar. *loc. cit.* citante Maironium *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. D. Thom. *quodlib.* 8. *art.* 2. contra Bartolum *in L.* 2. §. *fin. ff. de Donat.* bene fieri posse, quod quis certum, eumque principalem ac praecipuum finem, motivum, et causam agendi habeat, et tamen non ageret, nisi ab alio minus principali fine et causa ad id excitaretur, et impelleretur; adeoque universaliter verum non sit, causam seu motivum principale alicujus actionis esse, quo cessante, cessaret, vel non fieret actio; cum haec definitio multis causis principalibus non conveniat, ut pluribus ostendit Navarr. *loc. cit.* et ad propositum patebit in exemplis infra ponendis.

103 Resp. II. Pro Foro externo, utrum temporale *principaliter* aut praecipue datum, aut praestitum sit animo consequendi spiritnale, in dubio ex circumstantiis dijudicari debet. Et quantum ad hoc tria sunt maxime attendenda: *Personae* scilicet dantis, et accipientis *qualitas*; *Quantitas muneris*: et *Donationis tempus*, prout habetur, et amplius declaratur c. *Etsi quaestiones.* 13. *h. t.* de quo etiam magis infra.

104 Caeterum ex dictis in hoc §. 5. colliges pro praxi *Simoniam* committi I. In omnibus illis casibus, quos supra *a num.* 73. usque ad *num.* 78. attulimus; etsi loco termini *sub motivo*, utantur terminis *sub spe*, seu animo *captandi benevolentiam*.

II. Illos quos *num.* 97. induximus.

III. Omnes illos, qui temporale offerunt, dant, vel praestant ex solo et principali fine, et motivo consequendi spirituale, quibuscunque tandem utantur verbis, dicendo v. g. se tantum dare *gratis*, vel *sub spe* consequendi spiritnale, vel *ad captandam benevolentiam* in ordine ad consequendum spiritnale.

105 Econtra vero a *Simonia* immunes esse, qui primario et principaliter ex alio fine dant, vel praestant temporale, licet etiam sperent, et secundario, ac per accidens intendant consequi spirituale, indeque ad dare alliciantur, non daturi, nisi etiam haec spes adesset, ob dicta *num.* 101. et *nu.* 102. Tales in specie sunt.

I. Capellani, vel alii Clerici, qui pro competenti salario serviunt Episcopis, Praepositis, vel aliis Collatoribus, aut Patronis, etsi inde sperant, et secundario intendent consequi Beneficium.

II. Studiosi, Paedagogi, et hujusmodi, qui pro competenti salario praefatis serviunt, instruendo v. g. Juventutem, etsi inde sperent etiam cum tempore promoveri ad Ordines, ad Beneficium etc.

III. Clerici, et Laici quicunque, qui principaliter ex charitate, vel gratitudine, vel justitia, aut alio justo titulo offerunt, vel dant temporale, aut praestant obsequium temporale: etsi *secundario* sperent, inde etiam directe, vel indirecte promoveri ad spirituale.

IV. Omnes, qui serviunt quidem pro nullo, aut incompetenti salario, ideo tamen, ut hac occasione patefiant ipsorum qualitates, et talenta, quatenus dein intuitu horum, Beneficium eisdem conferatur: vel occasionem habeant sibimetipsis vigilandi, et tempore Vacaturae, debito et licito modo pro Beneficio sollicitandi.

V. Pariter a *Simonia* immunes sunt, qui alicui conferunt Beneficium, vel ad illud praesentant, aut votum dant etc. ideo principaliter, quia illum digniorem agnoscunt; vel quia a Principe, vel Magnatibus specialiter commendatur; vel quia obligationi gratitudinis, quam erga talem, vel propinquos ipsius habent, satisfacere volunt etc. licet *secundario* etiam sperent pro se, suisque obtinere quid temporale etc.

§. VI.

De Simonia, quae committitur, quando temporale offertur, datur, aut praestatur pro spirituali, vel econtra ex titulo gratitudinis, aut gratuitae compensationis.

SUMMARIUM.

106 *Tria quaeruntur ad propositum.*
107 *Simoniacum est, si fit pactum tacitum vel expressum dandi temporale pro spirituali ex gratitudine.*
108 *Probatur: et num. praeced.*
109 *Obligationem* Antidoralem *gratitudinis quivis contrahit, qui Beneficium ab alio accipit.*
110 *Vi illius tamen nullus tenetur ad compensandum seu retribuendum quid certum, ac determinatum.*
111 Simoniam *committit, qui pro obtinendo Beneficio spirituali dicit*, ero gratus, *vel* gratum me exhibebo etc. *si his verbis intendit dare temporale ex gratitudine.*
112 *Solvitur Objectio.*
113 *Non est* Simonia, *pro obtinendo Beneficio promittere*, se gratum fore, *si quis temporale pro tunc non intendit.*
114 *Dummodo ex parte alterius absit scandolum.*
115 *Solvitur instontia.*
116 *Dare ex gratitudine temporale pro spirituali jam accepto*, Simonia est, *si fit vi pacti antecedentis.*
117 *Secus est, si ex mera gratitudine sine praecedenti pacto fiat.*
118 *Probatur ratione.*
119 *Et universali etiam piorum consuetudine: Et nom. seq.*
121 *Sunt aliqua, pro quibus etiam gratis oblatum non liaet acceptore ob specialem Juris prohibitionem.*

106 Tria potissimum circa primam partem hujus §. *vi* examinanda sunt. I. An *Simoniacum* sit, facere pactum, aut promissionem dandi *ex gratitudine*, vel praestandi temporale pro spirituali, aut econtra? II. Quid Juris de communi illo modo et praxi, qua sollicitantes seu rogantes pro spirituali dicere solent: *Ero gratus*, vel *non ingratus*: *certo exhibebo me gratum*: *assecuro, quod gratus sim futurus etc.* III. An? et quomodo liceat, post acceptum jam spirituale *ex gratitudine* dare temporale, aut econtra?

107 Quaeritur itaque I. An Simonia committatur, si fit pactum aut promissum tacitum vel expressum dandi, aut praestandi temporale pro spirituali, aut econtra ex sola *gratitudine*? Resp. Affirmative. Suarez *Tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simonia. cap.* 45. *numer.* 11. Gibalin. *de Simonia. q.* 10. *Consect.* 3. *num.* 5. cum communi, et hodie certissima aliorum ob Decretum Innocentii XI. qui damnavit propositionem, seu doctrinam, et opinionem contrariam sic sonantem: *Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, quando temporale sit solum gratuita compensatio.* Probatur Conclusio inprimis omnibus fundamentis, quibus *praecad.* §. ostendimus, dare temporale pro spirituali, aut econtra, ex pacto sive tacito, sive expresso esse *Simoniam.*

108 Probatur ulterius ex Definitione *Simoniae*, qua dicitur *studiosa voluntas emendi, vel vendendi temporale pro spirituali*; ubi per ly *emendi*, vel *vendendi* intelligitur quivis tacitus, vel expressus contractus onerosus; qualis utique etiam est contractus dandi *ex gratitudine*; cum hic aeque ac alius onus, et obligationem imponat.

Confirmatur: si offerre, promittere aut pacisci temporale pro spirituali, ex sola *gratitudine*, non esset *Simonia*, posset quivis facillime eludere omnes leges, et poenas contra *Simoniam* latas, dicendo: *non promitto, vel praesto temporale pro spirituali ex obligatione justitiae, sed gratitudinis*, prout in simili diximus supra.

109 Objicies I. Potest quis licite, consequenter absque *Simonia* pacisci, et promittere id, ad quod alias Jure Divino et naturali tenetur, seu obligatur; sed qui accipit spirituale, vel quodcunque aliud sive spirituale, sive temporale beneficium ab alio, contrahit obligationem *Antidoralem* gratitudinis, seu tenetur *ex* gratitudine ad compensandum; cum juxta communem Theologorum et Juristarum accipere beneficium aliquod, et suscipere in se obligationem *Antidoralem*, seu obligationem *gratitudinis*, qua beneficium acceptum, grate compensare tenetur, necessario cohaereant, *arg. l. Sed etsi.* 25. §. *Consuluit.* 11. *ff. de Petit. Haeredit.* ergo licite et absque *Simonia* potest quis etiam pacisci et promittere, quod ex *gratitudine* velit dare temporale pro spirituali, aut econtra. Resp. Concesse *Major.* disting. *Minor.* Qui accipit beneficium ab aliquo, contrahit obligationem *Antidoralem*, seu tenetur gratus esse, et ex gratitudine beneficium acceptum compensare, dando vel faciendo in bonum Benefactoris aliquid determinatum, negatur *Min.* aliquid indeterminatum, juxta arbitrium et beneplacitum Compensantis, conceditur *Min.* et sub hac distinctione negatur et conceditur *Consequentia.*

110 Pro majori Distinctionis intelligentia notandum cum Cardenas *in Propositiones damnatas sup.* 3. *art.* 2. et communi Doctorum, quod licet ex quovis dono, aut beneficio sive temporali, sive spirituali accepto, quilibet de jure et aequitate naturali contrahat aliquam gratitudinis obligationem, *antidoralem* communiter dictam, tamen vi hujus nemo teneatur ad aliquid certum, vel determinatum dandum, vel retribuendum Benefactori, sed duntaxat ad gratificandum, retribuendum, vel benefaciendum eidem modo, quem ipse retribuens postea elegerit, seu pro suo arbitrio et beneplacito, ita ut temporale tam per temporale, quam spirituale etiam solis precibus ad Deum pro Benefactore fusis compensare, suaeque obligationi *antidorali*, seu *gratitudinis* satisfacere, et eam delere valeat: ut proin, quando vi pacti taciti vel expressi accipiens donum vel beneficium aliquod, obligatur ad aliquid certum et determinatum dandum, seu retribuendum, jam excedatur *antidoralis*, seu *gratitudinis* obligatio, novaque novum onus habens, non ex sola gratitudine, sed ex alio titulo profecta imponitur. Hinc etiam ad propositum, si quis vi pacti taciti vel expressi obligatur pro temporali, determinata dare aliquid spirituale vel econtra, jam exceditur obligatio *gratitudinis*, seu *Antidoralis*, hoc ipso, quod obligetur ad aliquid certum et determinatum, ad quod nullo Jure Divino aut naturali, sed vi solius pacti taciti vel expressi, consequenter *Simoniace* obligatur.

111 Quaeritur II. An? et quando committatur *Simonia* per communem illum modum et praxin, qua sollicitantes, aut rogantes pro aliqua re spirituali v. g. Beneficio, Ordine sacro, Dispensatione etc. dicere solent: *rogo, habeat me sibi recommendatum*, vel, *dignetur esse mei memor*, vel, *quaeso, conferat, vel procuret mihi hanc Parochiam, illud Beneficium, jam exhibebo me gratum*, vel, *ero certo gratus*, vel, *non*

ero ingratus, vel *promitto me futurum gratum etc.* Resp. I. Vere committitur. *Simonia* non tantum, quando quis expresso paciscitur, aut promittit dare ex gratitudine temporale pro spirituali aut econtra, dicendo v. g. ad Collatorem; *si mihi confere beneficium*, vel ad Praesentatorem; *si me praesentae ad Beneficium*, vel ad quemcunque alium; *si mihi procuras, aut impetras hoc Beneficium, vel Parochiam, promitto ex gratitudine tibi dare, aut praesentare hoc vel illud temporale*: Sed eadem etiam committitur per illos in quaesito specificatos modos, quotiescunque hujusmodi modo, aut verbis mens revera introdit, dare aut praestare temporale pro spirituali, aut econtra. Conclusio post Decretum Innocentii XI. est certa, eamque expresse tenet *in Propositiones damnatas* scribens Cardenas *in Crisi Theolog. Dissert.* 27. *cap.* 1. *et* 2. patetque ex fundamentis jam allegatis supra, quibus probavimus, etiam ex sola gratitudine promittere temporale pro spirituali, vel econtra, vel dare et offerre temporale, ut alter moveatur ex gratitudine dare spirituale pro temporali, vel econtra, esse *Simoniam*.

112 Dices, praefatis modis fit assecuratio, oblatio, aut promissio grati animi, vel gratitudinis in genere duntaxat, abstrahendo a temporali, vel spirituali; atqui accipiens spirituale tenetur ex *gratitudine*, seu obligatione *antidorali* saltem ad aliquid pro tunc indeterminatum, et in genere, pro accepto Beneficio retribuendum, juxta dicta *numer.* 109. *et* 110. ergo ad idem in genere potest quis se obligare. Resp. Transmisso toto argumento, negando *Suppositum*; quia si quis utendo hujusmodi oblatione, aut assecuratione *gratitudinis*, revera intendit temporale ex gratitudine dare pro spirituali, jam non amplius offert solam *gratitudinem* in genere, nec solam observationem obligationis *antidoralis*, (cui pro libitu satisfacere posset vel per spirituale v. g. preces, vel per temporale) sed offert et promittit temporale pro spirituali, aut econtra in specie, saltem interne, quod coram oculis etiam interna intuentis Divini Judicis sufficit, ergo,

113 Resp. II. Si quis aliquem ex praefatis modis in procurando spirituali adhibet, dicendo v. g. *ero gratus*, vel *promitto me futurum gratum etc.* et per hoc determinate non intendit dare aut praestare temporale, sed gratum duntaxat animum, suamque obligationem *antidoralem* exponere, eamque observare promittit vel assecurat, nullius *Simoniae* reus erit, si ex parte alterius scandalum abest, Cardenas *loc. cit. num.* 65. Patetque Conclusio ex dictis *num.* 109. quia nemo prohibetur, id paciscі et promittere, ad quod Jure Divino, et naturali obligatur, atqui Jure naturali tenetur quis ex obligatione *antidorali*, seu ex *gratitudine* pro beneficio etiam spirituali esse gratus, gratumque se exhibere, dando vel faciendo aliquid pro arbitrio suo in bonum Benefactoris; ergo id etiam potest promittere; dummodo, ut dicit Conclusio, promittendo se gratum, temporale dare non intendat.

114 Dicitur tamen notanter, *si ex parte alterius abest scandalum*: si enim hujusmodi assecurationem aut promissionem generalis gratitudinis faciens, studio utitur talibus verbis, ut alter decipiatur, et credat, se offerre, vel promittere, quod gratum animum per temporalia exhibiturus sit, scandalum committit, reusque et particeps est *Simoniae* alienae, ad quam alterum inducit; licet ipse interne temporale ex gratitudine non intendat. Ejusdem scandali et ex illo *Simoniae* reus est etiam ille, qui hujusmodi oblatione *gratitudinis* alterum decipere, et inducere non intendit, scit tamen, vel advertit, illum per talem gratitudinis oblationem intelligere oblationem temporalium, et propterea dare beneficium; quia licet non intendat ipsum ad *Simoniam* inducere, tamen re ipsa, et quidem illicite inducit, hoc ipso, quod ponit actum, ex quo illum ad *Simoniam* induci, bene cognoscit, et quem facillime omittere posset, ac consequenter teneretur juxta communem Theologorum de materia scandali; posse enim vel omnino abstrahere a tali oblatione *gratitudinis*, vel dicere se fore gratum, apud Deum, per preces, vel Sacrificia etc. et sic rependere spirituale pro spirituali, quod licet.

115 Dices, si quis pro obtinendo beneficio, Parochia etc. nullam gratitudinem, vel solam spiritualem offert, nil acquirit; ergo necessario offerri et promitti debet *gratitudo* saltem in genere. Resp. Ita dicendo clare manifestas, quod simili modo velis audientem decipere, hoc ipso, quia scis, et credis, te nil obtenturum, nisi talem *gratitudinis* oblationem facias, quam ipse per temporalia futuram existimat.

116 Quaeritur III. An? et quando *Simonia* committatur, si post acceptum jam spirituale, ex *gratitudine* datur, aut praestatur temporale, vel econtra? Resp. I. Si post acceptum jam spirituale datur ex *gratitudine*, vel praestatur temporale, aut econtra, vi pacti aut contractus taciti vel expressi ante Collationem rei spiritualis modo aliquo ex allegatis *num.* 111. jam facti, *Simonia* committitur, et quidem *Realis* poenas Juris inducens. Conclusio probata manet ex dictis. Patetque ex Decreto Innocentii XI. in quo tanquam *Simoniacum* damnatur, dare temporale pro spirituali per modum compensationis gratuitae: intellige, si talis compensatio fiat vi pacti antecedentis adeptionem rei spiritualis, prout bene observat Cardenas *loc. cit. cap.* 3. *art.* 1. 2. *et* 3. et patebit ex conclusione sequenti. Nam

117 Resp. II. Si post acceptum jam spirituale promittitur, datur, vel praestatur temporale, aut econtra, non vi taciti vel expressi pacti antecedentis, ex mera gratitudine, et ad satisfaciendum obligationi *antidorali*, nulla penitus committitur *Simonia*. Navarrus *Manual. cap.* 23. *num.* 106. Sotus *lib.* 9. *de Justit. quaest.* 7. *art.* 1. et 3. Moya *p.* 2. *Select. qq. disp.* 1. *quaest.* 3. *num.* 2. dicens, in hoc Neminem dissentire. Verum licet haec opinio sit communis, aliquos tamen Contradictores habet. Probatur Conclusio ex *can. Quidquid* 101. *cau.* 1. *q.* 1. ibi: *Nisi voluntarie oblata etc.* et c. Dilectus 30. b. t. ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum*, etc. *Etsi Quaestiones.* 18. *eod.* cum Concordant.

118 Ratio Conclusionis est: Tum quia ad *Simoniam* necessario requiritur pactum aliquod expressum, vel saltem tacitum et implicitum juxta dicta *nu.* 68. nullum autem horum adest in casu Conclusionis, ergo: Tum quia obligatio *Antidoralis* ob acceptum Beneficium contracta, *non* est determinata ad retribuendum Beneficium eodem genere beneficii, v. g. spirituale pro spirituali, temporale pro temporali, sed est indeterminata, ita, ut eidem quivis pro libitu et arbitrio suo satisfacere queat, etiam temporale pro spirituali, aut econtra rependendo

119 Confirmatur consuetudine, et praxi quotidiana, qua videmus, quod etiam Sedes Apostolica, et innumeri imo teste Navarro *loc. cit.* fere omnes Ecclesiarum Praelati, Jurium quoque peritissimi ac timorati beneficia Ecclesiastica iis, qui de se, vel Ecclesia per dona, et obsequia temporalia bene sunt meriti, conferant, sicque obligationi *Antidorali*, seu *gratitudinis*, qua illis sunt obligati, rependendo spirituale pro temporali satisfaciant. Pariter constat ex universali ubivis locorum vi-

gente consuetudine et praxi, quod piissimi, et doctissimi post acceptum* jam spirituale v. g. beneficium Ecclesiasticum, temporale ex gratitudine promittant, et ad satisfaciendum obligationi *Antidorali* sine ullo scrupulo offerant suis Benefactoribus, istique ex gratitudine datum, sine scrupulo recipiant, Jure nullibi reclamante, sed potius approbante; dummodo nullum tacitum et expressum pactum Collationem rei spiritualis praecedat, et vi illius nil fiat, prout dictum. Peccari tamen potest alio genere peccati, v. g. contra illam legem, qua beneficia praesertim Curata conferri debent dignioribus.

120 Ulterius manifestare constat, omnes fere homines Christianos obligationi *Antidorali* seu *gratitudinis*, qua aliis ob accepta beneficia temporalia astringuntur, satisfacere per spirituale, fundendo videlicet preces (quae utique sunt quid spirituale) pro Benefactoribus ob temporalia bona accepta, sicut et alii propter obsequia spiritualia a Religiosis v. g. accepta, ex gratitudine dant, vel praestant temporalia, nemine somniante, id *Simoniacum* esse; praesertim cum ipse Apostolus Paulus id approbet dicens ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus: magnum est, si nos carnalia vestra metamus etc.*

121 Limitatur tamen Conclusio in iis, ob quae jam accepta, etiam gratis aliquid acceptare, jura specialiter prohibent; uti v. g. prohibet Concilium Tridentin. *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 10. Examinatoribus venientium ad concursum pro Parochia, ne ante vel post etiam gratis oblata recipiant. Item *Sess.* 21. *de Reform. cap.* 1. ubi prohibet, ne etiam gratis oblata recipiantur pro collatione Ordinum: similes prohibitiones speciales extant, ne ante vel post recipiantur gratis oblata pro recognitione, aut expeditione Indulgentiarum etc. De quibus alibi.

§. VII.

De Simonia, quae committitur promittendo, dando vel praestando temporale pro precibus, intercessionibus, recommendationibus in ordine ad obtinendum spirituale: ubi etiam de nonnullis aliis dubiis circa Simoniam in genere.

SUMMARIUM.

122 *Dare, aut praestare temporale pro intercessione, aut recommendatione in ordine ad obtinendum beneficium spirituale,* Simoniacum *est.*
123 *Probatur ratione.*
124 *Confirmatur.*
125 *Dare temporale alicui, ut sollicitantem pro Beneficio praecise informet de illius qualitatibus,* Simonia *caret.*
126 *Non tamen periculo* Simoniae.
127 *Non est* Simonia, *dare alicui pecuniam ut audientiam procuret, sollicitantem insinuet etc.*
128 *Neque vitium, bene vero periculum* Simoniae *est, dare, aut promittere temporale pro labore, quem subit ille, qui aliquem ad Beneficium commendat.*
129 *Post preces, aut commendationem ad obtinendum Beneficium jam factas, non est* Simonia, *promittere, vel dare temporale.*
130 *Qui ficte promittit dare temporale pro spirituali,* Simoniam *directe non committit.*
131 *Nec poenas illius incurrit.*
132 *Non est* Simonia, *conferre alicui spirituale intuitu Consanguinitatis, amicitiae etc.*
133 *Solvitur instantia.*

Experientia constat, spiritualia, praesertim Beneficia Ecclesiastica persaepe procurari, et obtineri etiam per preces, intercessiones, et recommendationes aliorum. Hinc pro praxi merito instituitur specialis *hic* §. 122

Quaeritur I. An *Simoniam* committat, qui temporale promittit, dat, vel praestat alteri v. g. Ministro Episcopi, Praesentatoris etc. vel alicui alteri, quem apud Collatorem, *Praesentatorem* etc. quid valere putat, hac intentione seu hoc motivo, ut apud Collatorem, vel Praesentatorem intercedat, roget, vel ipsum commendet in ordine ad obtinendum spirituale, v. g. Beneficium Ecclesiasticum? Resp. I. Talem revera committere *Simoniam* Navarrus. *Manual. cap.* 33. *num.* 106. Bonacina *de Simonia qu.* 1. §. 1. *num.* 14. Barb. *in c. Nemo h. t. num.* 4. Layman. *de Simonia.* §. 6. *num.* 65. Sylvester §. *Simonia quaest.* 6. cum communi et certa aliorum, *arg. can fin. cau.* 1. *q.* 5. ubi tanquam *Simonia* reputatur promotio ad Sacerdotium obtenta per pecuniam, non Episcopo, sed cuidam Principi ejus (id est, alicui familiari, vel principali Ministro illius) datam. Et *can. Statuimus.* 107. *cau.* 1. *q.* 1. ubi Papa tres enumerat species *Simoniae*, quarum unam esse asserit, quando *Simoniaci Simoniace a non Simoniacis ordinantur*; quales sunt, qui pecuniam, vel aliud temporale non Episcopo Ordinanti, sed alicui alteri hac intentione, vel motivo offerunt, ut ipsis per intercessionem, aut recommendationem Ordines apud Episcopum hujus ignarum, consequenter ex parte sua *Simoniace* non Ordinantem obtineat. 123

Ratio Conclusionis est: quia talis per temporale parat sibi viam ad acquirendum spirituale, simulque illud pro isto dare censetur. Quamvis enim preces, et intercessio sint quid temporale, consequenter pro illis dare temporale, quantum est de se, non sit *Simoniacum*; nihilo minus, si datur pro illis temporale in ordine ad obtinendum spirituale, ita ut *principaliter* nonnisi propter hoc, seu ad hoc per preces obtinendum detur temporale, nec alia ratione preces curentur, vel aestimentur, jam connexionem aliquam cum spirituali habent, et virtualiter spirituale quid esse censentur; consequenter pro illis hac ratione et motivo temporale dare, *Simoniacum* est. Doctores citati. 124

Confirmatur: qui alicui promittit temporale pro precibus aut intercessione, sub hac expressa conditione, *si fuerint efficaces*, seu, *si per illas re ipsa Beneficium pro se obtineatur*, certissime committit *Simoniam*, uti cum Suarez *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 53. *num.* 15. fatentur omnes; eo, quod tunc temporale, datur pro precibus ut habentibus effectum spiritualem, sicque pro causa morali ipsius spiritualis; ergo etiam si quis absque conditione expressa dat temporale pro precibus, hac principali intentione et motivo, ut per eas spiritualem effectum consequatur; cum etiam in hoc casu preces nonnisi ut causa moralis obtinendi spirituale, principaliter respiciantur, et prorsus per accidens sit, sive effectus sequatur, sive non: ergo. Accedit, quod tanquam *Simoniacum* ab Innocentio XI. damnatum sit, dare temporale ex *motivo* consequendi spirituale, quale in tali casu virtualiter saltem sunt preces, intercessio, aut recommendatio. 125

Resp. II. Qui alicui dat, aut promittit temporale pro sola informatione, seu praecise ideo, ut Collatorem, Patronum Beneficii nuda veritate informet, de suis qualitatibus et meritis, non vero, ut pro ipso intercedat, ipsumque in ordine ad Beneficium commendet, speculative loquendo, *Simoniam* non committit. Diana *p.* 11. *tr.* 6. *Resolut.* 31. Matth. de 126

Moya *p.* 2. *Select. qq. tr.* 2. *disp.* 1. *q.* 4. *num.* 9. cum communi aliorum. Ratio conclusionis est; quia talis informatio non est causa moralis collationis vel Praesentationis ad Beneficium, sicut sunt preces et intercessio; hae enim interpositae, quia immediate movere censentur, ad conferendum Beneficium, vera causa moralis sunt hujus collationis; non item informatio, utpote quae, dum fit, non ipsa, sed merita per ipsam posita movent, et causa moralis sunt Collationis; ipsa informatio vero est nuda causae applicatio.

126 Dixi *speculative*, Simoniam non committit; quia practice loquendo hujusmodi informationes pro temporali vix, aut raro absque *Simonia* petuntur, et praestantur; eo, quod pecunia, vel aliud temporale ordinarie non pro sola et nuda veritatis informatione, (utpote quae plures parum juvaret ad finem intentum) sed etiam pro precibus, intercessione, et recommendatione dentur; qua ratione jam committitur *Simonia* ob rationem *numer.* 123. et 124. allegatam, uti bene advertunt Doctores citati, et cum ipsis etiam Palao de *Simonia punct.* 11. *numer.* 5. rem valde periculosam agnoscens. Quod si tamen pecunia vel aliud temporale pro nuda informatione, modo in Conclusione allegata detur (prout fieri etiam in praxi impossibile non est) bene enim contingere potest, ut vir aliquis solis suis qualitatibus et meritis confidens, praecise petat, ut de his Collator, vel Praesentator vere informetur, et propterea alteri pecuniam offerat, *Simonia* non committitur, saltem si pecunia modica, vel aliud temporale modici pretii sit, aequivalens et correspondens labori, quem in facienda informatione alter subit. Nec refert, si dein talis informator suum officium excedat, laudes, preces, et recommendationes addendo; dummodo hoc gratis, et non ad instantiam petentis beneficium, nec intuitu temporalis ex tacito vel expresso pacto faciat.

127 Quaeritur II. An etiam *Simoniacum* sit, Ministro, vel famulo Episcopi, Collatoris, ac Patroni dare, vel promittere temporale, non ut pro dante intercedat, aut ipsum commendet, sed tantum audientiam procuret, vel aditum faciat apud ipsum, monendo v. g. adesse, qui audientiam petit, vel aliquid proponere habet, aperiendo januam, aut monendo supplicantem, quando sit opportunum audientiae tempus etc. Resp. Pro hoc dare temporale, caret *Simonia*. Suar. *de Simonia cap.* 53 *num.* 17. Palao *de Simonia punct.* 11. *num.* illaque teste Doctores omnes. Ratio est; quia hujusmodi obsequium, quod a tali famulo, vel ministro praestatur, est quid mere temporale, et quid indifferens, nullamque connexionem cum spirituali habens, et nulla etiam ratione, causa illius moralis est; ac consequenter temporale pro illo dare, aut promittere, omni labe *Simoniae* caret.

128 Imo ex eadem ratione non tantum memoratis Ministris, ut famulis, sed etiam ipsis, qui pro aliquo ad obtinendum Beneficium intercedunt, potest promitti et dari aliquid temporale, non quidem pro precibus, intercessione, aut recommendatione, sed pro labore, quem occasione hujus subire debent, v. g. eundo, et redeundo, vel scribendo supplicem libellum; ac multo magis, si propter operam alicui impensam, lucrum cessans, aut damnum emergens patiuntur. Dummodo non plus detur, quam hujusmodi labor, aut lucrum cessans, vel damnum emergens spectatis personae et aliis circumstantiis revera valet; alias enim *Simonia* non evaderetur, uti bene observat Palao *loc. cit.* qui etiam cum aliis monet, pro labore, quem intercessores, aut recommendatores hujusmodi, eundo, redeundo, vel scribendo subeunt, temporale dare, aut praestare, valde periculosum, et ideo in praxi ab eo abstinendum esse; cum plerumque aut intuitu precum et recommendationis, et non laboris temporale promittatur, aut certe in dando temporali, respectu laboris excedatur, sicque labes *Simoniae* contrahatur, hoc ipso, quod excessus ille non intuitu laboris, sed precum, aut Beneficii desiderati fiat.

Resp. II. Non est *Simoniacum*, nec alia ratione illicitum, post preces, aut recommendationem in ordine ad obtinendum spirituale jam factas promittere, dare, aut praestare temporale; dummodo nullum tacitum vel expressum pactum de illo praecesserit. Communis, patetque ex dictis *num.* 117. si enim spirituali jam accepto licet ipsi etiam Conferenti spirituali ex gratitudine promittere, dare, aut praestare temporale, juxta *ibid.* dicta, multo magis id promittere, aut dare intercessori, argumento desumpto a majori ad minus *l. in suis, in fine, ff. de libur. et Posthum.* cum concordant. 129

Quaeritur III. An *Simoniae*, et poenarum 130
contra illam statutarum reus sit, qui ficte promittit dare temporale pro spirituali, vel pro precibus, recommendatione in ordine ad spirituale obtinendum fundendis, aut qui falso simulat, gratum se fore dando temporale pro spirituali absque animo promissum adimplendi? Resp. quamvis talis gravissime peccet ratione scandali, quo alterum ad *Simoniam* inducit, aut saltem inducere intentat, nihilo minus ipse *Simoniam* directe non committit, ac propterea nec poenas illius ab Ecclesia statutas incurrit. *Primo* pars Conclusionis de peccato scandali est extra controversiam, nullaque indiget probatione. *Secundam* partem, quod *Simoniam* directe non committat, docent Suarez *lib.* 4. *cap.* 42. *num.* 4. Emau. Roderiquez *V. Simonia. cap.* 56. *num.* 6 Sotus *de Justit. lib.* 9. *q.* 8. *a.* 1. §. *Dubium.* Castro Paleo *de Simonia Disp.* 3. *punc.* 6. *num.* 2. Lessius *de Just. et jur. cap.* 35. *dub.* 1. *num.* 11. cum communi aliorum contra Navarrum *cap* 23. *num.* 106. Ratio est, quia deest essentiale requisitum ad *Simoniam*, voluntas videlicet emendi, vel vendendi spirituale per temporale, quam voluntatem utique revera non habet, qui illam se habere tantum fingit, et simulat.

Tertia pars, quod talis non incurrat Juris 131
poenas, sequitur ex *secunda*; hoc ipso enim, quod ficte promittens temporale pro spirituali, *Simoniam* directe non committat, poenarum illius coram Deo reus non est; praesertim cum odiosa et poenalia sint strictae interpretationis, *arg. L.* 42 *ff de Poenis* et *c. In poenis. c. Odia de R. I. in* 6. Et ideo hanc partem tenent etiam omnes *num. praec.* citati Doctores, ac ipse quoque *secundae* parti alias contrarius Navarrus *Man. cap* 23. *num* 106.

Quaeritur IV. An *Simoniam* committat, qui 132
Beneficium Ecclesiasticum alteri confert intuitu Consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiae? Resp. *Negative.* D. Thomas 2. 2. *q.* 100 *art.* 5. *ad* 3. *dum.* Navarrus *Man. cap.* 23 *n.* 107. Azorius *p.* 3 *lib.* 12. *cap.* 2. cum communi aliorum contra paucos. Ratio est: quia nullum pactum nec tacitum, nec expressum intervenit, nec datur aliquid temporale pro spirituali, praesertim, cum ipsa consanguinitas, affinitas, aut amicitia, intuitu cujus datur spirituale, jam praeexistat. Et certe, si dare Beneficium Ecclesiasticum intuitu Consanguinitatis esset *Simonia*, foret etiam *Simonia* intuitu consanguinitatis fundere pro aliquo preces, quod nemo adhuc somniavit. Peccatur tamen alio genere peccati, si ex tali respectu vel motivo Beneficia, aut alia spiritualia conferantur indignis, aut minus dignis, dignioribus neglectis.

133 Nec obstat *c. Nemo.* 14. *h. t.* quia licet ex hoc capite habeatur, peccati, si intuitu consanguinitatis, familiaritatis etc. spiritualia indignis conferantur, tamen ex illo non probatur, inde committi *Simoniam*, praesertim, quod ultima verba, quibus dicitur, *utrumque esse Simoniacum*, non ad priora, ubi agitur de consanguinitate, sed ad alia referri possint ac debeant, ob rationem in Conclusione allegatam.

§. VIII.

De quibusdam Simoniis in specie, illis videlicet, quae committuntur in Electione, Postulatione, Collatione, Praesentatione, Commutatione, et Resignatione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

SUMMARIUM.

134 *Ratio ponendi hunc §.*
135 *Promittere, dare, vel praestare temporale pro voto ad Beneficium, Simonia est.*
Solvitur objectio. Ibid.
Tria in Beneficio Ecclesiastico sunt consideranda, inter quae jus percipiendi redditus est quid spirituali annexum. Ibid.
136 *Si datur pro voto etiam per tertium, ignorante Electo, Simoniaca, et nulla est Electio*
137 *Multae Electiones praesertim Episcoporum etc. sunt nullae, et quare?*
138 *Pessime sibi et aliis consulunt, qui pro aliquo* Simoniace *procurant votum in Electione.*
139 *Sanctum Statutum, et juramentum praesertim Ecclesiae Frisingensis ad evitandum omnem Simoniacam Electionem.*
140 *Quid possint agere Legati Principum, vel alii ad sollicitanda pro aliquo Vota deputati?*
141 *Rogare pro Beneficio, et istud ad preces conferre, non est* Simonia.
142 *Pro Voto promittere Officium aut Beneficium spirituale,* Simonia *est.*
143 *Etiam in Electione Regularium facile committi potest* Simonia.
144 Simonia *est, dare temporale, ne eligatur dignus.*
145 *Dare temporale, ne eligatur indignus,* Simonia *caret.*
146 *Nisi detur, ut loco indigni aliquis certus eligatur.*
147 *Dare temporale pro Confirmatione, aut ne impugnetur Electio,* Simonia *est*
148 *Compendiosa relatio casuum, quibus committitur* Simonia *in Collatione, et Praesentatione Beneficiorum.*
149 *Et in Resignatione illorum usque ad n.* 155.
151 Simonia *est, resignare Beneficium cum conditione, ut Resignatarius solvat expensas in obtinendo prius Beneficio factas.*
152 *Resignare Beneficium in favorem Tertii* Simonia *est, nisi accedat consensus Papae.*
153 *An resignans possit saltem aliquem commendare, et rogare pro illo, ut Beneficium resignatum eidem conferatur? Et n. praeced.*
154 *Beneficium in favorem Tertii resignatum, non potest Episcopus alteri conferre.*
155 *In quibus casibus committatur* Simonia *in Permutatione Beneficiorum?*
156 *Et constituenda Pensione annua? Remissive.*
157 *Enumerantur personae, quae in* Simoniaca *Collatione, vel Procuratione Beneficiorum infici possunt* Simonia, *usque ad n.* 162.

Visis iis, quae de *Simonia* in genere scitu necessaria sunt, vel magis utilia, quasdam *Simonias* in specie, illas nempe, quae frequentiores, et Ecclesiae magis nocivae sunt, in hoc, et *sequenti* §. examinabimus. Quamvis enim ex hactenus de *Simonia* in genere dictis, Simoniae in specie bene cognosci possent; nihilominus quia in nonnullis speciales difficultates occurrunt, et specifica rerum tractatio rem pro praxi magis claram, captuque magis facilem reddit, de nonnullis in specie agere, utile duximus; praesertim, cum non pauci sint, qui Doctores ac doctrinas de *Simonia* agentes, intellectu difficiles et obscuras conqueruntur; qui tamen re ipsa nolunt intelligere, ut bene agant. Itaque 134

Quaeritur I. Quando? Quomodo? et a quibus committatur *Simonia* in Electione, et Postulatione? Resp. I. Quicunque etiam caeteroquin dignissimus per se, vel per alium mittit, offert, vel dat, aut praestat temporale, sive sit *Munus a manu*, sive *a lingua*, sive *ab obsequio*, expresso vel tacito cum pacto, aut conditione, vel ex hoc motivo, ut ei in Electione, vel Postulatione detur Votum aliquod ad Beneficium, Praelaturam Ecclesiasticam, seu ut ad eam eligatur, aut postuletur, verum committit *Simoniam*. Communis imo post Decretum Innocentii XI. unanimis et certa, per Jura supra jam allegata. Ratio est; quia quodvis Beneficium Ecclesiasticum est quid spirituale, consequenter offerre, dare, aut praestare pro illo temporale, *Simoniacum* est, etiamsi temporale ex sola gratitudine tacita, vel expresse promittatur, modo aliquo ex allegatis supra *n.* 111. Et habetur clarus textus *c. nobis. h. t.* 135

Dices temporale non dari, aut promitti ex eo quod est in Beneficio spirituale, sed quod est temporale, pro jure videlicet percipiendi redditus temporales, quod utique est quid temporale, sicut ipsi redditus sunt quid temporale. Antequam ad hanc Objectionem respondeatur, notandum, *Tria* in quovis Beneficio Ecclesiastico considerari posse. I. Est ipsum Officium et jus ac obligatio ad obeundas aliquas functiones spirituales. Et hoc omnino quid spirituale esse, in confesso est. II. Est jus percipiendi redditus temporales ratione Beneficii, seu potius officii spiritualis, quod vi Beneficii praestatur; quod jus licet in se sit quid temporale, tamen quia spirituali adhaeret, et annexum est, Officio nempe spirituali, a quo provenit, quid spirituale, seu potius spirituali annexum est. III. Sunt ipsi redditus, et fructus temporales, qui ex bonis Ecclesiae seu Beneficii percipiuntur; et hi quid mere temporale sunt. Hoc notato respondetur: Jus percipiendi redditus est quid temporale, quantum in se spectatur, conceditur; quantum consideratur, ut quid annexum, et adhaerens Officio, negatur.

Hinc unanimis et certa doctrina est, Beneficium etiam qua jus percipiendi redditus temporales pro temporali, aut hoc pro illo dari absque *Simonia* non posse *arg. can.* 2. *et seqq. cau.* 1. *q.* 3. fere per totum, *et c.* 7. *de Transact. et c. quarelam.* 7. *h. t.* Etiamsi quis dicat, se officium et jus spirituale gratis dare, et solum vendere, seu dare pro temporali, jus percipiendi redditus temporales, aut econtra; claris Juribus *can. Si quis objecerit.* 7. *can. Salvator* 8. *et can. fin. cau.* 1. *q.* 3. juncto *can. Presbyter. cau.* 1. *q.* 1. Ratio assignatur *cit. can. Si quis objecerit. cau.* 1. *q.* 3. videlicet; quia *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

Resp. II. *Simoniaca*, indeque nulla est Electio, vel Postulatio, si promittendo, offerendo, dando, 136

eut praestando procurator unum, vel plura vota per Tertium, etiam ignorante illo, pro quo procurantur; nisi in hujus praejudicium fraudulenter fiat a Tertio. Rursus communis ac certa, per textum expressit *cit.* c. *Nobis.* 24. *h. t.* ubi ad propositum casum, *quod cum quatuor essent a Capitulo Constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum, amici ejus, de cujus Electione spes habebatur, uni vel omnibus Eligentium promiserunt, pecuniam se soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus etc.* Ita respondit Pontifex, *quod nisi constaret, illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio, tanquam Simoniaca pravitate praesumpta, est penitus reprobanda.* Concordat c. *Matthaeus* 23. *eod.* Licet enim Electus non sit in culpa, est tamen Electio vitiosa, quia Eligentes *Simoniace*, consequenter in forma Electionis peccant, sicque nulliter eligunt, uti bene ibidem advertit Glossa ℣. *Reprobanda. arg.* c. *Cum mana, etc. Ecclesia vestra, de Elect.*

137 Infertur I. Plures revera fuisse, et esse nullas Electiones Episcoporum, Praepositorum, aliorumve Praelatorum, nec non Canonicorum, et Beneficiatorum, quae per Electionem conferuntur; quia plures videmus, et audimus, quod vacantibus Ecclesiis, praesertim Cathedralibus mittuntur, et deputentur aliqui a Magnis Principibus, aut aliis, qui promittendo, offerendo, uni et pluribus Eligentibus obsequia, aut gratias temporales praestandas ipsis Eligentibus, aut illorum familiae consanguineis etc. procurant, sollicitant, et obtinent Vota pro hoc, vel illo, quem Princeps hujusmodi electum cupit; quia omnes hujusmodi Electiones nullae, etsi unus tantum eligentium, intuitu talis *Simoniacae* sollicitudinis votum det, et id fiat ignorante illo, pro quo votum procuratur.

Castro Palao *de Simonia pun.* 25. *num.* 3. nulla allegata ratione, nec Jure limitat conclusionem in casu, quo unus quidem, vel plures in Electione votum *Simoniace* dederunt alicui, major tamen, et ad Canonicam electionem sufficiens pars eundem legitime, et absque *Simonia* elegit, tali enim casu Electionem validam esse, ait, citatque pro se Abbatem *in* c. *Cum super. de Offic. Delegat.* et Garziam *p.* 8. *cap.* 5. *n.* 74.

Verum Limitatio haec manifeste adversatur claro textui *cit.* c. *Nobis. h. t.* ubi expresse dicitur, irritandam esse Electionem, si vel *uni* ex quatuor Eligentibus promittitur pecunia: *uni, vel omnibus Eligentibus.* Est insuper contra torrentem DD. praesertim in hoc Capitulum scribentium, ut Joan. Andreas *n.* 1. in verbo *uni*, Anchoranus *in notab.* 2. Cardinal. *in ultim. quaest.* Barbosa *num.* 2. Fagnanus *n.* 3. 4. *et* 16. et apud hunc Joan. de Anan. Marian. Socin. omnes *in notabili* 1. Navarrus *in Manual. cap.* 23. et alios plurimos, qui omnes ob claritatem textus uno ore fatentur, Electionem esse *Simoniacam* et nullam, etsi uni soli temporale pro voto daretur, reliquis cunctis rite et legitime eligentibus, prout etiam decidit Rota apud Farinacium *decis.* 22.

Male etiam pro se Castro Palao citat Abbatem, et Garziam; siquidem hi Doctores, in loco, per illum citato, non loquuntur de casu *Simoniae*; in alio autem loco cum reliquis DD. omnino conveniunt, expresse docendo, Electionem *Simoniacam*, et nullam esse, si vel *uni* duntaxat temporale detur pro voto, uti videre est apud Abbatem *in cit.* c. *Nobis h. t. notab.* 1. et Garziam *p.* 8. *cap.* 1. *num.* 10. *et seq.*

Aliud est in Praesentatione, qua plures Patroni ut singuli, non jure communitatis, vel Collegii praesentant, et sint tot Praesentationes, quot Patroni, una Praesentatio *Simoniaca* et vitiosa non vitiat aliam, nec influit in illam, uti fit in Electione, et Praesentatione illa, qua omnes procedunt jure Communitatis et Collegii, indeque fit, quod Electio ab uno *Simoniace* commissa in suo sensu afficiat totam; uti magis declarant Garcias, et Barbosa *loc. cit.* accedente praesertim clara dispositione Juris. Caeterum

Infertur II. Non tantum malitiose, sed etiam 138
imprudentissime agere Parentes, Consanguineos, aut alios quoscunque tandem, qui electionem, aut Postulationem alicujus certi cupientes, promittendo, dando, aut praestando quid temporale, unum vel plura Vota pro illo procurant; quia hac sola ratione faciunt, quod praeter peccatum *Simoniae*, quo se una cum Eligentibus coinquinant, Electio hujus necessario sit nulla, consequenter ille, pro quo ita laborant, Beneficium, Episcopatum v. g. obtinere, et acceptare non possit; et si nihilominus re ipsa acceptet, id nulliter faciat, fructusque nulliter recipiat, ideo non in continuis, iisque gravissimis peccatis Mortalibus, et in evidentissimo periculo aeternae damnationis existat, e quo liberari non potest donec fructus perceptos restituat, et Beneficium dimittat, vel facta restitutione perceptorum, pro futuro Dispensationem obtineat, quae tamen difficillime obtinetur juxta dicenda infra §. *XIV.* Accedit, quod praeter recensita mala, alios etiam pessimos habeat exitus talis Electio, Ecclesia ex variis causis miserrima existente, sub tali nulliter Electo, consequenter falso Pastore.

Ad grandia hujusmodi evitanda mala, nonnullae 139
Ecclesiae, et quidem in specie Ecclesia Cathedralis Frisingensis sancte, et provide statuerunt, quod Reverendissimi Eligentes ante Electionem sub juramento obstringere se debeant, quod nullum eligere, nullique votum suum dare velint, qui directe, vel indirecte prece, vel pretio electionem, vel postulationem procurare attentavit, prout patet ex adhortatione Reverendissimi Decani ante Electionem ad Reverendissimos DD. Canonicos, et horum juramento ante eandem praestando. -

Exhortatio Reverendissimi Domini Decani
ad DD. Canonicos.

Sicut boni operis fructum sibi comparat, qui rectum tenet in eligendo Episcopum hujus Ecclesiae Judicium, ita gravi semetipsum afficit damno, qui Ecclesiae praeficit indignum. Ideo Charissimi Confratres Deum habeatis prae oculis, cujus causa nunc agitur, non faciant sibi eum, et Beatissimam Virginem Mariam nec non SS Corbinianum ac Sigismundum hujus Ecclesiae Patronos, adversarios, nec ipsos abducant odium vel favor, qui humanos solent pervertere sensus, non timor, non pecunia, non lucro suo prospiciant, sed praeferant utilitatem Ecclesiae et Capituli terrenae suae voluptati. Ideo adjuro ipsos per Deum vivum, et in virtute Spiritus Sancti, ac sub periculo animae suae, ut consentiant in eum, et nominent, quem credunt in Conscientia sua meliorem, et in spiritualibus ac temporalibus utiliorem pro regimine Episcopatus hujus Ecclesiae.

Domini Eligentes secundum ordinem praestant
Juramentum tactis SS. Evangeliis,
in hunc modum.

Ego NN. Juro et promitto Omnipotenti Deo, Beatissimae Virgini Mariae, et Ss Corbiniano, ac Sigismundo

Cathedralis hujus Ecclesiae Patronis, eum eligere, seu postulare, quem credam futurum Ecclesiae praedictae in spiritualibus, et temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero, promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se, seu per aliam personam interpositam, aut alius qualitercunque, directe vel indirecte pro se electionem, aut postulationem procurasse, vel procurare. Ita me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

140 Illud tamen de Jure communi pohibitum non est, quod Principes, et Magnates, vel alii informent aut informari faciant Eligentes eisque demonstrent, ut ad memoriam reducant merita, et qualitates certi alicujus Subjecti eligendi, vel merita Domus, ac Familiae, ex qua tale Subjectum est; vel, quod demonstrent, quantum intersit Ecclesiae, et quam utile ei sit, hunc prae alio eligere, concurrentibus temporum, et revolutionum etc. circumstantiis; cum enim juxta dicta *num.* 117. liceat ex *gratitudine*, seu ad satisfaciendum obligationi *Antidorali*, post acceptum temporale conferre spirituale, aut econtra utique licebit etiam bene collata referre, et in memoriam revocare: Pariter cum in Electione attendi debeat ad qualitates eligendi, et utilitatem Ecclesiae, procul dubio etiam licebit de iis informare Eligentes: Dummodo semper absint promissiones, aut minae, quae Eligentibus, aut eorum Familiis, consanguineis, propinquis, familiaribus etc. fiunt.

141 Porro *Simonia* caret, per se, vel per alium rogare, ut quis ad Dignitatem, Episcopatum v. g. prae alio eligatur, juxta dicta *supra*: Sicuti etiam *Simoniae* non est, ad preces Dignitatem talem conferre. Utrum autem etiam alio vitio careant ob similes preces, Beneficium, aut Dignitatem Ecclesiasticam conferre, alterius est indaginis. Illud certum est, quod in Ecclesiis, in quibus habent formam juramenti supra allegati (uti Frisingae habent) nullus licite dare possit Votum illi, qui per se, vel per alium pro Voto in sui favorem roget. Quamvis nihilominus Vota ad preces hujusmodi data, et Electio inde secuta valida sint. Possunt etiam Reverendissimi Eligentes similem jurandi formulam tollere, vel mutare, et juxta communem formam Juris in Electione procedere. Quo casu valide, et licite datur Votum etiam tali, qui per se, vel per alios pro Votis sollicitat; dummodo caeteroquin requisitas qualitates habeat, et consideratis considerandis pro hic et nunc dignior, seu concurrentibus, aut existentibus pro tunc circumstantiis utilior sit Ecclesiae; eo quod gravis sit obligatio ad Beneficia *Curata*, praesertim vero ad Episcopatus eligere digniorem, id est, Ecclesiae utiliorem, prout amplius dictum est *Lib. I. Tit. VI. a n.* 237.

142 Resp. III. *Simoniaca* est etiam Electio, vel Postulatio, si quis pro voto alteri promittit Beneficium aut Officium Ecclesiasticum, seu spirituale; et multo magis si fit reciproca talis promissio, aut pactum. v. g. *Si dederis mihi Votum, dabo tibi illud Beneficium: vel dabo tibi votum, si dabis mihi illud Officium, vel Beneficium*, Barbosa *in c. De hoc* 11. *h. t. n.* 3. Azorius *p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 4. Pirhing *de Simonia h. t. n.* 87. *arg. cit. c. de hoc* 11. *h. t.* ubi Episcopus Oxoniensis ex eo, quod ante electionem uni Beneficium, alteri prioratum promiserit, *Simoniacus* reputatur. Et quamvis *Simonia* hujusmodi non sit Juris Divini, sed Ecclesiastici duntaxat, si promittitur Beneficium, aut Officium spirituale, tamen grave peccatum, et poenarum Juris inductivum est juxta dicenda infra §. *XI.*

143 Colliges, facile contingere posse, quod etiam apud Regulares in Electione Praelatorum *Simonia* committatur, uti consideranti patet.

144 Resp. IV. quamvis *Simoniam* committat, qui promittit, aut dat temporale, ne votum detur alicui revera digno, tamen ab eadem immunis est, qui dat, aut promittit temporale, ne eligatur indignus, aut minus dignus. *Primam* Conclusionis partem tenet Glossa *in c. Nemo.* 14. *h. t.* ℣. *Celet.* et ibi Abbas *num.* 2. Pirhing *h. t. num.* 87. *arg. can. Nullus Episcopus.* 124. §. *qui autem. cau.* 1. *q.* 1. Ratio est; quia, ut bene observat Abbas *loc. cit. Simonia* est, non tantum si datur spirituale pro temporali, sed etiam si quis spirituale, quod impendere quis tenetur, pro temporali commodo dare, vel praestare omittit.

145 *Secundam* partem tenent Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dubit.* 19. Azorius *p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 7. Palao *de Simonia. pun.* 20. *n.* 8. Navarrus *Manu. cap.* 13. *n.* 105. §. 8. Pirhing *h. t. n.* 87. Sotus, Cajetanus, Suarez, et alii, *arg. c. dilectus h. t. n.* 87. Ratio est: Tum quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indigne, et male conferatur: Tum quia juxta dicenda infra §. *XIII.* licitum est, per temporale redimere injustam Vexationem Ecclesiae.

146 Notandum tamen cum Azorio, Lessio, et aliis *loc. cit.* quod licet *Simoniacum* non sit, absolute et simpliciter dare, vel promittere temporale ne indignus, aut minus dignus eligatur, *Simoniam* tamen committet, qui det temporale, ut neglecto minus digno certus aliquis in specie, etsi caeteroquin dignissimus eligatur; sic enim jam datur temporale, pro spirituali, Electione videlicet certae personae.

147 Resp. V. Non tantum ante, sed etiam post Electionem, vel Postulationem committi potest *Simonia*, praesertim vero in duobus sequentibus casibus. *Primo*, si datur, vel promittitur temporale pro confirmatione obtinenda. *Secundo*, si datur, vel promittitur temporale, ne contradicatur, aut ne Postulatio, vel Electio impugnetur ab aliquo, qui justam impugnandi, vel contradicendi causam habet. *Prima* pars est certa, et patet manifeste ex *c. Sicut tuis.* 33. *h. t.* ubi *Simoniacum* expresse declaretur, offerre, vel dare temporale pro Confirmatione, eo quod confirmatio revera sit spirituale aliquid.

Secunda pars est communis, petebitque ex dicendis infra §. *XIII. a n.* 416. ubi agemus de Redemptione vexationis justae, et injustae.

148 Quaeritur II. Quomodo? quando? Et a quibus committatur *Simonia* in Collatione, et Praesentatione Beneficiorum? Resp. Ad hoc quaesitum jam patere ex dictis, quae proin solum breviter recapitulando dicimus, quod *Simonia* committatur. I. Si quis temporale promittit, dat, aut praestat tacito vel expresso pacto, conditione, aut motivo, ut eidem conferatur Beneficium, vel praesentetur ad illud, aut econtra, si fit Collatio, aut Praesentatio ad Beneficium, ut detur, aut praestetur temporale juxta dicta *a n.* 135. II. Si fit sub spe, casu quo consecutio spiritualis per temporale, aut econtra *principaliter* intendatur, juxta dicta *n.* 87. Secus si principalis intentio quid aliud respicit. III. Si temporale pro Collatione, aut Praesentatione facienda, aut econtra promittitur ex titulo *gratitudinis* per dicta *num.* 107. Secus si post Collationem, et sine ullo antecedenti tacito, vel expresso pacto datur temporale, aut post acceptum temporale detur Beneficium, ex sola *gratitudine* ad satisfaciendum obligationi *Antidorali*, juxta dicta *n.* 116. *et seqq.* IV. Si datur temporale pro precibus, aut recommendatione in ordine ad obtinendum Beneficium a Collatore, vel Praesentatore juxta dicta *a n.* 122. Non item, si datur pro simplici informatione, aut procuratione audientiae etc. juxta dicta *n.* 125.

V. Quod *Simoniam* directam et poenam inductivam non committat, qui ficte promittit temporale pro spirituali, aut econtra, juxta dicta n. 130. Sicut nec si intuitu consanguinitatis, aut ex timore mali temporalis Beneficium confertur per dicta n. 132.

VI. Quod *Simonia* committatur in casibus *a n.* 73. positis.

149 Quaeritur III. Quando? et quomodo committatur *Simonia* in Resignatione Beneficiorum? Resp. Ad istud quoque quaesitum patere tum ex dictis *Lib. I. Tit. IX. de Renuntiatione* §. *IV.* et *V.* Tum ex dictis in praesenti Titulo de *Simonia*, quae tamen pro majori commoditate Lectoris breviter recapitulando dicimus, quod *Simonia* certo committatur.

I. In cunctis casibus, in quibus juxta n. *praeced.* committitur in Collatione, et Praesentatione per Jura et rationes ibidem *Remissive* allegatas, et dicta *Lib. I. Tit. IX. de Renuntiatione* §. *IV.* et *V.*

150 II. Committitur *Simonia Juris* saltem *Ecclesiastici*, si fit cum aliquo qualicunque pacto, conditione, vel modo (etsi vi illius non detur temporale pro spirituali, aut econtra) propria auctoritate apposito, per dicta *cit. Lib. I. Tit. IX. de Renuntiatione a n.* 80.

151 III. Committitur *Simonia*, si fit Resignatio cum conditione aut pacto, ut Resignatarius Resignanti solvat expensas, quas in assecutione Beneficii fecit, juxta dicta *cit. Tit. IX. de Renuntiatione* n. 76. Imo *Simonia* est, resignare cum pacto, ut Resignatarius solvat expensas, caeteroquin ab utroque faciendas pro expeditione Litterarum ratione Resignationis faciendarum, per dicta *ibid. n.* 79.

152 IV. Committitur *Simonia Juris* saltem *Ecclesiastici*, quotiescunque absque consensu summi Pontificis fit Resignatio in favorem Tertii, seu non aliter, per dicta, et fuse probata *cit. Lib. I. Tit. IX. a n.* 105. ubi tamen a n. 112. addidimus *non esse Simoniacum*, nec alia ratione in Jure communi Corpori Juris inserto prohibitum, si quis, dum libere, et pure resignat Beneficium in manus Papa inferioris Episcopi v. g eidem certum aliquem commendet, simulque roget, ut huic conferre dignetur Beneficium resignatum; cum vi talium precum Episcopus non obligetur tali recommendato Beneficium resignatum conferre, quamvis possit, si alias idoneus sit, per dicta *ibid.*

153 Dicitur tamen notanter, *de Jure communi Corpori Juris inserto*, non esse prohibitum Resignanti, aliquem certum recommendare, et pro illo rogare, nec Episcopo, talem respuere, quia etiam hoc prohibitum est ex speciali Constitutione *Pii V.* licet in aliquibus locis quoad hoc punctum in tanto rigore illa Constitutio usu non sit recepta, prout *cit. Tit. IX. n.* 114. *de Renuntiatione* diximus. Et certe, quod in pluribus Germaniae Dioecesibus quoad istud punctum receptum non sit, constat; cum passim videamus, quod, dum aliquis resignat, certum aliquem ad Beneficium recommendet, et pro eo preces interponat, quas etiam Episcopus, etsi non teneatur, plerumque exaudiri solet, si Commendatus caeteroquin est dignus.

154 Porro illud etiam *cit. loc. n.* 120. diximus, quod si quis proprie in favorem, et *non Aliter* resignare velit, Episcopus non possit Resignationem acceptare, et postea conditione tanquam turpi rejecta Beneficium resignatum conferre alteri.

155 Quaeritur IV. Quando? et quomodo committatur *Simonia* in permutatione Beneficiorum? Resp. I. Committi inprimis omnibus illis modis, quibus eam committi diximus in Collatione, et praesentatione Beneficiorum, juxta dicta *n.* 148. per Jura et rationes remissive ibid. allegatas.

II. Specialiter committitur *Simonia Juris* saltem *Ecclesiastici*, si privata auctoritate, quacunque tandem conditione fiat Permutatio Beneficiorum per dicta *Lib. I. Tit. IX. de Renuntiatione. a n.* 64.

III. Committitur *Simonia*, et quidem *Juris* Divini, si sine consensu summi Pontificis in Permutatione inaequalitas Beneficiorum quoad fructus, aut dignitatem etc. pensione annua, vel pecunia, vel alia re temporali compensatur, casu quo, Beneficia in titulum possidentur, secus si jure proprietatis possidentur, per dicta *Lib. III. Tit. XIX.* a n. 25.

156 Quaeritur V. An? quomodo? et qua auctoritate absque labe *Simoniae* fieri possit Permutatio, et Resignatio Beneficiorum cum reservatione pensionis annuae? Resp. Ad hoc patere *Lib. III. Tit. XII. ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*, §. *IV. per totum.*

157 Quaeritur VI. Quaenam? Et quot personae in conferendis, vel acquirendis Beneficiis labe *Simoniae* contaminari possint? Resp. Plures, praecipue vero sequentes. I. Omnes illi, qui pro temporali obtinendo Beneficium ipsimet conferunt, vel ad illud praesentant, eligunt, postulant, aut illud resignant, permutent etc.

158 II. Omnes illi, qui per se vel alios temporale ad Beneficium pro se obtinendum offerunt, promittunt, praestant etc.

159 III. Omnes illi, qui pro tertio aliquo etiam ignorante, v. g. Filio, Fratre, Consanguineo, per oblationem aut praestationem rei temporalis procurant Beneficium; uti praeter dicta clare patet ex c. *Sicut tuis* 33. *h. t.* ubi hujusmodi procurantes *Simoniae* rei, et poenis digni expresse declarantur. Nec excusantur, quod non pro se, sed pro alio per temporale procurent spirituale; sicut enim a furto non excusatur, etsi quis non pro se, sed pro alio furetur, ita nec a *Simonia* excusabitur, qui non pro se, sed pro alio spirituale per temporale, aut econtra procurat; cum non minus huic procurationi definitio Simoniae, quam illius ablationi, definitio furti conveniat.

160 IV. Omnes illi, qui promittunt, dant, vel praestant temporale pro precibus aut recommendationem ordine ad obtinendum Beneficium, juxta dicta n. 122.

161 V. Omnes etiam illi, qui intuitu promissi, aut praestiti temporalis preces aut recommendationem pro dante, aut promittente interponunt in ordine ad obtinendum pro eo Beneficium. Navarrus *Man. cap.* 23. *n.* 106. Sylvester *V. Simonia q.* 6. Innocentius in c. *Tuam. de Ætate et qualitat. Ordinand.* Felinus *in c. Tanta. h. t.* Layman *de Simonia.* §. 6. num 33. cum communi, *arg. can. Praesentium.* 3. *cau.* *q* 5 *c. Sicut tuis.* 33. *h. t.* junta *Extravag.* 2. *h. t.* Ratio est: quia paria sunt, ajunt citati Doctores, dare Collatori, et dare Mediatori, ut moveat Collatorem ad dandum Beneficium; atqui si datur Collatori temporale, ut Beneficium conferat, dans et acceptans sunt *Simoniaci*; ergo etiam si datur Tertio, dans, et tertius ille acceptans incurrent *Simoniam*. Accedit, quod qui ob temporale preces, aut recommendationem interponit ad obtinendum spirituale, *moraliter* censeatur etiam ipsemet dare spirituale pro temporali, ergo. Vide etiam dicta n. 122.

§. IX.

De Simonia, quae committitur in ingressu, vel receptione ad Religionem.

SUMMARIUM.

162 *Dare vel accipere temporale pro ipso ingressu,*

aut receptione ad Religionem, Simonia *est.*
Referentur specialia ad propositum ex jure. Ibid.
163 *Inops Monasterium potest petere, ac accipere temporale pro honesta sustentatione ingredientis.*
164 *Solvuntur Objectiones, usque ad n. 169.*
169 *Si Monasterium non est inops,* Simoniam *committit, si sub praetextu sustentationis temporale datur, vel accipitur ab ingredientibus.*
170 *Et quidem Juris Divini, et n. seq.*
172 *Idque etiam procedit de opulentis Monasteriis Monialium.*
173 *Solvuntur objectiones usque ad n. 81.*
Contraria Monialium Consuetudo illicita, et invalida est. Ibid.
175 *Non datur in contrarium, privilegium.*
176 *Tum, quia nihil valet: tum quia tantum a poenis, non item ab ipsa* Simonia *eximit Moniales. Et num. seq.*
178 *Multae Moniales* Simoniam *committunt.*
179 *Non est durum, nec praejudiciosum Regularibus, nil exigere ab ingredientibus. Et num. seq.*
180 *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*
181 *Possunt Regulares etiam divites, gratis oblata, ab ingredientibus accipere.*
182 *Et cum eorum Consanguineis pacisci de certa quantitate, cum conditione renuntiandi haereditati futurae.*
183 *Compendiosa relatio Casuum, in quibus etiam Moniales committunt* Simoniam.
184 *Inter quos est, si pauperes Moniales plus exigunt ab ingrediente, quam ad illius sustentationem accesse est.*

Raro quidem his temporibus Quaestio auditur, aut timor concipitur, an non in admittenda ad Religionem vel Professionem committatur *Simonia*? qui tamen saepe concipi posset, ac deberet, ut patebit *ex seqq.*

162 Quaeritur I. An? et quando committatur *Simonia* in receptione ad Religionem, vel Professionem? I. Si exigitur, promittitur, datur, aut praestatur temporale quid pro ipso ingressu ad Religionem, vel admissione ad Professionem, vera committitur *Simonia*, et quidem Juris Divini. Est certa et unanimis, claris Juribus *c. Non satis* 8. *h. t.* ubi Summarium sic habet: *Simoniacum est pretium recipere pro ingressu Religionis.* Textus vero, *tam ille qui dederit, quam ille, qui receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.* Concordat *c. Veniens* 19. *eod.* ubi etiam reprobatur consuetudo contraria, et *c. Dilectus* 30. *h. t.* ubi injungitur Episcopis, ut poenis Canonicis procedant contra *Simoniace* recipientes, et ingredientes ad Religionem, non obstante multitudine Delinquentium, ac *c. Quoniam* 40. *eod.* Specialiter vero *Extravag. Sane* 1. *h. t.* ubi praemissa exsecratione *Simonia*, quae in ingressu, vel admissione ad Religionem committitur, et contraria consuetudine tanquam corruptela reprobata *Simoniaci*, et poenarum rei declarantur etiam illi, *qui in personarum ad Religionem receptione ante, vel post illam quoscunque pastus, prandia, coenas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, sive, quemvis pium usum aliam deputata, vel deputanda, directe vel indirecte petere, vel exigere quovis modo praesumunt; sed eas potius cum omnimoda pietate suscipiant, ac in victu et vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monasteriorum etc. sincera charitate pertractent. Illa duntaxat, quae personae ipsae ingredientes pure, et sponte, et plena liberalitate, omnique pactione cessante dare, vel afferre Ecclesiis etc. voluerunt, cum gratiarum actione licite recipi*. Ratio est; quia Religio omnino est quid spirituale, consequenter pro admissione ad eam etiam in Novitiatum *Simonia* est.

Resp. II. Si Monasterium aliquod est inops, 163
mediis vel redditibus non sufficienter fundatum, licite, consequenter absque *Simonia* peti, et accipi possunt temporalia ab ingredientibus Religionem, non quidem pro ipso ingressu, seu non pro admissione ad Religionem, vel Professionem, sed pro honesta sustentatione ingredientis. D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 4. *tum.* Marchant. *Tom.* 3. *tr.* 10. *Tit.* 6. *q.* 10. *Concl.* 1. Sylvester *v. Simonia. q.* 15. *Dict.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 12. *assert.* 3. Layman. *de Simonia, num.* 39. Navarrus *de Reddit. Ecclesiast. q.* 1. *Monit.* 62. Tambur. *de Jure Abbat. Tom.* 3. *Disput.* 6. *q.* 9. Pirhing *h. t. n.* 59. cum Communi aliorum tam Theologorum quam Canonistarum, cum Glossa in *c. Quoniam.* 40. *h. t. v. Paupertatis.* et expresse concessit Clemens VII. uti habetur apud nos in *Compendio Privileg. v. Moniales.* Ratio est, quia in tali casu non datur, nec exigitur temporale pro spirituali, ingressu videlicet in Religionem, sed ut quid necessarium pro victu, vestitu, ac honesta sustentatione ingredientis, quod etiam quid mere temporale est.

Nec obstat *Extravag.* 1. *h. t.* ubi etiam pro victu et 164
vestitu ingredientis aliquid exigere, ut *Simoniacum* damnari videtur. Resp. enim, *Extravag.* illam non esse intelligendam de Monasteriis pauperibus, sed de divitibus, vel saltem talibus, quae sufficientia media pro sustentatione ingredientis jam habent, uti aperte colligitur ex textu, quo dicitur, ut suscipientes ingredientem, *in victu et vestitu, sicut alias Monasterii personas tractent*, quod Papa dicere non potuisset, si etiam de Monasteriis media ad id sufficientia non habentibus locutus fuisset. Accedit, quod *cit. Extravag.* praeter additionem novarum poenarum nihil novi statuat, sed tantum renovet, et confirmet Jura antiqua (prout patet ex illis verbis, *quamvis sit eis a Jure prohibitum*) Jura autem antiqua Conclusioni non adversantur; ergo

Dices *c. Quoniam.* 40. *h. t.* tanquam *Simoniacum* 165
prohibetur, *etiam sub praetextu paupertatis aliquid temporale exigere ab ingredientibus Religionem*; ergo etiam tenue et inops Monasterium non potest aliquid pro honesta sustentatione exigere ab ingredientibus. Resp. cum Doctoribus et Glossa *cit. c. quoniam. non* prohiberi ex causa verae, sed ex praetextu et sub colore paupertatis falsae, et fictae aliquid ab ingredientibus exigere. Vel dic, ibi tanquam *Simoniacum* prohiberi, ne Monasterium caeteroquin inops sub praetextu vel ex causa paupertatis plus exigat, quam pro sustentatione talis personae necessarium est; quia tunc revera non amplius pro honesta sustentatione, sed pro ipso ingressu, consequenter *Simoniace* exigeretur illud superfluum, uti magis dicetur infra *n.* 184.

Instabis *c. Periculoso unic. §. Sane, de statu Regular. in* 6. *Districtius*, inquit Pontifex, *prohibemus, ne in Monasteriis Mendicantium aliquae recipiantur in Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari, si secus autem actum fuerit, irritum decernentes.* Quod idem statuit, et ad omnia Monasteria virorum, et mulierum extendit *Concilium Trident. Sess.* 25. *de Regular cap.* 3. illis verbis: *in Monasteriis tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, sive non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.* Cui accedunt plures aliae 166

Constitutiones, et Decreta Pontificia id ipsum expresse statuentia: inter quas constitutiones etiam est celebris illa Clementis VIII. Constitutio pro Reformatione Regularium edita, quae incipit *Nullum omnino*, estque *sexta in Bullario Cherub.* inter Constitutiones dicti Pontificis, ubi §. 7. ita statuit: *In unoquoque Conventu Fratrum is tantum deinceps constituatur, et imposterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus, consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisque quibuscunque obventionibus, in commune, et praeferentur, conferendis, commode possit sustentari.*

167 Ex his itaque Juribus, ita argumentari quis posset: vel monasterium est opulentum, aut saltem ita constitutum, ut vel ex propriis redditibus, vel consuetis eleemosynis possit Candidatum sufficienter alere, vel non est ita constitutum? *Si primum*; palam et quasi, ab omnibus concessum est, quod sub praetextu insufficientiae, vel pro sustentatione supplicantis nil exigere valeat, juxta dicenda infra *nu.* 169. Si *secundum*; jam hoc ipso non potest et supplicantem recipere ad Religionem ob Jura *nu. praec.* allegata; consequenter etiam inops Monasterium ab ingrediente pro sustentatione illius exigere aliquid non potest, quin labem *Simoniae Juris* saltem *Ecclesiastici* contrahat.

168 Verum ad allegata, et argumentum inde factum, Resp. His efficaciter nil probari contra Conclusionem: Tum quia dotes, et alia bona temporalia, quae sive mulieres, sive viri pro honesta sustentatione inopi Monasterio tribuunt, bene possunt venire vel nomine consuetarum eleemosynarum (nam consuetum est, ut tribuantur) vel saltem nomine aliarum obventionum, consequenter, cum Bulla Clementis VIII. ad mentem Concilii Tridentini dicat, posse constitui et conservari in quoquo Conventu talem numerum Fratrum etc. *Qui de consuetis, sive communibus, sive singulorum eleemosynis, aliisve quibuscunque obventionibus commode sustentari possit*, minime agit contra allegata Jura, si inops Monasterium Supplicantem suscipit, qui bona temporalia seu sanctas obventiones Monasterio offert, ex quibus ipse commode sustentari valet. Tum etiam, quia etsi dato, non concesso Concilium et Bulla in sensu Adversariorum loquerentur, tamen Conclusioni non obesset, eo quod in hoc sensu vel non esset recepta, vel certe consuetudine legitime praescripta iterum abrogata; cum plurimis annis passim videmus, Candidatos cum conditione vel pacto certa tribuendi Monasterio inopi bona temporalia (utique pro honesta sua sustentatione) suscipiantur, quae consuetudo utpote soli Legi humanae contraria, valida et licita est, *arg. c. fin. de consuetud.*

169 Resp. III. Si Monasterium est opulentum, aut saltem ita fundatum, talesque habens redditus, ex quibus eos, quos suscipit, sufficienter ex eo commode sustentare valeat, *Simonia* committitur etiam, si sub titulo seu praetextu sustentationis, ab ingredientibus temporale exigitur, vel si cum eis fit pactum, aut conventio de dando temporali praetextu sustentationis. Marchant. *Tom. 3. tr.* 10. *tit.* 6. *q.* 10. *concl.* 4. D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. *tum.* cum communissima aliorum, per jura *n.* 162. allegata. Ratio est; quia si Monasterium est opulentum, vel tot habet redditus, ut susceptos commode sustentare valeat, sub titulo seu praetextu sustentationis aliquid exigere non potest, eo quod juxta communem omnium, redditus Monasterii sint redditus Ecclesiae ad sustentationem Membrorum illius seu Religiosorum gratia faciendam ordinati, ita ut hoc ipso, quod quis ad Religionem suscipiatur, habeat jus ad sustentationem ex redditibus Monasterii capiendam; ergo sub titulo sustentationis, temporale ab ingrediente exigi non potest: consequenter si sub hoc titulo aliquid exigitur, sub falso praetextu, revera autem pro ipso ingressu, sicque *Simoniace* exigitur; cum alius titulus allegari non possit.

Et quidem ex hac eadem ratione aperte colligitur, 170
hanc *Simoniam* non tantum esse Juris Ecclesiastici, prout nonnulli volunt, uti Palao *de Simonia, pun.* 11. *num.* 3. sed etiam Divini; cum enim juxta unanimem sit *Simonia Juris Divini*, si pro ipso ingressu Religionis exigitur temporale per dicta supra *n.* 162. In casu autem Conclusionis temporale revera exigatur pro ipso ingressu, (Titulo sustentationis false allegato) evidens videtur, *Simoniam* hanc esse *Juris Divini*, prout expresse etiam fatetur Marchant. *loc. cit.* et fateri quoque debent caeteri Doctores, hoc ipso, quod ex allegata *n. praeced.* ratione Conclusionis probent, *Simoniam* committi, si Monasterium sufficientes habens redditus, exigit temporale ab ingredientibus etiam sub praetextu sustentationis.

Porro hanc *Simoniam* esse Juris Divini, probatur 171
insuper ex Jure c. *Quoniam* 40. *h. t.* quod fuit in Concilio Generali editum, ubi antequam ad Constitutiones et poenas Ecclesiasticas devenitur, praesupponitur, esse *Simoniam* utique Juris Divini, quando etiam Moniales temporale quid exigunt a Suscipiendis sub praetextu paupertatis; id est, quasi indigerent pro honesta sustentatione, cum tamen sufficientia jam habeant. Pariter tanquam *Simoniacum* Jure Divino id supponit, et dein primum novas poenas Ecclesiasticas superimponit *Extravag. Sane. h. t.* ubi etiam consuetudo contraria, *Corruptela* esse declaratur, imo jam pridem a SS. Canonibus reprobata *abusio* dicitur.

Resp. IV. Non tantum in Virorum, sed etiam 172
Monialium Monasteriis opulentis, vel saltem sufficientes redditus pro honesta sustentatione habentibus committitur *Simonia Juris Divini*, si aliquid temporale ab ingredientibus exigitur, etiam sub titulo, seu praetextu honestae sustentationis. Ita expresse Marchant. *cit. Tom.* 3. *tr.* 10. *Tit.* 6. *q.* 10. *concl.* 5. Roderiq. *Tom.* 2. *q.* 49. *art.* 4. dicens, ita sentire fere omnes DD. Juris Canonici. Patetque clare ex Jure *cit. c. Quoniam.* 40. *h. t.* ubi in specie de Monialibus sic dicitur: *Quoniam Simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis praetextu volentes hoc vitium palliare etc.* ac *Extravag. Sane. h. t.* ubi de Viris Religiosis, et Monialibus ad propositum ita loquitur Pontifex: *Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, et aliis locis Religiosis tam Virorum, quam mulierum, Ordinum, Religionum, et partium diversarum detestabilis, et a Canonibus reprobata servatur abusio, quod, cum personae aliquae recipiuntur ab eis ad observantiam Regularem, ipsae tamen temeritate praesumptuosa pastus, seu prandia Capitulis, et Conventibus ipsarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, et locorum, aut pecunias, aut alia, seu res alias ipsis Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, et locis, seu Praesidentibus eis ex statuto, seu consuetudine, quae corruptela est potius dicenda, tribuere compellantur.* Et infra postquam damna hujus vitii allegavit: *Omnibus Regularibus Viris et mulieribus, ne tam a Maribus, quam a Mulieribus volentibus ingredi Religionem etc. ante vel post, quoscunque pastus, prandia, seu coenas, pecunias, jocalia, vel alias res etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum aliam deputata, vel deputanda, directe vel indirecte petere, vel exigere, quocunque modo praesumant etc. Illa duntaxat, quae personae ipsae ingre-*

pure et sponte, et plana libertate, omnique poctione cessante dare vel offerre Ecclasiis, Monasteriis, Prioratibus, Domibus, et locis hajusmodi voluerint, cum gratiarum actione licite recepteri.

Retio Conelusionis est eadem, quam ad probandam Conclusionem n. 169. allegavimus; cum redditus Monasterii Monislium seque, ac virorum sint Eeclesiae, at deputati ed sustentationem Membrorum gratis faciendam, prout *cit. n.* diximus; ut proin etiam Monialium Monasteris opulenta non possint sub titulo houestae sustentationis exigere quid temporale; consequenter si nihilominus exigant, revera pro receptione exigunt (cum elius titulus non supersit) ita autem exigere est certe *Simonia Juris Divini* per dicta soperius; ergo.

173 Nec dicas, Moniales saltom titulo consuetudinis id posse. Nam contra est: Tum qood consuetudo contra Jus Divinum nec valida, nec licita sit, *arg. c. fin. de Consuetud.* et amplius diximus *Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. a num.* 34. atqui *Simonia*, qua Moniales in Monasterio opulento, vel habentn sufficientes ad sustentandam ingredientem redditus, est contre Jus Divinum juxta dicta *num. praeced.* Tum quia etsi dato non concesso haec *Simonia* non esset contra Jus Divinum, sed humanum duntaxat, tamen contra eam consuetudo illicita et iovalida foret, eo quod Jus eidem resistat, ab eoque sit reprobata, et tanquam *detestabilis abusio*, et ut *corruptela* damnata, *Extravag. Sane. h. t. c. Veniens.* 19. *h. t.* et ibi Glossa ℣. *Consuetudine*. Consuetudo siquidem talis semper illicita ac iuvalida est, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. IV. de Consuetud.* §. 2. Hinc canta legenda, et minime practicanda est doctrina nonnullorum sine solido fundamento dicentium, damneri non posse consuetudinem Monialium, etiam in opulento Monasterio, si eb ingredientibus temporalia exigant.

174 Objicies cum Pellizario *tr.* 10. *cap.* 2. *n.* 40. et aliis Conclusionis Adversariis. In Religione potest considerari ipse status Religionis, et onus alendi susceptum; ergo licet non possit exigi quid temporale pro *primo*, tamen id fieri poterit pro *secundo*. Resp. Negando *consequentiam*; quia hoc argumentum nimium, consequenter nil probat; probaret enim, etiem Viros in Monasteriis quibuscunque etsi opulentissimis posse exigere aliquid temporale; hoc autem est contra ipsos Adversarios; ergo. Accedit, quod hac ratione facillime eludi posset *Simonia*, quae in ingressu Religionis justa plures, eosque clarissimos Canones committitur; dummodo nempe Monasteriorum etiam opulentissimorum Praepositi dicerent, prout quivis facile dicere posset, se temporale non exigere pro ingressu, seu statu Religioso, sed pro onere sustentandi Susceptum, seu pro honesta sustentatione illius: sicque frustra Membranam occuparent omnes Canones contra *Simoniam* in ingressu in Religionem committi solitam, conditi.

175 Instabis: saltem Moniales etiam in Monesteriis opulentis immunes erunt a *Simonia*, si ab ingredientibus exigunt temporalia; quia id habent ex privilegio et concessione Clementis VII. ac etiam ex Declaratione Innocentii VIII. qui ad tollendos Monialium scrupulos dicitur declarasse, quod Moniales in Receptione ingredientium *nunquam* committant *Simoniam*, nisi paciscendo, vel exigendo aliquid temporale pro ingressu, vel. recipiendo inhabilem, ope habendi temporalia; ergo. Ante Responsionem nota, ex allagatis Pontificum Concessione, et Declaratione non paucos Doctores aliqualiter fuisse confusos, ita, ut vi illarum nonnolli docere non dubitaverint, Moniales etiam in Monasteriis opulentis sub titulo honestae sustentationis ingredientium posse pacisci, et exigere aliquid ab ingredientibus, sed revera immerito, ut statim patebit ex responsione.

Nam respondetur, ex allagatis Pontificum con- 176
cessione, et decleratione prorsus nil probari contra Conclusionem: Tum quia nullius efficaciae sunt: Tum quia, si quid valerent, in alio sensu conclusioni minime contrario intelligendae forent. Pro cujus Responsionis intelligentia sciendum, quod memoratas Concessionem, et Declarationem Auctores potissimum allegent ex Compendio Privilegiorum facto a nostro P. Alphonso Cassarubias, et auctas Annotationibus ab Hieronymo Sorbo. Fatetur autem citatus Cassarubias in supra dicto Compendio Privilegiorum ℣. *Moniales.* §. 16. *et* 31. eas esse tantum vivae vocis oraculo concessas, et nec ut tales esse authenticas, seu non constare authentice, eas etiam solo vivae vocis oraculo esse concessas; nam apponit illis litteram parvi O. quae littera in Compendio semper denotat vivae vocis oraculum non authenticum; prout ipsemet in Praefatione ad Lectorem statim ab initio notari monet. Hoc supposito palam est privilegium allegatum de facto nullius esse efficaciae, eo quod omnia vivae vocis oracula Regularibus concessa (praesertim ea, de quibus authentice non constat) sint revocata; prout magis dicetur infra *Tit. XXXIII. de Privilegiis etc.*

Quod si quis contendat, vivae vociis oracula 177
etiamnum valere. Resp. ulterius, praefatorum Pontificum oracola, sicut et aliorum Pontificum, uti Urbani V. et Gregorii IX. concessiones, et Declarationes loqui de Monialibus non divitibus, sed indigentibus, et sufficientes redditus pro honesta sustentatione ingredientium non habentibus: vel si, et quando loquuntur etiam de divitibus valle duntaxat concedere, et declarare quod Moniales non incurrant Excommunicationem, et alias Juris poenas, si ab ingredientibus temporalia exigant; minime autem velle concedere, aut declarere, quod non committant peccatum *Simoniae*, et alia anneza, avaritiae scilicet, et scandali peccata; uti bene docet, et ita docendo concordat Doctores, salvatque Pontificam Concessiones, et declarationes Marchantius *Tom.* 3. *tr.* 10. *Tit.* 6. *q.* 10. *Concl.* 6. quod alii quoque Doctores a potiori advertunt, qui non dicunt, quod Moniales divites exigendo temporalia eb ingredientibus non committant *Simoniam*, sed qood non incurrant Juris poenas: Et merito, cum enim Moniales in Monasterio opulento, vel sufficientes redditus ad sustentandam ingredientem habente committant *Simoniam Juris Divini*, si etiam sub praetextu honestae sustentationis quid temporale exigunt ab ingredientibus juxta dicta *num.* 272. Papa, sicut non potest, ita consensus non est, aliqua concessione, privilegio, aut declaratione facere, quod id attentantes Moniales non committant *Simoniam*, quae vi Juris divini committitur, sed quod non incurrant Juris poenas, utpote impositas a sola lege Ecclesiastica, in qua, non item in Divina dispensare potest per amplius dicta *Lib. I. Tit. II.* §. *XVIII. a* n. 455. Prout etiam contra legem Ecclesiasticam, non item Divinam valet consuetudo, *c. fin. de consuetud.* vi cujus proin licet Moniales divites quoque sint etiam immunes a poenis per legem Ecclesiasticam in *Simoniace* recipientes constitutis, non tamen sunt immunes a peccato et culpa *Simoniae* poenis Divinis etiam aeternis subjectae.

Urgebis; dicere, et docere, quod moniales di- 178
vites nec vi consuetudinis, nec vigore concessionum, aut Declarationum Pontificiarum, consequenter nulla ratione excusentur a peccato *Simoniae*,

si temporalia sub titulo honestae sustentationis exigunt, est dicere, fere omnia Monasteria Monialium esse plene peccatis *Simoniae*, ipsasque Moniales in periculosissimo existere statu; cum videamus fere in cunctis Monasteriis, a quovis ingrediente exigi temporalia: atqui hoc non videtur dicendum; ergo. Resp. Negando *Suppositum*: Tum quia dantur plurima Monialium Monasteria vere indigentia, et ad sustentandam ingredientem sufficientes redditus non habentia, quibus proin licitum est, exigere temporalia ab ingredientibus juxta dicta *num.* 163. Tum etiam, quia in opulentis Monasteriis Moniales excusare potest, et plerasque excusat ignorantia invincibilis, et bona fides. Caeterum gratis concedimus, illas Moniales, quae vel a Superioribus, vel a doctis confessariis fuerunt in hoc puncto sufficienter instructae, revera committere *Simoniam*, sive dein paucae sint, sive multae; quia peccantium multitudo, multitudinisque peccantia longa, et universalis consuetudo non excusat a peccato, quando contra legem Divinam delinquitur *arg.* c. *Cum in Ecclesiae.* 9. et c. *Dilectus.* 30. *h. t.* ubi et multitudo, et universalis consuetudo ad excusandum a peccato *Simoniae* rejicitur, addita illa ratione, *quod tanto graviora sint peccata, quo diutius infelicem animam tenuerunt alligatam*: etiam contra malas consuetudines allegatur *c. fin. de Consuetud.*

179 Dices, valde durum esset Monialibus, nil ab ingredientibus exigere, sed omnes gratis suscipere; cum experientia teste, per dotes et bona ingredientium, suas acquisiverint, augeant, et conservent divitias, et cessantibus ingredientium dotibus, brevi iterum ad paupertatem essent redigendae; ergo. Resp. Monialibus in Monasteriis divitibus, aut saltem talibus, quae sufficientes redditus pro sustentatione honesta ingredientium revera habent, durum est, loquendo rationabiliter, prudenter, ac Christiane negatur. *Ant.* Loquendo secundum inordinatam rerum temporalium curam et sollicitudinem, aut saeculi voluptates, aut vanitates, conceditur. *Ant.* Enim vere homines Christiani praesertim Religiosi rationabiliter dicere non possunt, durum sibi esse, vel durum esse jugum earum Legum, quae sancte prohibent, ut sufficientia pro se, et suis jam habentes, plura adhuc superflua modo legi Divinae adverso illicite non quaerant, vel exigant. Nec timendum, quod observando legem Divinam, ea, quae nunc ad sufficientiam habent, sint perditurae, et propterea ad paupertatem deventurae; cum contrarium potius secure sperari possit ob multiplicem sacrae Scripturae asseverationem, qua justis et timentibus Deum, Deique mandata servantibus copiosa in cunctis etiam temporalibus promittitur Benedictio usque ad abundantiam.

180 Urgebis adhuc: si Religiosi sive Viri, sive Moniales in Monasteriis opulentis exigunt dotes, vel alia bona temporalia, possunt augere suos redditus, et inde etiam numerum Religiosorum, consequenter augere cultum Divinum in suo Monasterio, quod fieri non potest, si temporalia ab ingredientibus exigere nequeunt; *ergo* Resp. Non esse facienda mala (cujusmodi est sub falso praetextu honestae sustentationis exigere temporalia ab ingredientibus) ut eveniant bona, *arg. c. Ex tuarum* 2. *de Sortibus*, et c. *super eo.* 3. *de Usuris.* Accedit, quod augmentum redditum, et ex hoc augmentum Religiosorum, ac cultus Divini nihilominus, et quidem licito modo fieri possit, dum videlicet Deus jux.e infallibile suum promissum Divinum redditus pro ... observantiam legis Divinae specialiter benedicit, suaque providentia facit, ut variis aliis, iisque licitis viis, v. g. Legato, haereditatibus, ex Testamentis vel ab intestato, donationibus, vel liberis et gratuitis ingredientium largitionibus (quae omnino fieri possunt juxta statim dicenda *n. seq.*) media et redditus magis, quam illicito modo sint augendi, ex quibus dein, si velint, numerum Religiosorum, et cultum Divinum sanctissime augere possunt.

Scimus quidem, aliqua pro defendenda Monialium quarundam corruptela adducere Pagnanum in c. *Non amplius de Institutione n.* 24 Declarationem Cardinalium ab eodem ibidem allegatam. Verum si bene perpendatur, nec ille, nec ista videntur Conclusioni nostrae adversari; sed tantum defendere, quod Moniales etiam redditibus satis provisae possint acceptare dotem gratis oblatam, vel pacisci de illa danda, casu, quo Monialium redditus pro nova, et quasi supernumeraria sustentanda non sufficerent, uti patet ex solutione objectionis ibidem *n.* 25. positae. Quapropter a Conclusione nostra Juribus tam claris etiam in natura fundata non recedimus; Judicio tamen Ecclesiae, si quod aliud esset, vel in futurum foret, plenissima nostri abnegatione humillime nos subjicimus.

Et ex hoc etiam patet, quod Regulares sive viri, sive Moniales sibi etiam temporaliter magis noceant, quam prosint, si Monasterio sufficientes redditus pro sustentatione ingredientium jam habente, sub falso praetextu honestae sustentationis, consequenter *Simoniace*, et contra legem Divinam temporalia exigunt, Deo illicitis conatibus, et temporalibus curis adversante, et econtra sanctam confidentiam, observantium Dei mandata specialiter benedicente, et secundante.

Resp. V. Possunt quaevis Monasteria etiam opulentissima, licite, et absque ulla *Simoniae* labe accipere ea, quae ingredientes sine pacto aliquo, vel exactione gratis ac libere dant, vel offerunt. Unanimis et certa claris Juribus. c. *Dilectus* 30. *h. t.* ibi: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum*, et *Extravag. sane.* 1. *h. t. Illa duntaxat, quae personae ipsae ingredientes pure et sponte, et plena liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre etc. voluerint, cum gratiarum actione licite accepturi.* 181

Resp. VI. Possunt insuper Regulares tam Viri, quam mulieres quorumvis Monasteriorum etiam divitum, cum parentibus, vel paciscі, et exigere certam quantitatem pecuniarum, vel aliarum bonorum temporalium sub conditione, ut suscepta ad Religionem et professa persona omni juri haereditatis, vel alterius justae praetensionis temporalis renuntiet. Ratio est, quia in tali casu juste exigitur temporale pro temporali, jure nempe haereditatis, vel alterius boni temporalis; cum enim quidquid Monachus acquirit, acquirat Monasterio, per vulgaria Juris: Monasterium vere acquirit et habet omne jus temporale, quod habuit persona suscepta se professa, indeque (nisi ingressa faciat ante Professionem testamentum) licitissime potest pro remissione illius sibi competentis juris temporalis, aliud temporale exigere. Et hoc est, vi cujus excusari subinde possunt a *Simonia* Regulares divites. 182

Quaeritur II. pro compendiosa notitia, a Quibus? et quando occasione ingressus in Religionem committatur *Simonia*? Resp. I. Eam committi in sequentibus casibus. 183

I. Committunt *Simoniam* omnes tam pauperum, quam divitum Monasteriorum personae Religiosae, viri et mulieres, qui pro ipso ingressu paciscuntur, vel exigunt temporalia, juxta dicta num. 163.

II. Omnes illi, qui pro ipso ingressu in Religio-

nem obtinendo promittunt, paciscuntur, aut dant temporalia, justa dicta n. 162.

III. Viri Religiosi in Monasterio opulento, vel saltem sufficientes redditus pro sustentatione ingredientium habente, si sub praetexta honestae sustentationis temporalia paciscuntur, vel exiguntur ab ingredientibus; sicuti econtra etiam qui sub eodem praetextu, vi pacti dant temporalia, justa dicta num. 169.

IV. Moniales quoque in Monasteriis sufficientes pro sustentatione ingredientium redditus habentes, *Simoniam* committunt, si dotes, vel alia temporalia paciscantur, vel exigunt ab ingredientibus; cum enim certum sit apud omnes, quod redditus Monasterii cujuslibet tam Virorum, quam Mulierum principaliter sint ordinati ad sustentationem Religiosarum personarum in eis existentium, ita, ut hoc ipso, quod quis suscipiatur ad Monasterium, habeat jus ad sustentationem ex redditibus Monasterii capiendam, non potest sub titulo honestae sustentationis aliquid exigi, consequenter, si nihilominus aliquid exigitur, sub falso praetexta, et nulliter, revera autem pro ipso ingressu, seu susceptione ad Religionem (nam nullus alius titulus allegari potest) exigitur, indeque vera *Simonia* contra *Jus Divinum* committitur, exigendo videlicet temporale pro spirituali, ingressu vel susceptione scilicet in Religionem, justa dicta n. 172.

184 V. Etiam in pauperibus tam Virorum, quam Mulierum Monasteriis *Simoniam* committunt Religiosae personae, si plus temporale paciscuntur vel exigunt ab ingrediente persona, quam ab ejus honestam sustentationem necessarium est. Ratio patet; quia cum illud superfluum exigendi nullus adsit titulus, revera pro ingressu ipso exigitur, sicque *Simonia* committitur. Et hoc saepe contingere solet, quando intuitu majoris dotis ad sustentationem non necessariae minus habiles suscipiuntur, in quo suscipientes etiam Moniales, quae alias a poenis *Simoniae* per Concessionis Pontificum immunes sunt, eisdem subjacent juxta specialem Dispositionem Innocentii VIII, qui Moniales a poenis *Simoniae* eximens, excepit casum, quo recipiunt inhabiles ob spem habendi aliquid, quia tunc illa est principalis intentia, uti videre est in Compendio Privileg. V. *Moniales num.* 16.

Colliges, non raro his temporibus committi *Simoniam* in Receptione ingredientium, praesertim Mulierum ad Monasteria, uti consideranti patet.

§ X.

De Simonia, quae committitur in Administratione Sacramentorum, et Sacramentalium, Praestatione munerum, functionum, et Actuum spiritualium, v. g. Sepulturae, Benedictionum, Dispensationum, Absolutionum, Precum, Orationum, Missae etc.

SUMMARIUM.

185 *Pro Administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, si temporale accipitur per modum pretii*, Simonia *est.*
186 *Non item si accipitur per modum stipendii ad honestam sustentationem ordinati.*
187 *Secundum aliquos non licet exigere, vel pacisci temporale per modum stipendii pro spirituali.*
188 *Contrarium est verius*
189 *Solvitur Objectio*
190 *Confirmatur consuetudine.*
191 *Solvitur alia objectio.*
192 *Quid in praxi faciendum?*
193 *Pro functionibus spiritualibus temporale per modum stipendii accipere, possunt Clerici etiam aliunde divites.*
194 *Et alios redditus Ecclesiasticos abundanter habentes.*
195 *Solvitur Objectio.*
196 *An? et quando temporale exigere possint, pro functionibus, quas ex Officio praestare tenentur.*
197 *Practica instructio de accipiendo, et exigendo stipendio pro functionibus spiritualibus: et num. seqq.*
201 *Quivis etiam dives Clericus potest pro Missa accipere consuetum in locis stipendium.*
202 *Etiam Regulares tam superiores,*
203 *Quam privati.*
204 *Practica Doctrina ad Propositum de Missis privatorum Religiosorum: et n. seq.*
206 *Non potest pro Missa per modum stipendii plus exigi, quam habet loci consuetudo, aut dispositio Superioris: Et duobus n. seqq.*
209 *Exigentes pro Missa stipendium tenentur sub mortali observare Decreta Pontificia.*
210 *Decretum de Applicatione Missarum per Parochos facienda.*
211 *Hoc Decretum olim impugnatum, nunc vero denuo a S. Congregatione confirmatum est.*
212 *Aliud Decretum priori simile, in authentica forma.*
213 *Novissima Constitutio Innocentii XII. super Celebratione Missarum.*
214 *Pro actu, vel exercitio Jurisdictionis Ecclesiasticae temporale per modum pretii accipere*, Simonia *est.*
215 *Doctrina Practica ad propositum.*
216 *Quare Romae pro Dispensationibus dari absque* Simonia, *vel exigi possit temporale?*
217 *Episcopi pro Dispensationibus temporale quid accipere non possunt, nec valet in contrarium consuetudo*
218 Simonia est, *pro Orationibus, aut aliis bonis operibus exigere temporale per modum pretii.*
219 *Non item per modum stipendii.*
220 *Nec, si fiant sub specie obtinendi temporale, vel econtra*
221 *Res sacratae et benedictae absque* Simonia *vendi aut mutari pro re temporali possunt: et num. seq.*
223 *Dummodo plus non detur, quam temporale seu materiale in illis valet.*
224 *Et specialis prohibitio Ecclesiae non obstat.*
225 *Debent tamen prius ita tractari, ut Benedictionem censeantur omittere.*
226 *Licitum est, rem spiritualem pro spirituali commutare, excepta materia Beneficiaria.*
227 *Doctrina practica ad propositum.*

Quaeritur I. *An?* et quando committatur *Simonia*, si pro administratione Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel pro functionibus Ecclesiasticis, v. g. Sepultura, Benedictionibus etc. datur, vel accipitur temporale? Resp. I. Si pro horum aliquo, ex pacto tacito vel expresso datur, vel accipitur quid temporale per modum pretii, *Simonia Juris Divini* est. Communis, et certa ob Jura clara *c. Cum in Ecclesia.* 9. *c. Ad Apostolicam* 42. *h. t.* item *can.* 1. *et* 2. *cau.* 1. *q.* 1. et *c. Si quis objecerit* 7. *cau.* 1. *q.* 3. cum Concordantiis. Ratio patet; quia cum haec cuncta sint quid spirituale, utique *Simoniacum* est, temporale per modum pretii pro illis dare, aut accipere, per dicta supra. 185

Resp. II. Pro Sacramentis, aut Sacramentalibus, 186

aliisque functionibus spiritualibus licite, et absque omni labe *Simoniae* possunt Ecclesiae Ministri recipere, et reliqui dare temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem ordinati. Communis, et certa: Patetque ex variis scripturae locis, Luc. 10. v. 7. *Dignus est enim operarius mercede sua.* et ad Corinth. 9. ℣. 7. *quis militat suis stipendiis unquam? quis plantavit vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* et infra ℣. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus. Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt, edunt; et qui Altori deserviunt, de Altari participant? Itaet Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Similia passim inveniuntur in SS. Canonibus, praecertim vero *can. Ex his.* 22. *cau.* 12. *q.* 1. ibi: *Lex enim Dei praecipit, ut qui Altori deserviunt, pascontur de ipso: etc. Cum secundam.* 16. *de Praeb.* ibi: *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debet de Altari; et qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede etc.*

Ratio est; quia in hoc sensu non datur, nec recipitur temporale tanquam pretium commensuratum, aut commensurabile rei, seu functioni vel ministerio spirituali, sed tantum, ut quid Jure Divino et naturali debitum personae ministranti spiritualia ad necessariam et honestam illius sustentationem.

Et quidem huc usque dicta, carent controversia: magna vero difficultas et controversia apud Doctores est, de sequenti quaestione, qua

187 Quaeritur II. An Ecclesiae Ministri non tantum oblatum recipere, sed etiam exigere et in pactum deducere possint, temporale per modum stipendii pro administratione Sacramentalium, et aliis functionibus spiritualibus. Plures ex antiquis, ut Cardin. *in c. Tuae nos. h. t. n.* 2. Sylvester ℣. *Simonia. q.* 9. §. 2. *et* 7. et alii cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad* 2. *dum* id negant, eo quod id tanquam *Simoniacum* expresse videatur prohibitum per plures SS. Canones, quibus universim pacta in spiritualibus prohibentur; et licet concedant temporale pro spirituali gratis, aut per modum stipendii datum accipere, inhibent tamen illud ex pacto dare, vel exigere, *can. Placuit.* 1. *can. Quam pio.* 2. *cau.* 1. *q.* 2. *can. Nullus Episcopus.* 100. *cau.* 1. *q.* 1. *c. fin. de Pactis* Quibus non obstantibus

188 Resp. Ministri Ecclesiae pro spiritualibus functionibus non tantum sponte oblata temporalia accipere, sed ea etiam pacisci, et exigere possunt tanquam debitum stipendium ad honestam sustentationem necessarium, ubi specialis non obstat Juris prohibitio. Glossa *in c. significatum de Praeb.* et ibi Abbas *num. ult.* ac sequitur Layman *de Simonia.* §. 2. *num.* 15. Palao *de Simonia. Punct.* 4. *num.* 4. Guttierez *Canon. qq. cap.* 29. *num.* 13. Cajetanus, Soto, Navarrus, Suarez, et alii. Ratio est, quia quilibet illud potest pacisci, et ex pacto praetendere, quod sibi alias jam Jure naturae debetur; atqui temporale per modum stipendii pro spirituali, Jure naturae jam debetur ministranti spirituale, uti juxta dicta *num.* 186. fatentur omnes; ergo poterit etiam vi pacti exigi, saltem mutua conventione determinanda quantitatem stipendii ad sustentationem Jure naturali debiti: Hac enim ratione non exigunt temporale tanquam pretium rei sacrae, sed tanquam stipendium sibi debitum.

Confirmatur rationibus Abbatis: sic enim Vicariis Ecclesiarum constituitur certa portio ex redditibus Ecclesiae *c. Cum ex eo. de Elect.* et *c. Pervenit. il.* 2. *de Appellat.* et alibi. Imo generaliter videmus, quod Beneficia dentur propter Officia, *arg. c. fin. de Praescript. in* 6. Et assignantur certi redditus cum pacto, et conditione certa legendi Missas, et obeundi functiones spirituales.

189 Nec obstant Jura in contrarium citari solita. Nam inprimis illa Jura, quibus pacta in spiritualibus universim prohiberi dicuntur, loquuntur de pactis inhonestis, vi quorum datur, vel exigitur pro spirituali functione aliquid temporale tanquam pretium per modum commutationis, uti bene exponit Glossa *in cit. c. ult. de Pact.* et *can. Quam pia.* 2. *cau.* 1. *q.* 2. ℣. *Pactio.* ubi ait: *Non removetur, nisi pactio inhonesta, nam honesta non removetur;* atqui in casu nostro non intervenit tale pactum inhonestum, eo quod functiones spirituales praestentur omnino gratis, exactio vero et pactio fiat praecise de quantitate stipendii Jure naturae debiti. Alia vero Jura loquuntur de iis rebus spiritualibus, pro quibus temporale pacisci, vel exigere; specialiter prohibitum est.

190 Confirmatur Responsio. *Consuetudo est optima legum interpres L.* 37. *ff. de Legib.* atqui habetur universalis Consuetudo in Ecclesia, quod pro spiritualibus functionibus ex pacto praestetur, et exigatur temporale Ecclesiae Ministris tanquam stipendium honestae sustentationis, prout videre est in Fundationibus, vi quarum Clericis Regularibus assignantur certi redditus, et bona temporalia sub certo pacto et conditione, ut legant certas missas, vel ut Chorum frequentent, laudem divinam persolvant, concionentur etc.

191 Dices: juxta praeceptum Christi cuncta spiritualia praestari debent gratis: dicit enim Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date;* ergo nil pro iis potest exigi. Resp. Nil exigi pro functionibus spiritualibus, sed has gratis exhiberi, et tantum fieri pactum de quantitate stipendii ex Jure naturae debiti Ministro spiritualia subministranti, juxta dicta *n.* 186. Non enim pugnant inter se, sed bene simul verificari possunt, gratis exhibere spiritualia, et occasione horum exigere, atque accipere stipendium sustentationis. Prout patet ex ipso oraculo Divino; cum Christus ipse, licet *Matth.* 10. praecipiat, ut sacros labores gratis exhibeant Ecclesiae Ministri, nihilominus etiam *Luc.* 10. ℣. 7. ait: *In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt; dignus est enim Operarius mercede sua.*

192 Notandum tamen, quod, si Ecclesiae Ministri pro functionibus spiritualibus temporalia paciscuntur, et exigunt, id non pro libitu suo, sed prout vel lex Synodalis, aut Dioecesana, aut, his deficientibus ipsa discretionis, et charitatis virtus, consideratis personarum et rerum circumstantiis praescribit, vel permittit facere debeant; prout amplius jam diximus *Lib. III. Tit. XXVIII. de Sepultura* §. *II. a n.* 70. ubi etiam excessus, qui circa hoc fieri solent, annotavimus, simulque ex *c. Ad audientiam.* 29. *h. t.* ostendimus, quod in casu, quo Laici vel alii stipendium debitum dare recusarent, ipsos, non ipsi Ecclesiae Ministri, v. g. Parochi, sed Episcopus cogere posset, ac deberet.

Quaeritur III. An omnes etiam divites, vel aliunde sufficientibus redditibus jam provisi Clerici Ecclesiae Ministri, et de quavis functione Ecclesiastica, illa quoque, quam alias vi Officii praestare tenentur, possint per modum stipendii temporale quid exigere? Resp. I. Etiam divites, et ex proprio patrimonio sufficientia habentes Clerici possunt pro functionibus spiritualibus temporale per modum stipendii exigere. Communis, *arg. can. fin. cau.* 1. *q.* 2. ibi: *Clerici omnes* (nota *omnes* sine distinctione) *qui Ecclesiae fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii me-*

ritum per ordinationem Canonum a Sacerdotibus consequantur. Ratio est; quia juxta Apostolum ad Corinth. 9. Nullus etiam dives tenetur militare suis stipendiis, consequenter si ob ministeria spiritualia debetur stipendium, etiam divitibus ea praestantibus debetur: sicut etiam dives mercenarius est dignus mercede sua, haecque illi debetur. Nec argui possunt alicujus avaritiae, si Clerici divites pro functionibus Ecclesiasticis temporalia exigunt: quia nemo dici potest avarus ex eo, quod ea petat, quae sibi de jure debentur. Accedit Ecclesiarum universalis consuetudo optima legum interpres, *L. 37. ff. de Legib.*

194 Resp. II. Etsi Clerici sufficientibus redditibus Ecclesiasticis aliunde jam sint provisi, nihilominus pro functionibus Ecclesiasticis, etiam illis, quas ex officio praestare tenentur, exigere possunt temporalia, quae vel Jure Ecclesiastico, vel consuetudine Dioecesana, vel legitime praescripta dare debent. *arg. cit. can fin. cau.* 1. *q.* 2. et toto *Tit. de Decimis*. quas utpote a Jure constitutas exigunt Clerici etiam aliunde jam sufficienter provisi: et Episcopi redditibus aliunde abundantes possunt exigere procurationes tempore Visitationis, ad quam ex officio tenentur, quia id eis indistincte conceditur a Jure, c. *Conquerente. de offic. Ordin. c. cum Apostolus.* 6. c. *Procurationes. de Censib.* cum Concordantiis. Ac insuper c. *Ad Apostolicam.* 24. *h. t.* injungitur Episcopis, ut Laicos compellant ad danda temporalia, quae ex laudabili consuetudine pro Sacramentorum, et Sacramentalium administratione dare consueverunt, nulla facta distinctione inter Clericos pauperes, vel redditibus jam provisos. Ratio est; quia ut pro sacramentorum administratione, Sacrificii oblatione, et aliis functionibus Ecclesiasticis per modum stipendii dentur temporalia (quae communiter fructus seu redditus *Stolae* vocantur) ab Ecclesia statutum, vel laudabili consuetudine introductum est, quatenus nulli Ecclesiae Ministro necessaria sustentatio deesset; praesertim cum in multis locis magna pars Decimarum devoluta sit vel ad Laicos, vel ad *Mensam* Episcopalem, vel ad Ecclesias collegiatas, aut Cathedrales, vel ad Monasteria etc. Et per accidens est, si quis Ecclesiae Minister absque his fructibus aliunde sufficientes habeat redditus; cum exinde privari non possit aliis fructibus, qui ei de Jure scripto, statutario, vel consuetudinario debentur.

195 Objicies contra hanc et priorem Conclusionem *can. Pastor* 6. *et can Si quis.* 8 *cau* 1. *q.* 2. ubi prohibetur, Clericis sufficientia aliunde habentibus, aliquid dare, addita illa ratione, quod aliud *non sit, habentibus dare, quam perdere*; ergo. Resp. Per illos Canones tantum prohiberi, ne de Ecclesiae bonis illis, quae destinata sunt ad sustentationem pauperum, detur aliquid sufficientia jam habentibus; non vero, quod temporalia pro ministerio Ecclesiastico debita Clerici aliunde jam provisi percipere, vel exigere non valeant: secus enim Clerici divites nec Decimas exigere possent.

196 Resp. III. Clerici Ecclesiae Ministri *Simoniam* committunt, qui pro functionibus Ecclesiasticis, quas ex Officio, pro quo sufficientes ad sustentationem jam habent redditus, praestare tenentur, temporalia etiam per modum stipendii exigunt, quando illa exigere nec jus, nec publica auctoritas, nec consuetudo permittit D. Thomas 2. 2. *q.* 100. a. 3. *tertium* cum Communi aliorum. Ratio est; quia in tali casu deest omnis justus titulus exigendi temporale; consequenter si nihilominus exigitur, pro ipsa re spirituali, sicque *Simoniace* exigitur.

197 Ex hactenus dictis facile colligitur, an, et quando committatur *Simonia*, accipiendo, vel etiam exigendo temporale pro Sacramentorum administratione, et aliis functionibus spiritualibus. Et quidem *primo* semper committitur, quoties pro iis ex pacto tacito vel expresso per modum pretii datur temporale.

Quod si per modum stipendii datur temporale, 198
attendendum est, an exigendi temporale pro aliqua functione spirituali exstet aliqua publica auctoritas, vel jus, vel consuetudo, aut non. Si exstat publica aliqua auctoritas v. g. Constitutio Synodalis, vel Dioecesana, vel Jus commune, possunt pro illa per modum stipendii temporale exigere etiam divites Clerici, etsi illam functionem ex Officio, pro quo sufficientes ad honestam sustentationem jam habent redditus, peragere debeant, juxta dicta *num.* 194. et exemplificatur per Decimas, oblationes, procurationes etc. Idem est, si quidem nulla auctoritas publica, vel jus commune scriptum, legitime tamen praescripta laudabilis existit consuetudo, per dicta *supra*.

Si nec auctoritas publica, nec jus, nec consue- 199
tudo adest exigendi etiam per modum stipendii aliquid temporale pro functionibus spiritualibus, attendendum est) an Clerici jam aliunde v. g. ex Decimis, vel aliis proventibus habeant sufficientes redditus pro Officio, ex quo functiones spirituales peragunt, vel non: Si habent, possunt quidem post peractas functiones gratis oblata accipere temporalia, neutiquam tamen absque labe *Simoniae* illa exigere valent, juxta dicta: Si non habent sufficientem sustentationem, accipere, petere, et exigere pro illis poterunt temporalia tanquam stipendium sustentationis, juxta dicta *n.* 188. quamvis dare recusantes compellere non valeant, juxta dicta *n.* 192.

Porro si ex justo titulo exigunt temporale, atten- 200
dere debent, ne in modo exigendi errent; quia *Simoniam* non tantum committunt, si nullo existente pro illis jure, aut consuetudine, pro spiritualibus functionibus temporale etiam per modum stipendii exigunt, sed etiam si justum habentes titulum id modo illicito faciunt: ut si antea extorqueant, negando spiritualem functionem ex officio debitum, nisi prius detur temporale, aut cautio de illo dando praestetur contra *c. In tantum* 36. c. *Audivimus* 41. *et c. Apostolicam.* 42. *h. t.* Item si pro functionibus plus exigunt, quam jus, vel praxis, et consuetudo Dioecesis, aut approbatio Superiorum permittit; eo quod pro illo excessu, nullum justum habeant titulum exigendi. Circa quae, ne fiant, utique attendere, et vigilare debent Episcopi, ac corruptelas, ubi aliquas irrepere, vel irrepsisse cernunt, eradicare.

Quaeritur IV. specialiter de Missis, an, et qua- 201
liter pro ipsis temporalia non tantum accipere, sed etiam exigere liceat absque labe *Simoniae*? Resp. I. Omnes etiam divites Sacerdotes, qui ex Officio, Beneficio, vel alia obligatione Missas ad certam intentionem applicare non tenentur, possunt pro singulis, quas legunt Missas, non tantum accipere, sed etiam exigere temporalia per modum stipendii ad honestam sustentationem ordinati, in quantitate vel pretio per praxin et consuetudinem locorum, aut Superiorum approbationem determinata. Conclusio caret controversia Patetque ex dictis *num.* 188. Tum ex Constitutionibus Pontificiis, praesertim Urbani VIII. ubi omnibus et singulis, nullo (qui aliunde non est obligatus ad certam intentionem celebrare) excepto conceditur, vel potius concessum supponitur, accipere pro Missis stipendium, debito tamen in Bulla Urbani expresso modo, quam Bullam una cum S. Congregationis Declarationibus habes *Lib. III. Tit. XLI. De Celebratione Missarum*, *n.* 3.

202 Infertur I. Posse etiam Religiosos, maxime Superiores, sive bona in Communi habentes, sive non, temporale per modum stipendii accipere, pacisci, et exigere pro missis legendis.

203 Infertur II. Posse insuper Religiosos privatos de Superiorum suorum tacita, vel expressa licentia temporale per modum stipendii accipere, pacisci, et exigere pro missis illis, quas de memoratorum Superiorum licentia pro libitu suo applicare volent; dummodo consuetam stipendii quantitatem, vel valorem non excedant. Nec obstat, si Monasterium sit opulentum, aut alias satis provisum, ita ut aliunde, ac independenter a stipendio missarum sufficientia pro sustentatione Religiosi habeat; consequenter ex titulo honestae sustentationis temporalia accipere non valeat, praesertim Religiosi privati, utpote pro quibus Superiores vigilare, eisque de sufficienti et honesta sustentatione providere debent, et provident, ita ut haec nulli unquam deesse censeatur, ac per consequens nullus aliquid temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem requisiti pro missis accipere valeat. Nec obstat, inquam, quia sicut juxta dicta *num.* 193. et 194. non obstante, quod Clerici saeculares sint divites, ita ut rebus temporalibus, quae per modum stipendii pro functionibus spiritualibus dari solent, pro sua sustentatione nullatenus indigeant, possint temporalia per modum stipendii pro dictis functionibus, ac etiam pro Missis votivis accipere, et exigere, ob rationes *cit. n.* 193. *et* 194. allegatas, sic etiam Religiosi divites, vel saltem aliunde sufficientem sustentationem jam habentes poterunt pro Missis votivis temporale per modum stipendii accipere; quia aeque de his, ac saecularibus divitibus, vel sufficientia habentibus Clericis rationes ibi allegatae procedunt; videlicet, quod quivis etiam dives Operarius sit dignus mercede sua, et nullus, neque dives, aut sufficientia habens militet propriis stipendiis, ac recipientes spiritualia Jure Divino, ac naturali teneantur ad dandam stipendium sustentationis ministranti spiritualia; consequenter ministrantes spiritualia possint illud, ad quod recipientes tenentur accipere, et exigere.

204 Infertur III. In specie a peccato *Simoniae* immunes esse Religiosos etiam privatos, si cum Superiorum licentia tacita vel expressa accipiunt, paciscuntur, vel exigunt pro Missis per modum stipendii temporalia, v. g. vestes, Medicinas, imagines, pecunias (si harum alias non sunt incapaces) vel alias res temporales; praesertim ad honestam distractionem, recreationem, aut alium utilem, ac licitum usum conducentes: eo quod praesertim haec nomine honestae sustentationis etiam veniant.

205 Infertur IV. Posse eosdem Religiosos etiam privatos de Superiorum suorum tacita vel expressa licentia suis Conreligiosis Confratribus vel etiam aliis dare et offerre temporalia, quae habent, v. g. Imagines, Candelas, Rosaria non benedicta, profana instrumenta per modum stipendii et pro Missis, sicut has pro illis; quia sicut saecularis aliquis absque *Simonia* potest similia temporalia per modum stipendii ex pacto dare et offerre pro missis, poterit id etiam facere Religiosus; cum circa hoc in puncto *Simoniae* nulla sit differentia, nec afferri possit ratio, cur uni et non alteri id liceat; praesertim cum ex Bullis Pontificiis praesertim Urbani VIII. temporale per modum stipendii exigere, pacisci, et dare universaliter videatur concessum cuivis.

Dicitur notanter in Conclusione *n.* 201. posita; *in quantitate, vel pretio per praxin et consuetudinem loca um, aut Superiorum approbatione determinato*, ob sequentem Conclusionem. Enimvero.

Resp. II. Non potest quis pro Missis rem temporalem per modum stipendii pacisci, vel exigere in eo pretio, vel quantitate, quae sibi libet; sed quae vel per praxin, consuetudinem Dioecesium, vel Superiorum approbationem est determinata, adeoque Simoniam committere censentur, qui temporale in majori pretio, quantitate paciscuntur, vel exigunt. Ratio est: quia qui quantitatem stipendii a Consuetudine vel Superioribus determinatam exigendo, vel paciscendo excedit, jam hoc ipso illud excessivum non per modum stipendii, sed per modum pretii pro Missa exigere, et Missam appretiare censetur: praesertim, cum, licet quivis etiam privatus stipendium pro Missa exigere possit, tamen in privatorum potestate non sit, introductae consuetudines, aut Superiorum ordinationes circa stipendii quantitatem invertere, aut excedendo easdem contraire, quamvis, si major quantitas gratis pro missa offeratur, eam quis accipere, sicut etiam minore stipendii quantitate, quam praxis vel consuetudo loci habet, contentus esse valeat. 206

Caeterum infertur I. Peccatum *Simoniae* committere, qui in partibus nostris, ubi medius florenus ex consuetudine, et Superiorum dispositione ordinarium pro missa stipendium est medium thalerum, aut integrum florenum exigeret. 207

Infertur II. Illos quoque, qui in nescio qua aestimatione Missas se habere putantes, dicunt, se minime pro re temporali in pretio et quantitate stipendii consueti, bene vero pro re temporali majoris pretii celebrare velle, *Simoniam* committere; quia revera missam appretiare videntur. 208

Resp. III. Qui stipendium pro missis accipiunt sub mortali tenentur exacte observare Bullam Urbani VIII. et Cardinalium Declarationes desuper editas, et supra *Lib. III. Tit. XLI. de celebratione Missarum* allegatas, nec non alia Pontificia Decreta, et Cardinalium Declarationes, praesertim illas, vi quarum prohibetur, vel prohibitum declaratur, ne illi, qui ex fundatione, vel ex officio Missas ad certam intentionem applicare tenentur, stipendium pro Missis ad illam intentionem celebrandis accipiant. Inter quas est etiam illa, quam de Parochis adduximus supra cit. *Lib. III. Tit. XLI. de Celebratione Missarum a n.* 22. ubi quia dicta dati, et alia ad rem facientia, apposita non fuere, id in praesenti, praestatur. Memorata ergo Declaratio et Decretum Roma missum ita sonat. 209

DECRETUM

Sacrae Congregationis Concilii super applicatione Sacrificii a Parochis.

IN LUCANA.

Cum praecepto Divino iis, quibus Animarum cura commissa est, mandatum sit pro Ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias Sacr. Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues saltem diebus Festivis. Idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, et Dioecesis etc. Romae 10. *Maii* 1681. 210

F. Cardinal. Columna.

Porro hoc Decretum, ac Declaratio, quia pluribus valde dura videbatur pro Curatis (quamvis vere durum non sit, cum ab Ecclesia Catholica piissima et benignissima in cunctis Matre, et non Noverca 211

proveniat (adeo ut non pauci etiam valde docti et timorati de vera existentia illius dubitarint, quaestio Romam delata, et apud S. Congregationem Cardinalium Concilii Interpretum proposita fuit, ad hoc, ut si dictam Declarationem, ac Decretum non extare, aut non subsistere constaret, ex tertio Decretalium Libro, ac animae illaqueentur, deleretur, et revocaretur, si vero subsisteret, pro veritate et justitia, nec non pro debito bono communi tot animarum in quavis Parochia existentium confirmaretur, et manuteneretur. Verum S. Congregatio quaestione percepta, pro veritate et existentia memoratae Declarationis non tantum respondit, sed insuper aliam priori similem in *forma authentica* quaestionem proponenti transmisit, sequentis tenoris.

212 Lucana. *Reverendissimo Episcopo. Cum praecepto Divino iis, quibus Animarum Cura commissa est, mandatum sit pro ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias sacra Congregatio censuit. Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut, si redditus pingues sint, singulis diebus; si vero tenues, saltem diebus Festi idem nunc censet quoad Parochos istius Civitatis, et Dioecesis, hoc insuper addens, ut detrectantes Reverendissima Vestra pro suo pastorali Zelo compellere non gravetur. Romae X. Maii 1681.*

Ita reperitur in Registro authographo Litterarum ejusdem Sacrae Congregationis lib. 18. fol. 134. In quorum fidem Datum Romae 11. Decembris 1609.

(L.S.) (Nomen Reverend. D. Secretarii)

Steph. Archiep. Brancuccius S. Cong. Secret.

Et hoc etiam habetur ex Trident. Sess. 23. de Reform. Sac. Congreg. Conc. in Civit. Castellan. 26. Aug. 1628. Sept. 1649. ac Hydruntin. 13. Febr. 1639. Romana. 17. Julii 1649. Clusin. 3. Julii 1670.

Quoniam vero quidam Domini Parochi tenuibus duntaxat redditibus provisi novum dubium proposuerunt, an videlicet vi Tridentini, ac praefati, praecedentiumque similium Decretorum, Dominicis, et Festivis diebus Missam pro ovibus applicare tenerentur etiam illi, quibus ita tenues sunt redditus, *ut* inde nec congruam habeant: Eadem Sac. Congregatio 10. *Maii* 1691. respondit, etiam hos teneri, ita ut dictis diebus aliud stipendium, vel eleemosynam pro Missa accipere non valeant, sive dein congruam habeant, sive non, prout habet memoratum Sac. Congregationis Decretum, postea ab Innocentio XII specialiter confirmatum 24. Aprilis, per Constitutionem tenoris sequentis.

Innocentius Papa XII.

Ad futuram rei memoriam.

213 *Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini, Interpretum emanavit super quodam dubio pro parte Venerabilis Fratris moderni Episcopi Pistoriensis, et Pratensis Congregationis hujusmodi proposito Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet Pistorien. et Praten. cum Parochi Ecclesiarum Pistorien. et Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti, negligant in dies celebrationem, et respective applicationem Sacrificii pro populo juxta dispositionem Sacrarum Canonum, et Concilii Tridentini Episcopus ad consulendum nedum proprine, verum etiam dictorum Parochorum conscientiae, supplicat declarari, an dicti Parochi teneantur omnibus diebus Festis applicare Sacrificium pro populo, sive habeant congruam, sive non die 14. Februarii 1690. Sac. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, dandas esse resolutiones, alias hac de re editas, et signanter in Nullius Nonantulanae Eminent. Abbati 30. Augusti 1698. tenoris ut infra. Cum praecepta Divino iis, quibus Animarum Cura commissa est, mandatum sit, pro Ovibus suis Sacrificium offerre, saepe alias Sac. Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, et praecipue in dubio applicationis Sacrificii proposita, et respective resoluto sub die 10. Maii. 1692. his praecisis verbis concepto. An Parochus Missam celebrare teneatur, et Sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, et Festivis, sive habeat congruam, sive non? Sac. Congregatio juxta alias declarationes censuit teneri, nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere, ac proinde idem nunc respondendum esse, censuerunt Eminentissimi Patres, quoad Parochos Nonantulanae Dioeces. addentes insuper, quod E. V. pro suo pastorali Zelo, detrectantes Parochos compellere non gravetur etc.*

J. Cardinalis Saeripantes Praefectus.

Loco † Sigilli.

Cum autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius consistat, et servetur exactius, Apostolicae Confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque a quibuscunque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium Decernentes, easdem praesentes litteras, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere: ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis caeterisque quibuscunque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 24. Aprilis 1699. Pontificatus nostri anno octavo.

J. Fr. Cardin. Albanus.

Porro sicut superius Decretum *Lucana etc.* ita etiam illud, quod 10. Maii 1691. editum, et ab Innocentio XII. confirmatum est, in plena forma authentica e Sacra Congregatione transmissum, sicque Reverendissimo et Illustrissimo Domino Vicario Generali Frisingensi debita cum reverentia exhibitum, et ab eodem ut authenticum recognitum fuit

Interea tamen non desunt Auctores etiam post dictum Decretum scribentes, qui existimant, Parochos habentes redditus pingues obligari pro Parochianis applicare Missam singulis illis diebus tantummodo, quibus Parochiani etiam extra festa feriri, puta ex statuto particulari, vel

consuetudine introductis, teneatur audire Missam; non autem diebus aliis. *Videatur Schmalzgrueber. Lib. 3. Decretalium. Tit. 41. num. 106. et Supplementum Theologiae Moralis ipsius Auctoris editum Monachii, Anno 1726. fol. 185. sub folio.*

Ulterius circa Celebrationem Missarum debite etiam observare oportet adhuc aliam Constitutionem Innocentii XII. quam, qui a pluribus desideratur, per extensum hic subnectimus una cum inserta constitutione Urbani VIII. Licet enim hanc jam allegaverimus *in Tomo III.* tamen cum ibi aliqua omissa sint de eadem, integram Innocentianae inclusam adducere placet.

Constitutio Innocentii XII.

Super celebratione Missarum.

Nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infrascripti, videlicet.

Alias super celebratione Missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque sedis Apostolicae licentia, nec non super earundem oneribus perpetuis suscipiendis, et Religiosorum numero ultra redditus, et consuetas eleemosynas locorum Regularium non habenda emanarunt ab hac Sacr. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi specialiter attributa, quamplura Decreta tenoris sequentis

§. I. *Cum saepe contingat, in quibusdam Ecclesiis, tam magnum Missarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur: indeque fiat, ut depereant piae Testantium voluntates, obstricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animae suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter caetera fomentum praebeat, aut quod ii, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri: aut quod Ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneat onera Missarum absque ullo emolumento: aut quod eleemosina pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur ii qui velint huic se muneri subjicere, et redditus Ecclesiae, aut Monasterii adeo exigui, ut Sacerdos pro necessaria sui sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac justitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare: Sanctissimi D. N. Urbani Divina providentia Papae VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.*

§. II. *Ac primo strictissime prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perfecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. alioquin reductiones, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit omnino nullas, atque inanes decernit.*

§. III. *Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcunque incongrua, et exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerant, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis piis quibuscunque, tam Saecularibus, quam Regularibus; sacra Congregatio sub obtestatione Divini Judicii mandat, ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant: quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.*

§. IV. *Id vero ut deinceps observetur exactius, Sac. Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, et Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac Locis piis, tam Saecularibus, quam Regularibus, cujuscunque Ordinis, Congregationis, et Instituti quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

§. V. *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.*

§. VI. *Praeterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decrevit, ut pecuniae, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac Locis omnibus tam Saecularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes Ædem sacram, vel personam fide, et facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.*

§. VII. *Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem poena, ut supra deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.*

§. VIII. *Ad haec sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, et Congregationibus, necnon omnibus, et singulis Ecclesiarum, ac piorum Locorum tam Saecularium, quam Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: Sacerdotes quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu, et licentia in scriptis, et gratis concedenda: alioquin saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiae interdictus sit eo ipso, Regularis vero poenam privationis omnium Officiorum, quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae, ac passivae, absque alia declaratione incurrat.*

§. IX. *Eleemosynas vero manuales, et quotidianas*

pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et Capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa Eleemosyna pro missis, *vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.*

§. X. *Episcopus vero, seu ejus Vicarius Generalis, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiae, Monasterio, aut Loco pio incumbentibus: nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illum sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, et Locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujuscunque Civitatis, vel Provinciae: intelligantque, si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros.*

§. XI. *Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quae Regularem disciplinam evertunt, ac praecipue nimiam hanc facultatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex majori Regularium numero, quam ferant redditus, et eleemosynae cujusque Monasterii: inhaerentes summorum Pontificum, ac Sac. Trident. Concilii decretis, hac de re editis sanctissimi Domini Nostri auctoritate praecipiunt, ac mandant omnibus ac singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis, et quibuscunque aliis superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti existentium infra fines Italiae, et Insularum adjacentium, ut singuli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, et rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, et proventus omnes, consuetas item eleemosynas, et obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, et Domorum ejusdem Provinciae, quam etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu permissas, in commune m usum deinceps conferendas, decem annorum immediate praecedentium habita ratione, diligenter, et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quae reparationes, praestationes, grandines, sterilitates, aliave cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.*

§. XII. *Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione Generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, et obventionibus universis, et oneribus ut supra detractis, sedulo examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam Laicis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, et Domo Regulari, juxta regionis, ac proprii Instituti morem, victum, et vestitum, et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemosynarum, et onerum praecisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque Familiae, Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis in singula quoque Provincia certus eorum tantum personarum numerus, Patrum Capitularium voto praefigatur, quae redditibus, eleemosynis, et obventionibus, ut superius, sufficienter ali possint.*

§. XIII. *Ne vero superiores, qui id praestare debent, serius, ac remissius, quam par est, suo muneri satisfaciant: mandat sacra Congregatio, ut infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere Capitulariter gesta, in authenticam formam redacta, ad sacram ipsam Congregationem Concilii singuli mittant.*

§. XIV. *Numerumque Familiae, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, et Domorum hujusmodi Regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Provincialis sententia, et auctoritate praefinitum, iidem Superiores, tam Generales, et Provinciales omnes, quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam praetexto augmenti redituum, absque sacrae ipsius Congregationis licentia: Superiores autem hujusmodi, qui praedicta omnia in praefixo termino non praestiterint, vel numerum, ut supra praescriptum, quovis modo augere praesumpserint, privationis omnium Officiorum, quae tunc temporis obtinebant, Vocisque activae, ac passivae, et ad omnia suae Religionis Officia, et gradus inhabilitatis perpetuam poenam eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, a Sede Apostolica infligendis poenis, Sacra Congregatio subjacere voluit, et declaravit.*

§. XV. *Deinceps vero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi praeter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, et ex redditibus, et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad praescriptum Decreti felicis record. Gregorii XV. hac de re editi, alioquin Monasteria, et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi ut supra sustentare, atque inhabitare non poterunt, et acta non inhabitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodae Jurisdictioni subjecta esse intelligantur.*

§. XVI. *Porro, ne ullo unquam tempore haec in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, sub poena privationis Officii, Vocisque activae, et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, id est, Feria secunda post primam Dominicam Adventus, et Feria sexta post Octavam Corporis Christi, praesentes Ordinationes in publica mensa perlegantur.*

§. XVII. *Omnibus, tam Ecclesiasticis personis cujuscunque status Ordinis, conditionis et gradus, quam Laicis quorunque honore et potestate praeditis, praesentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.*

§. XVIII. *Non obstantibus, quod suprascripta omnia, et singula in praesentibus Decretis contenta, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium, etiam sancti Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessaria, ac in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium,*

Confraternitatum, et aliorum quorumcunque, tam Saecularium, quam Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, ac Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam proprio motu, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quaevis alia expressio habenda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, qua praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis suae auctoritate specialiter, et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscunque.

§. XIX. et §. XX. Nil speciale continent, ideoque hic praetermittuntur.

§ XXI. Excitatis autem super praemissorum Decretorum intelligentia, seu interpretatione, infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Sac. Congreg. simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII. specialiter attributa, responsiones, seu declarationes infertus apponendae.

Super Primo Sac. Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quaeritur, quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessarii?

Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari.

Secundo, super secundo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint.

Quaeritur, an verba illa (praescriptae fuerint) intelligenda sint de praescriptione facto ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, et temporum, Sacerdotes accipientes stipendium, minus congruo, teneatur Missas illas ab offerente praescriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, legati ac salarii possint, etiam manualem eleemosynam pro Missis Votivis, aut Defunctorum recipere, et unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, posito, quod Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missae, absque ulla praescriptione eleemosynae.

Quaeritur, an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

Sexto, super tertio Sac. Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio revocat Privilegia, in quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Quaeritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post Privilegium?

Septimo, super quarto ejusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ut eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

Quaeritur, an permittendum sit Administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiae, Altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae, et similium?

Octavo, an Decretum habeat locum in Beneficiis, quae conferuntur in Titulum, id est, an Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii?

Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solito pro celebratione Missae, debeant dare eandem eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo, super quinto ejusdem Congregationis Decreto, quo inter caetera statuitur in haec verba. Eleemosynas vero manuales, et quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant etc.

Quaeritur, an hoc Decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt: et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, quod si offerens eleemosynas, audito impedimento consentiat, ut Sacerdos Missam celebret, cum primum poterit?

Decimotertio, an poena Interdicti, et aliae appositae, in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem praescribitur.

Decimoquarto, an in hoc Decreto comprehendantur illae capsulae, quae opponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, et vulgo dicuntur Casse de Morti?

Decimoquinto, an Administratores Ecclesiae magnae devotionis et concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeat, ne alias cultus Ecclesiae, et devotio, ac concursus Fidelium, et njuns, minuntur?

Decimasexto, quia prohibito dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, et singulis Ecclesiarum, piorum locorum, tam saecularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio: non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (et aliis, ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimo, super septimo ejusdem Congregationis Decreto, quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum praefigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commode possint sustentari.

Quaeritur, an ubi haec praefixio facta jam fuit in

vim similis Decreti Sanctae memoriae Pauli V. absque tamen computatione redditEuum cujuscunque Religiosi, sit denao facienda, aec non?

Decimooctavo, an Novitii ad habitam Regularem, admissi, possint admitti ad Professionem in Monasteriis, in quibus habita, ut supra, praefixione numeri, commode ali noa possunt?

Decimonono, super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, aisi praeter alia ad id requisita duodecim saltem Fratres in eis degere, et competenter sustentari valeant, ita ut alioquin subsint Jurisdictione Ordinarii.

Quaeritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quae non consueverant onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capucinorum, ac Societatis Jesu?

Ultimo, an idem Decretum, ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi etc. habeat locum in Italia duntaxat, ad quam est restrictum Decretum proxime antecedens; an vero etiam extra Italiam?

Declarationes, aut Responsiones ad supradicta Dubia.

§. XXII. Sacra Congregatione Cardinalium Concil. Trident. Interpretum auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa ad singula Dubia superius proposita, ad hanc modum respondit, videlicet.

Ad Primum, etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa Beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad secundum, esse intelligenda de praescriptione facta ab eo, qui Eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius, secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

Ad Tertium, teneri.

Ad Quartum, Sacerdotes, quibus diebus teneantur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellae, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem Civitatis, vel Provinciae.

Ad sextum, ita esse intelligendo.

Ad septimum, respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiae ac Loca pia seu illorum Administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum aliquam utcunque minimam portionem retineant, aut ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiae, et Loca Pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint: et tunc, quam portionem retinebant, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae: et nihilominus eo etiam casu curandum esse; ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis et supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad Octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad undecimum, respondit, non prohibere absolute: ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad Duodecimum, quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis muneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis, juxta Benefactoris consensum celebrandis.

Ad Decimumtertium, has poenas non habere locum, nisi in susceptis onera perpetua missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimumquartum, comprehendi.

Ad Decimumquintum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuant, ut supra in responsione ad Duodecimum.

Ad Decimumsextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad Decimumseptimum, numeri praefixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi Decreti hac de re editi.

Ad Decimumoctavum, esse admittendos ad Professionem, si alias habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos, ubi commode ali possint.

Ad Decimumnonum, censuit comprehendere.

Ad Ultimum, habere locum extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Prosper Faganus S. Congr. Secret.

§. XXIII. Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione, quamplures querelae et recursus ad Sedem Apostolicam pervenerint: cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujusmodi detestabiles abusus a Christiana Republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut sublatis fraudibus, ac emendata negligentia piae disponentium, seu Benefactorum voluntati fides illibata servetur, Defunctorum animabus integra, et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo major gloria, et Ecclesiis praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SS. Dominum Nostrum Innocentium Divina Providentia Papam XII. ei specialiter attributa infrascripta Decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem suam deputato, et postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature, ac accurate discussa, recognita, et examinata edidit.

§. XXIV. Inprimis, per inserta Decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime, et amplissime approbat, confirmat, et innovat, omniaque et singula ibidem contenta, et expressa, iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus, et singulis, etiam speciali, et individuali nuto, seu expressione dignis, penitus observari, et omnimodae executioni demandari decernit, sancit, ac praecipit.

§. XXV. Insuper, ut in re tanti momenti consultius, ac majori, ut par est, circumspectione procedatur: si

qui forsan fuerint, vel sint, qui suis pravis, et erroneis intentionibus, seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant, sub malitiosa, ac irrationabili spe earundem condonationem, vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi Congregatio praefata, tum eosdem, tum quoscunque alios, qui posthac in eosdem detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri, et monitos esse voluit, praefatas condonationes, et reductiones ab eadem Sede, nonnisi ex rationabili causa, seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illa: Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur, *admitti consuevisse, et solere; quapropter, ut locus omnis imposterum hujusmodi praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum, sive in toto, sive in parte versiones in aliam, quam praefatarum Missarum usum, seu satisfactionem, et quascunque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, injustas, et illicitas, illasque omnino reprobat, damnat, et interdicit.*

§. XXVI. *Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur; caveant omnes, et singuli Rectores, Superiores, et Ministri quarumcunque, tam Saecularium, tum Regularium Ecclesiarum, seu illarum Capitulorum onera, seu Missas, tam perpetuas, tum temporales, tam etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant, utque idipsum quoad fieri poterit, potius, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti, et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis, et intelligibilibus descriptorum, quorum implemento si moraliter, et intra praescriptum, seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa duntaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias Missas sive perpetuas, sive temporales sive manuales per se, vel interpositas personas quoquomodo recipere, seu acceptare omnino desistant, seu abstineant, et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant sese propter eo alias Missis acceptandis, et celebrandis impares esse.*

§. XXVII. *Idemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte diligenter annotare, et annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, ac oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes hujusmodi in praefatis respective libris simul distinctione et diligentia, tum praefati, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt, describere, seu annotare, sive describendas, vel annotandas respective curare.*

§. XXVIII. *Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares praedicti, omnes, et quascunque eleemosynas, tum manualium, tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a Capitulo Conventuali deputandum, retineantur, ac de iisdem eleemosynis, et celebratione Missarum coram Patribus Discretis, seu Consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.*

§. XXIX. *Quod si praedicti, ad quos cura tabellae, cupsae, et librorum praefatorum respective pertinet, seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et Superiores tum Saecularium, tum Regularium Ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus saeculares poenam Suspensionis incurrant, Regulares vero voce activa, et passiva, ac gradibus et Officiis, quae obtinent, ipso facto, et absque alia declaratione privati sint, et intelligantur, nec non ad hujusmodi gradus, et Officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint, et intelligantur.*

§. XXX. *Porro, ne ullo unquam tempore omnia, et singula Decreta praedicta in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Rectores, Superiores, seu Capitula Ecclesiarum illa retineant publice exposita in eorum Sacrario, Superiores vero locales cujuscunque Monasterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, et efficere teneantur sub poena privationis Officiorum, quae obtinent, Vocisque activae, et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est, Feria secunda post primam Dominicam Adventus, et Feria sexta post Octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae, tum insertae seu confirmatae, tum in praesens factae ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.*

§. XXXI. *Meminerint igitur, et satagant Ordinarii, ut a personis, et in Ecclesiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini sibi subjectis, Missae ea, qua par est, fide, et diligentia celebrentur, et cuncta, et singula Decreta hujusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum justitiam recurrentibus, seu instantibus reddentes; sed ex officio, tum in Visitationibus, tum in aliis actibus, et modis quos expedire, et convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversatur.*

§. XXXII. *Caveant etiam respective omnes Regulares, tam subditi, tum Superiores quicunque, nedum locales, sed etiam Provinciales, et Generales, ne Missarum celebratio, et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praejudicio illarum, quibus Missae sunt applicandae et cum magno Christi fidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem poenam privationis vocis activae, et passivae, ac graduum, et Officiorum, quae obtinent, nec non inhabilitationis ad hujusmodi gradus, et officia obtinenda, prorsus incurrant.*

§. XXXIII. *Curent propterea praefati Superiores Regulares in omnes, et singulos contravenientes debitis poenis diligenter animadvertere, et insuper teneantur omnes, et singuli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, seu Congregationibus exhibere attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus Communitatis, Monasterii, seu cujuscunque Domus Regularis, subscriptam, et juratam, quod omnibus et singulis, tum perpetuis, tum manualibus Missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, et tenorem eorum praesentium decretorum tempore regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri, eo adjecto, et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicunque Superiores locales praedicti Vocem activam,*

seu passivam in memoratis Capitulis, seu Congregationibus omnino habere non valeant.

§. XXXIV. *Praeterea Provinciales, Vicarii, et Visitatores Provinciarum, seu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante ostendere, quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis Conventibus, seu Monasteriis, et Domibus Regularibus Provinciae seu Congregationis, de omnibus et singulis oneribus, et obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam et diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, et executionem respective poenarum in Decretis contentarum processerint, et de adimplemento circa ea quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint, alias ad Vocem activam, et passivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.*

§. XXXV. *Caeterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hospitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, et Ecclesias, ac alia loca, et opera pia, quomodolibet nuncupata, quae cujuscunque cura, seu regimini, aut administrationi, directioni Laicorum, cujuslibet gradus, status, conditionis, et praeeminentiae, etiam speciali, et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcunque Ecclesiasticorum, et Laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocunque commissa, vel attributa sunt, onus, seu cura celebrationis Missarum, sive mannalium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinent, hinc salvis semper iis, quae in praeinsertis Decretis continentur, omnes et quicunque hujusmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hospitalium, Altarium, Capellarum, Oratoriorum, et Ecclesiarum, ac aliorum locorum, et operum piorum, Rectores, seu Administratores, vel Directores, et alii hujusmodi Officiales, nec non ii, ad quos cura tabellae, et librorum in praemissis spectat, tabellam, libros, et haec Decreta respective, juxta modos superius expressos, similiter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere sub poenis arbitrio, et in subsidium excommunicationis teneantur.*

§. XXXVI. *Postremo omnibus, et quibuscunque, tam Ecclesiasticis personis cujuscunque Ordinis, Status, Gradus, Regulae Congregationis, Societatis, Conditionis, et Dignitatis existant, quam Laicis, quocunque honore, ac potestate praeditis, omnia et singula praemissa Decreta interpretandi, nec non Ecclesiasticis praedictas poenas, in hujusmodi Decretis relaxandi, seu quoquomodo circa praemissa dispensandi, omnis, et quaecunque facultas sit penitus interdicta.*

§. XXXVII. *Non obstantibus, quoad suprascripta omnia et singula in hujusmodi Decretis contenta, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium, etiam Joannis Hierosolymitani, Congregationum Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessario, et in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiarum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, et aliorum quorumcunque, tam Saecularium, quam Regularium locorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias, nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quaevis alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus, et pro expressis habens, quibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, Sac. Congregatio Sanctitatis suae auctoritate specialiter, et expresse derogat, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae die 23 Novembris 1697.*

Joseph Card. Sacripantes Praefectus.
Ferdinandus Nuptius S. Congreg. Secret.

§. XXXVIII. *Quocirca, cum Dilectus Filius noster Joseph Tituli S. Mariae Transpontinae S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis Praefectus, praefata Decreta Nobis retulerit, Nos considerantes eadem omnia, et singula Decreta, cum qua decet, maturitate digesta, et examinata, ac in vim Apostolicae Auctoritatis, eidem Congregationi specialiter ut praefertur attributae, perfecta praestitia fore censentes, illaque propterea perpetuo, et infallibiliter observari, necnon Constitutiones nostro munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cujuspiam Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam sed ex certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praeinserta Decreta, omniaque, et singula in eis contenta, tenore praesentium auctoritate Apostolica confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, et irrefragabilis Apostolicae firmitatis robur et efficaciam adjicimus, quinimo motu, scientia, et deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula in supradictis Decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, et ordinamus, ac ab omnibus, et quibuscunque etiam speciali et individua nota dignis, omnino exacte, et perpetuo servari volumus, sancimus, et mandamus.*

Decernentes praesentes litteras, cum omnibus et singulis inibi contentis, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere et ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quandocunque, et quomodocunque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari: sicque, et non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos, quavis auctoritate, praeeminentia, et potestate fungentes et functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus et singulis, quae praefata Congregatio auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII et respective per Nos illi specialiter attributa, decrevit non obstare, quae pariter, et iterum Nos tenore praesentium non obstare decernimus, et mandamus quibuscunque quoad ea quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore,

permansuris, etiam horum serie plenissime, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, ut praesentes litterae in Valvis Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur, ac affigantur, sicque publicatae, et affixa omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent, et afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent. Pariterque, ut earumdem praesentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, et Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Decimo Kalendas Januarii. Pontificatus Nostri anno septimo.

Notandum tamen circa §. 58. quod S. Congregatio interrogata, num etiam Fratres Minores Regulam in sua puritate observantes, capsam pecuniariam ibidem praescriptam habere debeant, aut possint, responderit *negative*; in reliquis vero memorata constitutio illos aeque ac alios obliget.

214 Quaeritur V. Quomodo in praxi fieri debeat jurata attestatio a sacerdotibus Regularibus per Bullam §. 33. praescripta? Ante responsionem notandum, hanc quaestionem necessario hic poni; quia multi circa eam non modicas senserunt difficultates, anxietates et dubia, Bulla et superioribus memoratam attestationem, urgentibus, conscientia vero ob defectum requisitae ad hoc notitiae eandem dissuadente; cum sacerdotes subditi sufficientem pro jurata attestatione cognitionem, an revera, et quomodo Missarum obligationibus satisfactum sit, nec ne, saepe non habuerint.

Resp. sacerdotes praefatam juratam attestationem facere non posse ad solam relationem superioris et sacristae asserentium, oneribus Missarum esse satisfactum. Ratio est; quia ad solam hanc relationem in veritate jurare non possunt, *dictis oneribus esse satisfactum*, sed praecise *superiorem, et sacristam dicere, eis esse satisfactum*. per quod non satisfit rationi et fini legis, consequenter nec ipsi legi. *arg. l. Non dubium. C. de Legib. cum concord.*

Hinc omnino necessarium videtur, ut sacerdotes prius indagent, non tantum a superioribus et sacrista, sed etiam et quidem vel maxime ac praecipue ex ipsis Missarum libris juxta praescriptum *Bullae* §. 27. in sacristia habendis, num revera, et qualiter satisfactum sit dictis oneribus; indeque acquisitae cognitioni conformiter juramentum suum praestare. Ratio est; quia necessaria ad praestandam juratam attestationem notitia, vel cognitio melius ac securius haberi nequit; prout consideranti patet. Et licet etiam ex his certa notitia haberi non possit; cum superior cum sacrista colludere, et libros alterare, vel falsas satisfactiones apponere posset; tamen quia tam grave falsum et tam grandis malitia non facile est praesumenda *arg. L. Merito. ff. Pro socio* et, uti dictum, securior et melior notitia aliunde haberi nequit, intentioni legis ab Innocentio XII. positae sufficienter, utpote, modo, quo fieri potest, optimo, satisfieri censetur.

Advertendum tamen, quod etiam post inspectos, et examinatos Missarum libros juramentum de satisfactione praestita, absolute deponere non possint sacerdotes, sed cum apposita clausula: *juxta tenorem, et annotationem praefatorum librorum, et non aliter, nec alio modo juramus etc.*

Porro, quia vel maxime constare etiam debet, num ipsi sacerdotes juxta intentionem a superiore, vel sacrista sibi datam celebrarint, et celebrando oneribus Missarum satisfecerint, ratio, finis, et intentio Legis, consequenter lex ipsa ulterius requirere videtur, ut pro tempore praesentes sacerdotes desuper jurato, et quidem absolute testentur, cum quivis eorum, num juxta memoratam intentionem celebrarit, optime sciat, ac propterea cum veritate absolute jurare facile possit, et per consequens debeat, sequenti aut simili modo.

Formula juratae attestationis a Regularibus praestanda.

Cunctis praesentes inspecturis notum sit, qualiter nos infrascripti sacerdotes Monasterii N. vel Conventus N. visis, et diligenter examinatis libris, qui in sacristia dicti Monasterii, vel *Conventus asservati, tum Missarum onera cuncta, tam perpetua, quam temporalia, et Manualia: tum eorundem satisfactiones, et adimplementa juxta praescriptum Constitut. Innocentii XII.* Nuper. *Annotata continent, invenerimus, Missas ex vi legati perpetui vel contractus singulis diebus, vel septimanis, vel singulis mensibus, vel quolibet anno celebrari deberi* ---- (exprimatur distincte numerus v. g.) *pro serenissimo etc. N. N. singulis diebus unam, pro defuncta familia N. qualibet septimana tres, pro defuncto Reverendissimo singulis quatuor temporibus anum, celebrari debere, et celebratas esse* ---- (exprimatur veritas) v. g. hucusque omnes acceptas ---- *celebrandas vero intuitu manuali eleemosynae fuisse a die etc. Mensis etc. anni etc. usque ad diem etc. Mensis etc. anni etc. sub Priore, vel Guardiano fuisse* ---- (designetur numerus) *ac sub eodem, sine gravi alicujus dilatione celebratas esse* ---- *consequenter adhuc celebrandas restare* ---- *quod juxta tenorem et annotationem praefatorum librorum, et non aliter, nec alio modo, hisce sub juramento testamur, sub eodem etiam asserentes, nostrum quamlibet juxta intentionem a superiore immediate vel mediate nobis datam, semper celebrasse. In quorum majorem fidem, praesentes propria manus subscriptione, et consueto conventus sigillo munimus.* Datum etc.

Quod si sacerdotum unus, vel plures in praefatis libris vel fraudem vel errorem, defectum, negligentiam, vel nimiam Missarum dilationem aut etiam omissionem deprehenderint, illum in attestatione exprimere, vel a subscriptione et attestatione omnino abstinere, et superiorem Majorem desuper informare utique deberent.

Ad quem finem, et ut quivis, quantum requiritur, et sufficit, libros Missarum lustrare, suamque attestationem juratam conscientiose, et veridice dare queat, ulterius necessarium erit, et superior localis suis subditis sacerdotibus insimul congregatis libros saepe allegatos legendos, et examinandos tempore opportuno tradat (singulis enim privatim ad cellam libros committere non expedit) quatenus quivis eorum

necessariam pro jurata attestatione praestanda cognitionem haurire valeat.

Notandum tamen, quod licet superiores locales singulis annis exactam rationem reddere debeant, qualiter oneribus Missarum satisfecerint, attestationem tamen juratam a subditis sacerdotibus de memorata satisfactione, tempore sui Regiminis praestita, secum afferre duntaxat debeant in Capitulis aut Congregationibus Provincialibus, uti liquet ex §. 27. et 33.

Si quaeras, quomodo apud Regulares in praxi conficiendi, et ordinandi sint duo Missarum libri a Constitutione Innocentii XII. praescripti? Resp. Relinqui hoc prudenti Superiorum judicio. Juvat tamen hic adducere, quod aliqui, ut fini et intentioni legis satisfaciant, Regulas, et methodum sequentem observant.

Regula prima: liber celebrandas Missas continens habeat plures Rubricas, et quaevis Rubrica habeat plura in proportionato numero, aut quantitate folia, diversis signaculis a foliis alterius Rubricae distincta.

Regula secunda: memoratus liber potest habere sequentes Rubricas.

RUBRICA I.

Onera Missarum perpetua et temporalia.

RUBRICA II.

Missae currentes, seu Manuales pro stipendio eleemosynario celebrandae.

RUBRICA III.

Missae currentes, seu manuales aliae ob stipendium eleemosynarium specialiter pro defectis celebrandae.

RUBRICA IV.

Missae pro Xenia, dona, natalitia vel gratitudinis, aut alio simili titulo sponte oblatae benefactoribus aliisve personis, et ab eis acceptatae, consequenter etiam sub obligatione legendae.

RUBRICA V.

Missae vi statutorum pro defunctis fratribus, Parentibus, Consanguineis, Benefactoribus, et confoederatis celebrandae.

Circa Primam Rubricam nulla in conficiendo reperitur difficultas, cum plus non requiratur, quam ut exacte specificetur, quot, quo tempore, qua intentione, quo loco, et quo modo sint celebrandae, sequenti aut simili modo.

RUBRICA I.

Onera Missarum tam perpetua, quam ad certum tempus in Conventu.

Pro Anno 1712. adimplenda a die 18. Septemb. singulis diebus legi debet una Missa pro fundatore N. N.

Feria secunda cujuslibet septimanae una Missa in honorem B. V. Mariae pro vivis et defunctis Familiae N. N. idque vi legati perpetui a D. N. facti, conventui annuatim ferentis eleemosynam. - fl. - X.

Qualibet septimana duae Missae pro defuncto N. in altari privilegiato; ex fundatione D. N. importante annuam eleemosynam. - fl. - X.

Singulis Mensibus officium solemne de Requiem pro defuncta Familia N. ex perpetuo legato ferente eleemosynam annuam. - fl. - X.

Quinto Maii cujuslibet anni, officium solemne in Honorem B. V. M. sine labe Conceptae, in Altari ejusdem pro Extirpatione haeresum, fundatione Domini N. ferente annuam eleemosynam. - fl. - X.

Et sic de aliis. Quae eo, et qualiter adimpleta sint, facile cognosces, si cum hoc confers librum alterum, in quo satisfactio et adimplementum Missarum principaliter continetur; praesertim quia juxta dicenda infra, refertur ibidem praeter missas, quotidie lectas etiam dies, qua Missae petitae sunt, aut debentur, et Rubrica, ad quam quaevis pertinet: quamvis etiam optime fieret, si post hujusmodi relationem de oneribus adimplendis inferius referretur, qualiter, et a quo quivis suo tempore fuerit satisfactum.

Anno sequenti, poterit in libro hujusmodi eadem rubrica, et, si nullum onus de novo advenit, remissio fieri ad annum praecedentem v. g.

RUBRICA.

Onera Missarum tam perpetua, quam ad certum tempus in Conventu N.

Pro Anno 1712. adimplenda a die 19. Septembris sunt eadem, quae anno priori.

Post quam remissionem iterum referendum, qualiter et a quo dictis oneribus hoc anno fuerit satisfactum, si vero onus aliquod additum, demptum, vel mutatum est, exprimatur.

Circa secundam Rubricam major, ac exactior requiri videtur observantia, et attentio ad hoc, ut inspicientes, examinantesque librum commode, et sufficienter cognoscere valeant, an et qualiter satisfactum sit hujus Rubricae Missis. Servire tamen poterunt ad hoc sequentes Regulae.

I. Eligantur in cujusvis folii latere ad primam extremitatem duo spatia diversis lineis distincta, in quorum uno notetur dies anni, et mensis, in quo Missae manuales seu currentes pro eleemosyna petitae fuere, vel obligare coeperunt: in altero autem numerus Missarum hujusmodi, quae quavis die fuere petitae.

II. Post haec spatia in linea recta ad praefatum numerum scribatur intentio Missarum petitarum cum necessariis circumstantiis, praesertim talibus, ex quibus cognosci valeat, num statim legi debeant, vel aliquam saltem dilationem patiantur. Si enim Missa petitur pro felice morte alicujus v. g. Agonizantis, vel eras ad patibulum ducendi, vel alterius causae, aut negotii de praesenti urgentis, utique nullo modo differri poterit persolutio talis Missae.

III. Postea ad alteram extremitatem fiant alia duo spatia, duabus aliis lineis distincta, et in eorum uno scribatur pariter in linea recta ad praecedentia dies anni, et Mensis, quo Missae in linea recta specificatae, fuere celebratae, in altero autem nomen Sacerdotis, qui celebravit, quatenus inde illico cognosci valeat, an, et quamdiu aliqua Missa, ac qualis fuerit dilata: Item an correspondeat liber celebrandarum Missarum cum libro, in quo Missae jam celebratae praecise continentur. Capies hoc magis ex sequenti schemate.

Dies Anni, et Mensis, quo Missae pro eleemosyna fuere petitae.	Numer. Missarum petitarum pro eleemosyna.	RUBRICA II. *Missae currentes, seu Manuales pro stipendio eleemosynario celebrandae.*	Dies Anni, et Mensis, quo hae Missae fuere celebratae.	Nomen cujusvis Sacerdotis, qui aliquas ex his Missis celebravit.
		In honorem S. Antonii pro felici partu.		
		In hon. Spiritus S. pro felici electione crastina.		
		Ad intentionem petentis		
Anno 1710	1	*Pro felici morte agonizantis*	1 Jan. 1710	P. Petrus
Januarius.	1	*Pro felici Regimine noviter electi Decani, de quibus*	1 Jan. 1710	P. Massaeus
1	1	*P. Andreas. P. Tobias.*	2 Januar.	P. Xistus
	2	*P. Eligius legerunt.* 3	1 Januar.	P. Leo
	12	*P. Albanus, et P. Ivo* 2		
		P. Alexius 1		
		P. Antonius, P. Sylvinus, P. Ivo		
		P. Christinnus, P. Leo. 5	2 Januar.	
		P. Alexius 1	2 Januar.	
			29 Januar.	
		NB. Ex hoc vides, quomodo numerus et dies Missarum, nec non nomen Sacerdotis legentis signari debeant, pro debita cujusvis notitia, casu quo, plures ab aliquo petuntur ad eandem intentionem. Debent nempe Sacerdotes Celebrantes, et numerus Missarum lectarum in medio hoc spatio scribi; quia in extremitate sufficiens non esset spatium. Hinc pro numero Missarum ad eandem intentionem petitarum relinquendum est proportionatum spatium, in quo Nomina Sacerdotum et numerus Missarum praefato modo scribi valeant	7 Februar. 12 Februar.	
2 Januar.	1	Pro serena tempestate	2 Januar.	P. Ivo
	1	In hon. SS. Trinit. pro gratiarum actione N.	2 Januar.	P. Andreas
	1	Pro impetranda virtute humilitatis	2 Januar	P. Gabriel
	latus			
	20			

Pari modo inscribantur, et notentur celebrandae Missae de quarta Rubrica pro Defunctis hoc addito, ut quae in Altari privilegiato petuntur, diligenter notentur. Pro majori captu annectitur etiam schema sequens.

Dies Anni, et Mensis, quo hae Missae sunt petitae Ann.	Numerus harum Missarum petitarum.	RUBRICA III. *Missae Currentes seu Manuales celebrandae ob stipendium eleemosynarium pro defunctis.*	Dies Anni, et Mensis, quo hae Missae fuere lectae.	Nomen cujusvis Sacerdotis aliquam ex his legentis.
1710 Januar.	1	*Pro defuncta Maria*	2 Jan. 1710	
	1	*Pro defuncto Marco in Altari privil.*	2 Jan. 1710	
	1	*Pro defun. Petro in Alt. Privil.*	7 Jan. 1710	
2	1	*Pro defun. Anna.*	18 Jan. 1710	P. Ivo
	1	*Pro defuncto Alexio in Alt. privil.*	19 Jan.	P. Petrus
15	2	*Pro defunct. Ursula de quibus legit.* 1	24 Jan.	P. Emanu.
17		*Pro Largus, P. Zeno.* 2	25 Jan.	P. Paulus.
24		*P. Liborius.* 1	26 Jan	
29		*Pro defun. Elia.*	3 Februar.	P. Ivo
				P. Ivo
Februar.				
	1	*Pro defun. Ursula in Alt. privil.*	1 Februar.	
	1	*Pro defuncta Rosina*	5 Februar.	P. Andre.
1	1	*Pro defunct. Anna*	8 Februar.	P. Ivo
5	1	*Pro defunct. Rosalia*	8 Februar.	P. Remig.
6	1	*Pro defunct. Eva.*	10 Februar.	P Laurent.
	2	*Pro defunct. Antonio in Altari privil. de quibus P Emanuel* 1	10 Februar.	P. Michael
	1	*P. Thomas* 1	11 Februar	
8	1	*Pro defunct. Joanne*	8 Februar	P. Justus
14	1	*Pro defunct. Antonia*	14 Februar.	P Festus
16	1	*Pro defunct Alexio*	16 Februar.	P. Ivo
20	1	*Pro defunct. Andrea*	20 Februar.	P. Paulus
28	latus	*Pro defunct. Elia*	29 Februar.	P. Antonius
	22			

Eodem fere modo inscribantur, et notentur Missae quartae Rubricae sponte oblatae quidem, sed acceptatae, indeque sub obligatione legendae ubi tamen loco ly *petitae*, ponitur *oblatae* Missae. Juvat brevem annectere formulam.

RUBRICA IV.

Dies Anni, et Mensis, quo hae Missae oblatae.	Numerus oblatarum harum Missarum.	*Missae pro Xenio, dono Natalitio, gratitudinis, aut alio titulo sponte oblatae, Benefactoribus aliisque personis, et ab eis acceptatae indeque obligatoriae.*		Diee Anni, et Mensis, quo hae Missae fuere lectae.	
An. 1710 Januar.		*ProXenio oblatae Reverendissimo N. ad intentionem ejusdem legendae, de quibus legerunt P. Ivo. P. Ferdinandus.*	a	3 Jan. 1710	
1	6	*P. Leonardus*	1	6 Jan. 1710	
		P. Andreas	1	8 Jan. 1710	
		P. Ivo et P. Alexius	a	15 Jan. 1710	
19	3	*Pro Natali oblatae Illustrissimo N. pro ejus defuncta familia legendae, de quibus P. Odilo legit*	1	20 Jan. 1710	
		P. Ivo	1	24 Jan. 1710	
		P. Amadaces	1	25 Jan. 1710	
Februar. 5	50	*Ex debita gratitudine, oblatae Reverendissimo ob praestitum insigne beneficium N. de quibus legerunt P. Ivo, P. Odilo,*			
		P. Paulus,	3	5 Feb. 1710	
		P. Tiburtius, P. Antonius	a	8 Feb. 1710	
		P. Leo	1	9 Feb. 1710	
16	a	NB. et sic consequenter, relinquitur propterea spatium proportionatum.			
20	1				
	letos	*ProNatali die oblatae MagistroN. de quibus legit P. Leo*	1	17 Feb. 1710	
		P. Ivo	1	24 Feb. 1710	P. Leo
		Pro natali oblata honesto viro N.		30 Feb. 1710	
	61				

Pro Rubrica quinta paulo aliter ordinetur schema Missarum celebrandarum ita videlicet, ut in extremitate primae lateris, unum duntaxat per lineam distinctum relinquatur spatium, in quo signetur Dies Anni, et Mensis, quo mors confratris, confoederati, benefactoris etc. innotuit, simulque ponitur numerus Missarum, quae pro tali defuncto vi statutorum, vel ex ordinatione superiorum celebrari debent. Postea scribantur patres, qui Missas pro illo legerunt, addito numero illorum, quae in quovis die Mensis (qui etiam exprimi debet) fuere celebratae, ad quem finem sufficiens pro inscribendis successive Patribus pro tali defuncto celebrantibus relinquatur spatium, sequenti, vel simili modo.

RUBRICA V.

	Missae vi statutorum pro defunctis Fratribus Parentibus, Consanguineis, Benefactoribus, et Confoederatis celebrandae.		Dies Mensis, et Anni, quo hae Missae leguntur.
Anno 1710 2 Maii innotuit mors F. Lini, pro quo legi debent Missae 60.	*Pro Fr. Lino celebrarunt P. Alexius*	1	3 Maii 1710
	P. Ivo, Leo, et P. Justus	3	5 Maii 1710
	P. Petrus, P. Marcus, P. Paulus	3	20 Mai 1710
	P. Ivo, et P. Leo	2	1 Junii 1710
	Et sic subsequenter, donec praefatus numer. 60. Missarum adimpleatur, ad quem finem relinquitur spatium proportionatum.		
Anno 1700 8 Sept. Innotuit mors Regis Hispaniae, pro quo ex mandato, Rmi P. Generalis quivis Sacerdos in ordine tres legere debet Missas, sic in conventu nostro erant legendae 36.	*Pro Rege Hispaniae Missas celebravit P. Leo*	1	8 Sept. 1700
	P. Ivo, P. Justus, P. Sanctus	3	9 Sept. 1700
	P. Quido, P. Xistus, P. Donel, P. Leo	4	10 Sept. 1700
	et sic consequenter, ut supra.		
	NB. Si forsan tempore aliquo superior satis magnum numerum Missarum habens, Missas pro hujusmodi defunctis celebrandas committeret pro competenti eleemosyna alicui alteri Missis destituto conventui, diligenter hic notetur, addito etiam die, quo id factum v. g. Pro Rege Hispaniae Missas celebrandas commisit R. P. Prior, vel Guardianus conventui N.	28	

Alter liber, solas videlicet continens Missas jam celebratas, seu adimplementum omnium quarumcumque Missarum, facilioris est ordinationis: siquidem in eo, non fiunt plures Rubricae, sed praecise quovis die (qui ab initio semper poni debet) specificantur omnes Missae, quae e quovis Sacerdote totius Conventus vel Monasterii celebratae sunt, ubi tamen advertendum, ut praemisso nomine Sacerdotis celebrantis quaevis Missa in hoc libro iisdem specificetur verbis, quibus notata fuit id priori libro, ubi principaliter specificatae habentur Missae celebrandae: simulque in spatio per lineam distincto addatur dies Mensis, et anni, quo Missa quaevis fuit petita, vel obligare incepit, ac insuper notetur numerus Rubricae, ad quem Missa pertinet, quatenus inde illico videri possit, an hic liber cum priori correspondeat, et qualiter cunctis Missae oneribus satisfactum sit. Rem magis declarabit sequens formula.

Anno 1710	Dies, et mensis, quo Missa fuit petita, vel obligare caepit.	Num. Rubricae ad quam pertinent
1 Januarii, feria secunda.		
P. Petrus in honorem S. Antonii pro felici partu	1 Januarii 1710	2
P. Massaeus pro felici electione crastina	1 Januarii 1710	2
P. Leo pro felici morte jam agonizantis N.	1 Januarii 1710	2
P. Ivo pro Fundatore N.	Perpetua	1
Et sic de reliquis, sequitur dein dies altera per lineam distincta v. g.		
2 Januarii, Feria tertia.		
P. Xistus ad intentionem petentis	1 Januarii 1710	2
P. Amonius pro Fundatore	Perpetua	1
P. Andreas pro felici Regimine noviter electi Decani N.	1 Januarii 1710	2
P. Ivo pro Xenio Reverendissimi N. ad intentionem illius.	1 Januarii 1710	4
P. Tobias pro felici Regimine noviter electi Decani N. etc.	1 Januarii 1710	2
3 Januarii, Feria quarta.		
P. Ivo pro serena tempestate	2 Januarii 1710	2
P. Albanus pro felici Regimine noviter electi Decani N.	2 Januarii 1710	2
P. Gabriel pro impetranda virtute humilitatis	2 Januarii 1710	2
P. Justus pro Fundatore	Perpetua	1
P. Petrus pro defuncto Marco in Altari privileg.	2 Januarii 1710	3
P. Ferdinandus pro Xenio Reverendissimi ad intentionem illius, et sic de caeteris.	1 Januarii 1710	4

Nam methodum istam ordinandi praescriptos ab Innocentio XII. duos Missarum libros imitari, vel aliam, forsan meliorem, et faciliorem eligere placeat, cujusvis prudenti, et libero arbitrio relinquitur; illud tamen humiliter commendatur, ut superiores, qui aliam methodum faciunt, aut fieri curant, eam pro fine constitutionis Innocentianae obtinendo ordinare omnino satagant, quatenus tam subditi Sacerdotes, quam Superiores Visitatores, inspiciendo et examinando praefatos libros sufficienter et commode cognoscere valeant, an, et qualiter cunctis Missarum fuerit satisfactum, num aliquae, et quaenam omissae, vel culpabiliter dilatae, aut alio minus recto ordine vel modo persolutae sint: cum illi, subditi videlicet desuper juratam attestationem deponere, isti vero, superiores nempe, errores, si quos invenerint, corrigere, et strictam observantiam dictae constitutionis procurare, et zelare debeant.

Contra superiorem a nobis subministratam methodum objici quidem potest, requiri valde magnum laborem non tantum in annotandis Missis celebrandis, et celebratis, sed etiam, et vel maxime in lustrandis et examinandis libris, praesertim in conventu aliquo, ubi plures v. g. 60. sunt Patres, et magnus Missarum numerus. Resp. Id verum quidem esse, sed pariter etiam esse verum, quod qualitercunque ordinetur alia methodus, fieri nequeat, quin magnus labor, sedulaque cura, et attentio requiratur tam in annotandis celebratis, et celebrandis Missis, quam in lustrandis, et examinandis libris, si, uti fieri debet, pro fine, et intentione legis obtinenda ordinetur, juxta immediate superius dicta, uti consideranti, et etiam methodum formare tentanti patebit.

Cum itaque constitutioni huic Innocentianae necessario sit obediendum, et hoc sine magno labore fieri nequeat, in Nomine Domini et in virtute obedientiae propter Deum illum subire oportebit: praesertim quia operae pretium est; eo quod serviat ad evitandas graves, easque varias fraudes, et negligentias, quae tam in annotandis, quam debito modo, debitoque tempore celebrandis Missis committi facile possent, et teste Bulla passim solebant non sine magna offensa Dei, et gravi injuria eorum, qui Missas fundant, aut pro manuali eleemosyna constituunt. Qui propterea etiam eadem Bulla teste e similibus piis fundationibus, intentionibus et actibus absterrentur.

Facilitare, et abbreviare videtur hunc laborem si tempore, quo a Sacerdotibus jurata attestatio de Missis rite celebratis dari debet; paulo videlicet ante Capitulum Provinciale, Sacerdotibus ad Refectorium convocatis, duo vel tres simul et semel librum ante se positum lustrent, et dein illum a se sufficienter lustratum aliis consequenter, ordine servato tradant, ipsi vero ad alia sua negotia iterum se conferant. Notato prius in separata scheda numero Missarum petitarum, celebratarum, et adhuc restantium, nec non erroribus aut negligentiis, si qui inveniantur.

Adhuc brevior foret via, si sacerdotes omnes compromitterent in tres vel quatuor ex ipsis, prudentes, et timentes Deum, a sese libere eligendis, ipsisque committerent, ut praefatos libros exacte, et conscientiose pro fine ac intentione legis examinent, et postea conscientiosam relationem cunctis insimul congregatis faciant. Verum sicut hunc modum lustrandi libros tanquam constitutioni Innocentianae conformem, et pro intentione illius sufficientem positive approbare non praesumo, ita etiam si aliquibus sufficiens videtur, reprobare et improbare non audeo; praesertim cum in Bulla certus modus lustrandi libros non sit praescriptus, et alias, uti supra jam dictum, in hoc puncto notitia omnino certa, et infallibilis haberi nequeat.

Caeterum quicunque tandem libros examinant, breviori, et commodiori, simulque secura via succedere videntur, si prius numerent omnes Missas

manuales cujusvis Rubricae, et summam earum annotent, quod statim fieri poterit aspiciendo summaria cujusvis lateris. Dein vero videant, quo die quaevis Missa sit petita, aut obligare incepecit, item quo et per quem fuerit lecta, quod in eodem folio, brevi et uno quasi intuitu haberi poterit, ex libro principaliter continenti Missas celebrandas (si methodus juxta supra positas formulas servetur.) Quod si Missa aliqua nondum lecta, aut plus justo dilata appareat, notetur. Et hoc modo totum negotium absolvitur. Nec enim est necesse, ut etiam omnes Missae, et Nomina sacerdotum celebrantium legantur in libro, in quo ordinate connotantur omnes Missae, quas et pro quibus singuli sacerdotes Conventus quovis die celebrarunt.

Nec dicas; ergo hic alter liber superfluit; Respondetur enim, eum nihilo minus apprime quadrare, et necessarium esse; tum ut statim in promptu et breviter videri possit, utrum singuli sacerdotes, vel quinam, et pro quo, aut ad qualem intentionem quovis die legerint; quod ex altero libro tam commode haberi nequit, ut consideranti patet: Tum, ut, si necesse fuerit, prout subinde necesse erit, indagari valeat, num hic liber cum alio per omnia bene correspondeat, ita ut idem sacerdos, qui in uno libro notatur legisse. *Pro defuncta Maria in altari privilegiato*, pariter notatus reperiatur in altero. Ad quod cognoscendum utique expedit, imo necesse erit pro hac legis, ut lustratores librorum saltem aliquas Missas ex utroque libro legant, et videant, num bene correspondeant. Tali enim modo ad exactam in omnibus observantiam, et fidelitatem necessitantur tam superiores locales, quam sacristae, hoc ipso, quod nesciant, quaenam Missae ex utroque libro a lustratoribus sint examinandae.

Porro qualiter et qua Methodo sacerdotes saeculares debeant ordinare duos Missarum libros ab Innocentio XII. praescriptos, ex praefatis colligere poterunt, vel ipsimet pro arbitrio judicabunt. Nos solum hic notare volumus, pro facilitando eorum negotio apprime servire, si fiat ordinatio, ut quivis sacerdos post Missam celebratam, propria manu in libro ad id deputato, suum nomen, et intentionem, pro qua Missam legit, inscribat: prout de facto Romae universaliter fieri debet, ex novissimo Decreto Clementis XI. quod proin etiam Regulares in his partibus utiliter imitari poterunt.

Tandem pro iisdem sacerdotibus saecularibus, nec non pro Regularibus bonorum capacibus notandum, quod cum Bulla Innocentii §. 27. expresse requirat, ut etiam *eleemosynae* pro missis oblatae, *distincte* notentur, necessarium videtur, ut, dum Missa manualis alique inscribitur, simul etiam quantitas eleemosynae pro illa oblatae apponatur, quatenus etiam de hoc uti Bulla praecipit, exacta ratio, et utrum cum capsa sacristiae correspondeat, reddi valeat.

Dicitur autem notanter *Regularibus bonorum capacibus*: quia cum fratres minores exactam rationem de eleemosynis exigere non valeant, nec capsam pecuniariam in sacristia habere possint, aut debeant, juxta dicta ab ista appositione quantitatis eleemosynariae immunes sunt. Ignoscat quaeso benevolus Lector prolixam hanc, et simplicem de modo observandi Bullam Innocentii XII. discussionem, cum enim ipsimet viderimus, et experti simus, in pluribus conventibus ac monasteriis dari quoad observantiam hujus Bullae maximas difficultates et dubia; ex neglecta autem ejusdem observantia corruptelas, abusus, negligentias, et errores non modicos, ac insuper sedes Romana observantiam illius strictissime, et non obstantibus quibuscunque praecipiat, eamque superiores Generales identidem per visitatores inculcent, et sub poenis certarum nullitatum urgeant, prolixius, et simplicius simulque practice de ea scribere, utile duximus, ut quivis etiam simplex Sacerdos necessariam notitiam habere valeat. Subjicio autem cuncta meliori aliorum judicio, et aliter ac perfectius in hac materia instrui cupio jam redeundo ad priorem nostram materiam.

Quaeritur V. An? et quando committatur *Simonia* in Exercitio potestatis, et jurisdictionis Ecclesiasticae? Resp. quicunque actum aliquem Ordinis, vel potestatis et Jurisdictionis spiritualis pro pretio temporali exercet, *Simoniam* committit. Communis ac sacris, claris Juribus c. *Non satis*. 8. c. *cum in Ecclesiae*. 9. c. *Cum sit Romana*. 10. c. *Nemo*. 14. c. *Ad nostram* 21. *h. t.* cum Concordant. Ratio patet; quia Jurisdictio et potestas Ecclesiastica est quid vere spirituale, consequenter pro ejus administratione pretium temporale exigere *Simoniacum* est. 215

Infertur, *Simoniam* committere sequentes. I. Omnes, qui pro pretio temporali Dispensationem impertiuntur in praeceptis Ecclesiae, v. g. jejunandi, non laborandi in die Festivo, Nuptias non celebrandi diebus vetitis. Item qui pretium recipiunt pro aliis Dispensationibus, v. g. super Votis, Juramentis, Impedimentis Matrimonii, aetate Canonica, Interstitiis, Irregularitate.

II. Illos, qui pro Foro interno, sive externo absolvunt a Censura Ecclesiastica.

III. Parochos, vel alios Curatos, qui pro pretio temporali assistunt Matrimonio, nisi res temporalis detur, aut exigatur ut fructus *Stolae*.

IV. Illos, qui pro pretio alii, etiam pro unico actu relinquunt, aut committunt jus eligendi, praesentandi, confirmandi, aut instituendi, aut instituendi ad Beneficia

V. Qui conferunt Officium, aut potestatem spiritualem, v. g. constituunt Vicarium Generalem, aut Officialem pro pretio, quod tanquam *Simoniacum* specialiter etiam declaratur c. *Ad nostram*. 21. *et* c. *Consulere*. 38. *h. t.*

Dices, quotidianae experientia constat, in Curia 216 Romana, sciente et non contradicente, imo approbante Pontifice pro Dispensationibus exigi, et recipi *Taxas* temporales, et quidem eo majores, quo difficilior censetur Dispensatio; ergo saltem non est *Simonia* pro Dispensationibus exigere, aut recipere temporalia. Resp. praefatas *Taxas* non exigi tanquam pretium Dispensationis, sed vel dari ut stipendia in sustentationem Summi Pontificis, et Officialium, et ad onera status Pontificii sustentanda, quod Juri Divino et naturali conforme est, juxta dicta *n.* 185. *et* 186. Vel pecuniae illae exiguntur per modum *Mulctae*, idque tum ex eo, ut per hujusmodi *Mulctam* aliqualiter compensentur recessus a Jure communi (siquidem cupienti, et sibi concedatur exemptio a Lege communi, licitum est, atque rationabile imponere aliud onus, quo compenset illam deformitatem, jejunandi v. g. vel elargiendo pecuniam in pias causas) Tum ex eo, et sollicitatio Dispensationum, quae caeteroquin est odiosa, ac vulnus Juris, reddatur difficilior, sicque restringatur nimia eas petendi copia: ob quam causam etiam fieri poterit, ut quo difficilior est Dispensatio, eo major pecuniae quantitas exigatur per modum *Mulctae*. Zoesius *h. t. num.* 14. Pirhing *h. t. n.* 49. post Suarez, Lessium et alios, ex quibus nonnulli alias adhuc allegant causas; verum datae sunt principaliores.

Instabis: ergo etiam Episcopi, et alii potestatem 217

Dispensandi: vel aliam jurisdictionem spiritualem exercendi habentes, ex praefatis titulis vel causis temporale exigere poterunt? Resp. Negando *Consequentiam*, quia hoc eis specialiter prohibitum est a SS. Canonibus, et Concilio Tridentino *Sess.* 21. *de Reformat. cap.* 5. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 5. *Sess.* 25. *de Reformat. cap.* 18. In quibus Papa quidem, non item Praelati Papa inferiores dispensare possunt. Et quamvis Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 35. *n.* 11. Solas, et alii veliot, posse Episcopos pro labore, quem habent in executione Dispensationum Matrimonialium a Sede Apostolica sibi commissarum, exigere aliquid temporale, ubi ita exigendi viget consuetudo legitime praescripta, tamen merito id negant alii cum Garzia *de Benefic. p.* 8. *cap.* 1. *a num.* 102. suamque negativam probant tum ex Concilio Tridentino *loc. cit.* Tum ex variis Declarationibus Cardinalium apud Garziam *loc. cit.* in quibus specialiter derogatur consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

218 Quaeritur VI. An? et quando committatur *Simonia*, si pro precibus, aut Orationibus, vel pro virtutis exercitio, aut alio bono opere supernaturali exigatur, aut detur temporale? Resp. I. Quamvis temporale per modum pretii pacisci, aut exigere pro orationibus, vel aliis piis exercitiis spiritualibus, *Simoniacum* sit, tamen *Simonia* caret, si per modum stipendii ad honestam sustentationem exigatur ab iis, qui ad Orationem hujusmodi ex Officio non tenentur, vel si tenentur, sufficientes ad sustentationem redditus non habent, vel si habent, sunt tamen in loco, ubi ita exigere consuetudo legitime praescripta, aut publica auctoritas adest. *Prima* pars est unanimis et certa, *arg. c. Cum in Ecclesiam.* 9. *c. Suam.* 29. cum Concordantiis. Ratio patet, quia cum Orationes, et virtutum exercitia sint quid spirituale, pretium pro illis exigere, procul dubio *Simoniacum* est, per dicta.

219 *Secunda* pars, quod per modum stipendii temporale pro illis exigere, *Simoniacum* non sit in casibus allegatis, docetur a Soarez *lib.* 4. *cap.* 15. n. 5. Gutierres *Can. qq. lib.* 1. *cap.* 29. Palao *de Simonia. Disp.* 3. *punct.* 9. *n.* 1. et aliis communiter. Patetque ex dictis a n. 185. *et* 187. quia non est major ratio de illis, quam his rebus spiritualibus.

220 Resp. II. Pariter *Simonia* caret, dare, aut praestare temporale sub spe obtinendi orationes, aut alia opera spiritualia, vel econtra, orationes alicui offerre, aut pro illo perficere spe obtinendi ab eo temporale. Ita omnes illi, qui docent, posse absque *Simonia* dari temporale sub spe obtinendi spirituale, aut econtra, quos, sicut et fundamenta Juris, ac rationis, vide supra *a num.* 87. Quibus accedit verbum, et exemplum Dei nostri, qui in Scriptura sacra passim offert temporalia bona, ut ad bona opera, orationes, et SS. Legum observantiam nos allicitat: et nos quoque bona opera exercemus, ut bona temporalia a Deo obtineamus. Confirmatur consuetudine universali inter homines, qua constat, plurimos dare Religiosis, et aliis pauperibus eleemosynam spe obtinendi ab eis orationes, et pia opera: et econtra Religiosos offerre Saecularibus suas preces, et suffragia, spe obtinendi ab eis temporalia. Hinc inter errores Wicleff. damnatas a Concilio Constantiensi fuit etiam illa: *Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis, in temporalibus subvenientibus.*

221 Quaeritur VII. An? et quando committatur *Simonia* venditione, aut commutatione rerum sacrarum, seu sacratarum, vel benedictarum? Ante Responsionem notandum, per res sacras seu sacratas hic intelligi illas, quae in se temporales, certis Ecclesiae Benedictionibus, precibus, exorcismis etc. benedicuntur, consecrantur, sicque aliquo modo sacrae ac spirituales, seu potius spiritualibus annexae evadunt, et vocantur. Cujusmodi sunt Calices consecrati, benedicta Numismata, Cruces, Agnus Dei, Cerae, vestes, item et vasa benedicta, aqua, panis, sal, oleum, et alia quaevis benedicta, et consecrata. Huc reducuntur, ut spiritualibus annexa dicantur illa temporalia, in quibus tanquam ornamentis et receptaculis res spirituales continentur, ut Reliquiaria etc.

Resp. I. Supradictae omnes, et aliae hujusmodi res consecratae, aut benedictae absque vitio *Simoniae* vendi, aut pro alia re temporali commutari possunt; dummodo ratione spiritualitatis, seu benedictionis, et consecrationis, seu ex eo, quod sint benedictae, sacratae etc. non plus detur, aut exigatur, quam res illa temporalis independenter a benedictione valet; et dummodo alias illius rei venditio, vel permutatio Jure positivo prohibita non sit. Ita cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *ad* 1. 2. 3. Navarrus *cap.* 23. n. 108. Pirhing *h. t. n.* 77. et hodie communis contra nonnullos antiquos Canonistas. Ratio est; quia res temporales, et materiales per benedictionem, et consecrationem accedentem non amittunt suum valorem, vel aestimationem temporalem, quam prius habebant.

Nec obstat celebris ille *can. Si quis objecerit.* 7. 222
cau. 1. *q.* 3. ubi inquit Papa: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Resp. enim, hunc Canonem non loqui de rebus benedictionem, seu consecrationem antecedentibus, seu ante illam prius jam existentibus, quales sunt praefatae, Calix v. g. vasa Ecclesiastica etc. sed de illis, quae ly *spirituale* consequuntur, illudque tanquam principale praesupponunt, quod dein ipsae tanquam accessorium sequuntur, et adhaerent; uti est jus percipiendi redditus temporales: hoc enim praesupponit Officium, munus, vel dignitatem spiritualem, eamque primum sequitur, vel ex eo provenit juxta illud *c. fin. de Rescript. Beneficium* (id est jus percipiendi redditus) *datur propter Officium.* Et hanc Responsionem Doctores cum Glossa *in cit. can. Si quis objecerit.* ℣. *Sed res desumunt*, ex correcto Canone desumunt, in quo loco verborum: *Nam cum corporalis Ecclesia aut Episcopus, vel Abbas* legitur: *Nam cum Ecclesiae corporalis Episcopus vel Abbas:* De cujus proin Ecclesiae Episcopali, vel Abbatiali dignitate, officio etc. ac de re temporali jura videlicet percipiendi redditus, officium, vel dignitatem consequente, merito dicitur *in cit. can. Si quis objecerit: Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit* (id est prodest) *neutrum invenditum derelinquit*; hoc ipso, quod Officium seu dignitas illa spiritualis sine redditibus non proficiat et subsistere nequeat, et haec ab illa nullatenus separari valeat.

Vel, si incorrectae litterae quis insistere velit, dicat cum Valent. *Tom.* 3. *Disp.* 16. *p.* 2. § *fin.* Textum illum loqui de rebus illis consecratis, a quibus consecratio amplius separari nequit, uti est Ecclesia, quatenus Ecclesia, de qua proin bene dici potest, quod sine altero vendi non valeat.

Dicitur autem notanter in Conclusione nu. 221. 223
posita: *Dummodo ratione benedictionis, aut consecrationis non plus detur, quam res secundum se valet*: hoc enim si fit, *Simoniam* committi, omnes concedunt, hoc ipso, quod illud plus temporale pro spirituali, consequenter *Simoniace* detur. Ubi tamen notandum cum Engel *h. t. num.* 17. non esse *Simoniam*, si res consecratae, aut benedictae, vel Indulgentiis donatae, qualia sunt v. g. Cruces Hispanicae, item Rosaria Terrae S. Indulgentiam habentia

darius, ac secundum materiam valent, vendunt, propter sumptus et expensas, quas in iis asportandis fecit, et labores itineris, quos subiit vendens illas res; quia, cum isti sint pretio aestimabiles, utique in contractum venire possunt.

224 Dicitur ulterius *et alias illius venditio Jure positivo prohibita non sit*: sicut enim ex motivo Religionis, et sub peccato *Simoniae* prohiberi potest a Jure venditio similium, ita, ubi prohibet, servandum est, uti exemplum habemus de Chrismate, *c. Ea quae* 16. *h. t.*

225 Porro advertunt DD. *nu.* 221. citati, et alii, quod dum etiam licite hujusmodi res consecratae, v. g. Calix, vestis venditur ad usum profanum, ante traditionem prius confringi, conflari, dissui, vel alias ita tractari debeant, ut consecrationem amittant, *arg. l. Sancimus.* 21. et *Auth. Praeterea C. de SS. Eccles.*

226 Resp. II. Commutare rem spiritualem pro spirituali non est *Simonia* excepta materia Beneficiorum; dummodo ratione spiritualis plus temporale commutando non detur, Pirhing *h. t. tr. 4. Resolut.* 150. Layman *lib. 4. tract.* 10. *cap. ult. de Simonia. n.* 2. Suarez *lib. 4. de Simonia. cap.* 30. *n.* 5. *arg. c. Ad quaestiones. de Rerum Permut.* juncta Glossa *ibid.* ℣. *Per se queunt.* Ratio est; quia nec Jure Divino, nec humano id prohibitum reperitur.

Neque in contrarium militant Canones, quibus universaliter prohibetur omnis pactio circa spiritualia. Resp. enim, Canones hos loqui, de illis pactionibus, in quibus datur temporale pro spirituali, aut econtra. Suarez *lib. 4. de Simonia. cap.* 31. *n.* 20. Pirhing *h. t. n.* 124.

Dicitur autem notanter *excepta materia Beneficiario*, in hac enim permutationem privata auctoritate fieri absque *Simonia* Juris Ecclesiastici non posse, dictum est *supra arg. c. Quaesitum.* 5. *c. Olim.* 7. *de Rerum Permutat.*

227 Infertur, *non* esse *Simoniam*, commutare Reliquiarium pro Reliquiario, aut Rosario habente Indulgentias, aut pro alia re sacra. Econtra vero, esse *Simoniam*, si praedictorum aliquod, aut alia re sacra, vel benedicta habente Indulgentias intuitu spiritualitatis datur res profana majoris pretii et valoris, quam sit res consecrata et benedicta, secundum esse materiale. Pariter committitur *Simonia*, si in permutatione duarum rerum consecratarum aut benedictarum res una consecrata, quae secundum esse materiale majoris censetur valoris, pro alia re consecrata, quae secundum materiam est minoris valoris datur ex eo, quod haec sit, vel censeatur magis sacrata, aut majores habens Indulgentias etc. Ratio est; quia in tali casu ille excessus majoris valoris temporalis revera datur pro re spirituali, ut consideranti patet.

§. XI.

De Poenis Simoniae.

SUMMARIUM.

282 *Vel nisi tacite consentiat.*
283 *Poena* Simoniae *per Tertium commissae pro obtinendis Ordinibus.*
284 Simoniae Confidentialis *poenae recensentur.*
285 *Et declaratur una earum de privatione Beneficii prius rite obtenti.*

228 *Quoniam plures poenarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi*, ut dicitur *Extravag. Cum detestabile. h. t.* Hinc Ecclesia ad eliminandum perniciosissimum sibi crimen *Simoniae* varias, easque graves contra illud constituit poenas, quas videre licet tum *in cit. Extravag.* tum in hoc Titulo passim. De quibus proin *in praesenti* §.

229 Quaeritur I. An ob quamvis *Simoniam* incurrantur Juris poenae? Resp. I. Poenae in Jure contra *Simoniacos* statutae non ob quamlibet, sed ob eam solam *Simoniam* ipso Jure et facto incurruntur, quae committitur vel in susceptione Ordinum, vel Religionis ingressu, vel Beneficiis Ecclesiasticis. Navarrus *in Manual. cap.* 23. *n.* 111. §. 6. *et* §. 7. Palao *de Simonia. pana.* 21. *n.* 2. Suarez *lib.* 4. *cap.* 55. *n.* 5. Sylvester ℣. *Simonia q.* 19. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 23. *n.* 120. Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *n.* 69. Pirhing *h. t. n.* 154. et alii communiter. Ratio est; quia nec in novo, nec in antiquo Jure reperitur aliquis textus imponens *Simoniacis* poenam, nisi *Simonia* committatur in uno praefatorum, Religionis videlicet ingressu, Ordinum susceptione, et Beneficiis Ecclesiasticis; ergo ad nullam aliam *Simoniam* poenas extendere debemus; nam *odia restringi*, et *favores convenit ampliari*, *a. Odia.* 15. *de reg. Jur. in* 6. *Et in poenis benignior est interpretatio facienda a. in poenis.* 49. *eod.*

230 Quod autem propter praedictas tres species *Simoniae* incurrantur poenae Juris ipso facto, praeter *c. Reperiuntur* 1. *q.* 1. et quosdam alios Canones, qui de Excommunicatione loquuntur, habetur clarissime *in Extravag. sana.* et *Extravag. Cum detestabile. h. t.* inter communes, ubi committentes *Simoniam* in ingressu Religionis, in ordinibus, aut Beneficiis ipso facto excommunicantur, aliisque poenis subjiciuntur.

231 Concordat Bulla B. Pii V. *Cum primum.* (et habetur in Bullario Romano ordine 5.) in qua contra dictas tres *Simoniae* species tantummodo poenae ipso Jure infliguntur, aliae autem *Simoniae* Sacramentales per locorum Ordinarios puniri jubentur.

232 Nec obstat, quod Paulus II. in Extravag. *Cum detestabile. h. t. Omnes et singulas Excommunicationes, suspensiones, censuras et poenas, dudum a Romanis Pontificibus contra Simoniacos quomodolibet latas, et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum, quas ipso facto eos incurrere voluit, innovaverit* etc. Ex quibus verbis, ne superflua forent, videtur inferendum contra *primam* partem Responsionis, omnes poenas Juris contra *Simoniacos*, quae olim erant ferendae sententiae, nunc ipso facto incurri. Resp. enim negando *seq.* quia (ut patet ex verbis mox sequentibus, et sub eodem verborum contextu prolatis, *innovantes declaramus, quod omnes illi qui Simoniace ordinati fuerint*,) ibi est sermo de *Simonia* in Ordinibus contenta, quam una cum *Simonia* in Religione et Beneficiis commissa magis punire voluit Summi Pontifices propter majus detrimentum, quod inde universali Ecclesiae bono infertur.

233 Nec tamen superfluunt praedicta verba. Nam iisdem facta est extensio poenarum a publicis *Simoniacis* ad occultos, ita, ut omnes poenae, quae contra publicos *Simoniacos* in Ordinibus olim fuerunt statutae, nunc etiam ipso facto incurrantur ab occultis. Non vero illis verbis facta est extensio poenarum quoad omnem prorsus *Simoniam*, ita, ut ipso facto incurrantur poenae ibidem expressae per quoscunque *Simoniacos*; cum de caeteris nulla fiat mentio, et poenae potius sint restringendae, quam ampliandae per dicta *n.* 229.

Resp. II. Ob *Simoniam* duntaxat *Mentalem* 234
(qualis sit, vide supra *num.* 15.) nulla incurritur poena, etiamsi in susceptione Ordinum, vel Religionis ingressu, vel Beneficiis Ecclesiasticis committatur. Communis et certa. Ratio est; quia contra hanc *Simoniam* nulla invenitur poena statuta in Jure; imo ibidem pro conclusione expresse deciditur, dum dicitur a. *fin. h. t.* quod pro Simonia, quae nullo pacto, sed affectu animi praecedente committitur (uti fit per Simoniam Mentalem) *sufficit per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori*. Cur autem contra hanc *Simoniam* Ecclesia nullam statuerit poenam, rationem reddit Papa a. *Tua nos.* 34. *h. t.* quia *Ecclesiae datum est de manifestis tantum judicare: de internis enim apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium et cognitor secretorum) culpabiles judicantur*, *cit. c. fin. h. t.* quod etiam experiantur committentes *Simoniam* duntaxat *Mentalem*; licet enim in hoc mundo nullas Juris poenas incurrant, poenas tamen manus Divinae non evadent, nisi condignam poenitentiam agant.

Resp. III. Etiam propter *Simoniam* pure, seu 235
mere *Conventionalem* (id est illam, qua quidem pactum externum dandi temporale pro spirituali, aut econtra intervenit, ex nulla tamen parte adhuc adimpletum est, juxta dicta *num.* 19.) nulla incurritur Juris poena, in quocunque tandem committatur. Rursus certa apud omnes teste Palao *de Simonia p.* 22. *num.* 2. et aliis. Ratio est; quia Canones in quibus in *Simoniacos* statuuntur poenae, non de puris conventionibus, sed actibus inde provenientibus, actuali nempe datione, et receptione loquuntur; uti patet ex verbis *Extravag. Cum detestabile.* 2. *h. t.* ibi: *Universi, qui dando, vel accipiendo Simoniam commiserint, sententiam Excommunicationis incurrant*: item ex illis verbis: *Tam dantes, quam accipientes Excommunicationis sententiis subjaceant. Extravag. Sane. eod.* qualia etiam alibi habentur passim in Jure, uti *can. Presbyter.* 3. *can. quisquis* 5. *can. quos* 6. *etc. can.* 1. *q.* 1. Cum Concordantiis.

Nec dicas: Emptio et venditio perficitur solo 236
consensu in rem et pretium ejus, uti habetur §. 1. *Instit. de Emptio.* atqui *Simonia est* aliqua emptio; ergo solo consensu perficitur, etiam ante traditionem rei spiritualis, aut solutionem pretii: et consequenter etiam *Simonia Conventionalis* subjacebit poenis, cum jam sit *Simonia* perfecta. Resp. enim negando hanc ultimam *seq.* nam ex hoc, quod *Simonia conventionalis* jam sit perfecta *Simonia*, solum sequitur eam esse non tantum grave peccatum, sed insuper subesse Foro Ecclesiae, ac puniri posse, quod ultro fatemur: non autem sequitur, quod de facto per Ecclesiam poenae sint contra eam impositae, et de quo solummodo quaeritur; quodque a nobis negatur. Siquidem poenae istae eatenus solum incurruntur, quatenus Jura humano Ecclesiastica exprimuntur: nulla autem habetur expressa contra *Simoniam* pure *Conventionalem*. ergo.

Excipe cum Fagnano *in c. Nobis. de Simon.* 237
num. 13. Simoniam *Conventionalem* in electione summi Pontificis commissam. Quia Julius II. in sua Constitutione, cum tam divino etc. (et habetur *Tom.* 1. *Bullarii Romani Constitut.* 3. *ipsius*) etiam in eam poenas statuit, ut patet ex illis verbis dictae Constitutionis: *In dando, promittendo, vel recipiendo*

pecuniam : nec non ibi, *promissiones et obligationes*. Sed hoc est speciale, quia specialiter expressum, ut eo sanctius celebretur electio summi Pontificis, Christi in terris Vicarii.

238 Et quidem hactenus dicta de poenis *Simoniae* sunt certa: sed gravissima controversia est apud DD. an Juris poenae in *Simoniacos* statutae incurrantur propter *Simoniam conventionalem mixtam*, si videlicet saltem ex una parte pactum *Simoniacum* completum, et temporale vel spirituale *Simoniace* promissum, actu jam traditum est? (de qua Simonia vide supra *num.* 19.) Affirmativam tenent non pauci primae classis DD. ut D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. Sotus *lib.* 9. *de Justit. q.* 8. *a.* 1. Cajetanus 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. Palao *de Simonia. pun.* 20. *num.* 5. Valentia *Tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 16. *p.* 6. et alii, idque probare conantur pluribus Juris testibus, quos infra loco objectionum adducemus: interea tamen fatemur, sententiam praefatorum DD. spectando Jura, revera omnino probabilem esse. Quo non obstante

239 Resp. IV. Propter *Simoniam conventionalem mixtam* etiam illam, in qua spirituale v. g. Beneficium Ecclesiasticum, non item temporale *Simoniace* pro illo promissum, actu jam traditum est, nullae incurruntur poenae contra *Simoniacos* in Jure statutae. Navarrus *in Manual. cap.* 23. *num.* 104. Zoesius *h. t. n.* 92. *et seqq.* Covar. *in Regul. peccatum. p.* 2. §. 9. *num.* 7. Gutierrez *Canon. qq. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 10. Flamini. Parisien. *de Resign lib.* 7. *q.* 2. *num.* 16. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 27. Suarez *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 56. *nu.* 33. Gonzalez *de Regul. Cancell.* Gloss. *lib.* 15. *num.* 69. *et* 70. Engel *h. t. num.* 34. cum communi aliorum. Ratio est; quia nullibi in Jure reperitur aliqua poena clare expressa contra aliquam *Simoniam conventionalem mixtam*, seu utrinque nondum completam; atqui in dubio non est asserenda poena, siquidem juxta *c. In poenis* 49. *de R. I. in* 6. *In poenis benignior est interpretatio facienda*: ac *L.* 42. *ff. de Poenis*: *Interpretatione legum poenae molliendae sunt potius, quam exasperandae*. ac *c.* 30. *de R. I in* 6. *In obscuris minimum est sequendum*. Accedit, quod teste Navarro, Lessio, Gomez, et Cassado, ita etiam observet stylus Curiae, vi cujus non censentur poenae contractae, *Simonia Realis* utrinque completa habeatur; atqui stylus Curiae habetur pro Jure et lege juxta communem DD. *arg. c. Ex litteris. de Constit.* et *c. quam gravi. de crimine Fals.*

240 Nec obstat I. Quod in *Extravag. Cum detestabile. h. t.* poenae imponuntur sub disjunctione illis, qui *dando, vel recipiendo Simoniam admiserint*; ac consequenter videatur sufficere, eam ex una parte esse completam, licet nondum ex altera. Resp. enim negando *seq.* nam particula disjunctiva additur ad indicandum, poenas illas v. g. Excommunicationis non tantum a dante, sed et etiam a recipiente Beneficium Ecclesiasticum per *Simoniam* contrahi. Quinimo cum *Extravagans* illa non magis de datione unius quam alterius loquatur, intelligenda est de utraque (ut notat Navarrus *loc. cit.*) sicque de *Simonia* utrinque completa, ut odia restringantur, quantum salva verborum proprietate fieri potest.

241 Nec obstat II. Textus *c. Si quis.* 44. *h. t.* ubi dicitur, quod tam Ordinans, quam Ordinandus sub promissione, quod non postulabit Ordinatus ab Ordinante provisionem (id est, sustentationem alioquin de jure debitam Ordinato ad Sacros sine Titulo, *arg. c. Cum secundum* 16. *de Praebend.*) incurrat suspensionem per Triennium; cum tamen haec videatur esse sola *Simonia Conventionalis mixta*. Cui simile quid habetur *c. Per tuas. il.* 3. *h. t.* Resp. enim cum Pirhing *h. t. num.* 159. allegante Suarezium, ibi fuisse commissam *Simoniam perfectam*: licet enim pecunia aliqua data non fuerit pro ordinatione, ipsa tamen obligatio de non petenda provisione, seu remissio Juris ad istam, erat res pretio aestimabilis, et jam actu perfecta. Ad Textum *c. Per tuas. h. t.* respondet Abbas *ibid.* conformiter dictis: nam et ibi remissa fuit obligatio rei temporalis, ut acquireretur spirituale; remittere vero, idem est ac dare *arg. c. Veniens. il.* 1. *de Testib.* unde negatur *assumptum*.

242 Nec obstat III. Bulla B. Pii V. quae incipit, *Intolerabilis*, ubi §. 3. declarat, poenas ibidem statutas incurri, *licet ipsum Confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum*. Resp. enim, dictam Bullam loqui de *Simonia Confidentiali*, in qua hoc est speciale, neque extendendum ultra casum expressum, cum sit odiosum. Quod si aliqua Bulla B. Pii V. hac de re edita sit, ea non videtur usu recepta, ut inquit Lessius *loc. cit. n.* 149.

243 Nec obstat IV. c. *Ea quae* 1. *q.* 3. ubi Urbanus II. sic loquitur: *quidquid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, et nullas unquam vires habere censemus*. Nota ly, *vel promissa pecunia*; ergo sufficit sola promissio pecuniae ad poenas incurrendas, cum ly, *vel*, sit disjunctiva. Resp. enim cum Navarro *cap.* 23. *Manualis. num.* 104. quod Rotae Praetorium propter talem *Simoniam* super Beneficio Ecclesiastico commissam soleat Reum illo privare, licet, quia non pervenit ad *Realem*, non declaret eum ipso Jure privatum. Ita Navarrus: unde Urbanus II. intelligendus est post sententiam Judicis, non autem ipso jure: nam solum confirmavit, quae prius a SS. Patribus de *Simoniacis* statuta sunt, patet ex prioribus verbis ipsius.

244 Resp. V. Si tamen postmodum pactio *Simonica*, quae prius fuerat solum *Conventionalis*, utrinque in totum vel in partem fiat completa, ut si quis saltem partem etiam modicam v. g. sex aureos det, qui centum pro spirituali promisit, incurruntur poenae Juris, et retrotrahuntur ad tempus pactionis praeteritae. Ita Navarrus *loc. cit.* et Lessius *num.* 151. *Id* enim erat stylus antiquus Curiae, cui standum est; licet alioquin facilius dici posset, poenas ejusmodi primum incurri a tempore *Simoniae* ab utraque parte completae, nisi contrarium suaderet stylus antiquus Curiae, ut subdit Navarrus. Hinc

245 Infertur: Si Collator conferat Titio Beneficium Ecclesiasticum sub pacto 100. aureorum sibi solvendorum, quos Titius primum solvat post annum, ante annum, seu ante factam solutionem nondum incurritur poena excommunicationis, nec Collatio illa erit irrita: si tamen post annum solvatur pecunia, sicque utrinque compleatur *Simonia*, jam censebitur incursa Excommunicatio ab utroque, et inhabilitas Titii ad Beneficium ab initio contracta, seu integro retro anno, et ipsamet Collatio nulla ab initio. Et hoc variis exemplis, in quibus similis retrotractio poenae fit, declarant Navarrus et Lessius *ll. cit.*

246 Nec obstat I. Quod collatio Beneficii pure facta sine conditione non possit esse pendens, sed statim aut sit valida, aut irrita, ut late traditur per Felinum in *cap.* 2. *de Election. in* 6. Resp. enim Navarrus *loc. cit.* spectato Jure antiquo ita fuisse; secus autem esse dicendum spectato Jure novo, scripto vel non scripto, quod per stylum Curiae, Papa sciente, et non contradicente hactenus observatum, atque interpretantem saepe dictam *Extravagantem*, singulariter habetur et probatur

247 Nec obstat II. Quod si Excommunicatio post completam utrinque *Simoniam* retrotrahatur ad tem-

pus initi contractus *Simoniaci*, videtur sequi, Celebrantem interea postmodum etiam fieri irregularem, quia celebravit in excommunicatione, quae per fictionem Juris fuit retrotracta. Resp. enim negando *seq.* quia, ut notat Lessius *n.* 154. post alios, haec retrotractio per Juris fictionem fit quidem in excommunicatione, non vero in Irregularitate: Tum, quia haec non incurritur, nisi per violationem Censurae absolute incursae, nam quae nondum est, nequit violari. Tum quia ignorans Censuram, celebrando in ea non fit irregularis, ut expresse habetur c *Apostolicae. de Cleric. excommun.* talis autem ignorantia Excommunicationis habetur, antequam ea sit actualiter contracta, uti patet; ergo.

248 Accedit manifestum discrimen, cur excommunicatio retrotrahatur, faciatque, ut collatio Beneficii interim facta sit nulla et invalida, non item Irregularitas arceus hominem ab executione Ordinum. Nam ibi agitur de lucro captando, hic de damno incurrendo: Unde quia ignorantia *Juris*, aut *Facti* juvat ad vitandum damnum seu poenam, non autem ad captandum lucrum, *L. 7. et seqq ff. de Juris et facti ignorant.* non est mirum, retrotrahi Excommunicationem, ut impediat lucrum captandum, v. g. Beneficium acquirendum, non vero Irregularitatem, utpote quae novum damnum infert, arcendo hominem a susceptione vel executione Ordinum.

249 Resp. VI. Ob solam ergo, et omnem *Simoniam Realem* utrinque saltem ex parte completam (de qua *num.* 20.) in susceptione Ordinum, vel ingressu Religionis, et Beneficiis Ecclesiasticis commissam, ipso Jure et facto incurruntur poenae contra *Simoniacos* in Jure statutae: quod ob hanc solam, constat ex hactenus dictis, quod ob eam omnem, tenent Omnes. Ratio patet; quia, cum Jura velint *Simoniacos* ipso Jure et facto incurrere poenas, et ex hactenus dictis probatum maneat, eas non incurri propter *Mentalem*, nec propter *Conventionalem* aliquam, necessario sequitur, eas saltem propter *Realem* incurri. Et quidem propter omnem etiam *occultam*; eo quod praeter Jura antiqua id tacite jam volentia, utpote generaliter loquentia, consequenter nullam nec *occultam* excipientia, *arg. c. quia circa* 22. *de Privileg.* specialiter autem, et manifeste declaratur, ac deciditur *Extravag Cum detestabile h. t.* per textum supra allegatum *numero* 131.

250 Resp. VII. Quamvis ipso facto nulla incurratur juris poena, nisi committatur *Simonia Realis* utrinque saltem secundum partem completa in susceptione Ordinum, Religionis ingressu, et Beneficiis Ecclesiasticis, possunt tamen, et subinde debent etiam Reverendissimi Ordinarii ob alias *Simonias* in quacunque materia commissas poenam aliquam prudenti suo arbitrio imponere. Patet hoc ex Bulla B. Pii V. citata *supra*; et ratio est; quia cum quaevis *Simonia* sit gravissimum crimen juxta dicta *n.* 6 procul dubio quemlibet possunt, et subinde debent punire Ordinarii, utpote qui soli in hoc crimine sunt Judices competentes tam contra Laicos, quam Clericos, ut cum Glossa in c. *quam vis* ¶. *Malefactores de Foro competent.* Abbas *n.* 20. Pirh. *h. t. n.* 142. et alii bene advertunt.

251 Quaeritur II. Quae poenae in Jure sint statutae contra *Simoniam*, quae committitur in Religionis ingressu? Resp. I. Contra hanc *Simoniam* sequentes tres ipso facto incurrunt poenas *Simoniaci* *Prima est*, *quod tam dantes*, *quam recipientes aliquid Simoniace pro ingressu Religionis* (juxta dicta superius §. *IX.*) si sunt personae singulares, Excommunicationem, si vero Capitulum, vel Conventus ad id consentientes fuerint, suspensionem ab Officio Capitulari ad jurisdictionem, vel administrationem pertinentem, ipso facto incurrent, aliis etiam poenis in suo robore duraturis. Ita claro statutum habetur *Extravag. Sane.* 1. *h. t.*

Altera poena est, quod *c. Veniens. c. de Regularib.* et c. *Quoniam. h. t.* Religiosi *Simoniace* suscepti jubeantur de suo Monasterio expelli, et in arctioribus Monasteriis ad agendam ibi poenitentiam detrudi; quamvis in nonnullis casibus ibidem expressis possint dispensative in priori Monasterio remanere. Insuper Abbas, et Majores personae Monasterii jubentur suspendi, imo etiam de Monasterio in arctius detrudi, *cit. c. Quoniam h. t.* Licet etiam isti in certis casibus possint dispensative in priori Monasterio permanere. Neque illi, neque isti tenentur inde discedere, donec per Superiorem compellantur ad aliud monasterium ingredi, ut probat Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 130. 252

Denique incurrunt etiam *infamiam Juris*, et per consequens fiunt irregulares, saltem si crimen est notorium notorietate *Juris, aut facti*, prout ex *cit. Extravag.* 1. *h. t.* §. *Certum*, recte docet Anton. Thesaur. *de Poenis Ecclesiast. p.* 2. ¶. *Simonia cap.* 10. *n.* 3. *et* 4. 253

Illud tamen cum Lessio *loc. cit.* Sanchez *lib.* 2. *Consil. cap.* 3. *dub.* 104. *n.* 5. Navarro, et aliis notandum, quod Professio *Simoniace* suscepturum non sit invalida, consequenter ita susceptus, ad saeculum redire, et nubere non valeat, licet mandante legitimo Superiore ad arctius Monasterium transire debeat, eo quod licet sit, et manere debeat Religiosus, tamen firmum non acquirat jus Praebendae Regularis, seu portionis ordinariae, vocisque *activae* et *passivae* in Capitulo, quod est jus ad instar Praebendae Canonicae, uti post Navarrum bene observat Lessius *loc. cit.* 254

Ulterius notandum cum Castro Palao *de Simonia. pun.* 23. *nu.* 3. Pirhing *h. t. n.* 71. et aliis, quod etsi committatur *Simonia* statim per *Simoniacum* ingressum ad Novitiatum, praefatae tamen Juris poenae non incurrantur, nisi secuta Professione, consequenter ab eis Regulares immunes esse, si pecuniam, vel quid aliud *Simoniace* promissum non recipiant, vel Receptum iterum ante professionem tradant, aut ingressus professionem non emittat, sed iterum ad saeculum redeat. 255

Resp. II. Quamvis Moniales in Monasterio sufficientes pro ingredientibus redditus jam habentes aeque, ac alii Regulares veram *Simoniam* committant, si pro ingressu ad Religionem aliquid temporale exigant; etsi illud loco dotis ad honestam ingressae sustentationem id facere dicant, tamen poenas Juris non incurrunt. Tota Conclusio patet ex dictis supra a *n.* 172. ubi vide, ne superflua fiet repetitio. 256

Quaeritur III. Quas poenas inducat *Simonia Realis* in Ordinibus? Resp. in Conferens et Recipiens Ordines per *Simoniam Realem* est ipso facto excommunicatus. Ita habetur in *Extravag. Cum detestabile. h. t.* cum, ubi prius §. 1. facta fuisset mentio de Ordinibus, postmodum § *Statuens etc.* fertur sententia Excommunicationis Summo Pontifici reservatae in omnes et singulos, qui quomodolibet dando vel recipiendo *Simoniam* commiserint. 257

Nec dicas, hanc poenam solum pertinere ad *Simoniacos* in Beneficiis, utpote de quibus immediate ante loquitur Pontifex; non autem ad *Simoniacos* in Ordine, utpote de quibus ibi non est sermo, sed jam in fine *primi* §. alia poena est decreta, nempe poena Suspensionis *in omnes illos*, *qui Simoniace ordinati sunt.* Resp. enim cum Pirhing *h. t nu.* 156. Lessio, Laymano, et aliis, verba illa generalia, *Qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commise-* 258

rint, *sententiam Excommunicationis incurrant*, referri tam ad dantes, quam recipientes in Ordinibus, vel Beneficiis, de quibus in *cit. Extravag.* fit mentio; siquidem generalis illa locutio totam praecedentem materiam concludit atque complectitur, quamvis ulterius, *Simoniace* Ordinati (non autem Ordinatores vi hujus *Extravag.*) sint suspensi.

259 Resp. II. Spectato Jure communi Decretalium Ordinans *Simoniace* ipso facto est suspensus a Collatione Ordinum, saltem per Triennium. Ita desumitur ex *c. Si quis. h. t.* et tenet Pirbing *n.* 158. Dixi notanter, *saltem per Triennium*: nam Abbas *in cit. c. ult.* vult, quod si Orator propcie committat *Simoniam* in Ordine conferendo, ipse sit perpetuo suspensus a Collatione Ordinum.

260 Deinde Responsio nostra solum procedit, quando crimen *Simoniae* est occultum, nam si foret manifestum, et Reus accusaretur, atque convinceretur, etiam a suo gradu et officio Ecclesiastico deponeretur, *c. Si quis Episcopus. et seqq. cau.* 1. *quaest.* 1. Quamvis hujusmodi poena Depositionis ipso Jure non incurratur, sed per sententiam Judicis sit imponenda. Pirbing *h. t. n.* 168.

261 Addit insuper *n.* 102 *Spectato Jure communi Decretalium.* Etenim ex nova Constitutione Sixti V. *Sanctum et salutare* (quae habetur *Tom.* 2. *Bullarii Romani*, *Constitut.* 91. *ejusdem*) Ordines *Simoniace* conferens *a Collatione quorumcunque Ordinum, atque adeo ipsius Tonsurae, et ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipso suspensus, et ab ingressu Ecclesiae interdictus existit*; prout loquitur *cit. Bulla*, postmodum harum Censurarum absolutionem, tametsi *Simonia* foret occulta, Sedi Apostolicae reservans. Et quamvis Clemens VIII. allegatam Bullam Sixti V. quoad alia puncta revocaverit ad terminos *Juris communis*, idem tamen expressas *Censuras et poenas contra* Simoniace *Ordinantes*, *et Ordinatos inflictas in suo robore permanere voluit*, prout loquitur Constitutio 40. *Romanum Tom.* 2. *Bullarii Romani.* Quod si interdictum violat, praeter Irregularitatem, quam incurrit vigore *c.* 1. *et c. Is cui.* 20 *de Sentent. Excom. in* 6. etiam suspensus est a Regimine, et administratione suae Ecclesiae, et perceptione omnium fructuum a Beneficiis suis provenientium, uti expresse habet memorata Bulla Sixti V.

262 Resp. III. Ordinatus *Simoniace* scienter praeter Excommunicationem (quam ipso facto contrahit *arg. c. Reperiuntur* 1. *q.* 1. juncta *Extrav. Cum detestabile. h. t.*) est suspensus ab executione omnium suorum Ordinum, tam *Simoniace* susceptorum, quam aliorum, etiamsi crimen sit occultum. Ita desumitur ex *cit. Extravag. Cum detestabile* §. 1. ibi: *Omnes illi, qui Simoniace ordinati fuerint, a suorum Ordinum executione sint suspensi.* Et licet haec verba probabiliter intelligi possint de Ordinibus duntaxat *Simoniace* susceptis, ut, in quo quis peccat, in eo et puniatur, simulque poenae restringantur potius, quam extendantur: nihilo minus quia indefinite loquuntur: *a suorum Ordinum etc.* de omnibus Ordinibus, etiam non *Simoniace* susceptis, communiter a Doctoribus intelliguntur, ut notat Pirhing *h. t. num.* 160. Lessius *loc. cit. num.* 135 et Layman *num.* 71. Si postea in tali Suspensione aliquem actum Ordinis exercet, incurrit pariter Irregularitatem, *c. Apostolicae.* 9. *de Cleric. Excommunic. c. Is cui. de Sentent. Excom. in* 6. ac insuper privationem Officiorum, et Beneficiorum omnium, atque inhabilitatem ad ea, si fuerit Saecularis, si vero Regularis privationem Vocis *activae*, et *passivae*, atque inhabilitatem ad eam. Ita clara verba *cit. Bullae*, quae etiam hactenus dictarum poenarum absolutionem soli Sedi Apostolicae reservat, cum derogatione Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 6. ut proin etiam circa crimen in hoc passu occultum nil valeat Episcopus.

Quaeritur IV. Quas poenas inducat *Simonia Realis* in Beneficiis Ecclesiasticis commissa? Resp. Hanc *Simoniam* plures et graves inducere poenas. Patet inductione. Nam I. Omnes tam illi, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum, vel Officium sive *simplex*, sive *Curatum*, sive saeculare, sive Regulare, v. g. Episcopatum, Praepositoram, Decanatum, Canonicatum, Parochiam, Generalatum, Abbatiam, Provincialatum, Prioratum, Rectoratum, Guardianatum *Simoniace* conferunt, aut directe vel indirecte procurant conferendo v. g. eligendo, postulando, praesentando, commendando ad illud etc. vel etiam confirmando, instituendo, aut alia quacunque ratione providendo; quam illi, qui aliquo praefatorum modo Beneficium, aut Officium hujusmodi acquirunt, ipso Jure et facto incurrunt Excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Unanimis et certa ob claram Dispositionem Juris *Extravag. Cum detestabile. h. t.* et Bullam Pii V. quae incipit, *cum primum.* estque ordine 5. inter Constitutiones illius. 263

II. Quaevis Collatio, provisio, et acquisitio hujusmodi Beneficii, aut Officii Ecclesiastici *Simoniace* facta, est ipso Jure irrita, et nulla, ita ut *Simoniace* provisus prorsus nullum *acquirat jus, nec faciat fructus suos*, *sed ad illorum omnium restitutionem*, *sub animae suae periculo sit adstrictus*, uti expresse statuitur *cit. Extravag. cum Detestabile. h. t.* Concordat textus *can. Si quis arque. can.* 1 *q.* 1 et *c. Matthaeus h. t.* ubi *Simoniace* adeptus Beneficium tenetur illud sponte dimittere, alioquin procul dubio in aeternum periturus. 264

Notat tamen Valensis *h. t.* §. 4. *num.* 12. post Lessium *loc. cit. n.* 138. quod si Electus, vel praesentatus legitime, postea committat *Simoniam* pro Confirmatione, vel institutione acquirenda, non vitietur Electio, vel Praesentatio, sed solum irritetur Confirmatio, vel Institutio, in qua vitium illud est commissum. Et hoc probatur a simili ex *c. Si Confirmationem*, *de Election. in* 6. ubi habetur, cassata Confirmatione ob defectum alicujus solemnitatis, non propterea cassari Electionem praecedentem Canonice factam. Unde in tali casu sufficeret, si per legitimam dispensationem tolleretur inhabilitas contracta per actum posteriorem; nec opus esset nova Electione, aut Praesentatione, secus dicendum, si in priori actu commissa fuisset *Simonia*, nam tunc omnes sequentes actus forent irriti 265

III. Qui *Simoniace* Beneficium aliquod obtinet, illud, utpote nulliter obtentum, juxta omnem sententiam non tantum dimittere tenetur, sed ad illud obtinendum perpetuo inhabilis evadit, ut proin *perpetua inhabilitas ad idem Beneficium* acquirendum sit *tertia* poena. Ita clare desumitur ex *c. penult. de Election.* et c. *Nobis fuit.* 27. *h. t.* ac Bulla Pii V. *Cum primum*, quae est ordine 5. *inter Constitut. dicti Pontificis, Bullar. Cherubin. Tom.* 2. ibi: *Qui Beneficium aut Officium Ecclesiasticum Simoniace adeptus fuerit, illis similiter ipso Jure sit privatus, et ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, et perpetuo sit inhabilis ad ea, et quaecunque alia Beneficia obtinenda.* Hinc licet in *c. penult. de Election.* videatur *Simoniace* obtinentem Beneficium, tantum ea vice esse inhabilem ad idem obtinendum, quod ibidem, sicut et *c. Nobis fuit. h. t.* §. *Ab Episcopo*, etiam Glossa tenet, tamen post praefatam Constitutionem, ob illius verba, res controversia caret, quod perpetuo sit inhabilis ad idem Beneficium iterum obtinendum, intellige, nisi Papa dispenset. 266

IV. VI ejusdem Bullae (uti liquet ex verbis tex- 267

tus praeallegati) *Simoniace* obtinens aliquod Beneficium, est etiam *perpetuo inhabilis ad quaecunque alia Beneficia Ecclesiastica obtinenda.* Verum Navarrus *Consil.*92.*h.t.* Palao *de Simonia.pun.*25. Pirhing *h. t. n.* 170. et alii volunt, memoratam Constitutionem, quoad hanc poenam vel usu non esse receptam, vel ante sententiam Judicis condemnatoriam, aut saltem declaratoriam Judicis in Foro conscientiae non obligare, ut proin tuta conscientia, et absque omni alia dispensatione Beneficium aliquod licite et valide obtinere valeat, qui prius aliud *Simoniace* obtinuit, nisi hujus *Simonia* acquisita jam fuerit deducta ad Forum contentiosum, et talis pro *Simoniaco* condemnatus vel declaratus.

268 V. Poena est, quod *Simoniace* obtinens Beneficium aliquod, perpetuo deponendus sit ab Altaris ministerio, *arg. can. Erga Simoniacos. cau.* 1. *q.* 1. et c. *De hoc.* 11. *h. t.* cum Concordantiis: quae tamen poena ipso facto non incurritur, sed primum per sententiam Judicis est infligenda, uti colligitur ex *cit. Juribus*, praesertim c. 11. *h. t.* ibi: *Confessi, vel legitime convicti ab Altaris ministerio sunt perpetuo deponendi.*

269 VI. Poena est, quod, qui *Simoniace* obtinet aliquod Beneficium, privetur etiam aliis Beneficiis prius legitime obtentis, quae tamen ante sententiam Judicis condemnatoriam non obligat, uti bene advertit Navarrus *loc. cit.* Palao *loc. cit. n.* 4. Felinus *in c. Insinuatum. h. t.* Abbas *in c. Cum Clerici. de Pactis. num.* 2. et fuse deducit Suarez *lib.* 4. *cap.* 58. *n.* 6. Pirhing *h. t. num.* 169. Ratio est; quia nullibi reperitur textus hanc poenam ipso Jure inducens; consequenter nec nos eam inducere debemus, contra c. *Odia, et c. In poenis, de R. J. in* 6. Quod autem per sententiam Judicis *Simoniacus* condemnari, et aliis rite obtentis Beneficiis privari valeat, tenent citati, et alii Doctores, satisque clare patet ex c. 2. *de Confessis.* ibi: *Quoniam vitium hujusmodi persequi volumus, ut debemus, ipsum per definitivam sententiam duximus, ab omni Beneficio, et Officio Ecclesiastico deponendum.* cum Concordantiis. Accedit, quod haec poena includatur etiam in priori poena, depositionis nempe perpetuae ab Altari.

270 Porro si quis ob *Simoniam* per sententiam Judicis privatur aliis Beneficiis prius rite obtentis, non hoc ipso privetur etiam fructibus prius legitime perceptis, nisi exprimatur in sententia: quia aliud est privari Beneficio rite prius obtento, aliud fructibus ejusdem; hinc nisi aliter in sententia exprimatur, fructus prius legitime perceptos restituere non tenetur. Pirhing *h. t. num.* 169. Suarez, et alii.

271 Colligitur, quod etsi quis ante omnem Judicis sententiam Beneficium, quod *Simoniace* obtinuit, ipso facto perdat, illudque una cum fructibus restituere in Foro conscientiae teneatur, sitque ad illud perpetuo inhabilis, licet *Simonia* sit occultissima, delinquenti soli, et Deo nota, alia tamen Beneficia prius rite obtenta, tuta conscientia retinere, et alia etiam justo titulo acquirere, fructusque illorum percipere valeat, donec *Simonia* illius patefiat, ut ad Forum contentiosum deducatur, atque sententia condemnatoria, vel declarativa Judicis aliud statuat.

272 Resp. II. Recensitas hactenus Juris poenas incurrunt etiam illi, qui propria auctoritate commutando Beneficia, committunt *Simoniam Juris Ecclesiastici.* Abbas *in c.Cum universorum. de Rerum permut: num.* 6. Layman. *cap. ult. de Simonia. num* 66. Pirhing *h. t. n.* 155. Suarez cum communiori aliorum contra paucos alios. Ratio est: Tum quia SS. Canones, et Constitutiones Pontificiae, dum poenas contra *Simoniam* statuunt, saepe in genere, ac indiscriminatim de quavis *Simonia Reali* loquuntur; ergo etiam de *Simonia* Ecclesiastica, *arg. c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* Tum quia plures Canones expresse loquuntur de *Simonia Juris humani*, eamque poenis Juris subjiciunt, uti patet ex *c. Cum olim*, et c. *Quaesitum, de Rerum permutat. c. De hoc* 11. *h. t.* cum Concordantiis: praesertim *Extravag.* u. *h. t.* ubi omnes *Simoniaci* poenarum rei dicuntur, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserunt*; ergo.

Resp. III. Poenae contra *Simoniam* in materia Beneficiorum commissam statutae non afficiunt *Simoniam* commissam in pensiones, Vicarias, et Capellanias. Communis. Ratio est; quia Extravagans *Cum detestabile. h. t.* poenas statuens solum loquitur de Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, et quibuscunque Beneficiis; qualia non sunt pensiones etc. ut patet ex *Lib. III. Tit. V. de Praebend. et Dignit.* 273

Quaeritur V. Quid Juris circa *Simoniam*, et poenas illius, casu, quo quis Beneficium, aut Ordines acquirit per *Simoniam* non ab ipso, sed ab alio commissam? Ante Responsionem notandum. Hoc Quaesitum solvi non posse una eademque Responsione; sed attendi debere, an *Simonia* a Tertio sit commissa sciente, vel ignorante, contradicente, vel non contradicente illo, pro quo Beneficium, vel Ordo *Simoniace* procuratus fuit; item an id contigerit in ejus favorem, vel odium. Loquendo igitur de *Simonia* sic commissa circa Beneficium. Resp. I. Qui Beneficium per *Simoniam Realem* ab alio, parente v. g. consanguineo amico etc. Commissam acquirit, nulliter acquirit, tenetorque una cum fructibus ante omnem Judicis sententiam dimittere, quamprimum rescit, *Simoniam* esse commissam, etsi id prius ignoraverit, et propterea Beneficium bona fide acceptaverit, eoque frui coeperit supponens omnia esse rite et canonice facta. Unanimis et certa ob claram dispositionem Juris c. *Non fuit.* 27. *et* c. *Sicut tuis.*33.*h.t. c. penult.de Election.* et can.1.cau. 1.q.5.Nam *secundum Canonum statuta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur*, ut dicitur *cit.* c. *Sicut tuis.* 33. *h. t.* ulteriori *arg. can.* 2. *cau.* 1. *q.* 5. cum Concordantiis. Ratio est: quia omnis provisio Beneficii *Simoniace* facta, irrita est, et nulla, per Jura supra n. 264. allegata; ergo. 274

Hinc non obstat Conclusioni, quod *c. Sicut tuis.* 33. dicatur, *Electionem, ignorante Electo, Simoniace factam penitus esse reprobandam*, ex quibus verbis colligi videtur hujusmodi Collationem Beneficii proviso ignorante *Simoniace* factam, non esse ipso Jure irritam, sed primum irritandam. Nam contra est, quod, uti bene observant citati Doctores, dum ibi Electio *irritanda* praecipitur, idem est, ac *rejicienda*, seu tanquam nulla *declaranda*, utpote talis per plures alios Canones; siquidem frequens est in Jure, ut, quod uno loco dicitur *irritum*, altero dicatur *irritandum*, hoc est, tanquam *irritum rejiciendum*, et *declarandum*; sic v. g. etiam c. *In Genesi.* 55. *de Electio.* Electio contra formam Juris celebrata dicitur *irrita*, et c. *Ecclesia.* 57. *in fine* dicitur *irritanda*, id est, per sententiam declaratoriam irrita declaranda, si deducitur ad Forum contentiosum. 275

Notat tamen bene Suarez *lib.* 4. *cap.* 57. *n.* 36. et alii, quod talis, cui ignoranti Beneficium *Simoniace* collatum fuit, non teneatur restituere illos fructus, quos bona fide jam consumpsit, aut quos percepit tanquam condignum stipendium sui Ministerii spiritualis bona fide praestiti; *quia dignus est Operarius mercede sua*, per Vulgare. 276

277 Caeterum limitatur Conclusio, si ex fraude, et in odium illius, qui Beneficium obtinet, illo ignorante ab alio committitur *Simonia*; tali enim casu provisio Beneficii valida est, potestque ita provisus valide et licite illud retinere, etsi post Beneficium jam adeptum resciat, *Simoniam* ab alio esse commissam. Communis ac certa; textus clarus hunc casum excipiens habetur *c. Nobis fuit.* 27. *h. t.* ibi: *Nisi constaret illos, qui promissum tale* (Simoniacum) *fecerunt per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse.* Ratio et aequitas hujus Limitationis est; *quia non est indulgendum malitiis hominum, et non debet aliquis alterius odio praegravari*, *c. Non* 22. *de Reg. Jur. in* 6.

278 Limitatur II. Si ille, quo ignorante per alium *Simonia* commissa est, bona fide, nil sciens de *Simonia*, Beneficium per Triennium possidet. Pelsò *de Simonia. pun.* 25. n. 3. Suarez *lib.* 4. *cap.* 57. *n.* 9. Lessius *cap.* 35. *dub.* 25. *n.* 140. §. 4. et alii. Ratio est; quia juxta *Regulam Cancellariae*, 36. *de Triennali*, ille, qui per Triennium Beneficium aliquod titulo colorato pacifice possidet, non potest amplius desuper molestari. Nec obstat, quod ad fruendum favorem hujus Regulae expresse requiratur, ut *absque ingressu Simoniaco* Beneficium obtinuerit. Resp. enim, quod, cum dicta Regula in quantum favorabilis *late*, et in quantum odiosa *stricte* interpretanda sit, *arg. c. Odia. de Reg. Jur. in* 6. bene dici possit, clausulam illam tantum intelligendam esse de illo, qui vel ipse per propriam *Simoniam* Beneficium obtinuit, vel *Simoniam* alterius, qua mediante obtinuit Beneficium, statim, vel saltem intra Triennium rescivit, consequenter bona fide non possedit. Nullatenus vero esse intelligendam de illo, qui *Simoniae* alterius penitus ignarus, optima fide per Triennium pacifice possedit. Caeterum dictam Regulam habes *Lib. III. Tit. V. de Praeb. ubi a n.* 487. per extensum habentur Regulae Cancellariae, inter quas ad propositum 36. est de Triennali.

279 Dices: *secundum Canonum statuta etiam parvuli, qui cupiditate parentum per pecunias Ecclesiam adepti sunt, eam dimittere tenentur*, c. *Sicut tuis.* 33. *h. t.* ergo etiam ignorantibus, et per Triennium bona fide possidentibus Beneficium, per *Simoniam* alterius impetratum non prodest *Regula de Triennali*. Resp. Textum hunc posse intelligi de parvulis, qui vel de *Simonia* parentum ab initio fuere conscii, vel etiam intra Triennium resciverant, uti facile contingere potest, dicentibus, et lamentantibus subinde parentibus, quantum jam expenderint, vel expendere debeant pro filiis; vel dic, *Regulam de Triennali* esse conditam post illos Canones, consequenter ei derogari in casu nostro, cum Lex posterior deroget priori, *arg. c.* 1. *de Constitut. in* 6.

280 Resp. II. Si Beneficium interveniente *Simonia* ab alio commissa obtinetur, sciente illo, pro quo obtinetur, et ante Collationem expresse contradicente, non vitiatur sed valida est collatio Beneficii, etsi alter contradicente ignorante in *Simonia* pergat, eaque mediante Beneficium revera obtineatur. Communis et certa textu expresso *cit. c. Sicut tuis* 33. *h. t.* ibi: *Quoniam ex eo, quod contrà prohibitionem et voluntatem tuam* (*a qua postmodum minime recessisti*) *aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam, et exolvit, nihil tibi debet ad poenam, vel ad culpam imputari.*

281 Secus foret, et Collatio invalida esset, si quis sciret, quod alter non obstante contradictione et protestatione sua nihilominus in *Simonia* pergeret, eaque mediante Beneficium obtineret, uti colligitur ex eodem c. *Sicut tuis.* 33. *h. t.* ubi tantum ille excusatur a poena nullitatis, qui post contradictionem ignorat, Beneficium ab alio *Simoniace* pro se obtineri; consequenter ille, qui scit, non excusatur, hoc ipso, quod sciat, Beneficium *Simoniace* esse obtentum, et tamen illud acceptat; cum sic acceptando videatur in re approbare *Simonia*, et consentire in illam. Lessius cap. 35. *dub.* 25. *n.* 143.

282 Multo magis invalida est provisio Beneficii per *Simoniam* alterius obtenta, sciente, et penitus non contradicente illo, pro quo obtinetur, *arg. a Majori ad Minus.* per Vulgaria. Cujus ulterior ratio est; quia talis plane consentire videtur, uti bene advertit Glossa *in cit. c. Sicut tuis.* 33. h. t. ¶. *Praebere. Nam saepe qui tacet, consentire videtur, can. Si servus sciente. dist.* 54. et *l. Si, ut proponis. C. de Nupt.* quod ipsum etiam satis clare innuitur cit. *c. Sicut tuis.* 33. *h. t.* ibi: *Quia longe diversum est, non praebere consensum* (expressum) *et expresse contradicere.*

283 Resp. III. Si quis ignoranter per *Simoniam* alterius ordinatur, de rigore Juris, tenetur ab executione Ordinis abstinere, postquam *Simoniacam* Ordinationem resciverit, *arg. can. Praesentium, cau.* 1. *q.* 5. et *c. de Regularib. h. t.* potest tamen cum tali Episcopus dispensare, prout habetur *cit. can. Praesentium, cau.* 1. *q.* 5. juncta Glossa *ibid.* quia tales, etsi *Simoniace* ordinati sint, ipsi tamen *Simoniaci* non sunt, ut dicitur *cit. c. de Simoniac. h. t.*

284 Quaeritur VI. An? et quid speciale sit circa poenas *Simoniae Confidentialis*? Resp. *Simonia Confidentialis* (de qua supra *a num.* 32.) ipso Jure, et facto sequentes specialiter secum trahit poenas.

I. Praeter excommunicationem ipso facto incurrendam privat non tantum Beneficio, circa quod *Simonia Confidentiae* commissa fuit, sed etiam aliis Beneficiis, et pensionibus rite obtentis.

II. Inhabilem reddit ad idem, et alia quaecunque Beneficia obtinenda.

III. Facit, quod Beneficium per *Simoniam Confidentiae* nulliter acquisitum reservetur Summo Pontifici, ita ut nullus praeter illum Beneficium hujusmodi conferre valeat.

IV. Id etiam speciale habet, quod fructus ex tali Beneficio male percepti applicari debeant Camerae Apostolicae.

Et tandem V. Id specialiter operatur, quod praefatae poenae sanciebantur non tantum per *Realem*, sed etiam per *Conventionalem Mixtam*, uti patet ex Bulla Pii V. *Intolerabilis*, praesertim §. 3. ubi decernitur, poenas contra *Simoniam Confidentialem* statutas incurri, licet ipsum *Confidentiae crimen alterius tantum partis* conscientia sit *completa*. Porro reliquae enarratae poenae expresse habentur in Bulla Pii IV. *Romanum*, et Pii V. *Intolerabilis*, quam vide supra *n.* 42.

285 Notandum tamen cum Lessio *cap.* 35. *dub.* 26. *n.* 147. Suarez *lib.* 4. *cap.* 43. *num.* 13. et aliis, quod poena privationis aliorum Beneficiorum prius rite obtentorum, ante sententiam Judicis declaratoriam non obliget, eo quod poena etiam ipso Jure lata, ante sententiam judicis declaratoriam non obliget, si externam executionem requirit; prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. 10. *nu.* 217. Quae ratio, cum non procedat in poena inhabilitatis ad alia quaecunque Beneficia, non apparet quare nonnulli dicant, etiam ad eam, ratione *Simoniae Confidentialis* incurrendam requiri Judicis sententiam: Contrarium siquidem clare patet ex generalibus fundamentis de Lege poenali datis supra *Lib. I. Tit. II. num.* 226.

§. XII.

De Restitutione Simoniace acceptorum.

SUMMARIUM.

286 Quaeritur I. An? et qualis detur obligatio restituendi spiritualia *Simoniace* accepta? Resp. I. Nulla datur obligatio restituendi *Simoniace* accepta spiritualia, exceptis Beneficiis Ecclesiasticis. Suarez *lib. 4. cap.* 59. Bonacina *de Simonia. q. 7.* Palao de Simonia *pun.* 26. *num.* 1. Lessius *cap.* 35. *dub.* 29. *num.* 61. cum Communi aliorum. Ratio est; quia nullum nec Divinum nec humanum reperitur Jus, hujusmodi obligationem inducens; praesertim cum illam pro re temporali comparans, non contra justitiam, sed praecise contra Religionem peccet.

287 Nec dicas: qui *Simoniace* accipit temporale pro spirituali, debet illud restituere; ergo etiam qui accipit spirituale pro temporali, debet spirituale restituere. Resp. negando *Conseq.* et *paritatem Disparitas* est, quod accipiens temporale pro spirituali facit danti injuriam, utpote qui spirituale gratis dare debuisset juxta mandatum Christi Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date.* Nam sicut Dispensator eleemosynam gratis dispensare jussus, pauperi facit injuriam, et ad restitutionem tenetur, si pro eleemosyna tradita a paupere exigit, vel vi contractus accipit pecuniam, ita ad restitutionem tenetur, qui pro spiritualibus, quae tanquam dispensator juxta praeceptum Domini gratis distribuere debet, temporalia exigit. Econtra vero qui spirituale accipit, tradenti non facit injuriam, utpote qui illud alias gratis dare debuisset.

Dicitur autem notanter in Conclusione *exceptis Beneficiis.* Nam

288 Resp. II. Qui *Simoniace* accipit Beneficium aliquod Ecclesiasticum qualecunque tandem, sub gravissimo peccato Mortali tenetur ante omnem Judicis sententiam illud una cum omnibus fructibus perceptis restituere, ac dimittere, etiamsi *Simonia* sit occultissima, et quidem, si *Simonia* est *Confidentialis*, etiam pretio non soluto; si vero est *communis Simonia*, tunc, quando utrinque saltem ex parte jam est completa, accipiendo spirituale, et tradendo temporale saltem secundum partem. Ita unanimis et certa, prout amplius patet, et ex Jure clare probatum est §. *praeced.*

Quaeritur II. An? et cui restitui debeant temporalia *Simoniace* accepta pro spirituali? Resp. I. Qui accepit temporale sub conditione dandi, vel praestandi spirituale, et conditionem non implevit, tenetur Jure Divino, et naturali ex justitia restituere acceptum. Unanimis et certa. Ratio patet ex dictis *num.* 287. si enim restituere tenetur ille, qui pactum servando dedit spirituale pro temporali; multo magis tenebitur, qui temporale sub conditione dandi spirituale accepit, et hoc non dedit, eo quod tunc prorsus nullus nec apparens adsit titulus retinendi; econtra vero vigeat titulus restituendi ob conditionem non impletam. 289

Resp. II. Qui *Simoniace* accepit temporale pro, vel propter Beneficium aliquod Ecclesiasticum, quodcunque tandem, puta, quia ad illud aliquem elegit, vel postulavit, vel praesentavit, vel commendavit, vel idem alicui contulit, vel resignavit, tenetur sub peccato Mortali (si temporale est materiae gravis) et ante omnem Judicis sententiam restituere. Certa et communis omnium, signanter D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *in Corp.* Palao *loc. cit. n.* 4. Suarez *lib.* 4. *cap.* 60. *n.* 3. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 30. *n.* 169. Bonacina *de Simonia q. 7. pun.* 3. *difficult.* 1. *n.* 7. Sylvester *v. Simonia. q.* 20. *arg. c. De hoc.* 11. *h. t.* ibi: *Reges et Principes ejus debet inducere, ut si quae receperint, a praefato Episcopo, ut ejus Electioni praestarent assensum, Ecclesiae Oxoniensi sine diminutione restituant, cum ea sine gravi salutis periculo retinere non possint.* Ex quo Doctores recte inferunt, *Simoniace* accepta temporalia pro spiritualibus, sub gravi culpa ante omnem Judicis sententiam restitui debere, hoc ipso, quod sine salutis periculo retineri non valeant 290

Et quidem haec restituendi obligatio non tantum Juris humani Ecclesiastici, sed etiam Divini est, casu quo accipiens temporale pro spirituali non se privat bono aliquo temporali fortunae, aut honoris, sed absque omni sui praejudicio et damno temporali simpliciter dat, vel procurat spirituale, conferendo v. g. Beneficium, aut postulando ad illud, vel eligendo, vel praesentando, vel commendando etc. prout communiter tenent DD. Ratio est; quia cum talis non sit Dominus, sed Dispensator tantum hujusmodi rei spiritualis, jussus a Domino Deo, ut *gratis* distribuat *Matth.* 10. Domino, et illi a quo pro re spirituali temporale exigit, facit injuriam, peccatque contra justitiam, consequenter ex Jure Divino ad restitutionem tenetur, si aliquid exigit, prout a simili demonstravimus supra *n.* 287. in Dispensatore eleemosynae. 291

Nec excusatur ab hoc injustitiae peccato, si dicat, se temporale non exigere pro, spirituali, sed pro emolumento temporali, quod ex Beneficio alteri provenit, et quia hoc illi prae aliis conferat, vel contulerit, ad quod non tenebatur. Nam contra militant tum ea, quae supra jam dicta sunt a *n.* 135. Tum Decretum Alexandri VII hoc effugium damnantis in sequenti Propositione: *Non obstat contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento* 292

temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

293 Casu tamen, quo dans Beneficium privat se commodo, et honore temporali (prout fit in Resignatione Beneficii, utpote per quam Resignans ultro se privat temporali honore, fructibusque temporalibus, quos ex Beneficio ipse prius percepit) putant aliqui, obligationem restituendi *Simoniace* accepta temporalia, non oriri ex Jure Divino, sed Ecclesiastico duntaxat; eo, quod (ajunt) talis licet secundum Omnes committat *Simoniam* Juris Divini per dicta supra *n.* 24. tamen non peccet contra justitiam, cum resignando Beneficium, se ipsum privet commodo etiam temporali, et pro illo temporali iterum exigat. Verum quidquid sit de hoc, *Simoniacos* nil juvat; cum juxta Unanimem per dicta supra *n.* 290. etiam talis, sicut omnes alii propter Beneficium *Simoniace* accipientes temporalia, sub gravi culpa ante omnem Judicis sententiam teneantur ad restitutionem, sive dein haec obligatio ex Jure Divino, sive humano procedat.

294 Videant igitur, suamque examineut conscientiam illi, qui Beneficium aliquod contulerunt, vel resignarunt, vel ad illud praesentarunt, elegerunt, aut postularunt, commendarunt etc. an propterea *Simoniace* exegerint, vel receperint temporalia; et, si quis reum se invenit, illico restitutionem facere non omittat: Secus enim in continuo statu disgratiae, et aeternae damnationis periculo versabitur, nisi aliquem ex infra *a n.* 324. ponendis titulum a restitutione excusantem habeat, qualis certo non est risus et contemptus hujus tam certae doctrinae, nec crassa, vel affectata ignorantia illius, minus vero stulta pertinacia, qua nonnulli vermem conscientiae sopire cupientes, vel nolentes intelligere, ut bene agant, mentem et aures a rationibus, et fundamentis doctrinae sibi contrariae avertunt, ac simpliciter et sine ullo fundamento dicunt: *non credo: non teneor credere.* Tales utinam non in aeternum sentirent, quod modo credere nolunt. Certe his et similibus restitutionem *Simoniace* acceptorum temporalium facere negligentibus, sequentia scribere non dubitavit Panormitanus c. *De hoc. h. t. n.* 6. *Multi tales sunt hodie in orbe, de quorum salute diffidendum est*, cum *decedant in tali peccato: Nam peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

295 Resp. Temporalia *Simoniace* accepta intuitu Beneficii Ecclesiastici, de Jure Ecclesiastico restitui debent non ipsi danti, sed Ecclesiae, in qua Beneficium est. Ita Communis patetque clare ex *cit. c. De hoc.* 11. *h. t.* ubi expresse praecipitur, ut *Simoniace* accepta hujusmodi restituantur Ecclesiae Osoniensi. Notant tamen DD. cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *a.* 6. *ad Tertium*, Superioris arbitrio posse ea restitui pauperibus. Imo cum obligatio *Simoniace* accepta restituendi Ecclesiae, et non alii, sit tantum Lex humana, cui per consuetudinem derogatur *c. fin. de Consuetud* omnino potest consuetudine introduci, et jam introductum esse, multi asserunt, quod restituantur pauperibus.

296 Porro plures, ut Palao *de Simonia pun.* 26 n. 5. Lessius *cap* 35. *dub.* 31. *n.* 171. et alii probabile censent, temporalia intuitu Beneficii *Simoniace* accepta, ante Judicis sententiam restitui posse ipsi, qui prius dedit. Imo ante Judicis sententiam necessario esse huic restituendum, absolute docent Sotus *lib.* 9. *q.* 8. *a.* 1. *de Simonia.* et §. *ad sextum* Matth. de Moya *tract.* 6. *Miscell. disp.* 4. *q.* 6. §. 2. n. 13. Bannes 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *dub.* 2. et alii, cum quibus et nos sentimus ob sequentem rationem; quia *Simoniace* dans temporalia pro Beneficio non transfert, sed in affectu revera adhuc retinet dominium illorum temporalium; cum enim illud in nullum alium, quam in illum, qui directe, vel indirecte dedit Beneficium, transferre intendat, hic autem illius recipiendi sit incapax, manifestum est, quod apud dantem remaneat, consequenter ante Judicis sententiam eidem tanquam vero domino restitui debeat.

Si dicas, quod *Simoniace* dantem temporalia, 297
Ecclesiae in poenam delicti privet dominio praefatorum temporalium, et velit, ut Ecclesiae restituatur *cit.* c. *De hoc.* 11. *h. t.* Resp. Ex hoc tantum sequi, quod post sententiam Judicis non ipsi danti, sed Ecclesiae vel aliis juxta tenorem sententiae restitui debeant: non vero ante sententiam; cum nulla lex poenalis jure suo jam quaesito privans, vel externam executionem exigens, obliget ante sententiam Judicis, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit. a n.* 227.

Quaeritur III. An? et qualis sit obligatio resti- 298
tuendi *Simoniace* accepta temporalia pro ingressu in Religionem, collatione Ordinum, aliorumque sacramentorum et sacramentalium, vel aliarum quarumcunque rerum spiritualium administratione? Resp. I. Nulla est obligatio ante Judicis sententiam restituendi *Simoniace* accepta in ingresso Religionis pro honesta sustentatione, Pirhing *h. t. n.* 183. Palao *de Simonia pun.* 26. Lessius *cap.* 35. *dub.* 30. et alii, *arg. Extravag. Sane. h. t.* ubi Papa concedit, quod *Simoniace* accepta in ingressu Religionis possint retineri; dummodo non in privatum Abbatis, vel Abbatissae, vel alterius, sed in communem usum convertantur. Ratio est; quia licet Regulares Monasterii opulenti peccatum *Simoniae* committant, etiamsi pro honesta sustentatione quid exigant ab ingredientibus per dicta supra §. XI. tamen quia Papa concedit, quod hujusmodi *Simoniace* recepta, communi Monasterii usui tanquam piae causae remanere, et applicari valeant, favore hoc utique frui poterit Monasterium juxta tenorem textus *in Extravag. Sane. h. t.* sic habentis: *Insuper ergo personas illas, quae in praemissis recipiendo aliqua contra Canonicas Sanctiones peccare noscuntur, volentes nos reddere gratiosos, omnia recepto hujusmodi, si ad communem usum Monasteriorum, seu locorum eorum sunt applicata, ea ad dictum usum concedimus retineri: si vero ad specialem usum Abbatis, vel Abbatissae, Prioris, aut Priorissae, aut alterius singularis personae retineantur, illa venire praecipimus in Communi.*

Resp. II. Qui temporalia *Simoniace* accepit pro 299
Collatione Ordinis, aliorumve Sacramentorum, vel Sacramentalium, aut rerum quarumcunque tandem spiritualium, quae conferentur sine damno aut incommodo temporali conferentis; cujusmodi sunt Dispensationes, Absolutiones, Indulgentiae etc. *Jure Divino*, consequenter ante omnem Judicis sententiam restitui debent, Suarez *lib.* 4. *de Simonia. cap.* 59. *num.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 28. *num.* 162. Layman *de Simonia.* §. 9. *num.* 79. Pirhing *h. t. num.* 175. Ratio est; quia cum ex mandato Domini Dei. *Matth.* 10. haec et similia spiritualia *gratis* conferre debeant Dispensatores (cujusmodi et non dominus respectu spiritualium est quivis conferens illa) injuste agit, et injuriam facit alteri, qui ab illo pro tali re spirituali *gratis* exhibenda, pretium exigit, prout supra *n.* 291. jam dictum et *n.* 287. a simili demonstratum est in eleemosynae Dispensatore contra voluntatem Domini pretium aliquod exigente, cui eleemosynam dispensat.

Et quidem Conclusio etiam procedit in *Simonia* 300
Mentali: quia, cum juxta dicta *n. praeced.* obligatio restituendi *Simoniace* accepta procedat ex Jure

divine, non declinat illum qui quantumvis, occulte, Simoniace, et injuste accipiendo, injuriam facit Tertio. Confirmatur a pari de usura *Mentali*, utpote quae de Jure naturae, et in conscientia ante omnem Judicis sententiam aeque obligat ad restitutionem, ac manifesta, textu claro, *c. Consuluit*, 9. *de Usuris.*

301 Dices, *c. Tua nos.* 34. *et c. fin. h. t.* expresse habetur, ob *Simoniam* absque pacto externo commissam nullum subjacere Juris poenis, quod etiam nos diximus supra *n.* 234. ergo nec oneri restituendi. Resp. Negando *Conseq.* quia onus restituendi *Simoniace* accepta temporalia non est poena Juris, sed obligatio et justitia et Jure Divino procedens, ob injuriam illatam *Tertio.* Quae obligatio etiam occultissima delicta afficit, hoc ipso, quod Juris Divini *Conditor, Scrutator sit cordium, et Cognitor Secretorum, cit. c. Tua nos. h. t.*

302 Dicitur autem notanter in Conclusione: *Quae conferuntur sine damno, aut incommodo temporali conferentis*; quia in casu, quo conferens Sacramentalia, subit damnum temporale, privando se commodo aliquo temporali, prout fit in rebus spirituali annexis, ut dum v. g. vendit sacrum calicem, oleum etc. non tenetur ad restitutionem, *si* plus non exigit, quam res illa spirituali annexa valet, aut incommodum temporale, quod subit, efficit: imo in hoc nullam committit *Simoniam*, per dicta supra *n.* 221.

§. XIII.

De Causis, et Titulis excusantibus a Simonia, vel poenis, ac restitutione Simoniace acceptorum.

SUMMARIUM.

303 *Tituli excusantes a* Simonia *recensentur.*
304 *Ignorantia invincibilis etiam excusat* a Simonia.
305 *Sicut et labor extrinsecus, non item intrinsecus.*
306 *Pro Missa et aliis ob laborem extrinsecum plus exigitur*
307 *Nisi talis labor aliunde jam debeatur.*
308 *Vexatio potest esse varia.*
309 *Non est* Simonia *alicui cuicunque dare temporale, ne injuste te vexet in spirituali jam acquisito.*
310 *Vel etiam acquirendo, si injuste vexat, qui solum nocere non autem prodesse potest de Jure.*
311 *Ut si vexat te injuste diffamando.*
312 *Injuste detinendo.*
313 *Aut importunis precibus alium minus dignum commendando.*
314 Simoniacum *est, dare temporale, ne talis, qui de Jure prodesse potest, injuste vexet, injuste negando Votum v. g.*
315 *Doctrina practica ad propositum.*
316 Simoniacum *est, dare alicui cuicunque tandem temporale, ne Vexationem justam incipiat, vel prosequatur, juste accusando v. g. vel defectum Canonicum manifestando etc. Et tribus nu. seqq.*
320 *Causae et Tituli, qui excusant a peccato seu culpa* Simoniae, *excusant etiam a poenis.*
321 *Ignorantia poenae non excusat ab ea, qui peccatum* Simoniae *committit.*
322 *Transgressores legis puniuntur etiam poenis, quas ignorarunt: ut anm. praeced.*
323 *Ignorantia Censurae excusat ab ea.*
324 Simoniace *accepta temporalia tenetur quis restituere, etsi accipiendo illa ignorarit, se peccare.*
325 *Praesertim* Simoniace *acceptum ob Beneficium Ecclesiasticum.*
326 *Nisi quis hujusmodi* Simoniace *accepta jam praescripserit.*
327 *Quantum temporis requiratur ad hanc praescriptionem? Remissive.*
328 *Doctrina practica de praescriptione* Simoniace *acceptorum temporalium.*
329 *Qui Beneficium Ecclesiasticum ab aliis ipso ignorante* Simoniace *procuratum per Triennium bona fide possedit, non tenetur amplius illud restituere.*
330 *Bene vero, si intra Triennium id rescit.*
331 Simoniace *Beneficium procurans non gaudet Regula de Triennali, sed tenetur illud una cum fructibus restituere.*
332 *Illis exceptis, quos praescripsit.*

Quaeritur I. Quae Causae, vel Tituli excusent a *Simonia*? Resp. Sequentes potissimum I. Si temporale pro spirituali aut econtra omnino gratis sine ullo explicito et implicito pacto datur, juxta dicta §. V. *supra.* II. Si post acceptum spirituale datur temporale, aut econtra, ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi *Antidorali*, per dicta supra *n.* 117. III. Si Ministris Ecclesiae temporale per modum stipendii ad honestam sustentationem pro administratione Sacramentorum, pro Missis, et aliis functionibus spiritualibus, per dicta supra *a n.* 180. IV Excusat ignorantia invincibilis juxta dicenda *n. seq.* V Labor extrinsecus, per dicenda infra *n.* 305. VI. Redemptio *Vexationis injustae*, juxta dicenda *a n.* 308. 303

Quaeritur II. An? et qualis Ignorantia excuset a *Simoniae*? Resp. Ignorantia, quae non est crassa vel supina, sed invincibilis excusat a peccato *Simoniae* Communis et certa. Ratio est: quia Ignorantia a quovis alio, ergo etiam a *Simoniae* peccato excusat. Quod autem a quovis alio peccato excuset, late probant Theologi praecipue ex illo fundamento, quod ad peccatum requiratur consensus, ignorantis autem nullus est consensus, *l. Si per errorem.* 15. *ff. de Jurisdict. omnium Judic.* 304

Dicitur autem notanter, *invincibilis*, quia vincibilis, crassa nempe supina, vel affectata ignorantia, uti a nullo alio, ita nec a peccato *Simoniae* excusat. Num autem quis revera habeat ignorantiam invincibilem, cujusvis conscientiae relinquitur. Illi, quod sibi timeant, certe habent, qui de *Simonia* nec audire, nec legere aliquid volunt nolentes intelligere, ut bene agant; vel qui legunt quidem, aut ab intelligentibus rem audiunt, tamen statim exentiunt, aut parum curando rident, et contemnunt; relege etiam dicta ad propositum *n.* 294.

Quaeritur III. An? et qualis labor excuset a *Simonia*? Resp. Propter laborem functioni aut ministerio spirituali extrinsecum, et per accidens conjunctum, non item propter intrinsecum absque *Simonia* acceptari et exigi potest temporale pro spirituali, consequenter *labor extrinsecus* (aliunde non debitus) non item *intrinsecus* ab illa excusat, Palao *de Simonia. pun.* 11. *n.* 3. Gutierrez *Canon qq. cap.* 29. *n.* 25. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 8. *n.* 45. Bonacina *de Simonia. Disp.* 1. *q.* 6. *pun.* 3. *n.* 2 cum Glossa communiter accepta *in c. significatum. de Praebendis.* Pro intelligentia Conclusionis notandum, cum Communi DD. illum *laborem* esse, et dici *extrinsecum* functioni alicui spirituali, eique per accidens conjunctum, sine quo Ministerium, seu functio hujusmodi spiritualis in se bene fieri potest: sic v. g. celebrationi Missae *labor extrinsecus* et per accidens 305

conjunctus est itineratio per unam vel alteram horam a loco distantem: Econtra vero pronuntiatio verborum, motus membrorum etc. in celebratione Missae facta necessarius, est *labor* Missae *intrinsecus*, eo quod sine illo, non item sine isto Missa celebrari valeat. Ratio Conclusionis est; quia hoc ipso, quod labor *primi generis* ab extrinseco, et per accidens tantum sit conjunctus functioni spirituali, non perdit per hujusmodi conjunctionem, aestimationem, et valorem suum, quem ex se tanquam quid temporale habet; consequenter pro illo, seu propter illum rei spirituali annexum, temporale quid absque ulla *Simonia* exigi poterit. Econtra vero, quia *labor intrinsecus* ab ipsa actione sacra non distinguitur, sed cum ipsa unum opus efficit, utrumque sacrum est, exigi pro illo aliquid spirituale absque *Simonia* non poterit; verificaturque de illo id, quod dicitur can. *Si quis objecerit.* 7. cau. 1. q. 3. ibi: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

306 Infertur cum communi DD. a *Simonia* excusari illos, qui plus, quam in tali loco dari solet, pro Missa exigunt ex eo, quod sua cum incommoditate debeant eam celebrare certo tempore, vel in loco distanti, vel (uti Bonacina vult, et consuetudo approbet) alta voce. Idem est de aliis functionibus spiritualibus, si tali aut simili cum labore extrinseco, incommoditate, lucro cessante, aut damno emergente fieri debent; dummodo, plus non exigatur, quam talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum a parte rei juxta prudentem aestimationem valet: Secus enim haud dubie *Simonia* committeretur, cum excessus ille jam non pro temporali, sed pro spirituali exigeretur; uti bene advertunt cum communi aliorum citati Doctores.

307 Dicitur autem notanter in Conclusione *labor extrinsecus aliunde non debitus*: Nam si quis ad extrinsecum talem laborem, vel incommoditatem aliunde, v. g. ex Officio, fundatione, contractu etc. tenetur, ac pro tali labore etc. spiritualibus conjuncto competens salarium, aut stipendium habet, pro illo nequaquam aliquid alterius exigere valet absque peccato *Simoniae*; quia cum in hujusmodi casu, talis careret omni justo Titulo aliquid exigendi, pro ipsa re spirituali temporale exigere censeretur, prout bene advertunt DD. Hinc Parochus, vel Capellanus vel nil, vel non plus, quam pia et laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, et incommoditate, quam habet portando Sanctissimum ad infirmum Parochianum una vel duabus horis distantem; quia ad id ex Officio tenetur, ob quod suos reditus et stipendium jam habet.

308 Quaeritur IV. An? et quando a *Simonia* excuset *Redemptio vexationis*? Ante Responsionem notandum, *Vexationem*, aliam esse justam, et aliam esse injustam; item aliam esse, quae fit ab illo, qui solum obesse, non vero de Jure prodesse potest: rursus aliam esse, qua quis vexatur in jure ad rem, uti est v. g. electus sed nondum confirmatus, praesentatus sed collationem nondum consecutus, vel hanc quidem sed investituram nondum habens; et aliam, qua quis vexatur in jure quod habet in re. Hoc notato

309 Resp. I. Non est *Simonia*, pretium temporale dare ad redimendam *injustam Vexam*, quam quis patitur in Jure spirituali jam plene quaesito, et quod habet in re, a quocunque tandem Vexatio haec proveniat. Navarrus *Manual. cap.* 23. *num.* 102. Abbas *in c. Dilectus.* 28. *h. t. num.* 3. Palao *de Simonia pun.* 20. *num.* 1. D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Pirhing *h. t. num.* 105. cum communi aliorum, *arg. can. Quaesitum.* 4. *cau.* 1. *q.* 3. et *c. Dilectus.* 28. *h. t.* ubi *Simoniae* non arguuntur, qui ad redimendam *injustam Vexam*, quam passi erant in jure jam quaesito, temporalia dederunt. Ratio est; quia qui dat temporale ad redimendam *injustam Vexam*, in jure spirituali, quod plene jam habet, non dat illud pro jure spirituali, utpote quod jam habere supponitur, sed pro tollenda, vel impedienda injusta molestia et injuria, quod est quid temporale.

Infertur, illum immunem esse a *Simonia*, qui dat, vel praestat temporale alicui, ne injuste vexet ipsum diffamando, accusando, et talia proponendo, ob quae collatio Beneficii, quod actu licite et valide jam possidet, de Jure haberetur, nulla, vel eo privari posset etc.

Resp. Non est *Simonia*, pecunias, aut quid aliud temporale dare ad redimendam *injustam Vexam* etiam in jure spirituali nondum plene quaesito, ei vexat, seu molestat talis, qui vel penitus non, vel ad obtinendum Beneficium de Jure prodesse non potest, eligendo v. g. praesentando, conferendo, confirmando etc. licet obesse valeat infamando v. g. vel alia injusta obstacula aut impedimenta ponendo, ne rite electus confirmetur, aut ne praesentatus instituatur etc. Suarez *de Simonia. cap.* 50. *num.* 23. Palao *de Simonia* §. 2. *num.* 22. Ugolin. et Communis aliorum. Ratio est; quia etiam in tali casu non datur temporale pro spirituali Jure acquirendo, hoc ipso, quod injuste vexanti temporale non dem, ut mihi conferat spirituale, utpote qui ex supposito non potest, nec, ut pro illo acquirendo me commendet, ac preces interponat, sed praecise ut injuste impedimenta non ponat, aut *injustam Vexam* non incipiat, vel inceptam continuare desinat, quod cuivis licitum est; cum quivis habeat jus quaesitum in libertate et fama sua, omnemque injuriam a se repellere valeat, *per vulgaria*. 310

Infertur, *Simoniam* non committi in sequentibus. I. Casu, quo Sempronius de Jure ad Beneficium obtinendum prodesse nil valens, injuste vexat Maevium, infamando ipsum, vel denigrando apud eligentem, confirmantem, praesentantem, conferentem etc. vel alias injuste agendo contra ipsum, ut vel non eligatur, vel electus Confirmationem non obtineat, vel non praesentetur, vel praesentatus non instituatur, vel alias a Beneficio acquirendo impediatur; *Simoniam* (inquam) non esse, si Maevius pecunias offerat Sempronio, ut ab injusta Vexatione desistat, aut eam non incipiat. 311

II. Pariter non committitur *Simonia*, quando quis alicui dat pecuniam, ne ipsum injuste detineat, aut impediat venire ad concursum, Electorem, praesentatorem conferentem etc. ibique pro Beneficio acquirendo laborare. 312

III. Non est *Simonia*, si promittas, aut praestes alicui temporale, ne importunis precibus, aut muneribus animum eligentis, praesentantis, confirmantis etc. a te avertat, illumque pro alio minus digno disponat, uti specialiter advertunt Palao *loc. cit. num.* 5. Lessius *loc. cit. num.* 109. Suarez *loc. cit. num.* 65. Valentia cum Communiori aliorum contra Sotum. Ratio est: Tum quia etsi talis non faciat tibi injuriam contra justitiam commutativam, facit tamen tibi nocumentum contra charitatem, et male agit etiam contra justitiam saltem distributivam. Tum etiam, quia in tali casu non das pecuniam, ut illam accipiens tibi Beneficium conferat, aut ad illud te promoveat, sed tantum ne te per suas preces, vel munera contra charitatem impediat; ergo. 313

Resp. III. Si talis, qui de Jure prodesse potest, 314

injuste vexat, v. g. injuste negando votum in Electione, vel confirmatione, vel praesentatione, vel institutione, vel collatione etc. *Simoniacum* est, promittere, dare, vel praestare temporale ad tollendam Injustam illius Vexam. D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Suarez *loc. cit. num.* 18. Palao *de Simonia. num.* 4. Pirbing *h. t. num.* 109. Lessius *loc. cit. num.* 106. cum Communi aliorum, et aperte constat ex *c. Tuis.* 33. *h. t.* ubi tam Episcopus injuste negans confirmationem rite electo, quam illi, qui ad tollendam *injustam* Episcopi *Vexam*, pro obtinenda debita confirmatione pecuniam dederunt, *Simoniaci* habentur. Idem etiam patet ex c. *Matthaeus.* 23. *eod.* Ratio est; quia, dum quis alicui dat temporale, ne votum, confirmationem, collationem, institutionem injuste deneget, hoc ipso temporale illi porrigit, ut spirituale hujusmodi sibi tribuat; eo quod etiam injusta negatio voti, confirmationis etc. non tollatur nisi actuali datione illius; dare autem temporale, ut detur spirituale, aperta *Simonia* est, per haetenus dicta; ergo.

315 Infertur, *Simoniam* committere illum, sive saecularem, sive Regularem, qui sciens et timens, aliquem sibi adversarium vel inimicum, vel inique corruptum, aut correptendum, temporale *Munus a lingua*, *a Manu*, vel *obsequio* eidem praestat, vel offert hoc pacto, vel etiam ex hoc motivo, ne injuste sibi votum deneget in futura electione ad Episcopatum, Decanatum, Abbatiam, Provincialatum etc.

316 Resp. IV. Certo committit *Simoniam*, qui alicui cuicunque tandem sive de Jure ad Beneficium prodesse valenti, sive non, temporale dat vel praestat, ne *Vexationem justam* incipiat, vel ut ab incepta desistat in Beneficio, sive acquirendo, sive acquisito. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop. allegat.* 60. *num.* 55. Suarez *loc. cit. cap.* 50 *num.* 10. *et* 11. Abbas *in c. Cum pridem.* 4. *de Pactis.* et ibi Glossa ¶. *Non duximus.* Palao *de Simonia, punc. num.* 2. Lessius *loc. cit. num.* 107. Reginaldus, eoque teste Omnes, *arg. cit. c. Cum pridem.* 4. *de Pactis*, et *c. Matthaeus* 22. *h. t.* Ratio est; quia, quando quis in Beneficio acquirendo, vel acquisito, juste impugnatur, aut impugnari potest, jus vel nullum, vel saltem non firmum habet ad Beneficium; consequenter si mediante temporali justam impugnationem, seu *Vexam* avertit, viam per temporale ad spirituale sibi parat, et mediante temporali jus ipsum, aut saltem firmitatem ejus procurat.

317 Infertur, *Simoniam* committi I. Si duobus de Beneficio aliquo litigantibus unus det alteri temporale, ut a lite desistat; prout etiam jam diximus *Lib. I. Tit. XXXVI. de Transact. n.* 36. ubi tamen *n.* 40 *et seqq.* addidimus, interveniente auctoritate Episcopi fieri posse Transactionem.

318 II. Si alicui detur temporale, ne electionem, praesentationem, collationem, aut ipsum Beneficium jam possessum impugnet, quod de Jure bene impugnare potest, aut ut ab impugnatione juste desistat.

319 III. Si alicui datur, aut praestatur temporale, ne alterius defectum, vel impedimentum Canonicum in ordine ad privandum alterum Beneficio, aut impediendum ab eo revelet.

320 Quaeritur V. An? et quae Causae excusent a poenis *Simoniae*? Resp. Omnes Causae, et Tituli, qui per dicta *a n.* 303. excusant ab ipsa *Simonia*, seu quae faciunt, quod quis dando temporale pro spirituali, aut econtra, culpam seu peccatum *Simoniae* non committat juxta dicta supra *a n.* 303. excusant etiam a poenis contra *Simoniam* statutis. Communis et certa. Ratio est; quia ubi nulla culpa, ibi nulla poena, *arg. l. Si pictator*, 31. *ff. ad Legem Aquiliam*, *l. Sancimus.* 22. *C. de Poenis.* et c. *Sine culpa. de Reg. Jur. in* 6. ibi: *sine culpa, nisi causa subsit, non est puniendus*, cum Concordantiis. Nec est in hoc aliqua controversia. Et procedit Conclusio etiam de ignorantia, ita, ut casu, quo haec excusat a culpa, excuset, etiam a poenis: si vero a culpa non excusat, nec a poenis excuset, etsi has invincibiliter ignoretur, ut patebit ex sequenti Conclusione. Nam

Resp. II. Qui scit, vel dubitat (nam universaliter, qui cum dubio practico antecedente operatur, eodem peccato se inquinat, quo scienter peccans juxta communem Theologorum) se peccare, et *Simoniam* committere dando rem temporalem pro spirituali, aut econtra, non excusatur a poenis *Simoniae* ab Ecclesia contra *Simoniacos* statutis, etsi has invincibiliter ignoret, exceptis Censuris. Sotus in 4. *dist.* 6. *q.* 8. Jul. Clarus §. *fin. q.* 85. ¶. *Secundus est casus.* Azorius *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15. *q.* 1. *et* 2. Covarruvias *in c. Alma Mater p.* 1. §. 10. *num.* 9. Herinx *p.* 2. *tr.* 10. *Disp* 5. *q.* 3. *num.* 28. *et* 29. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. Sanch. *lib.* 9. *de Matrim. Disp.* 32. *num.* 21. Molina *Tr.* 10. *Disp.* 71. *num.* 9. Suarez, Sotus, Corduba, Avila, Ledesma, et contra paucos quosdam communissima aliorum, universaliter docentium, quod ignorantia poenarum a Lege impositarum non excusat eum, qui Legem culpabiliter transgreditur. Inter quos Azorius ait, rem esse certam; Covarruvias autem non dubitat dicere, contrarium esse *errorem admodum manifestum*, imo *maximam ne dicam* (ait ipse) *pudendam oscitantiam*, probatque dein ad longitudinem, et defendit suam opinionem. Ratio Conclusionis est: Tum quia ignorantia solius poenae non tollit causam poenae, id est, culpam ergo nec affectum seu ipsam poenam: Tum quia qui scienter et culpabiliter transgreditur legem, jam hoc ipso reum se facit poenae delicto proportionatae a lege jam impositae, vel imponendae, et jam saltem implicite scire, indeque etiam in eam consentire videtur, hoc ipso, quod cuivis notorium sit, crimina et legis transgressiones justa, ac proportionata poena vel per Legem jam imposita, vel per Judicem imponenda puniri. 321

Confirmatur universali praxi omnium Tribunalium Ecclesiasticorum, et Laicalium, qua constat, Malefactores, et Legum Transgressores variis affici poenis, rotae v. g. patibuli, gladii, combustionis, exilii, etsi invincibiliter ignorarint, delicta a se committenda, et commissa poenis hujusmodi subjacere. Quin imo Ter. Optimus, ac Justissimus Judex Deus variis poenis aeternis et temporalibus peccatores et Legis suae transgressores affligit, etsi peccantes ignorent, se ob peccata has poenas in specie incurrere, quia sufficit, eos scire, quod legem transgrediendo culpam et peccatum committant, peccatum vero poena proportionata juste puniri. 322

Dicitur autem notanter, *exceptis Censuris*: 323 Omnes enim fatentur, ignorantiam Censurae excusare ab ea incurrenda, etsi caeteroquin contra legem agendo, gravissime quis peccet. Ratio est: quia ad incurrendam Censuram requiritur contumacia, haec autem non adest, ubi ignorantia Censurae habetur, uti magis dicetur infra *Tit. XXIX. de Sentent. Excommunicat.* ergo.

Quaeritur VI. An? et quae Causae excusent a 324 restitutione *Simoniace* acceptorum? Resp. II. Quicunque *Simoniace* accepit aliquid temporale pro, vel propter spirituale, praesertim Beneficium Ecclesiasticum, indeque ad restitutionem illius temporalis tenetur, juxta dicta *a num.* 289. nullatenus

excusatur a restitutione hujusmodi rei temporalis, licet accipiendo talem rem invincibiliter ignoraverit obligationem, et onus restituendi illam, imo etiamsi invincibiliter ignoraverit, se ita accipiendo peccare, indeque bona fide acceperit, et possidere inceperit; nisi jam adsit *Praescriptio*. Haec Conclusio necessario sequitur ex dictis a *num.* 289. Quia, cum juxta ibidem dicta onus restituendi acceptum temporale pro spirituali, non tam sit poena a Jure humano proveniens, quam obligatio consurgens a Jure Divino, et naturali, vi cujus quivis tenetur restituere rem alienam, palam est, eum, qui *Simoniace* accipit temporale pro spirituali, teneri illud restituere, quamprimum rescit illud tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxiam; etiamsi prius illam accipiendo, id ignoraverit.

325 Dicitur notanter *praesertim Beneficium Ecclesiasticum*, quia *Simoniace* accepta pro vel propter hoc temporalia, esse obnoxia restitutioni ex justitia, consequenter ex Jure Divino, specialis habetur certitudo ob damnatam ab Alexandro VII. opinionem contrariam allegatam supra *n.* 292.

Limitatur tamen Conclusio in *Simoniace* acceptis pro ingressu in Religionem, juxta dicta *n.* 298.

326 Resp. II. *Praescriptio legitima* excusat a restitutione *Simoniace* accepiorum; consequenter, qui *Simoniace* accepit temporale pro spirituali bona fide putans, id esse licitum, vel sciens quidem, id illicitum et *Simoniacum*, ignorans tamen invincibiliter, hoc etiam contra justitiam, et consequenter ita acceptum tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxium, talis rem praescribit, et facit suam, nec tenetur illam amplius restituere, sed valide ac licite retinere potest, si tempore ad *Praescriptionem* requisito eam bona fide possidere continuat. Haec Conclusio, ejusque probatio desumitur ex generali doctrina de *Praescription.* vi cujus juxta communem omnium quivis requirit dominium rei alienae, quam vero, vel colorato titulo, bona fide, legitimo tempore possedit, prout ample dictum habetur *Lib. II. Tit. XXVI. de Praescription.* ergo etiam, qui *Simoniace* pro spirituali accepit rem temporalem, eamque ut suam legitimo tempore bona fide possidere continuat, dominium illius acquirit; praesertim quia semper adest etiam titulus saltem coloratus, tacitum nempe, vel expressum pactum.

Si quaeras, quantum temporis requiratur ad *Praescriptionem*? Resp. Id patere ex dictis cit. *Lib. II. Tit. XXVI. de Praescript.* ubi §. VI. plene declaratum, et probatum habes, quod ad praescribendas *Res mobiles* requiratur, et sufficiat Triennium cum titulo et bona fide: *Res immobiles* vero praescribantur Decennio inter praesentes, et viginti annis inter absentes.

328 Infertur eos, qui vel *Simoniam*, vel obligationem restituendi *Simoniace* accepta ignorantes pro spiritualibus accipiunt bona aliqua mobilia, et bona fide per Triennium retinent, ad restitutionem illorum non amplius teneri: Eos vero, qui vel ab initio, sciunt, vel intra Triennium legendo, vel audiendo sufficientem notitiam acquirunt temporalia pro spiritualibus juste accipere non posse, et accepta restitutioni obnoxia esse, ea Jure Divino et naturali restituere debere, quantumvis postea longo tempore ea possideant.

329 Resp. III. Qui Beneficium Ecclesiasticum ab aliis, ipso ignorante, *Simoniace* procuratum, bona fide per Triennium possidet, non tenetur illud, vel fructus inde perceptos restituere. Patet Conclusio ex dictis *n.* 278. *et seq.*

Resp. IV. Qui intra Triennium rescit Beneficium, quod habet, ab aliis, ipso ignorante, *Simoniace* procuratum, et collatum fuisse, tenetur illud illico restituere; fructus tamen interea bona fide perceptos retinere potest. Constat Conclusio ex dictis supra *n.* 274. *et seq.*

Resp. V. Quicunque Beneficium *Simoniace* scienter procurat, tenetur illud una cum fructibus ante omnem Judicis sententiam restituere. Haec quoque Conclusio patet ex dictis supra *num.* 264. *et* 265. ac procedit, etsi *Simoniace* procurans ignoraverit, Beneficium ita procuratum, esse nullum, et dimissioni seu restitutioni obnoxium. Ratio est, quia juxta dicta *num.* 321. ignorantia poenarum *Simoniae* (inter quas etiam est nullitas Collationis Beneficii per dicta *n.* 264.) non excusat ab illis, si quis ipsius culpae *Simoniacae* reus est. 331

Circa fructus tamen illud advertendum, quod, qui Beneficium *Simoniace* procuravit quidem, ignoravit tamen Collationem Beneficii *Simoniace* factam, esse irritam, et Beneficium dimittendum, fructus illos, quos bona fide interea percepit, et per Triennium possedit, restituere non amplius teneatur; quia, cum in tali casu fructus tanquam quid mobile cum titulo saltem colorato, et bona fide possederit, suffragatur ei *Praescriptio* per dicta. 332

§. XIV.

De Dispensatione in poenis Simoniae; et Absolutione a Censuris ob eam incursis: ubi etiam de Judice Simoniae, et Testibus contra eam.

SUMMARIUM.

333 *Ab Excommunicatione ob* Simoniam *incursa solus Papa potest absolvere.*

334 *Et Mendicantes vi privilegii, si incurritur hoec poena ob* Simoniam *in Beneficio, vel Religionis ingressu.*

335 *In poenis ob* Simoniam *in Collatione, vel susceptione Ordinum commissam etiam occultam, nullus praeter Papam dispensare potest.*

336 *Si Beneficium* simplex Simoniace *fuit obtentum, Beneficiario ignorante, potest Episcopus dispensare, quod illud retineri valeat.*

337 *Idem potest, si est Praelatura aut Beneficium Curatum, dummodo Collatio illius per sententiam reprobata non sit.*

338 *Poenam inhabilitatis ad Beneficium Episcopus dispensando tollere non potest, quando* Simonia *ab ipso Beneficiario, vel illo sciente ab aliis fuit commissa.*

339 *Idque procedit etiam in Foro interno, quidquid dicant alii: Et n. seq.*

340 *Episcopus non habet potestatem dispensandi in Foro interno in cunctis poenis occulto delicto per Papam impositis.*

341 *Licet Papa dispensare possit in quavis poena* Simoniae, *tamen rarissime dispensat: et quare?*

342 *Causae dispensandi allegari possunt scandalum, et paupertas Rei.*

343 *Quando* Simonia *est publica, Dispensatio pro foro externo obtineri debet a* Dataria.

344 *Quando vero est occulta, procuratur pro Foro interno* in Poenitentiaria.

345 *Quid in praxi observandum pro Dispensatione obtinenda?*

346 *Quaenam observare debeat Executor Litterarum Dispensationis in poenis* Simoniae?

347 *Et quibus verbis, vel qua Formula dispensandi uti debeat?*

348 *In causis* Simoniae *solus Judex Ecclesiasticus cognoscere potest.*

349 *Ad accusandum* Simoniam *quivis etiam Criminosus admittitur.*

350 *Facta accusatione accusatus statim suspensus est a celebrandis Missarum solemniis, si de* Simonia *jam est diffamatus.*

351 *Contra* Simoniam *quivis etiam alias Criminosus potest esse Testis, dummodo non sit inimicus capitalis Rei, nec perjurus.*

352 *Verum tamen Testes de Jure inhabiles etiam in hac causa sine adminiculis plene non probant.*

333 Quaeritur I. Quinam possint absolvere ab excommunicatione, et dispensare in poenis ob *Simoniam* incursis? Resp. I. Ab Excommunicatione, quam incurrunt committentes *Simoniam* in ingressu in Religionem, vel Beneficio Ecclesiastico, solus Papa absolvere potest. Omnes. Ratio est, quia Papa illam sibi specialiter reservavit, *Extravag.* 1. *et* 2. *h. t.*

334 Ex privilegio tamen, quo Mendicantes absolvere possunt a casibus Papae reservatis, etiam ab ista Excommunicatione absolvere valent; dummodo non sit publica, et ad Forum contentiosum deducta. Palao *de Simonia punct. fin. n.* 2. Suarez *lib.* 4 *de Simonia cap.* 61. *n.* 4.

335 Resp. II. Nullus praeter Papam absolvere potest ab Excommunicatione, Suspensione, Interdicto, vel aliis poenis, quae ob *Simoniam* in susceptione, et collatione Ordinum committitur, etiamsi *Simonia* sit occulta. Ratio est; quia praeterquam quod dispensatio in his poenis de Jure expresse sit reservata Summo Pontifici *c. penult. h. t. can. Erga* 110. *cau.* 1. *q.* 1. Sixtus V. in Bulla *Sanctum et salutare*, quae est 91. inter Constitutiones dicti Papae *in Bullario Cherub.* Dispensationem etiam in collatione, susceptione Ordinum commissam, soli Sedi Papali reservavit, cum expressa derogatione omnium Privilegiorum, ac etiam Concil. Tridént. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6. vi cujus alias Episcopi possunt in omnibus Suspensionibus, et Interdictis occultis (excepto proveniente ex homicidio voluntario) dispensare, et ab omnibus casibus occultis absolvere. Et quamvis Clemens VIII. reduxerit hanc Bullam ad terminos Juris communis, tamen in iis, quae Sixtus V. statuit contra *Simoniacos*, eandem confirmavit. Putat autem Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 24. *n.* 134. Hanc Bullam circa hoc non esse ubique esse receptam.

336 Quaeritur II. An Episcopus, vel alius praeter Papam dispensare possit in poena nullitatis, et inhabilitatis ad idem, vel aliud Beneficium, ita ut vi talis Dispensationis possit quis Beneficium *Simoniace* obtentum retinere, vel illud aut aliud de novo acquirere? Resp. I. Quando *Beneficium* aliquod *Simplex* Simoniace procuratum est ab aliis, Beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter Beneficium bona fide acceptante, potest cum illo dispensare Episcopus, ut illud de novo acquirere valeat; dummodo id prius resignet. Abbas *in c. de Simoniac.* 22. *h. t.* Palao *de Simonia punct. fin. nu.* 5. Pirhing *h. t. nu.* 173. cum Communi et certa aliorum, ob claram Juris dispositionem *c. penult. de Election.*

337 Dicitur autem notanter, *Beneficium Simplex*, quia si Praelatura, vel Dignitas aliqua praefato modo *Simoniace* procuratur, aut Beneficium *Curatum*, quae in hoc aequiparantur *arg. c. de Multa, de Praebend.* non potest Episcopus dispensare, ut talis Beneficium *illa vice* retinere, vel de novo acquirere valeat, sed debet tale prius alteri conferri, et postea, si iterum vacare contigerit, poterit rursus conferri tali *Simoniam* ab alio commissam ignoranti, uti advertunt Doctores citati, *arg. cit. c. penult. de Election.* Verum si istud *c. penult.* bene examinatur, clare apparet, hoc intelligendum esse de casu, quo ob *Simoniam* alterius per sententiam fuit reprobata, vel irrita declarata Electio, vel Collatio: consequenter, si per sententiam in Foro externo reprobata non fuit talis Beneficii provisio, etiam *pro illa vice* dispensare poterit Episcopus, quod quis Dignitatem quoque, aut Beneficium *Curatum* per Simoniam alterius, bona fide obtentum retinere, vel potius de novo acquirere valeat, si prius illud resignet. Sic enim habet textus: *Si alicujus electionem propter* Simoniam *eo ignorante ac ratum non habente commissam contigerit reprobari, cum eo super praelatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare: quamvis circa eum, qui ignoranter decepit Simplex Beneficium per Simoniacam pravitatem post liberam resignationem Dispensatio Episcopi toleretur.*

Resp. II. Si Beneficium aliquod, qualecunque 338
tandem per alium *Simoniace* fuit obtentum, Beneficiario sciente, et tacite, vel expresse consentiente, aut ipsomet *Simoniace* procurante, Episcopus nec pro Foro externo nec pro interno potest dispensare, ut Beneficium hujusmodi retinere, aut idem *hac*, vel *alia vice* de novo iterum acquirere valeat *Simoniacus*, etiamsi *Simonia* sit occulta. Quod pro Foro externo dispensare nequeat, certum est apud Omnes. Et ratio est, quia *Simoniace* acquirens Beneficium redditur ad illud perpetuo inhabilis per Jus commune, et Constitutiones Pontificias, in quibus Episcopus dispensare nequit juxta dicta *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* § *XVIII.*

Quod nec in Foro interno, *Simonia* existente *oc-* 339
culta id possit, tenent Palao *de Simonia punct. ult. num.* 3. Suarez *lib.* 4. *de Simonia, cap.* 61. *no.* 10. *et* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 25. *nu.* 140. Pirhing *h. t. n.* 173. et Communissima aliorum contra Henriquez *lib.* 3. *de Excommun. cap.* 56. *n.* 1. putantem, probabile esse, quod Episcopus pro Foro interno dispensare valeat, si *Simonia* est *occulta*, cui adhaerent etiam Palao, et Lessius *loc. cit.* qui, etsi fateantur, Conclusionem nostram esse communiorem, probabiliorem, et praxi magis conformem, censent tamen opinionem Henriquez probabilem. Ratio autem Conclusionis nostrae est, quia Episcopus nec pro Foro interno dispensare potest in lege Superioris, et poena per eum imposita, nisi id ei specialiter concedatur; ergo.

Confirmatur, et probatur ulterius Conclusio no- 340
stra. Si posset Episcopus dispensare in poena inhabilitatis ad idem Beneficium, et dispensando facere quod quis illud *Simoniace* obtentum retinere, aut de novo obtinere valeret; ideo posset juxta citatos paucos Adversarios, quia vi Concilii Tridentini *Sess.* 24 *de Reformat. cap.* 6. habet facultatem dispensandi *in omnibus Irregularitatibus, et Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae provenit ex homicidio voluntario, et absolvendi in Foro conscientiae ab omnibus casibus occultis etiam Papae reservatis*; atque vigore hujus facultatis non potest dispensare Episcopus; Tum quia haec inhabilitatis poena non est casus occultus pertinens ad absolutionem Sacramentalem: Tum quia etiam non est Censura, nec Irregularitas, sed alia poena particularis vindicativa per Pontificem imposita *Simoniae*: Per Concilium Tridentinum autem *loc. cit.* non datur facultas dispensandi in omnibus poenis Papae reservatis, juxta Declarationem apud Suarez *lib.* 4. *de Simonia, cap.* 61. *num.* 11. *in fine*. Tum denique quia illa poena nullitatis, et inhabilitatis ad idem Beneficium introducta est post Concilium Tridentinum, consequenter ad dispensandum in ea se non extendit facultas a Concilio Tridentino

Episcopis data, prout in simili Gregorius XIII. respondit audita relatione S. Congregationis. Accedunt aliae adhuc Declarationes Cardinalium Conclusionem nostram certam reddentes, inter quas est illa apud Palao *loc. cit.* ita sonans: *Episcopus etsi a Simonia occulta absolvere possit, non potest tamen Simoniacum rehabilitare ad Beneficia imposterum obtinenda, neque ad ea retinenda, quae per Simoniam occultam retinet.* Ex quibus proin satis liquet, contrariam sententiam in praxi esse minime tutam, et consequenter nullatenus practicandam.

341 Quaeritur III. An, et ex quibus causis soleat Papa dispensare in poenis *Simoniae*? Item, quid observandum in praxi pro obtinenda Dispensatione hujusmodi? Resp. I. Quamvis Papa possit, tamen rarissime solet dispensare in poenis *Simoniae*, sive pro Foro interno, sive externo petatur Dispensatio, etiamsi gravissimae allegentur causae, teste Pyrrho Corrado *in Praxi Dispensat. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 7. dicens, se id experientia tot annorum, quibus Praetorio Apostolico servivit, didicisse: ubi *n.* 5. etiam ait: *Saepissime hujusmodi supplicationes proponuntur in plena Congregatione Sacrae Poenitentiariae, et nimis rarae sunt, quae signantur.* Id ipsum experti testantur, qui pro Dispensatione in casu *Simoniae* supplicant S. Poenitentiariae. Imo ipsimet id testari possumus, utpote, qui aliquoties pro obtinenda Dispensatione in casu *Simoniae* apud S. Poenitentiariam, allegatis etiam urgentibus causis supplicavimus, sed nil obtinuimus. Ratio autem, cur tam difficile in concedenda hac Dispensatione se exhibeat Curia Romana, est; quia vitium *Simoniae* tanquam pestem extreme aversatur Ecclesia, illudque omni quasi misericordia indignum reputat, et ordinaria negatione Dispensationis ac indulgentiae alios ab illo committando deterrere vult.

342 Resp. II. Quamvis rarissime, tamen nonnonquam dispensare solet Pontifex in poenis *Simoniae*, ita ut illius Reus non tantum absolvatur ab omnibus Censuris, et Irregularitate, sed dispensetur etiam in inhabilitate ad idem et alia Beneficia retinenda, ac obtinenda; simulque immunis reddatur a restitutione fructuum perceptorum. Pro qua Dispensatione obtinenda, inter alias causas serviunt scandalum in dimissione Beneficii timendum, et paupertas Supplicantis, rarissime tamen, uti jam dictum, et bene advertit summe practicus in Curia Pyrrhus Corradus *in Praxi Dispensat. lib.* 5. *cap.* 9. *et* 11. Quando autem ex hujusmodi causis, vel cum quibus dispenset, et quando, sei cum quibus non, nullam certam habemus Regulam. Hinc *Simoniae* Reus rem quidem tentare, et supplicare potest, committere tamen Deo debet, num mentem Cardinalium hic et nunc pro petita gratia concedenda movere velit.

343 Resp. III. Quando *Simonia* est *publica*, et consequenter Dispensatio necessaria est etiam pro Foro externo, debet fieri recursus ad Datariam Apostolicam, eique offerri supplicatio, in qua praeter alias exprimendi sunt fructus quoque ex Beneficio *Simoniace* obtento percepti, eo quod casu existente publico consignari debeant summo Datario; quamvis hodie super illis fiat Transactio, ita ut eo illis tertia, sei etiam major pars remittatur Delinquenti, prout visum fuerit Datario. Pyrrhus Corradus *loc. cit. c.* 9. *n.* 13. *et* 14.

344 Resp. IV. Quando *Simonia* est *occulta*, et consequenter Dispensatio necessaria pro solo Foro interno, supplicari debet S. Poenitentiariae, inscribendo supplicam Cardinali summo Poenitentiario, eo fere modo, quo supra *lib. IV. in appendice* § 9. *a n.* 415. diximus, supplicari debere pro obtinenda Dispensatione in causa Matrimoniali.

345 Ut autem debite formetur sive pro Foro interno, sive pro Foro externo, consultum est, ut casus una cum causis dispensandi exacte scribatur alicui Procuratori Generali, vel cuidam alteri Romae existenti, qui vel ipse bonus practicus Supplicationem juxta stylum Curiae debite formet, vel ab alio practico formari faciat; quia cum aliex difficiles impetratu sint Dispensationes in poenis *Simoniae*, expedit, ut Supplicatio omni meliori modo, et juxta stylum concipiatur ne vel ex hoc defectu gratia denegetur.

346 Quaeritur IV. Quaenam observanda sint in executione Dispensationis Apostolicae in poenis *Simoniae* pro solo Foro interno a Poenitentiaria datae? Resp. Esse bene attendendum, et observandum tenorem Litterarum Dispensationis; in quibus, si circa restitutionem fructuum non dispensatur, injungi solet Confessario, ut cum *Simoniaco* entra non dispenset, *nisi postquam fructus ex illo Beneficio indebite perceptos, in totum restituerit, vel si ob ejus paupertatem inpraesentiarum non potest, se restituturum promiserit, cum primum poterit*, etiam cum aliquali incommodo, et indigentia. Ita Pyrrhus Corradus *loc. cit. cap.* 11. Item injungitur, ut priusquam ad Dispensationem procedatur, Beneficium *Simoniace* obtentum dimittat, et novam provisionem a Confessario per S. Congregationem deputato, pro Foro conscientiae obtineat.

347 Caeterum ad Absolutionem, et Dispensationem a Confessario faciendam nulla reperitur certa formula praescripta; nodo non refert, qualia adhibeantur verba, dummodo iis satis exprimatur, poenas tolli. Observandum tamen est, quod ad tollendas Censuras, et alias poenas merito adhibeatur verbum *Absolvo*, ad tollendam irregularitatem autem, verbum *Dispenso*: sic v. g. sequenti formula rite exequitur Confessarius commissam sibi Dispensationem.

Misereatur tui etc. *Indulgentiam, absolutionem* etc. ut ante absolutionem Sacramentalem. *Dominus noster JESU Christus absolvat te, et ego auctoritate Apostolica, in hac parte tibi concessa, et mihi commissa, absolvo te a quibuscunque Sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis, quas ob Simoniae labem in assecutione talis Beneficii Ecclesiastici quomodolibet incurristi, item dispenso tecum super irregularitate, si quam Censuris ligatus celebrando contraxisti, teque habilem reddo executioni Ordinum et Officiorum tuorum, tibique titulum dicti Beneficii restituo, ac fructus ex eo male perceptos condono* (si id commendent Litterae Dispensationis) *teque ad omnes actus legitimos pariter restituo. In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Quaeritur V. Quis sit Judex in causis *Simoniae*? 348
Quis item Accusator, et Testis esse valeat? Resp. In his causis solus Judex Ecclesiasticus cognoscere, et definitive pronuntiare potest, etiamsi reus sit Laicus. Clarus *lib.* 5. §. *Simonia. n.* 7. Pirhing *h. t. num.* 141. Abbas *in c. Cum sit* 8. *de Foro compet.* et ibi Glossa V. *Malefactores*, communiter recepta. Ratio est; quia *Simonia* versatur circa objecta spiritualia, consequenter causa spiritualis est; causarum autem spiritualium cognitionem, et sententiae pronuntiationem ad solos Judices Ecclesiasticos pertinere certum est ex *c.* 2. *de Judic.* et Concord.

Resp. II. *Tanta est labes hujus criminis, ut etiam servi ergo Dominos, et quilibet Criminosi admittantur ad accusationem.* Ita in terminis habetur c. *Tanta.* 7. *h. t.* Et quidem tam contra dantem, quam contra recipientem aliquid *Simoniace*, *arg. c. Non satis.* 8. *h. t.* 349

Porro quamprimum quis accusatur de *Simonia*, 350

ipso facto est euspectus a celebrandis solemniis Missarem, *c. Accusatum.* 4. etc. *Quoties.* 2. *h. t.* (intellige, si jam publice sit infamatus de hoc Crimine,) alias non, uti bene edvertit Glossa *in cit. c. Accusatum h. t.* ⅌. *Solemnia.*

351 Resp. III. Sicut quilibet elies de Jure inhabilis, v. g. Criminosus potest esse Accusator, ita etiam Testis esse valent contra *Simoniam*, dummodo non sit capitelis inimicus Rei aut conspirator in eum, uti satis clare habetor, *c. Licet Heli.* 31. c. *Per tuas.* 32. *h. t.* et ibi DD. communiter. Et hoc praecipue verum est, si Testis criminosus ex Crimine suo jam emendatus est, *cit. c. Per tuas.* 32. *h. t.* ibi: *Praesertim cum Testes de crimine fuerint emendati*: nisi sit *perjurus*, hic enim etiam emendatus non amplius admittitur ad testificandum, uti post Glossam *in c. Per tuas. h. t.* ⅌. *Furti.* bene docet Abba *n.* 10. Pirbing *h. t. n.* 150. texto satis claro *can. Parvuli.* 14. cau. 22. *q.* 5. et c. *Testimonium, de Testib.* Ratio est, quia, qui eemel *perjurus* est, merito timetur rursum perjurare, *arg. l. Si cui* §. 3. *ff. de Accusat.*

352 . Notat tamen Bene Abbas *in c. Per tuas. h. t. n.* 4. Pirbing *h. t. n.* 150. quod etsi Criminosi admittantur pro testimonio ferendo contra *Simoniacos*, tamen sine adminiculis, vel indiciis aliis plene non probent, *arg. cit. c. Per tuas h. t.* ibi: *aliis adminiculis suffragantibus.* Plura de testimonio Testium alias inhabilium contra *Simoniacos* lege *in cit. c. Licet Heli.* 31. et *c. Per tuas.* 32. *h. t.*

TITULUS IV.

Ne Praelati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu aliis relinquant.

SUMMARIUM.

1 *Praelati Ecclesiae nequeunt alteri committere suam jurisdictionem pro annuo censu.*
2 *Solvitur Objectio: Et num seq*
4 *Redditus Ecclesiae sub annuo censu bene possunt elocari.*
5 *Poenae contravenientium Rubricae Tituli.*

1 Viso de *Simonia* in genere, succedunt in hoc, et sequenti Titulo quaedam *Simoniae* in specie. Et quidem per Rubricam hujus Tituli, totumque Titulum reprobatur certe *Simoniae* species, quae olim in quibusdam locis vigebat, dum Praelati vices suas, aut Episcopi suam jurisdictionem Episcopalem aliis sub annuo censu seu pretio exercendam relinquebant, eti consequendo refert Papa *c.* 1. 2. et 3. *h. t.* consuetudinemque *enormem* vocat, ac reprobat: idque merito, quia jurisdictio Episcopalis, et quodcunque aliud Ecclesiasticum Officium est quid spirituale, et propterea pretio conferri nequit absque labe *Simoniae*, prout amplius diximus *Tit. praeced. a n* 58.

2 Nec obstat, quod Episcopus possit, imo et debeat suo Vicario Generali, seu Officiali constituere salarium ex Camera Episcopali. Resp. enim, aliud esse jurisdictionem suam sub annuo censu sibi praestando, aliis relinquere, aliud Vicario Generali constituere salarium; quia Vicarius recipit salarium per modum stipendii *arg. c. Charitatem* 12. *q.* 1. ibi: *Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiantur obsequium*: imo pro laboribus temporalibus Officio per accidens annexis, etiam per modum mercedis, *arg. c. Quicunque* 12. *q.* 4. ibi: *Dignus est operarius mercede sua*, cum Concordantiis.

Secus fieret, si Episcopus sub annuo censu suam jurisdictionem alteri relinqueret: Tum quia eam ex debito sui officii tenetur gratis administrare. Tum quia alioquin eam jurisdictionem exponeret venalem. Adde cum Fagnano *in c. Quoniam h. t. nu.* 8. Quamvis, ut Officium Ecclesiasticum committatur sub datione pecuniae, sit illicitum tam ex parte dantis, quam recipientis: nihilominus commisso jam Officio licitum est, per modum salarii dare pecuniam ei, cui committitur, idque per Jura allegata *num praeced* 3

Verum dictis non obstantibus licitum et neutiquam *Simoniacum* est, possessiones et redditus Ecclesiae sub annuo censu alicui elocare; cum ea res sit mere temporalis. Ita habetur *cap. ult h. t.* ubi nomine Ecclesiae ad annuum censum datae intelliguntur possessiones seu fructus Ecclesiae, ut explicat Glossa *ibid.* ⅌. *Praefatam Ecclesiam*, alioquin enim Decretalis illa contrariaretur Rubricae Tituli, ac prioribus Capitulis. 4

Caeterum poena Contravenientium huic Rubricae et Titulo sunt. I. Quod tam dans, quam recipiens excludentur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res date, et accepta est, *c. Consulere.* 38. *de Simonia.* II. Qui dat pecuniam pro Officio, aut jurisdictione spirituali, tale Officium perdit, male autem ita conferens amittit conferendi illud potestatem, *c.* 1. *h. t.* III. Dans pecuniam removetur a Clerico; Episcopus vero pro illo conferens spiritualem jurisdictionem suspenditur ad tempus pro qualitate delicti, *c.* 1. *h. t.* et ibi Glossa ⅌. *Porcellatur.* 5

TITULUS V.

De Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Magister quid? Convenit cum Doctore.*
3 *In aliquibus locis supremam lauream in Theologia consecuti, non vocantur Doctores, sed Magistri Theologiae: Alibi aliter se res habet.*
4 *Licentiati quid?*
5 *Baccalaurei quid?*
6 *Plura sunt prilegia Magistrorum, et Doctorum: veluti I. Quod sint in Dignitate constituti.*
7 II. *Quod aequiparentur Nobilibus.*
8 III *Quod in conferendis Officiis et Beneficiis caeteris praeferri debeant.*
9 IV. *Quod sint exempti a communibus oneribus.*
10 V *Quod rei criminis mitius puniantur*
11 VI. *Doctores, et Magistri actu docentes praeter allegata, adhuc specialia habent privilegia*
12 *In favorabilibus nomine* Doctorum *veniunt etiam* Licentiati, *et gaudent illorum privilegiis*
13 *Exempta executione Litterarum Apostolicarum.*
14 *Actuales Professores Theologiae, vel Philosophiae percipiunt fructus grossos Beneficiorum suorum etiam quando causa docendi absunt.*
15 *Si docent in studio Generali, seu Universitate.*
16 *Distributiones tamen quotidianas nonnisi in certis casibus percipiunt*
17 *Studentes quoque Theologiae, vel Juri Canonico in absentia percipiunt fructus Beneficii.*

18 *Exigere aliquid pro licentia docendi est illicitum.*
19 *Et improprie , non tamen stricte* Simoniacum.
20 *Solvitur Objectio.*
21 *Pro Actuali Lectione, seu Professura profanae scientiae aliquid per modum pretii accipere, non est* Simonia ; *Et num. seq.*
23 *Pro actuali lectione S. Scripturae, seu Theologiae potest aliquid accipi per modum stipendii.*
24 *Et pro aliquibus illius actibus etiam per modum pretii : Et num. seq.*
26 *In Ecclesiis Metropolitanis , Cathedralibus et Collegiatis erigendae sunt Scholae pro erudienda Juventute.*
27 *Professoribus Theologiae assignenda est integra Praebenda Canonicatus, Grammatices Professori vero debitum stipendium. Et num. praeced.*
28 *Seminarium in quavis Dioecesi erigi debet, et quomodo ?*

1 Duas partes continet Rubrica hujus Tituli. *Prima* est de Magistris : et occasione horum *Secunda* est, ne pro licentia docendi exigatur quid temporale ; quod , quia speciem *Simoniae* prae se fert , recto ordine statim hic ponitur post Titulos de *Simonia in genere* , et praecedentem de quadam *Simoniae specie*. Circa *primam* Rubricae partem

2 Quaeritur I. Quid hic intelligatur nomine *Magistri* ? Resp. Quamvis generaliter loquendo nomine *Magistri* veniat quisis cujuscunque Disciplinae praecepto, *l. Cui praecipua.* 57. *ff. de V. S.* tamen ad propositum nomine *Magistri* venit omnis , et solus ille , qui in scientia seu facultate Theologica, vel Juridica , vel Medica , vel Philosophica supremum gradum , et insignia legitime fuit consecutus. In quo sensu a *Doctoribus* non distinguuntur , ut bene observat Zoesius *in l. Quidquid ff. de V. O.* et notat Glossa *in Clem.* 2. *h. t.* ♥. *Doctoratus*. per textum ibidem : *Doctoratus et Magisterii*. Quod autem quivis ex aliqua dictarum facultatum supremum gradum legitime consecutus , sit et vocetur *Magister*, vel *Doctor*, patet tum ex *cit. Clem.* 1. *h. t.* ibi : *Qui in quavis scientia ad Doctoratus , vel Magisterii assumuntur honorem* : Tum ex aliis Juris textibus, in quibus tam Theologiae , quam Juris, et Medicinae , ac liberalium Artium *Magistros* , et *Doctores* legere est.

3 Verum quamvis de Jure res ita se habeat, consuetudo tamen , et particularia Statuta locorum id fecerunt , quod alicubi , ut in Universitate Sorbonirensi, Lovaniensi, Salamanticensi , ipsaque Curia Romana supremam lauream consecuti in Theologia , non *Doctores* , sed *Magistri* in Theologia, supremam vero lauream habentes in Jure vel Medicina, *Doctores* Juris Civilis vel SS. Canonum, vel utriusque Juris , et *Doctores* Medicinae vocentur, uti jam dictum *Lib. IV. in Appendice*. §. 9. *n.* 431. Alicubi vero, praesertim in Universitatibus superioris Germaniae Ingolstadiensi v. g. Salisborgensi etc. omnes in praefatis facultatibus , etiam Theologica supremum gradum assecuti , ordinarie dicantur *Doctores* Juris , vel Medicinae , vel SS. Theologiae etc. Illi autem , qui Philosophiae curriculo confecto supremum in ea gradum adepti sunt , *Magistri* Philosophiae vocentur

4 Magistris , et Doctoribus affines sunt *Licentiati* ; quorum nomine veniunt illi , qui supremum in aliqua Scientia sive Theologica , sive Juridica, sive Medica gradum Doctoratus , vel Magisterii insignia publice capessendi , quando volunt , licentiam , seu facultatem habent , eo quod pro talibus post praevium examen unanimiter dum judicati , sed ut *Licentiati* rite et solemniter creati sint.

5 Licentiatis paulo inferiores sunt *Baccalaurei*, sive, ut alibi vocantur , *Baccalarii* , vel *Batallarii*, quorum appellatione illi intelliguntur , qui in Scientia vel facultate aliqua sui profectus primum testimonium , primumque gradum sunt adepti : quod pro locorum diversitate varie contingit. In celeberrima Universitate Ingolstadiensi *Baccalaurei* creantur ad finem primi , vel initium secundi anni Philosophiae. Ex Theologia vero ad finem 2. aut initium tertii anni.

6 Quaeritur II. An , et qualia privilegia habeant Magistri, Doctores, et Licentiati ? Resp. Magistros, et Doctores tam Theologiae , quam Juris sive Civilis , sive SS. Canonum , et Medicinae plura habere privilegia ; quorum aliqua brevissime hic adducimus communia omnibus Magistris , et Doctoribus. *Primum* est , quod a plebeia conditione exempti, in dignitate censeantur constituti , *arg. c. Quanto.* 3. *h. t.* et *Clem.* 2. *eod.*

7 *Secundum* est , quod Nobilibus annumerentur veramque Nobilitatem consequantur *arg. L.* 2. §. *ult. in fine.* et *L.* 4. §. 1. *in fine ff. de Excusat. Tut.* Quapropter etiam gaudent Nobilibus praerogativis, *arg. c. De multa.* 28. *de Praebend.*

8 *Tertium est* , quod pro Doctoribus , et Magistris militet praesumptio integritatis ac innocentiae ; adeo ut propterea caeteris paribus , illi in assequendis Dignitatibus et Beneficiis Ecclesiasticis praeferri debeant , *cit. c. De multa. de Praebend. c. Cum in cunctis. de Elect.* juncto *Concilio Tridentino Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 12.

9 *Quartum* privilegium est , quod exempti sint a muneribus tam realibus , quam personalibus , textu expresso *l. Medicos.* 6. *et L.* 11. *C. de Professorib. et Medicis.*

10 *Quintum* est, quod criminum rei mitius puniendi sunt , quam plebei , adeoque criminis etiam Capitalis suspecti , potius domi aut alio certo loco arresto , quam publico carcere custodiri debeant, nec Torturae praeterquam in criminibus exceptis subjiciendi, nec poenis Triremium , fustibus, laqueo, vel alio ignominiosiori poenae genere , sed ultimum supplicium meriti , gladio puniri debeant , *arg. l. Custodiam ff. de Custod. Reorum l.* 4. *C. ad Leg. Jul. Majest. l. Moris.* 9. §. 11. *ff. de Poenis. etc.*

11 Praeter enumerata cunctis Magistris , et Doctoribus communia privilegia , Magistri et Doctores, Professores , id est , qui acto docent in aliqua Academia , habent adhuc specialia privilegia , inter quae *principale* est , quod , dum Theologiam , vel Jus Canonicum docent , etiam absentes percipiant fructus Beneficii , juxta dicenda infra *n.* 14.

12 Resp. II. In favorabilibus nomine Doctorum, et Magistrorum veniunt etiam Licentiati , ita , ut etiam illorum privilegiis supra enumeratis fruantur. Aleiatus *in l. Cui praecipua. ff. de V. S.* Leander *de Privileg. Doctor. p.* 4 *num.* 11. et alii. Ratio est ; quia privilegia Doctoribus et Magistris conceduntur principaliter ob excellentem , et legitime approbatam eorum doctrinam bono communi servientem : et non propter illam solemnitatem , et ceremonias , quibus Doctores inaugurantur ; consequenter , cum Licentiati illam etiam habeant , etsi ista careant , eorundem privilegiorum merito participes reputandi sunt , praesertim , cum licentiam et facultatem proximam habeant : statim , si volunt, supremam Doctoratus lauream accipiendi , illaque digni jam sint declarati , ac per consequens via serviat illud Juris : *Proxime accingendus habetur pro accincto* , *l. penult. ff. de Testament. Milit.* Hinc *Concilium Trident.* in assequendis Dignitatibus,

ac Beneficiis, Licentiatos aequiparat Doctoribus, *Sess.* 22. *de Reformat. cap.* 2. et *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 12. et alibi; ac optima Legum interpres *consuetudo* id habet, quod si alicubi ad Collegium, Ordinem, vel Dignitatem aliquam vi statuti requiritur Doctor, Licentiatus quoque admittatur.

13 Limitatur tamen Conclusio in Executione litterarum Apostolicarum, quas Doctori, vel Magistro inscriptas aperire, et exequi non potest Licentiatus per dicta *lib.* 4. *in Appendice* §. 9. *num.* 442. *et* 443.

14 Quaeritur III. Quale privilegium rationae perceptionis fructuum Beneficii specialiter competat Doctoribus, et Magistris, ac docentibus Theologiam, vel Jus Canonicum, seu Professoribus Theologiae, ac Juris Canonici, nec non Studentibus hujusmodi Facultatibus? Resp. I. Qui actu docent Theologiam, vel Jus Canonicum in aliquo studio Generali, vel Universitate, percipiunt fructus sui, quod habent, Beneficii Ecclesiastici, etiam tempore, quo causa docendi absunt; etiamsi per plures annos abessent. De Professoribus Theologiae res certa est ob claram Juris dispositionem, c. *Super specula* 5. *h. t.* §. *Docentes*, confirmatam *a Concilio Trident. Sess.* 5. *de Reformat. cap.* 1. De Professoribus autem Juris Canonici docent Sylvester ℣. *Residentia*. Felinus *in cit* c 5. *h t. num.* 2. et ibidem Abbas *num.* 6. et Fagnanus nu. 4. dicens, ita saepius declaratum fuisse a S. Congregatione. Ratio hujus privilegii est; quia Beneficiarii quicunque, aeque, imo magis prosunt Ecclesiae cultumque Divinum augent, si docendo absunt, quam si in Beneficio resideant.

15 Dicitur autem antauter in *studio Generali*, *seu Universitate aliqua*. Professoribus siquidem in tali *Studio* non docentibus, dictum privilegium minime competit, prout declaravit S. Congregatio teste Garsia *de Benefic. p* 3. *cap.* 2. *num.* 55. ubi *num* 60. addit, memorato privilegio tamen gaudere Professores in *Universitatem* docentes, etiamsi ibidem nullum habeant stipendium, nec sint conducti mercede, sed voluntarie doceant, dummodo id faciant cum facultate seu licentia *Universitatis sive Collegii* DD.

16 Resp II. Professores Theologiae, sive Juris Canonici, quatavis causa docendi absentes percipiant fructus grossos suorum Beneficiorum, distributiones tamen quotidianas non percipiunt, Glossa communiter recepta *in c. fin h. t.* ℣. *Integre*, textu claro *c. Licet.* 22. *de Praebend* ibi: *Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quae tantum residentibus in Ecclesiis, et his, qui intersunt Horis Canonicis ei* (Magistro videlicet Theologiam docenti) *tribui facias*, nisi forsan redditus omnes in distributionibus quotidianis consisterent; tali enim in casu saltem duas partes redditaum perciperent, tertia parte accrescente praesentibus, uti ex Declaratione Cardinalium bene refert Garsia *de Benefic. p.* 3. *cap.* 2. *num.* 231. Fagnanus *in c. ult. h. t. num.* 2. *et* 3. vel nisi alicubi contrarie vigeret consuetudo, Glossa *loc. cit.* Moneta *p* 2. *de Distribut. cap.* 10 *n.* 28. vel denique nisi ad id concurrat, quod diximus *Lib II. Tit. IV. de Clericis non resident. n.* 215.

17 Resp. III. Non tantum actualiter docentes Theologiam, vel Jus Canonicum, sed etiam studentes eidem, in absentia percipiunt fructus suorum Beneficiorum, saltem per quinquennium. Conclusionem hanc amplius declaratam, et probatam habes *Lib III. Tit. IV. de Clericis non resident.* §. *V.* fere per totum, ubi vide.

18 Circa *secundam* partem hujus Rubricae quaesitur IV. Utrum illicitum, simulque *Simoniacum* sit, exigere aliquid pro licentia docendi? Resp. I. Graviter prohibitum, consequenter illicitum est, exigere aliquid pro licentia docendi, etiamsi in contrarium vigeat consuetudo. Unanimis et certa, claris Juribus *c.* 1. *c. et* 3. *h. t.* Transgressores tenentur ad restitutionem perceptorum appellatione postposita, *cit. c.* 2. *h. t.* et puniri jubentur privatione Officiorum ac Beneficiorum, *c.* 1. *et c. Quanto.* 3. *h. t.* ubi ratio Conclusionis redditur *cit. c.* 2. *h. t.* ex Matth. *cap.* 10. *Gratis accepistis, gratis date.*

Resp. II. Quamvis illicitum sit, et improprie seu large loquendo *Simoniacum* dici possit, tamen stricte, et proprie loquendo non esse *Simoniam*, pro licentia docendi aliquid exigere. Fagnanus *in c.* 1. *h. t. nu.* 12. Gonzalez *in c. Quia nonnullis.* 4. *h. t. n.* 6. *in fine*, Suarez *de Simonia. cap.* 18. *num.* 15. Engel *h. t. nu.* 8. post Glossam *in c.* 1. *h. t.* ℣. *Consuetudinis*, ubi ait: *Quasi Simoniacum reputatur hoc.* Nam dictio *quasi* regulariter est nota improprietatis. Ratio Conclusionis est; quia Professura seu traditio doctrinae nec in se est quid spirituale, sed Officium mere temporale, nec dirigitur ad actus, qui per se spirituales seu supernaturales sunt; quamvis se habeant ad instar spiritualium, eo quod entitative sint spirituales, utpote subjectati in intellectu tanquam potentia spirituali. 19

Nec obstat, quod scientia sit donum Dei, *arg. c. Revertimini.* §. *Si quis doctus.* 16. *q.* 1. adeoque tanquam res spiritualis non videatur posse vendi scientia, aut etiam licentia docendi absque *Simonia*. Resp. enim scientiam esse quidem donum Dei, non tamen semper esse donum supernaturale: sicuti etiam sanitas, vires, et artes sunt a Spiritu Sancto, ut donum Dei, non tamen supernaturale. 20

Quaeritur V. An sit *Simoniacum*, vel saltem *illicitum*, exigere vel accipere aliquid pro ipsa lectione SS. Scripturae, Professura Theologiae, Philosophiae, et aliarum Scientiarum? Resp. I. Certum esse, quod pro opera et labore tradendi scientias naturales, v. g. Philosophiam, Grammaticam, Medicinam licitum sit, et nullatenus *Simoniacum*, exigere temporale etiam per modum pretii: quia hujusmodi doctrina non est res supernaturalis, et consequenter neque labor in ea procuranda impensus. 21

Quinimo potest aestimari pretio non solum ex labore, qui ponitur in studendo et erudiendo alios, sed etiam ex sublimitate rei ac veritatis, ad quam inducit: nam quamvis sic veritas intellectus videatur vendi, saltem indirecte (proprie enim venditur labor Magistri, ut utilis ad gignendam in intellectu discipuli veritatem) ea tamen veritas est pure naturalis; neque a Spiritu S per donum supernaturale, sed naturale tantum, prout etiam sanitas, vires, artes sunt a Deo. 22

Nec obstat, quod dicitur Proverb. 23. *Noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam* et *L.* 1. § 5. *ff. de Extraord. Cognit. Est res sanctissima civilis sapientia, sed quae pretio numerario non sit aestimanda, nec dehonestanda.* Resp. enim, textum Scripturae loqui de scientia infusa, uti interpretatur S. Thomas: per textum autem Juris Civilis tantum commendari, scientiam, ne vilipendatur.

Resp. II. Certum etiam est, pro lectione seu traditione S. Scripturae, Theologiae, ac hujusmodi, non tantum dari et accipi, sed etiam exigi posse justum stipendium seu salarium Patet hoc ex *Tit. praeced.* Utrum autem per modum pretii quid exigi possit, Quaestio manet, pro qua. 23

Resp. III. Pro quibusdam actibus Theologiae pretium accipi potest, pro quibusdam non. Ita Lessius *lib.* 2. *de Just. et jur. cap.* 35. *dubit.* 13. hoc modo facile concordans Doctores, caeteroquin in hac materia non adeo convenientes. Ratio est; quia 24

Theologia potest considerari secundum quatuor functiones. *Primo* ut tradens doctrinam Evangelicam. *Secundo*, ut dat responsa ad pacandas conscientias. *Tertio*, ut ex sacris Doctoribus interpretatur Divinas scripturas. *Quarto*, ut ex principiis Fidei deducit conclusiones, sive necessario, sive probabiliter, prout fit in Theologia speculativa, quam Scholasticam appellant.

25 Pro 1. igitur et 2. actu pretium exigere, est *Simoniacum*, ut fateotur passim Doctores, quia hi actus immediate referuntur ad *Fidem*, *Spem*, et *Charitatem*, aliosque actus supernaturales, ut proin etiam Concionatores, Catechistae, Confessarii pro doctrina, quam impertiuntur, nil exigere valeant per modum pretii, bene vero per modum stipendii. Pro 3. et 4. actu licitum esse, accipere pretium, tenet Lessius *loc. cit.* et communis Doctorum apud Laymanum *lib. 4. tract.* .o. *cap. ult. num.* 30. Probatur hoc ex eo, quia in actu docendi Theologiam, vel explicandi Scripturas, non habetur ratio assensus supernaturalis, sed solum suppositis Fidei revelatae propositionibus fit instrumentum, mediante quo possit Discipulus ex propositionibus revelatis discurrere, et inferre non revelatas: unde sic eam spectando est scientia mere naturalis acquisita, ac potest dari in Haereticis.

26 Quaeritur II. Quid adhuc disponatur in hoc Titulo? Resp. Inter alia praecipi, ut in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, et Collegiatis exigantur Scholae pro erudienda Juventute tam in inferioribus, quam Theologia, uti patet *ex c.* 1. *et c. Quia nonnulli* 4. *h. t.* ubi etiam mandatur, ut idonei ad hunc finem deputentur Magistri, seu Professores, eisque assignetur debitum salarium, seu stipendium, ita, ut cuivis etiam Grammatices Magistro detur una integra *Praebenda*, seu id totum, quod redditur, seu proventus unius Canonicatus efficit.

27 Totum hoc confirmatur a Concilio Tridentino *Sess.* 5. *de Reformat. cap.* 1. hac tamen cum distinctione, et nova dispositione, quod non tantum in Metropolitana (uti statutum erat Jure communi c. *Quia nonnulli.* 4. *h. t.*) sed etiam in quavis Ecclesia Cathedrali constituatur unus Magister, seu Professor Theologiae, eique integra *Praebenda*, seu redditus Canonicatus modo ibidem specificato assignentur. Magistro Grammatices vero, vel fructus alterius simplicis Beneficii, vel de mensa Episcopali, aut Capitulari condigna merces seu salarium constituatur.

28 Huc pertinet etiam dispositio Concilii Tridentini *Sess.* 23. *de Reformat cap* 18. de erigendo in quavis Dioecesi *Seminario* De quo ipsam Tridentini dispositionem intellectu facilem, et prolixam lege *loc. cit* Vide etiam de hoc Fagnanum *in cit. c. Quia nonnullis.* 4. *h. t.*

TITULUS VI.

De Judaeis, et Saracenis, et eorum Servis.

SUMMARIUM.

1 *Tres sunt species Infidelitatis*, Paganismus *videlicet*, Judaismus, et Haeresis.
2 Judaismus, et Judaei *quid? ac unde sic dicti?*
3 *Quod Judaei a Principibus Christianis nec recipi, nec tolerari deberent in locis Christianis, plura militant argumenta.*
4 *Quibus non obstantibus licite tolerari possunt et ipsi, et ritus, ac Synagogae eorum et quare?*
5 Judaei *antiquas suas Synagogas restaurare possunt, non autem novas erigere.*
6 Judaei *ubi de facto non existunt, recipiendi non sunt: et quare?*
7 Judaei *semel recepti, amplius expelli non possunt.*
8 *Nisi justa illos expellendi adsit causa.*
9 Judaei *certis legibus, et poenis constringi possunt et debent, ut avertatur omne periculum et damnum tam Religionis, quam Reipublicae.*
10 *Christiani non possunt cum* Judaeis *habitare in eadem domo, nec uti eorum Medico aut Medicina.*
11 *Christianus* Judaeo *pro mercede servire non potest, nec in domo,*
12 *Nec extra domum illius.*
13 *Solvitur instantia.*
14 *Christiani possunt in sua domo habere Judaeum pro servo*
15 *Nec possunt aliquos* Judaeos *invitare ad convivia, nec possunt invitati in conviviis Judaeorum comparere.*
16 *Christiani non possunt* Judaeis *committere Officia publica.*
17 *Nec aliquid eis relinquere in Testamento.*
18 *Licitum tamen est Christianis emendo, et vendendo contractus inire cum Judaeis.*
19 *Ac etiam Curiositatis causa intrare Synagogas eorum, et ritus eorum observare: cum cautela tamen.*
20 Judaei *semel legitime recepti possunt sua Sabbatha celebrare.*
21 *Gaudentque Jure Civium aliorum.*
22 *Conversis nil mali irrogare possunt alii* Judaei.
23 *Litigantes cum Christianis, coram Judice Christiano comparere debent.*
24 *Delinquens contra Clericum* Judaeus *qualiter puniendus?*
25 Judaei *debent portare habitum a Christianis distinctivum.*
26 Saraceni *quinam, et unde dicti?*
27 *Etiam* Pagani, *sed minus proprie veniunt eorum nomine.*
28 Saracenorum, *et* Paganorum *personae, non autem Templa permittuntur in locis Christianis.*
29 *Quare horum, non autem* Judaeorum *Templa prohibeantur?* Judaei *pejores sunt* Paganis. *Ibid.*
30 *Sub Excommunicatione et aliis gravissimis poenis prohibitum est Christianis, ne aliquod armorum genus ad* Saracenos, *aliosve Infideles deferant.*
31 *Etiam tempore pacis.*
32 *Quo, non item belli tempore, aliarum rerum commercium cum illis licitum est.*
33 *Qualiter in Bulla Coenae prohibeatur, ne aliquod armorum genus deferatur ad* Infideles, *et* Haereticos.
34 *Ratio prohibitionis.*
35 *Etiam qui aliud auxilium vel consilium* Infidelibus *contra Catholicos praebent, excommunicati sunt.*
36 *An liceat inire foedus belli cum* Infidelibus, *aut* Haereticis? *Remissive*
37 *Quod* Judaei *ad Fidem et Baptismum directe cogi valeant, videntur suadere rationes.*
38 *Jura.*
39 *Et exempla.*
40 *Contrarium est verius*
41 *Solvuntur rationes oppositae.*
42 *Ac Jura.*
43 *Indirecte tamen ad Fidem cogi possunt: Et quomodo?*
44 Judaei et Saraceni, *semel recepti, et de habita-*

tione promissa aut pacto assecurati ejici ob infidelitatem non possunt.

45 *Bene vero ex alia causa.*

46 *Qui semel Fidem susceperunt* Infideles, *ad Fidem cogi possunt.*

47 *Ob solam infidelitatem bellum* Infidelibus *indici nequit.*

48 *Solvitur instantia.*

49 *Secus si justa alia causa concurrat.*

50 *Aut si* Infideles *denegant licentiam praedicandi Evangelium.*

51 *Juxta communiorem liberi* Infidelium *invitis parentibus baptizari licite non possunt.*

52 *Nisi in certis casibus.*

53 *Valde probabile est, eos semper baptizari licite posse invitis parentibus, praesertim si adhibeatur debita cautela usque ad n. 57.*

57 *Solvuntur instantiae. Et num. seq.*

1 Viso de *Simoniacis*, qui Spiritum S. vendendo per *Simoniam* blasphemant, pergit Compilator ad eos, qui in Deum, ejusque Unigenitum Filium JESUM Christum per *Infidelitatem* peccant. Tres autem sunt species *Infidelitatis*, ut post D. Thomam 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. notant communiter Theologi. *Paganismus* videlicet, *Judaismus*, et *Haeresis*. De hac ultima in sequenti, de duobus prioribus vero in praesenti Titulo erit quaestio.

2 Quaeritur itaque I. Quid sit *Judaismus*? et quid *Judaei*? Resp. *Judaismus* est infidelitas seu error illorum, qui legem duntaxat Mosaicam absque fide in Christum sectantur. Hinc *Judaei* sunt, qui legem Mosaicam, seu vetus Testamentum ad litteram superstitiose adhuc observant absque Fide in Christum verum Messiam et Salvatorem nostrum; utpote quem nondum venisse, sed primum venturum credunt. Caeterum Judaei dicuntur a Tribu *Juda*, quae inter caeteras nobilior erat, et bellicosior, et ex qua Reges assumebantur, et Duces populi: sicut de Tribu *Levi* Levitae, et Sacerdotes illorum.

3 Quaeritur II. An Principes Christiani in suis Territoriis licite recipiant et tolerent *Judaeos*, ritusque, et Synagogas eorum? Ratio dubitandi, et negativam tenendi est; quod cum jubeantur Templa *Paganorum* claudi et dirui *L.* 1. *et L. omnia.* 5. *C. de Paganis*, et SS. Patres laudent eorum eversionem, ac Simulacrorum demolitionem, imo etiam *Haeretici*, jubeantur expelli, c. *Excommunicamus.* 13. *de Haeret.* multo magis de *Judaeis*, et Synagogis eorum idem sentiendum videtur, eo, quod impietas, usura, injustitia, et invidia *Judaeorum*, eorumque abominandae, et continuae blasphemiae in Christum, ac Christianam Religionem majora causent damna et pericula tam Ecclesiae, quam Reipublicae. Porro pro sententia negativa affert Pignatell. *Tom. V. Consultat.* 14. *a num.* 1. argumenta plurima et talia, quae efficaciter suadere videntur; adeo, ut propterea, e pluribus Regnis Christianis, Hispaniis, Belgio, Gallia etc. eliminati sint. Quo non obstante

4 Resp. I. Christiani Principes licite tolerant in suis Territoriis *Judaeos*, ritusque et Synagogas eorum. Barbosa *in c. Sicut Judaei*, 9. *h. t.* Pignatell. *cit. Tom.* 5. *Consult.* 14. *a n.* 70. plures alios citans, Engel *h. t. n.* 2. cum communi aliorum, *arg c Sicut Judaei*. 9 *et c. Etsi Judaeos*, 13. *h. t.* ibi: *Etsi Judaeos quos propria culpa submisit perpetuae servituti, pietas Christiana receptet, et sustineat cohabitationem illorum*, juncte *l. Nullus* 14. *C. h. t.* et *Novell.* 146. cap. 1. Ratio est; quia ritus *Judaici* tanquam figura veritatem Evangelicam tanquam figuratum confirmant, et *Judaei*, dum progeniem, Legem, et traditiones suas a Moyse, et Prophetis constanter derivant, testimonium perhibent S. Scripturae, ne ab *Atheis et Paganis* tanquam novum figmentum explodatur. Ob quam causam fortasse Deus gentem *Judaicam* non penitus deleri, sed toto orbe spargi permisit, ut insinuare videtur S. Augustinus contra Faustum *cap.* 3. ibi: *Quid est aliud hodie gens ista, nisi quaedam scrinaria bajulans Legem, et Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiae, ut nos honoremus per sacramentum, quod illi nuntiant per litteram.* Quae ratio, quia non militet in *Paganis*, et *Haereticis* tam horum quam illorum receptio et tolerantia merito prohibetur.

Resp. II. Quamvis Principes Christiani licite tolerent *Judaeos*, ritusque et Ecclesias illorum simulque concedere valeant, ut Synagogas ab antiquo receptas iterum restaurent, tamen permittere non valent, ut novas erigant, vel altiores, aut ampliores efficiant, ita statuitur c. *Judaei* 3. *et c. Consuluit.* 7. *h. t.* ibi: *Judaeos de novo construere Synagogas, ubi non habuerint, pati non debent. Verum si antiquae corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reaedificent, potest aequanimiter tolerari, non autem ut eas exaltent, aut ampliores efficiant*, ita clare statuitur cit. c. *Judaei* 3. *et* c. *Consuluit.* 7. *h. t.* ibi: *Judaeos de novo construere Synagogas, ubi non habuerint, pati non debet. Verum si antiquae corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reaedificent, potest aequanimiter tolerari, non autem ut eas exaltent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quam antea fuisse noscuntur.* Ratio est; quia sicut modica *Judaeorum* dispersio per totum orbem videtur servire pro confirmatione verae nostrae Religionis, ita nimia eorum abundantia periculosa foret eidem Religioni, et damnosa Reipublicae Christianae: hinc ne cum damno et periculo Ecclesiae abundare incipiant, merito prohibetur, ne Synagogas novas alicubi erigant, et solae pro fine bono tolerantur antiquae. 5

Colliges, quod, cum abundantia *Judaeorum* periculosa, et damnosa Religioni nostrae existat, immanesque blasphemiae, et injuriae ab eis in Christum redundent, sancte faciant Principes Catholici, sibique ac subditis suis, et cumprimis Honori JESUM Christi, ejusque Religioni plurimum consulant, si ibi, ubi *Judaei* nondum sunt, non recipiant, ne gentis hujus damnosa et periculosa abundantia ulterius serpat; praesertim cum finis, ob quem tolerentur *Judaei*, per jam passim existentes sufficienter obtineatur. Terribilia, simulque verissima, et lectu dignissima sunt, quae contra *Judaeos* scribit Pignatell. *cit. Tom. V. Consult.* 14. quae efficaciter probant, et convincunt, quod licet absolute loquendo recipi possint *Judaei*, tamen facile recipiendi amplius non sint. Legantur in fonte, et movebunt. 6

Resp. III. *Judaei*, qui in Christianorum Territoriis semel recepti, et de protectione assecurati sunt, sine justa et legitima causa expelli non possunt. Barbosa *in c. Sicut Judaei*. 9. *h. t. num.* 4. Decian. *in pr. Crimin. lib.* 5. cap. 11. Socinus *Consil.* 86. *lib.* 4. Vasquez *Illustr. Controv. cap.* 8. *n.* 12. et alii, *arg. l. Nullus.* 14. *C. h. t.* Ratio est; quia cuivis etiam *Judaeo*, et gentili fides juste data, servanda est, *arg. l. Sicut.* 5. *C. de Obligat. et Act.* 7

Dixi, *sine justa causa*; ob hanc enim *Judaeos* semel receptos iterum expelli posse, tenent citati, et alii Doctores, inter quos etiam est Tuschus *litt. I.* §. *Judaei. Concl.* 371. *num.* 58. Farinacius *Frag. Crimin. par.* 2. *litt. I. num.* 64. Ricciul. *Tract. de Jure personar. extra gremium Ecclesiae existent. lib.* 2. *cap.* 51. ubi *a n.* 9. recenset causas, ob quas *Judaei* expelli possunt. Inter has causas juxta Barbosam *loc. cit.* sunt vel maxime, si ex illorum cohabitatione pericu- 8

lum vel scandalum imminet Christianis, vel si machinationes, aut enormia praeparant contra Fidem, aut Fideles Christianos, *arg. l. Judaeos.* 11. *l. Judaei.* 16. *C. h. t.* cum Concordant.

9 Resp. IV. Etsi *Judaei*, semel recepti sine causa ejici non valeant, possunt tamen ac subinde debent *Judaeorum* etiam receptorum ritus, et negotiationes, modusque vivendi et conservandi, legibus et poenis ita constringi, ne quidem moliri valeant vergenc in Religionis contemptum, aut periculum, vel Reipublicae damnum. Ita communis, et praxi confirmata doctrina, *arg. l. Judaei commun. l. Nullus.* 14. *C. h. t.* cum Concordant. Ratio est; quia alias nec Religioni, nec Reipublicae sufficienter cautum foret, ob inexplicabilem nequitiam, et invalidam *Judaeorum* erga Christianos, et Religionem ipsorum.

10 Quaeritur III. An? et qualis communicatio Christianis cum *Judaeis* prohibita sit, vel concessa? Resp. I. In sequentibus prohiberi Fidelibus communicationem cum *Judaeis* debere.

I. Non possunt cohabitare in eadem domo cum *Judaeis*.

II. Nec simul ingredi cum eisdem idem balneum. Neque adhibere Medicum *Judaeum*

III. Nec sumere medicinam a *Judaeo* praeparatam. Quod totum petet *ex can. Nullus.* 13. *can.* 28. *q.* 1. ibi: *Nullus* etc. *cum eis* (Judaeis nempe) *habitet, aut aliquem eorum in infirmantibus suis vocet, aut medicinam ab eis recipiat, aut cum eis in balneo lavet: si vero quisquam hoc fecerit, si Clericus est, deponatur; si Laicus, excommunicetur.* In caso tamen necessitatis, ubi alius pro recuperanda, aut conservanda sanitate idoneus Medicus, vel Chirurgus, quam *Judaeus* haberi nequit, hunc quoque adhibere licet, uti bene advertit Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 31. *n.* 8. Sylvester ℣. *Judaeus q.* 1. Pirhing *h. t.* n. c. Idem est de usu balnei, et medicinae a *Judaeo* praeparatae, eo, quod lex humana in casu necessitatis obligare desinat per dicta *Lib. I. Tit. II:*

11 IV. Prohibetur omnibus Christianis, ne serviant *Judaeis* in domibus eorum, adeo, ut nec Nutrices, nec Obstetrices esse possint infantium *Judaeorum*, textu expresso c. *Ad haec* 8. *h. t.* Causa hujus prohibitionis est scandalum, seu periculum perversionis ex tali servitio consurgens, uti patet ex cit. c. *Ad haec. h. t.* illis verbis: *Quoniam ipsi* (Christiani) *de facili ob continuam conversationem, et assiduam familiaritatem ad superstitionem, et perfidiam simplicium animos inclinarent.* Concordat c. *Etsi Judaei.* 13. *h. t.* ubi etiam alia causa prohibitionis adducitur illis verbis: *Nec filii Liberae filiis famulentur Ancillae, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi Mors liberos, et illos servos effecit.*

12 Controversia est inter Doctores, an saltem extra domum *Judaeorum* possint Christiani illis pro mercede servire: Glossa siquidem *in cit.* c. *Ad haec.* 8. *h. t.* ℣. *In eorum domibus*, et ibidem Abbas *n.* 2. affirmant, eo quod respectu servientium extra domum videatur abesse ratio prohibitionis, scandalum videlicet, et periculum perversionis Econtra Joan. Andreas *in cit c. Ad haec. in fine.* Felinus *nn.* 3. Barbosa *n* 4. Gonsalez *n.* 1. Sylvester ℣. *Judaeus. q.* 2. *dict* 3. Sanch. *in Decalog. lib. c. cap.* 31. *nu.* 19. et 29. et alii rectius id negant: Tum quia c. *Ad haec.* 8. *h. t.* universaliter et absolute *inhibitum est omnibus Christianis etc. ne Judaeorum servitio se assiduo pro aliqua mercede exponant.* Nec refert, quod loquens de Nutricibus *in domibus eorum* addiderit Legislator; quia id non fecit ad restringendam prohibitionem, sed quod frequentius contingere solet, exprimere voluit.

Nec valet objicere, in servientibus extra domum non procedere rationem prohibitionis, periculum nempe perversionis. Nam contra est, quod etsi, dato non concesso, cessaret causa prohibitionis in c. *Ad haec.* 8. *h. t.* allegata, tamen non cessat causa allegata c. *Etsi Judaeos, eodem.* quia videlicet contra dignitatem Christiani est, agere servum *Judaei* a Deo reprobati, et ad serviendum condemnati. Vide textum supra *n.* 11. 13

Caeterum bene infertur, quod licet Christiani possint habere *Judaeum* pro servitio suo extra domum, *arg. cit.* c. *Etsi Judaeos* 13. *h. t.* tamen eundem continuo habere, et cum illo commorari non possint in domo sua, ut bene docet Sanchez *loc. cit. n.* 2. Sylvester ℣. *Judaeus q.* 3. *dict.* 1. Pirhing *h. t. n.* 2. *arg. cit. can. Nullus.* 13. *can.* 8. *q.* 1. ubi omnis cohabitatio cum *Judaeo* interdicitur. Ratio est: quia etiam in tali casu commoratio, et continua familiaritas cum servo *Judaeo* periculum superstitionis *Judaicae* generare potest. 14

V. Probibitum est Christianis, ne *Judaeos* ad convivium invitent, et ne invitati in conviviis eorum compareant, textu expresso *can. Omnes.* 14. *can.* 28. *q.* 1. Ratio prohibitionis est tum perversionis periculum: tum ne Christiani habeantur minus sancti, dum hi cuncta, quae apponuntur, manducant, illi vero pluribus seu immundis abstineant, uti bene innuitur *cit. can. Omnes*, ibi: *Cumque ea, quae Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani quam Judaei; si nos, quae ab ipsis apponuntur, utamur, illi vero a nobis oblata contemnant* Licitum tamen est cum *Judaeo* manducare in eadem mensa, casu quo in eodem diversorio conveniant, ut bene advertit Sanchez *lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 15. Pirhing *h. t.* n. 3. 15

VI. Non possunt Christiani *Judaeis* committere Officia publica, quibus eis competat potestas, vel Jurisdictio in Christianos, textu expresso c. *Cum sit.* 16. *h. t.* ubi duplex ratio assignatur illis verbis: *Cum sit nimis absurdum, quod blasphemus Christi, in Christianos vim potestatis exerceat:* et infra: *Quoniam sub tali praetextu Christianis sunt plurimum infesti.* 16

VII. Probibitum est Christianis, ne *Judaeos* haeredes, vel legatarios in Testamento instituant, *arg. L.* 1. *C. h. t.* Glossa in c. *Judaei* 5. *h t.* ℣. *Permittuntur.* 17

Resp. II. Licitum est Christianis, emendo et vendendo inire contractus cum *Judaeis*; dummodo nimia caveatur familiaritas cum ipsis et conversatio, quae scandalum, vel periculum generare posset, Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 31. *n.* 23. Pirhing *h. t. n* 8. Ratio est; quia id nullo Jure invenitur prohibitum nam *concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur*, Glossa *in* c. *Inter corporalia.* ℣. *Non invenitur. de Translat. Episcop.* 18

Ex eadem ratione volunt aliqui, licitum esse Christianis, intrare *Judaeorum* Synagogas, quod verum esse censemus, si absit scandalum, et perversionis periculum, praesertim, si ex sola curiositate, et breviter ad observandos, vel ridendos eorum superstitiosos ritus fiat: secus foret, si quis frequentaret eas, ut diu moraretur in eis, quia hoc revera periculosam familiaritatem cum Judaeis saperet. Sanchez *loc. cit. nu.* 17. Azorius *p.* 1. *Instit. Moral. lib.* 8. *cap.* 2. *q.* 3. *in fine.* 19

Quaeritur IV. Quaenam alterius *Judaeis* de Jure concessa sint? Et quae prohibita? Resp. I. Praeter ea, quae jam dicta sunt, possunt I. *Judaei* libere celebrare Sabbatha, et alia putata sua Sacra, ita, ut illo tempore in jus vocari, aut aliter impediri non 20

valeant, texto claro *c. Consuluit.* 9. *h. t.* *l. in Festivitatibus.* 2. et *l. Judaeus. C. eod.*

21 II. *Judaei* legitime recepti frui valent jure Civium aliorum, ita ut rerum dominia non tantum habere, sed de iisdem tam inter vivos, quam mortis causa libere disponere, et quosvis contractus tam inter se, quam cum Christianis inire, Matrimonia inter se ritu suo contrahere, actiones instituere, et excipere etc. queant. Mynsing. *Cent.* 6. *Observ.* 6. Alexander *Volum.* 3. *Consil.* 71. et alii communiter, *l. Judaei Romano Jure.* 8. *h. t.* desumitur id ipsum etiam ex *c. De terris.* 16 *de Decimis.* et *c. Quanto* 18. *in fine*, *de Usur.* et confirmatur universali consuetudine, quae est optima Legum interpres, *c. Cum dilectus.* 8. *de Consuetud.*

22 III. Specialiter, et expresse constituitur in Jure, ut *Judaei* conversi ad Fidem possessionibus, et bonis suis nullatenus spolientur, et spoliati beneficium restitutionis plenum recipiant, texto claro *c. Judaei* 5. §. *Si qui. h. t.* cum Concordant. Neque possunt propter conversionem ad Fidem a parentibus *Judaeis* exhaeredari, Glossa in *can. Judaei.* 7. *cau.* 1. *q.* 4. ⅌. *Fideles*, sed severe majori digni liberantur e Patria potestate, et fiunt sui juris, Glossa *in can. Judaeorum.* 11. *cau.* 28. *q.* 1. ⅌. *eod.* Pirhing *h. t. n.* 27.

23 IV. Quamvis *Judaei* tam instituere, quam excipere valeant actiones; tamen si quam habent cum Christianis, coram Judice Christiano litigare compellantur, sive Rei sunt, sive Actores, *l. Si quae.* 15. *C. h. t.* ibi: *Si qua inter Christianos et Judaeos sit contentio, non a Senioribus Judaeorum, sed ab ordinariis judicibus dirimatur.*

24 Quod si contra Clericum delinquant *Judaei*, a Judice saeculari Christiano poena pecuniaria compescuntur ad satisfaciendum laeso Clerico compelli debent: casu quo autem Judex saecularis in hoc deficeret, a Judice Ecclesiastico per Censuras ad id compellendus esset juxta praescriptum *c. Postulasti.* 14. *h. t.* Ipse tamen *Judaeus* Clericum percutiens Excommunicationem non incurrit, nec Censuris Ecclesiasticis puniri, vel ad satisfaciendum adigi potest, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt.*

25 Porro illud circa *Judaeos* notandum, quod in habitu a Christianis aperte distingui, consequenter in habitu signa manifeste distinctiva habentes incedere debeant, prout expresse statuitur *c. in nonnullis.* 15. *h. t.* ibi: *Statuimus, ut tales utriusque sexus in omni Christianorum Provincia, et omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur.* Ratio ibidem additur, ne ex velamine erroris damnatae commixtiones, aut alia perversionis pericula eveniant.

26 Quaeritur V. Quinam veniant Nomine *Saracenorum*? Et quid Juris de illis? Resp. I. Nomine horum veniunt omnes illi, qui impiae Mahumeticae sectae adhaerent, ejusque dogmata in Alcorano contenta sectantur, et nec novum Testamentum recipiunt, vetus vero tantum ex parte amplectuntur; quales sunt non solum Turcae, sed etiam *Persae*, *Tartari*, *Ægyptii*, et plurimi in *Africa*, omnes videlicet, qui dogmata Mahometi sequuntur, ut cum aliis bene observat Barbosa *in c. Ita quorundam* 6 *h. n.* 3. Dici volunt *Saraceni* a *Sara* uxore Abrahae, quasi ab ea stirpem derivarent: cum tamen ab *Agar* ancilla Abrahae, et matre Ismaëlis originem trahant. Verum ne ab ancilla descendere communiter sciantur, ad declinandam ignominiam, et generis labem, a *Sara* se provenire mentiuntur, indeque *Saracenos* se intitulant, ut bene observant Covarruvias *Var. Resolut. lib.* 4. *cap.* 9 Valensis *h. t. n.* 2 et alii.

27 Nomine *Saracenorum* etiam *Paganos*, ac omnes Infideles venire volunt Zoesius *h. t. n.* 3. et alii, *arg. c. Quamvis sit.* 10. et *c. Ex speciali.* 18. *h. t.* Verum proprie loquendo *Pagani* illi sunt, et vocantur, qui verum Deum coeli in terra negantes, Idola colunt, et adorant; prout alibi latius diximus.

Resp. II. Circa *Saracenos*, et *Paganos* sequentia habentur sancita in Jure. 28

I. Quod quamvis tam *Saraceni* quam *Pagani*, aeque ac Judaei sub tutela quorundam Principum Christianorum vivere, et jure Civium Romanorum uti permittantur *l. Christianos.* 6. *C. de Paganis*, Templa tamen, et Sacrificia eorum a Jure specialiter prohibeantur, protinusque claudi imo penitus dirui ubique locorum Christianorum jubentur, texto expresso *L.* 1. *l. Sicut.* 3. et *l. Omnia.* 5. *C. eod.*

Dices: *Judaei* pejores sunt *Saracenis*, et *Paganis*, *can. Nonne.* 37 *cau.* 1. *q.* 1. ibi: *Nonne Sodomitae Ethnici erant, id est Gentiles?* Pejores ergo erant *Judaei*, quibus Dominus dicit: *Tolerabilius erit Sodomis in die Judicii, quam vobis*: ergo si Synagogae *Judaeorum* tolerantur, et Sacrificia, etiam *Paganorum* toleranda videntur. Resp. transmisso *Antecad.* negando *Consequent.* quia quod ritus, et Sacrificia *Judaeorum* tolerentur, Ratio et utilitas nostrae Religionis suadet, utpote cujus veritas per ritus *Judaeorum* tanquam figuram multum confirmatur, uti amplius dictum est supra: quae Ratio, quia in Sacrificiis *Paganorum* non militat, nec alia ratio eorum tolerantiam suadet, merito ubique extreme prohibentur; cum etiam universaliter loquendo, mala permitti non debeant, nec possint, nisi ob aliquod bonum inde resultans, vel ut malum aliud per illa evitetur. 29

II. Per varios Canones, et Constitutiones Pontificias, et quidem sub Excommunicatione ipso facto incurrenda, ac Pontifici reservata, aliisque gravissimis poenis prohibetur, ne ullum armorum, aut instrumentorum, seu materialium bellicorum genus ad bellum contra Christianos serviens, ad *Saracenos* deferant, transmittant, eisque vendant aut subministrent Christiani per textus claros. *c. Ita quorundam.* 6. *c. Significavit.* 11. et *c. Ad liberandam.* 17. *h. t.* Item *Extravag.* 1. *eod.* inter communes, et *Extravag. Copiosos, ex. Joannis XXII. h. t.* Quibus accedunt Bulla Coenae Domini, et Leges Civiles, uti *l. Nemo.* 2. *C. quae res exportari non debent*, ubi sub poena Capitali, et confiscatione omnium bonorum inhibetur, ne quis *Barbaris* cujuscunque gentis, etiam sub specie Legationis ad Christianorum Civitates pervenientibus, aut alia quacunque occasione vel praetexta, aliquod qualecunque tandem armorum, aut instrumentorum bellicorum genus, vel etiam ferrum adhuc infectum vendat, et a fortiori ne ad ipsos transmittat. Item *l. His qui.* 25. *C. de Poenis*, ubi etiam *his*, qui *conficiendi naves incognitam ante peritiam Barbaris tradiderint, capitale judicium* proponebatur. 30

Et hae prohibitiones de non vendendo *Paganis*, ac *Saracenis* ullo armorum genere, et de non deferendo aliquo ad eos procedit non tantum durante Christianorum cum Infidelibus bello, sed etiam tempore pacis, uti patet ex citatis Juribus, atque cum Communi docet Barbosa *in c. Quod olim.* 12. *h. t. n.* 2. et ibi Abbas *n.* 1. 31

Alias tamen merces nullam armorum naturam habentes, ad *Saracenos* et *Paganos* tempore pacis (non iterum tempore belli) deferri, eisque vendi bene possint, uti a sensu contrario recte infert Barbosa *in c. Quod olim.* 12. *h. t. n.* 2. et ibi Abbas *n.* 1 Pirhing *h. t. n.* 36. *arg. cit. c. Quod olim*, ubi penitus omne commercium cum *Saracenis* prohibetur tempore *Guerrae* seu belli; ergo extra tempus *Guerrae* non omne commercium, sed illud 32

tantum prohibetur, quo venditur, aut transfertur aliquod armorum genus contra Jura supra *num.* 30. citata.

33 Porro licet illi, qui arma deferunt ad Infideles non *Saracenos*, puta *Paganos*, *Ethnicos*, *Judaeos*, vi Juris communis Ecclesiastici non sint excommunicati, nec aliis poenis ab eodem statutis subjecti, cum Canones *num.* 30. citati de solis *Saracenis* loquantur, consequenter tanquam odiosae extendi non debent, *arg. c. odia. de R. J. in* 6. uti post Azorium *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 23. *q.* 4. bene notat Barbosa *in c. Ita quorundam.* 6. *h. t. num.* 3. Pirhing *h. t. nu.* 34. Tamen, ut iidem etiam addunt, vi *Bullae Coenae* etiam isti sunt excommunicati, eo quod in ea sub dicta poena gravissime prohibeatur illis verbis: *Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani Nominis hostes, vel Haereticos, per nostras, sive S. Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapum, funes tam ex ipsa canape, quam alia materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos et Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se vel per alios de rebus statum Christianae Reipublicae concernentibus, in Christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas, et Christianae Religionis inimicos in damnum Catholicae Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, et favorem quomodolibet praestant etc.* Tales aliquod armorum genus vendentes cuicunque tandem genti Barbarae, seu non Christianae etiam transgrediuntur leges Civiles *num.* 30. citatas, earumque poenis subjacent.

34 Caeterum quare utroque jure tam graviter, tantisque sub poenis prohibeatur, ne ullo etiam pacis tempore aliquod armorum genus *Saracenis*, et aliis Christiani Nominis inimicis vendatur, vel ad eos deferatur, Ratio est; quia *perniciosum, et proditioni proximum est, Barbaros, quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddantur, instruere,* uti dicitur *l. Nemo.* 12. *Quae res export.* Cur autem tempore belli penitus omne commercium etiam de rebus aliis licitis prohibeatur, ratio est, ne occasione alicujus commercii inique manifestentur occulta consilia, aut fiant proditiones, vel aliae perniciosae Machinationes.

35 Enimvero gravissime, et quidem sub poena Excommunicationis insuper prohibitum est Christianis, ut *Saracenis* nullum Armorum genus, nullumque aliud qualecunque subsidium, vel auxilium praestent; item ne etiam aliquod illis consilium contra Christianos praebeant, uti expresse statuitur c. *Quod olim.* 12. *h. t.* ibi: *Nec alio quocunque modo, aut ingenio eis consilia, vel alia subsidia transmittatis*, et *c. Ad liberandam.* 17. *eod.* ibi: *Qui aliquod eis impendunt consilium, vel auxilium:* Quos proin ibidem Concilium Generale merito vocat *falsos*, et *impios* Christianos. Sed dolendum sane, quod sanctissimae hae tam Ecclesiasticae, quam Civiles leges tam parum observantur, cum proh dolor! non raro, praesertim frigidis hisce temporibus, *Saracenis*, aliisque Christiani Nominis et Ecclesiae verae inimicis contra Catholicos tam tempore belli, quam pacis non tantum omnis generis arma et subsidia mittantur, sed pessima etiam consilia contra ipsos jugiter suggerantur, ac quod deplorandum, arctissima etiam foedera cum iisdem habeantur.

Occasione hujus in isto Titulo practicam aliquam Quaestionem instituunt Doctores, qua

36 Quaeritur An? Et qualiter prohibitum ac licitum sit Christianis inire foedus belli cum *Saracenis*, aut aliis Infidelibus, vel etiam *Haereticis*? Verum ad hanc Quaestionem patebit *Tit. seq. a numer.* 165.

Quaeritur VI. An Principes Christiani *Judaeos*, et *Saracenos*, aliosque *Infideles* sibi subditos ad fidem, vel Baptismum cogere, aut ob *Infidelitatem* e Territorio suo ejicere valeant? Rationes et motiva dubitandi, affirmativamque tenendi, plura sunt. Inprimis enim certum est apud Theologos quemvis hominem etiam *Judaeum*, et *Infidelem* lege Divina, et naturali teneri ad Baptismum et Fidem sufficienter propositam suscipiendam; ergo cum Superiores tam saeculares, quam Ecclesiastici tanquam Custodes, et Ultores legis Divinae universaliter possint subditos suos cogere ad observandas leges Divinas, poterunt etiam *Judaeos*, ac *Infideles* saltem sibi subditos ad observantiam hujus legis Divinae cogere. 37

Pro eadem parte affirmativa videntur etiam favere Jura, ut *can. Jam vero.* 4. *cau.* 23. *q.* 6. ubi Gregorius Papa Januario Episcopo mandat, ut Rusticum quendam impositione oneris ad Deum venire cogat, et *l. fin. C. de Paganis*, ubi *Pagani* renuentes baptizari, confiscationi bonorum, et exilio puniri jubentur, ac *l. Caelicolarum. C. de Judaeis*, qua praecipitur, ut Caelicolae ad Fidem Christianam converti renuentes, iisdem, quae *Haeretici* stringantur poenis: *Haeretici* autem ad Fidem Catholicam cogi possunt, juxta dicenda *Tit. seq.* Ergo, et *Infideles*. 38

Accedunt exempla praeclarissimorum Regum, et Principum, ut Sisebuti Gothorum Regis, qui *Judaeos* in Hispania baptizari renuentes, turpiter decalvari, flagellis caedi, et eorum bonis *Fisco* addictis, exilio puniri jussit, uti constat ex *Concilio Toletan.* 6. Item Regum Ferdinandi, et Elizabeth, qui *Judaeos*, et *Saracenos* baptizari recusantes, in toto Hispaniae Regno exterminarunt, et ejecerunt; ac propterea magnis laudibus extolluntur a Doctoribus apud Gonzalez *in c. Sicut Judaei.* 9. *h. t. nu.* 2. Quibus non obstantibus 39

Resp. I. Non est licitum Principibus Christianis *Judaeos*, et *Saracenos*, aliosve *Infideles*, etsi sibi subditos, directe cogere ad suscipiendam Fidem, vel Baptismum S. Ambrosius *Serm.* 13. *in Psalm.* 118. S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 8. Barbosa *in c. Sicut Judaei.* 9. *h. t. num.* 9. et ibi Gonzalez *numer.* 5. Becanus *de Fide cap.* 13. *q.* 4. *num.* 2. et 3. Dalbene *de Officio Inquisit. p.* 2. *dub.* 230 *sect.* 8. Suarez *de Fide. Disp.* 18. *sect.* 1. *et seqq.* Pirhing *h. t. num.* 26. cum communi tam Theologorum, quam Canonistarum, ob clara Jura *can. de Judaeis.* 5. *dist.* 45. ibi: *De Judaeis autem praecipit S. Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri: cui enim vult, miseretur Deus, et quem vult, indurat*, et *can. Ad fidem* 33. *cau.* 3. *q.* 5. ibi: *Ad fidem nullus est cogendus invitus* et *c. Sicut Judaei* 9. *h. t.* ibi: *Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judaeos ad Baptismum venire compellat.* Ratio ulterior subjungitur *cit. can. de Judaeis. dist.* 45. illis verbis: *Non enim inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae: sicut enim propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur.* Accedit, quod talis coactio *directa* fidem Christianam exosam, et de Tyrannide suspectam redderet, multaque alia mala secum traheret. 40

Nec obstant Motiva in contrarium: Non Ratio *num.* 37. allata; Tum quia Principibus Christianis in hoc puncto deest jurisdictio: *Ecclesiasticis* quidem ex eo, quod in Infideles jurisdictionem Ecclesiasticam non habeant juxta illud Pauli 1. Corinth. 11. *Quid mihi de iis, qui foris sunt.* *Saecularibus* autem, 41

quia eorum jurisdictio ordinetur ad finem naturalem, ac temporalem, non vero ad finem supernaturalem, seu ad ea, quae sunt Ordinis supernaturalis, uti sunt Fides, et Baptisma. Gonzal. *loc. cit. num.* 8. Vel si etiam circa ea, quae sunt Ordinis supernaturalis, et ad finem hunc ordinata. Principibus saecularibus in suos subditos aliqua jurisdictio competit pro custodia legum Divinarum, uti competere videtur. hoc ipso, quod Transgressores, vel observare nolentes Jure Divina variis poenis etiam mortis afficiant, tamen haec eis non competit *in* subditos, ut cogere eos possint ad Fidem ob specialem probibitionem per Jura supra *num.* 40. citata.

42 Ad Jura in contrarium allegata respondetur, illa intelligenda esse de coactione *indirecta*, qua onera alias quidem debita, sed rigoroso jure imponuntur, quae *Fidelibus* vel ex toto, vel ex parte remittuntur: vel qua poenae confiscationis bonorum, vel exilii etc. aliis delictis quidem promeritae *Judaeis*, aut *Paganis* stricto Jure infliguntur, quae *Fidelibus* gratiose remittuntur. Palao *Tract.* 4. *disp.* 2. *p.* 6. *numer.* 5. Gonzalez *loc. cit. num.* 9. et alii. Ad quae si quis reponat, hanc Legum interpretationem non longe abesse a torsione eorum. Respondetur ita suadere clariores aliorum Jurium textus, coactionem *Infidelium* ad Fidem manifeste prohibentes, quibus ne discordent, sed concordent alia, interpretationem etiam minus claram adhiberi oportet, cum expediat Jura Juribus concordare, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari, *c. Cum expediat. de Elect. in* 6.

43 Dicitur tamen notanter in Conclusione *directe*; quia *indirecte* cogi ad Fidem, et Baptismum posse *Judaeos*, atque *Saracenos*, communiter admittunt Doctores; quae *indirecta* coactio fieri potest variis modis, v. g. promissione, aut oblatione praemiorum, honorum, privilegiorum, Officiorum, remissione totali aut partiali onerum alias debitorum, si Fidem suscipiant, aut rigorosa eorum exactione, ab iis, qui non suscipiunt, aut superstitiosorum rituum usum tanquam Reipublicae nocivum prohibendo, captivos liberando etc. quia haec coactio nec justitiae, nec alii virtuti adversatur; consequenter tanquam licitum medium ad finem tam sanctum consequendum omnino applicari poterit, quod idem D. Gregorius practicavit, prout patet ex illis verbis, quae *lib.* 4. *Epist.* 6. habentur: *Pervenit ergo ad me, esse Hebraeos in possessionibus nostris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi, quod per omnes possessiones in quibus Hebraei esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, vis ex me specialiter promittens, quod quicunque ad verum Dominum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, onus pensionis ejus ex aliqua parte imminuatur. Quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, id solidi pensione annua, tremissis ei relaxari debeat; si tres, vel quatuor, unus solidus relaxetur; si quid amplius, jam juxta eundem modum debet relaxatio fieri vel certe juxta quod Dilectio tua providet, ut et ei, qui convertitur, onus relevetur, et Ecclesiastica utilitas gravi dispendio non prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus ad Christi gratiam perducamus; quia etsi ipsi minus fideliter veniant, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideo non est grave, quidquid de pensione pro Christo dimittimus.*

44 Resp. II. *Judaei*, et *Saraceni* in Territorium Christianorum semel suscepti, et de habitatione, ac protectione pactis, aut promissis assecurati, ea hac sola causa, quod Fidem, vel Baptismum suscipere nolint, ejici non possunt. Patet Conclusio ex dictis *numer.* 7. quibus accedit, quod talis esse *directa*, consequenter injusta coactio ad Fidem, dum sine alia legitima causa privarentur habitatione, quae eis etiam ut *Infidelibus* promissa eisque jure debita est.

Dicitur autem notanter, *ex hac sola causa etc.* 45
Nam si alia justa causa concurrit, v. g. inique eorum conspiratio, aut Machinatio contra Christianos, vel si alia ratione incipiunt esse scandalosi, perniciosi, aut periculosi Reipublicae Christianae, aut bono communi politico, aut si ob alia delicta merentur ejectionem, ejici utique poterunt, prout pariter diximus supra *num.* 7. Et ex hujusmodi causa merito ejecti censentur ex Hispania. Unde exempla *nu.* 39. adducta contra Conclusionem *n.* 40. positam non militant.

Observat etiam bene cum communi aliorum Layman 46
Lib. II. Tr. 1. *cap* 17. *n.* 2. illos *Judaeos*, et *Infideles*, qui jam semel Fidem Catholicam etiam coacte professi, et per hanc veluti januam in Ecclesiam ingressi, ejus Jurisdictioni se subdiderunt, ab ea postea impie recedentes, ad Fidem et obedientiam Ecclesiae *directe* quoque cogi, ac propter renitentiam a Christianorum terris ejici posse textu satis claro *c. De Judaeis.* 5. *dist.* 45. ibi: *Oportet, ut Fidem, quam etiam vi, vel necessitate coacti susceperunt, tenere cogantur.* Et hoc a fortiori etiam intellige de illis *qui ut Christiani nati, ac educati ad Judaismum, vel Infidelitatem, aut etiam Haeresin apostatarunt.* Layman *ibid.*

Quaeritur VII. An *Judaeis*, et *Infidelibus* non 47
subditis ob solam *Infidelitatem*, *Idololatriam*, aliave peccata contra naturam, Christianis tamen, aut innocentibus non injuriosa bellum indici, iique ob hanc solam causam bello expugnari, terrisque, et possessionibus suis privari valeant? Resp. *Negative.* Ita cum communiori Covarruvias *Regula Peccatum*, *p.* 2. §. 10. *num.* 4. Molina *de Jure et Just. Tr.* 2. *Disput.* 5. *et* 6. Layman *lib.* 2. *Tr.* 1. *cap.* 17. *num.* 5. Engel *h. t. num.* 9. quamvis hic affirmativam quoque probabilem existimet, quam apud Molinam *loc. cit.* etiam tenent Mairon. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 20. et Alphonsus de Castro 2. *de Justa haereticorum punitione cap.* 14. volentes, hanc solam causam fuisse sufficientem, Incolis *novi* Orbis inferendi bellum. Ratio autem nostrae Conclusionis est; quia deest jurisdictio, sine qua non datur justa criminis etiam legi Divinae adversi punitio: Sicut enim ex defectu jurisdictionis Rex Hispaniae *non* potest punire Gallorum delicta, etiam legi Divinae, et naturali adversa, nec illos bello adigere ad observantiam Divinae legis; ita neque Princeps quicunque tandem Catholicus bello adigere poterit *Infideles* ad Fidem, servandasque leges Divinas. Confirmatur: Princeps Christianus non potest *Infideles* sibi subditos cogere ad Fidem: ergo multo minus alienos; atqui bello hos adigere ad Fidem, esset *directe* cogere illos ad Fidem, ergo.

Nec pro affirmativa militat, quod olim Israe- 48
litae infideles, plures ob solam *Infidelitatem* bello expugnaverint, terrisque et possessionibus suis spoliaverint. Resp. enim id eos fecisse ex speciali jussu, et concessione Dei, qui totius Universi plenissimus Dominus est: Nam *Domini est terra, et plenitudo ejus, et universi, qui habitant in ea*.

Dicitur autem notanter, *ob solam Infidelitatem*, 49
si enim injuriam inferunt Christianis, utique bello expugnari poterunt; ob hanc enim sibi illatam supremi Principes justam causam habent, bello expugnandi injuriam inferentes, quoscunque etiam sibi subditos. Pariter bello expugnari poterunt *Infideles* ob peccata, quae in injuriam innocentium vergunt. Innocentes enim defendere permissum est a Deo, juxta illud Proverb. 24.

Erue eos, qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.

50 Limitatur etiam Conclusio in casu, quo *Infideles* Praedicatoribus Evangelii resisterent, et denegarent licentiam praedicandi Evangelium, vel ei subditis suis Fidem a Praedicatoribus audiendi, eamve suscipiendi recusarent licentiam; tali enim in casu ob injuriam illatam S. Evangelio, quod praedicari in universo Mundo praecepit Christus Marci 15. *Euntes in Mundum universum praedicate Evangelium universae Creaturae*, bello expugnari licite posse *Infideles*, plerique fatentur cum D. Thoma 2. 2. *q.* 8. *a.* 8. Becanus *de Fide cap.* 13. *q.* 4. *concl.* 3. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 17. *num.* 3. Engel *h. t. num.* 10. Et cum haec causa apud *Infideles* plerumque inveniatur, ansam eos bello juste expugnandi, fere semper habuerunt, et etiamnum haberent Principes Christiani.

51 Quaeritur VIII. An *Judaeorum* et *Infidelium* liberi inscii, aut invitis parentibus licite baptisari valeant? Resp. I. Spectando communiorem Doctorum, ordinarie loquendo de liberis hujusmodi, ante usum rationis id licitum non esse. Barbosa *in c. Sicut Judaei h. t. num.* 3. et *ibi* Abbas, ac Felinus, Navarrus *Consil.* 4. *de Controvers. infidel.* D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 12. Engel *h. t. num.* 11. et communior aliorum, quos secuti sumus in Theologia nostra Morali *Tr.* 14. *dist.* 3. *q.* 1. *num.* 8. Ratio est: quia liberi *Infidelium* ante usum rationis secundum Jus naturale sunt sub cura parentum, quibus proin injuria contra Jus naturale fieret, si illis invitis, liberi eorum baptisarentur. Accedit, quod valde periculosum esset, ita baptizare tales liberos, utpote qui remanentes apud parentes (eis enim invitis auferri nequeunt) ex affectu erga illos, et seductione eorundem facillime ad *Infidelitatem* redirent, non sine injuria Baptismi. Hinc neque Ecclesia unquam consuevit liberos *Infidelium* invitis parentibus baptizare.

52 Dicitur autem notanter *Ordinarie*. Limitatur enim Conclusio in nonnullis casibus.

I. Si proles a parentibus jam separata, iis amplius restitui non posset, aut non deberet, uti fit, si parentes jam sint mortui, aut a Christianis in justo bello capti.

II. Si unus parentum altero dissentiente ad Baptismum consentiat, quia tunc parentis consentientis voluntas justior in favorem prolis praeferenda est.

III. Si proles ad usum rationis jam pervenit, aut pervenisse praesumitur, baptizarique velit; quia in iis, quae concernunt animae salutem, homo non dependet a parentibus.

IV. In articulo mortis: sicut et si liberi etiam adulti censentur perpetuo amentes, insciis vel etiam invitis parentibus baptizari valent; dummodo id in his ultimis duobus casibus absque gravioribus incommodis fieri possit; quia in his casibus cessat periculum perversionis, ac injuriae Baptismi, prout jam docuimus in Theologia nostra Morali *cit. loc.* Imo

53 Resp. II. Valde probabile est, *Judaeorum* et *Infidelium* liberos ante usum rationis insciis et invitis parentibus semper licite, quin et laudabiliter baptizari posse, praesertim si adhibeatur cautela, ne a parentibus in odium Fidei occidantur, et spes sit, quod religiose educari valeant. Scotus *in* 4. *Distinct.* 4. *q.* 9. Mastrius *in* 4. *Disput quaest.* 4. Sannig *Tom.* 3. *Disp.* 2. *q.* 13. citans Poncium, Brancatum, Hiquaeum, et communem Scotistarum, cum quibus etiam sentiunt Joan. Andreas, Archidiaconus, Geminianus, et alii apud Barbosam *loc. cit.* Probatur Ratione Scoti: quando dominia et potestates sunt subordinatae, obediendum est habenti potestatem majorem neglecto praecepto, vel contradictione habentis potestatem et dominium minus, juxta illud D. Augustini *hom.* 6. de Verbis Domini: *Si aliquid jubet potestas, quod non debes facere, hic sane contemnas potestatem, timendo potestatem majorem*, sed Deus habet majorem potestatem, majusque jus in filios *Infidelium*, quam parentes eorum; ergo magis parendum Dei, quam parentum voluntati circa eorum filios; atqui Deus praecipit universaliter omnes, et consequenter etiam *Infidelium* liberos baptizari, juxta illud, *docete omnes gentes, baptizantes eas etc.* ergo etiam invitis parentibus baptizari possunt.

Confirmatur: si *infideles* parentes prolem suam negando, aut subtrahendo ei alimenta, aut alia vitae necessaria vellent occidere, aut nollent ab aliquo alio manifesto vitae periculo liberare, profecto posset quivis insciis, vel etiam positive invitis parentibus talem prolem cibare, eique necessaria vitae praebere, et vitae periculo liberare, non obstante, quod proles jure naturae sit sub cura parentum; quia haec eis potestatem, vel jus in vitam prolis, ita ut eam pro libitu perdere, vel negligere possent, non tribuit, sed potius obligationem pro possibili conservandi eandem imponit, prout omnes fatentur; ergo etiam potest quis tali proli invitis parentibus praebere necessaria ad vitam animae, cujusmodi est Baptismus, utpote sine quo anima est, et in aeternum manet mortua; cum parentum cura jure naturae in prolem competens multo minus tribuat jus in animam, aut potestatem perdendi, vel negligendi eandem, sed potius imponat gravissimam obligationem, adhibendi omnia ad vitam animae necessaria: inter quae vel maxime est etiam Baptismus. 54

Confirmatur ulterius: si proles *Infidelium* non posset baptisari invitis parentibus, hoc ideo esset, quia parentes vi curae paternae habent jus naturale, ne illis invitis proles eorum baptizetur; et consequenter, quia eis fieret injuria contra jus naturae, ut argumentantur Adversarii; atqui falsum est, quod parentes habeant tale jus in filios; quia jus naturale non est contrarium sibi, aut Juri Divino, nec ejus impeditivum; cum gratia naturam non destruat, sed perficiat: Proles autem *Infidelium* habet jus Divinum naturale, quod possit baptizari, et parentes illius tenentur etiam Jure Divino naturali et ipsi Baptismum suscipere, et procurare, vel permittere, ut proles eorum baptisatur; ergo. 55

Confirmatur adhuc: Jus naturale non est sibimetipsi contrarium: sed *infideles* parentes vi curae paternae, jure etiam naturali tenentur proli suae procurare, vel permittere necessaria ad vitam animae, ergo vi ejusdem curae paternae non habent jus necessaria ad vitam animae impediendi: atqui Baptismus est proli eorum necessarius ad salutem, et vitam animae: ergo vi curae paternae Jure naturae tenentur eum proli procurare, vel permittere, consequenter vi curae paternae non habent Jus naturale Baptismum impediendi. 56

Dices: parentes *Infidelium* bona fide procedunt resistendo Baptismo suae prolis, eo quod rectam Fidem lumine naturae sibi minime notam ignorantes putent, se bene agere; ergo non agunt contra jus naturale: consequenter confirmationes praecedentes nil probant. Resp. Si *Infideles* vivunt in locis Fidelium, ut Judaei a potiori vivunt, falsum est, eos ex ignorantia invincibili, et bona fide procedere, eo quod in talibus locis Fides, et necessitas Baptismi eidem passim, et sufficienter proponatur; consequenter potius pertinaces, quam 57

in bona fide esse censendi sunt. Resp. II. Dato, quod plures *Infideles* ex ignorantia invincibili, et bona fide resistant Baptismo suae prolis, tamen exinde nullum competit parentibus Jus naturale, ne ipsis invitis proles eorum baptizetur, nec fit illis injuria, si eis invitis proles baptizetur; quia, sicut non fieret injuria, si invito Rustico Catholico ex invincibili ignorantia necessitatem Baptismi ignorante, proles ipsius a Parocho baptizaretur; quia invincibilis ignorantia, et bona fides parentum etiam *Infidelium* non facit, nec excusat, quin Baptismus proli sit necessarius, et haec sine illo pereat; neque facit, quin proles Jus Divinum naturale habeat ad Baptismum: consequenter parentes non habent jus naturale, ne baptizetur, nec fit eis injuria contra jus naturale, si invitis eisdem baptizetur, alias jus naturale manifeste sibi esset contrarium, ut considerenti patet. Et per hoc patet sufficienter responsio ad rationem in contrarium *num.* 51. allegatam.

58 Ad illud, quod *num.* 51. dicitur, *ob periculum perversionis Baptismo fieri injuriam.* Resp. Plurimas esse vias, quibus tale periculum evitetur, etiam absque hoc, quod proles a parentibus separetur, ut ei v. g. sub eorum cura usque ad usum rationis relinquatur, et postea primum separetur; prout absque injuria parentum fieri posset, quia tunc proles in iis, quae contra salutem animae, obedire non teneretur, sed potius Ecclesiae, cujus membrum mediante Baptismo prius collatio jam esset effectum. Dein negari potest, ob periculum futurae Apostasiae fieri injuriam Sacramento Baptismi, conferendo illud infanti *infideli*: sicut enim non obstante periculo relapsus, nulla fit injuria Sacramento Confirmationis, Eucharistiae etc. ita etiam nulla dici debet fieri injuria, si stante periculo Apostasiae confertur infanti *infideli*. Praesertim quia non obstante tali periculo apud plures optimum effectum habere potest, illos nempe, qui adhuc ante usum rationis moriuntur, qui utique sunt multi; et illos, qui contra legem naturae non peccant, et bona fide contra praecepta Ecclesiae egunt, utpote qui sic Baptismo provisi, aeternum salvarentur. Plura de hac materia, qui cupit, videat Mastrium *loc. cit.*

TITULUS VII.

De Haereticis.

1 *Ratio continuationis, nec non laus Italorum, et Hispanorum, ac econtra negligentia Germanorum in hac materia.*

1 Post praecedentem Titulum, in quo agebatur de iis, qui Baptismo carentes, Deum blasphemant vel negando, vel male colendo, recto ordine sequitur de iis, qui Baptismo jam imbuti Deum inhonorant a vera Fide deficiendo, quales sunt Haeretici. De quibus ad hanc Rubricam fuse egunt, Canonesque, Jura et Leges contra illos emanatas exacte observent Itali, et Hispani; idque sancte et merito: sic enim a pestifera, et maxime nociva Haeresi Provincias suas conservarunt, et etiamnum conservant immunes: Dum econtra Germani negligendo, et transgrediendo praefatos sanctissimos Canones et Leges in causa fuere, quod Haeresis successive in tantum invaluerit, ut non solum integra Regna, et Provincias illa infectas videre, sed insuper pati debeant, quod Haeretici in memoratis Provinciis plures Episcopatus, ac bona illorum possideant, totaque in Germania plenam cum Catholicis communicationem habentes fere sine omni poena in Haeresi libere vivant, factis ad id etiam publicis pacis tractatibus, et foederibus. De quorum valore infra §. *IV*.

§. I.

De Natura, ac Divisione Haeresis, et Haereticorum.

SUMMARIUM.

2 *Haeresis unde dicta?*
3 *Haeresis formalis quid?*
4 *Requiritur ad eam error in intellectu, et pertinacia voluntatis.*
5 *In quo consistat haec pertinacia.*
6 *Externe tantum negans fidem, non est Haereticus.*
7 *Nec interne errans circa illam, si paratus sit se submittere judicio Ecclesiae. Et n. seq.*
9 *Etiamsi ex ignorantia crassa erret circa fidem.*
10 *Haereticus est, qui dubitat de fide, vel aliquo fidei articulo.*
11 *Sufficienter proposito.*
12 *Haeresis alia est formalis, alia materialis.*
13 *De Vulgo haereticorum plurimi sunt materiales.*
14 *Observatio practica circa haereticos vulgares, et praxis eos faciliter ad Fidem reducendi.*
15 *Haeresis formalis alia est externa, alia interna.*
16 *Externa, alia publica, alia occulta.*
17 *Haeresis, et haeretici dividuntur pro diversitate haeresiarcharum, quos sequuntur.*
18 *Enumerantur in specie haereses antiquae.*
19 *Enumerantur in specie etiam recentiores.*
20 *Recentissimae quoque in specie recensentur.*
21 *Etiam Jure Civili omnes censentur haeretici, qui vel leviter dissentiunt a judicio Catholicae Religionis.*

Quaeritur I. Quid sit Haeresis? et quid Haereticus? 2
Ante Responsionem nota, Haeresin esse verbum Graecum, idem ac electionem, vel eligere ac sectari significans, eo quod sit novae, et a communi Ecclesiae, et Spiritus sancti vero sensu alienae doctrinae, et opinionis electio, aut secta, *can. Haeresis* 27. *et can. Haereticus.* 28. *cau.* 24. *quaest.* 3. Hoc notato

Resp. I. *Haeresis formalis* (hanc siquidem hic definimus et non materialem, de qua infra) *est error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem Fidei Catholicae.* Ita in re cum communi Catholicorum S. Thomas 2. 2. *quaest.* 11. *a.* 1. Farinacius *Prax. Crimin. quaest.* 178. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *numero* 1. Pirhing *h. t. num.* 1. et alii. Dicitur notanter, *homo baptizatus*; quia errores, quos non baptizati, v. g. Turcae, Gentiles, Judaei contra Fidem Catholicam habent, non *haereses*, sed Paganismi, vel Judaismi sunt, et vocantur, ac propterea poenis *haereticorum* ab Ecclesia in hos latis non subjacent, uti post Suarez *Disp.* 19. *de Fide. sect.* 5. bene observet Pirhing *h. t. num.* 3. *arg. c. Odia. de Reg. Jur. in* 6. 3

Resp. II. Ad *haeresin formalem* duo copulative requiruntur, nimirum error in intellectu, et pertinacia in voluntate. Communis et certa *arg. can. Dixit Apostolus* 29. *et can. qui in Ecclesia* 31. *cau.* 24. *quaest.* 1. Et quidem quod requiratur *error*, id est erronea opinio, vel judicium intellectus contra Fidem Catholicam, patet: quia Haeresis est species infidelitatis, haec autem importet errorem intellectus contra veram Fidem, ut notant Theologi. Quod vero requiratur pertinacia ex parte voluntatis, clare habetur ex c. 4

Damnamus. 2. *de Summa Trinitat.* et *cit. can. Dixit Apostolus*. 29. *can.* 24. *q.* 3.

5 Solum notandum, pertinaciam ex parte voluntatis ad constituendam *haeresin* requisitam non consistere in hoc, quod quis acriter, et quasi mordicus diu retineat, defendat, vel tueatur errorem contra Fidem, sed in hoc, quod hujusmodi errorem retineat, postquam contrarium eidem sufficienter jam est propositum, vel etiam quando scit, contrarium teneri a vera universali Ecclesia Catholica, cui judicium suum praeferre praesumit, prout bene cum communi aliorum advertit Mastrius *in Theolog. Morali disput.* 10. *numer.* 24. Ratio est; quia in rebus Fidei quilibet tenetur se subjicere judicio, ac definitioni Ecclesiae, utpote *quae est columna et firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. ita, ut *portae inferi non praevalebunt adversus eam* Matth. 16. ℣. 18. Hinc qui hoc facere renuit, jam plus nimio, et superbe adhaeret propriae opinioni, vel judicio suo erroneo, consequenter pertinax in suo errore est. Caeterum ex dictis

6 Infertur I. Eum, qui metu mortis, vel ex alia causa negat exterius Fidem, aut aliquid Fidei contrarium affirmat absque interiori mentis assensu, quo verum credat, quod ore profert, graviter quidem peccare contra praeceptum profitendi Fidem, proprie tamen, ac vere *haereticum* non esse. Navarrus *in Manual. cap* 27. *numer.* 56. Sanchez *loc. cit. cap.* 7. *numer.* 8. et communis aliorum: Ratio est; quia *Haeresis* essentialiter consistit in interno judicio erroneo intellectus contra Fidem, quale hic non adesset. Nihilominus in Foro externo talis censeretur *Haereticus*, et ut *Haereticus* merito puniretur, quia *Ecclesia non judicat de occultis*. c. *Sicut tuis*, *de Simonia*.

7 Infertur II. Quod ex ignorantia errans contra Fidem, simul tamen judicio Ecclesiae sese submittens, paratus credere, quod illam credere intellexerit, non sit *haereticus*; quia in suo errore non est pertinax contra Fidem, *arg. c. Damnamus* §. *In nullo tamen. de Summa Trinitat.* juncta Glossa *ibid.* ℣. *Paratus*. ubi hac de causa Joachim Abbas non censetur *haereticus*, non obstante, quod docuerit sententiam *Haereticam* ibidem damnatam; quia videlicet Scripta sua submisit judicio Sedis Apostolicae, sicque non fuit pertinax. Unde S. Augustinus relatus c. *Dixit Apostolus*. 24. *q.* 3. sic ait: *Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae praesumptionis pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Haec ibi

8 Hinc Fagnanus *in c. Damnamus. de Summa Trinitat. num.* 25. ait de Joachim Abbate, quod stante sua protestatione, quam ibidem verbatim refert, non fuerit Haereticus, sed erraticus: quia noluit discedere e Christo. Est autem differentia inter *Erraticum*, et *Haereticum*: nam simplices homines (nec qui ex simplicitate errant circa Fidem, tamen suam opinionem Fidei Ecclesiae supponunt) sunt *Erratici* quia errant, et tamen non sunt *Haeretici*, quia nolunt a Christo discedere, ut post Baldum loquitur Fagnanus *in c. Firmiter. de Summa Trinitat. num.* 30. Concordat c. *Haereticus* 24. *q.* 3. ibi: *Ille autem, qui hujusmodi hominibus haereticis credit, homo est imaginatione quadam veritatis et pietatis delusus.*

9 Imo addunt Doctores ab *haeresi*, et poenis *haereticorum* immunem esse quoque illum, qui ex ignorantia etiam crassa, et supina, ac mortaliter culpabili ignorat, errorem suum, seu opinionem erroneam verae Fidei, et verae Ecclesiae esse contrariam. Farinacium *in Prax. Crimin. q.* 179. *a num.* 29. Sanchez *loc. cit. cap.* 7. *num.* 20. Pirhing *h. t. num.* 2. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 13. *nu.* 2. cum Communi. Ratio est; quia adhuc deest pertinacia, quae requirit scientiam, quod pertinacis opinio, vel judicium adversetur, verae Fidei, aut Ecclesiae. Accedit, peccatum *haeresis* non esse peccatum ignorantiae, sed infidelitatis positivae, ad quam requiritur scientia, contrarium teneri a vera Ecclesia. Confirmatur: quia alias plurimi inter Catholicos essent *haeretici*; cum plurimi ex ignorantia etiam culpabili versentur in erroribus, et opinionibus erroneis universali Ecclesiae contrariis. Sed

Quaeritur II. Num etiam censeatur *haereticus formalis*, qui positive dubitat de Fide, vel aliquo illius Articulo sufficienter sibi proposito, pertinaciter asserendo, vel judicando, non esse omnino certum, vel esse dubium, an sit certus, vel verus talis Articulus Fidei? Resp. Affirmative. D. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. et *q.* 11. *art.* 1. Abbas *in c.* 1. *h. t. num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. *num.* 12. Sylvester ℣. *Haeresis*. 1. *q.* 3. cum communi aliorum, *arg. c.* 1. *h. t.* ibi: *Dubius in Fide infidelis est.* c. 1. *de Summa Trinitat.* et *Clem.* 1. § *Porro eod.* juncto Symbolo S. Athanasii, ibi: *Nisi fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* Ratio principalis est; quia inter alios Articulos Fidei, unus, et quidem principalis est, veram Ecclesiam in cunctis Dogmatibus Fidei esse infallibilem et certam; qui autem etiam de uno duntaxat dubitat, jam hoc ipso non credit, eam esse infallibilem et certam; consequenter *haereticus* est. Accedit, quod dubitans de Fide, Fidem destruat, cum Fides in homine fideli firmitatem in credendo supponat, c. 1. *de Summa Trinitat.* 10

Dicitur autem notanter *De Articulo sibi sufficienter proposito*; ex hujus enim defectu *formales haeretici* non sunt, qui inter Haereticos nati et educati, de uno, vel pluribus Articulis dubitant, donec sufficienter instruantur; quia deest pertinacia, uti cum Laymano, et aliis jam diximus *in Theologia nostra Morali, Tr.* 4. *dist.* 4. *q.* 2. *n.* 21. 11

Quaeritur III. Quotuplex sit? seu quomodo dividatur Haeresis? Resp. Haeresin primo dividi in *Materialem*, et *Formalem*. Materialis est (quae tamen inter veras haereses numeranda non est juxta textum can. *Dixit Apostolus* can. 24. *q.* 3. allegatum supra *num.* 7.) quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitae informationis, vel ex positiva sinistra informatione errat circa fidem. 12

Tales *haeretici Materiales* iterum plurimi sunt in vulgo haereticorum, praesertim talium, qui inter Catholicos non vivunt, hi enim cum vera, et sufficienti informatione destituti simpliciter credant ea, quae a parentibus, vel praedicantibus suis pro fidei Articulis audiunt, voluntarium errorem intellectus cum pertinacia non habent, consequenter *haeretici* non sunt. Imo *haeretici formales* non sunt, etsi sciant eorum fidem, et opinionem in plurimis adversari Ecclesiae Romanae Catholicae, casu quo ex simplicitate, aut defectu sufficientis informationis ignorant, aut non credunt eam esse veram Ecclesiam, sed ex mala, mendaci, et falsa informatione potius putant, et credunt, eam esse falsam Ecclesiam: econtra suam Religionem et Ecclesiam esse veram, prout apud plurimos in dicto vulgo res se habet, prout ex Mastrio et aliis 13

etiam jam diximus *in Theologia nostra Morali Tr. 4. dist. 4. num. 19.*

14 Illud tamen circa hoc notandum, Spiritum sanctum etiam his hominibus tot lumina et inspirationes largiri, Angelosque eorum Custodes tot admonitiones, occasiones, et circumstantias praebere, ut nonnunquam de sua falsa Secta necessario dubitare saltem debeant, in quo casu occasione praesertim habita, utrique indagare, et interea bonam voluntatem habere debent, quod, si scirent, se in vera Religione non esse, vel errores *verae Ecclesiae* adversos habere, illico falsam Sectam cum erroribus dimittere, et econtra veram Religionem amplecti, veraeque Ecclesiae adhaerere vellent. Quod summo cum fructu ordinarie suadetur illis *Haereticis*, qui inter Catholicos permixti vivunt; licet enim etiam isti ob malos habitus, et persima a parentibus, et praedicantiis haustam informationem difficillime ad credendum induci, ac persuaderi valeant, eorum Sectam esse falsam, et nostram Religionem veram, tamen faciliter eis talis remonstratio ad oculum fieri potest, ut necessario saltem dubitare debeant, quo dubio excusato ulterius facile eis remonstratur, quod veritatem seposito omni inordinato affectu magis indagare, et interea praefatam bonam voluntatem habere teneantur; hanc enim veram si habent, jam hoc ipso ab *Haeresi formali* immunes, *cit. can. Dixit Apostolus. cau. 24. q. 3.* et ita dispositi sunt, ut plene converti facilius valeant, Deo bonam voluntatem respiciente, et facienti, quod est in se, gratiam non denegante.

15 *Haeresis formalis* ulterius dividitur in *Externam*, et *internam*, seu *mentalem*. Haec seu *interna* est, quae in corde, seu mente retinetur, et nec verbis nec facto externe manifestatur. *Externa* est, quae interne vigens, verbis, vel facto aliquo externo sufficienter externe exprimitur.

16 *Externa* ulterius dividitur in *occultam, et publicam*, seu manifestam. Haec est, quae palam, et coram pluribus externe manifestatur. *Occulta* est, quae verbis, vel facto, signove externo aliquo proditur, vel nemine, vel uno, alterove solummodo praesente, et audiente: ut si quis nemine prorsus praesente, et audiente secum ipse discurrens *Haeresin* mente conceptam ore proferret, dicendo v. g. *plane non credo Deum esse Trinum et unum: vel credo Christum esse solum hominem, vel sub speciebus consecratis Christum non existere.* Et haec *Haeresis*, quia vere est, et dicitur *externa*, quantumvis occulta sufficit ad incurrendas poenas, nec requiritur, ut sit publica, dummodo alias requisitas conditiones habeat, juxta amplius dicenda infra §. *V.*

17 Porro *Haeresis* hactenus explicata ulterius dividi potest in varias, ac plurimas Sectas, tot nempe, quot sunt errores circa Fidem, quos quaedam Communitates certum sequentes *Haeresiarcham* tenent, quae olim fuere, et etiamnum plurimae sunt. Antiquas enarrant S. Epiphanius, et S. Augustinus *lib. 2. de Haeresi.* Eaedem ex antiquo S. Patre Isidoro enarrantur *can. Quidam autem. 39. cau. 24. q. 3.* quas per extensum de verbo ad verbum hic adducere placuit, ut recentiores Haeretici videant, eorum Sectam, et falsam Religionem ab antiqua Ecclesia, quam veram fuisse et infallibilem ipsi fateantur, jam fuisse damnatam, consequenter ipsos ex propria confessione veros esse Haereticos; sic ergo ex S. Isidoro sonat citatus *can. Quidam autem. cau. 24. q. 3.*

18 *Quidam autem Haeretici, qui de Ecclesia recesserunt, ex nomine Auctorum suorum nuncupantur; quidam vero ex causis, quas eligentes instituerunt.*

Simoniaci *dicti a Simone magicae artis perito, cui Petrus in Actis Apostolorum maledixit pro eo, quod ab Apostolis Spiritus sancti gratiam pecunia emere voluisset. Hi dicunt, creaturam non a Deo, sed a virtute quadam superna creatam.*

Menandrini *a Menandro mago, discipulo Simonis nuncupati, qui Mundum non a Deo, sed ab Angelis factum asseruit.*

Basilidiani *a Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias Jesum passum abnegavit.*

Nicolaitae *dicti a Nicolao Diacono Ecclesiae Hierosolymorum, qui cum Stephano et caeteris constitutus est a Petro, qui propter pulchritudinem relinquens uxorem dixerat, ut qui vellet, ea uteretur: versa est in stuprum talis consuetudo, ut invicem conjugia commutarentur. Quos Joannes in Apocalypsi improbat dicens:* Sed hoc habes, quod odisti facta Nicolaitarum.

Gnostici *propter excellentiam scientiae se ita appellare voluerant: Animam naturam Dei esse dicunt: bonum et malum Deum suis dogmatibus fingunt.*

Carpocratiani *a Carpocrate quodam vocantur, qui dixit Christum hominem fuisse tantum, et de utroque sexu progenitum.*

Cerinthiani *a Cerintho quodam nuncupati. Hi inter caetera circumcisionem observant: mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros praedicant. Unde et Graece* chiliastoi, *latine Millenarii sunt appellati.*

Nazaraei *dicti, qui dum Christum (qui a vico Nazaraeus est appellatus) filium Dei confitentur, omnia tamen veteris Legis custodiunt.*

Ophitae, *a Colubro nominati sunt. Coluber enim graece* Ophis *dicitur, colunt Deum serpentem, dicentes, ipsum in paradisum induxisse virtutis cognitionem.*

Valentiniani, *a Valentino quodam Platonico sectatore vocati, qui graece Anthropos, id est saecula quaedam in originem Dei Creatoris induxit: Christum quoque de Virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eam, quasi per fistulam transiisse asseruit.*

Appellitae, *quorum auctor Appelles fuit, qui creatorem Angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens, Deum legis Israel illum igneum affirmans dixit, et Christum non in veritate Deum, sed hominem in phantasia apparuisse.*

Archontiaci *a principibus appellantur: qui universitatem, quam Deus condidit, opera esse Angelorum defendunt.*

Adamiani *vocati, quod Adae imitentur nuditatem. Unde et nudi orant, et nudi inter se Mares, foeminaeque conveniunt.*

Cajani *inde sunt appellati, quia Cain adorant.*

Sethiani *nomen acceperunt a filio Adae, qui vocatus est Seth, dicentes eundem esse Christum.*

Melchisedechiani *vocati pro eo, quod Melchisedech Sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrabantur.*

Angelici *vocati, quia Angelos colunt.*

Apostolici *hoc sibi nomen ideo sumpserunt, quod nihil possidentes proprium nequaquam recipiunt eos, qui aliquo in hoc Mundo utuntur.*

Cerdoniani *a Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asseruit.*

Marcionistae *a Marcione Stoico Philosopho appellati: qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum malum Deum asseruit, tanquam principia creationis et bonitatis.*

Artotyritae *de oblatione vocati: panem enim et caseum offerunt dicentes, a primis hominibus oblationem a fructibus terrae, et a fructibus ovium fuisse celebratam.*

Aquarii *appellati, eo quod aquam solum offerunt in calice Sacramenti.*

Severiani *a Severo exorti vinum non bibunt:*

vetus Testamentum, et resurrectionem non recipiunt.

Tertiani *a Tertiano quodam vocati, qui et* Encratitae *dicti, quia carnes abominantur.*

Alogii *vocantur tanquam sine verbo:* Logos *enim Graece, verbum dicitur. Deum enim, Verbum non credunt, respuentes Joannis Evangelium, et Apocalypsin.*

Cataphryges *nomen provincia Phrygia dedit; quia ibi extiterunt. Auctores eorum Montanus, Prisca, et Maximilla fuerunt. Hi adventum Spiritus S. non in Apostolos, sed in se traditum asserunt.*

Cathari *propter munditiem ita se nominaverunt, gloriantes enim de suis meritis, negant poenitentibus veniam peccatorum: viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, mundiores se caeteris praedicant. Qui nomen suum si cognoscere vellent, mundanos se potius, quam mundos vocarent.*

Pauliani *a Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit, non semper fuisse Christum, sed a Mariae sumpsisse initium.*

Hermogeniani *ab Hermogene quodam vocati, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparavit, matremque elementorum, et Deum asseruit: quos Apostolus improbat elementis servientes.*

Manichaei *a quodam Persa extiterunt, qui vocatus est Manes. Hic duas naturas, et substantias introduxit, id est bonum, et malum, et animas ex Deo, quasi ex aliquo fonte manare asseruit: Testamentum vetus respuit, novum ex parte recepit.*

Anthropomorphytae *dicti pro eo, quod simplicitate rustico Deum habere humana membra, quae in divinis libris scripta sunt, arbitrantur:* anthropos *enim graece, latine homo interpretatur, ignorantes vocem Domini, qui ait,* Spiritus est Deus, *incorporeus est enim: nec membris distinguitur; nec corporis mole censetur.*

Hierarchitae *ab Hierarcha auctore exorti, Monachos tantum recipiunt: conjugia respuunt: regna coelorum parvulos habere non credunt.*

Novatiani *a Novatiano Romae urbis Presbytero exorti, qui adversus Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatus invadere, Haeresin instituit, nolens Apostatas suscipere rebaptizatos.*

Montani *haeretici dicti, quod tempore persecutionis in montibus latuerunt, qua occasione se a Catholicae Ecclesiae corpore diviserunt.*

Ebionitae *ab Ebione dicti, sive a paupertate, Christum enim per profectum solum, virum justum putant effectum. Unde competenter* Ebionitae *pro paupertate intelligentiae appellati sunt. Hi enim semijudaei sunt: et ita tenent Evangelium, ut legem carnaliter servent: adversus quos Apostolus ad Galatas scribens, invehitur.*

Photiniani *a Photino Gallograeciae Syrmii Episcopo nuncupati, qui Ebionitarum haeresim suscitans asseruit, Christum a Maria per Joseph nuptiali coitu fuisse conceptum.*

Aeriani *ab Aerio quodam nuncupati sunt, qui offerre Sacrificium pro defunctis spernunt.*

Aetiani *ab Aetio sunt vocati: iidemque* Eunomiani *ab Eunomio quodam Dialectico Aetii discipulo, ex cujus nomine magis innotuerunt; dissimilem Patri asserentes Filium, et Filio Spiritum S. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in Fide manentium.*

Origeniani *ab Origene auctore exorti sunt dicentes, quod non possit videre Filius Patrem, nec Spiritus Sanctus Filium. Animas quoque in mundi principio peccasse dicunt, et pro diversitate peccatorum e coelis usque ad terras diversa corpora, quasi vincula meruisse, eaque causa factum esse mundum.*

Noetiani *a quodam Noeto vocati, qui dicebant Christum eundem esse, et Patrem, et Spiritum sanctum, ipsamque Trinitatem in officiorum nominibus, non in personis accipiunt. Unde et* Patripassiani *vocantur, quia Patrem passum dicunt.*

Sabelliani *ab eodem Noeto pullulasse dicuntur: cujus discipulum perhibent fuisse Sabellium, ex cujus nomine maxime innotuerunt: unde Sabelliani vocati sunt. Hi unam personam Patris, Filii, et Spiritus sancti astruunt.*

Ariani *ab Ario Alexandrino Presbytero sunt orti, qui coaeternum Patri Filium non agnoscens, diversas in Trinitate substantias asseruit, contra illud, quod ait Dominus,* Ego et Pater unum sumus.

Macedoniani *a Macedonio Constantinopolitano Episcopo dicti sunt, negantes, Deum esse Spiritum sanctum.*

Apollinaristae *ab Apollinare vocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse.*

Antidicomaritae *appellati sunt pro eo, quod Mariae virginitati contradicunt, asserentes, eam post Christum natum viro suo esse commistam.*

Metangismonitae, *ideo tale nomen acceperunt, quia* eggos *graece, vas dicitur. Asserunt enim, sic esse in Patre Filium, tanquam vas minus intra vas majus.*

Patritiani *a quodam Patritio nuncupati sunt, qui substantiam humanae carnis a diabolo conditam dicunt.*

Colluthiani *a quodam Colutho nominati, qui dicunt, Deum non facere mala contra illud, quod scriptum est,* Ego Dominus creans mala.

Floriani *a Floriano, qui e contrario dicunt, Deum creasse mala, contra hoc, quod scriptum est:* Fecit Deus omnia bona.

Donatistae *a Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens totam pene Africam sua persuasione decepit, asserens, minorem Patre Filium, et minorem Filio Spiritum sanctum, et rebaptizans Catholicos.*

Bonosiani *a Bonoso quodam Episcopo exorti produntur, qui Christum Dei Filium adoptivum, non proprium asserunt.*

Circumcelliones *dicuntur, eo quod Agrestes sunt, quos* Scotopitas *vocant, supra dictae haeresis habentes doctrinam Hi amore martyrii semetipsos perimunt, ut violenter de hac vita discedentes, martyres nominentur.*

Priscillianistae *a Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore* Gnosticorum, *et Manichaeorum permistum dogma composuit.*

Luciferiani *a Lucifero Sardiniae Episcopo orti, qui Episcopos Catholicos, qui Constantii persecutione perfidiae Arianorum consentientes erant, et postea correcti in Catholicam Ecclesiam redire delegerunt, damnantes, sive quod crediderant, sive quod se credidisse simulaverant, quos Ecclesia Catholica materno recepit sinu, tanquam Petrum Post fletum negationis, hanc illi matris charitatem superbe accipientes, eosque recipere nolentes, ab Ecclesiae communione recesserunt, et cum ipso Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.*

Joviniani *a Joviniano quodam Monacho dicti, asserentes, nullam nuptarum, et virginum esse distantiam, nullamque inter abstinentes, et simpliciter epulantes esse discrimen*

Helvidiani *ab Helvidio nominati, qui dicunt, post Christum natum, alios Mariam Filios de viro suo Joseph peperisse.*

Paterniani *a Paterno quodam exorti, inferiores partes a diabolo factas opinantur*

Arabici *nuncupati, eo quod in Arabia exorti sunt, dicentes, animam cum corpore mori, atque in novissimo utrumque resurgere.*

Tertullianistae *dicti a Tertulliano Presbytero Africanae provinciae civitatis Carthaginensis, animam immortalem esse, sed corpoream praedicantes, et animas peccatorum hominum post mortem in daemones verti putantes.*

Tesserescadecatitae dicti, *quod decima quarta Luna Pascha cum Judaeis observandum contendunt, nam Tesseres quatuor*, deka *decem significat.*

Nyctages *a somno nuncupati, quod vigilias noctis respuant, superstitionem esse dicentes, jura temerari divina, qui noctem ad requiem tribuit.*

Pelagiani *a Palagio Monacho* exorti. *Hi liberum arbitrium divinae gratiae anteponant, dicentes sufficere voluntatem ad implenda jussa divina.*

Nestoriani *a Nestorio Constantinopolitana Episcopo nuncupati, qui B. Mariam Virginem non Dei, sed hominis tantummodo matrem asseruit; et alium personam carnis, aliam faceret Deitatis: nec unum Christum in verbo Dei, et carne credidit, sed separatim atque sejunctim alterum filium Dei, alterum hominis praedicavit.*

Eutychiani *dicti ab Eutyche Constantinopolitano Abbate, qui Christum post humanam assumptionem negavit existere in duabus naturis, sed solam in eo divinam asseruit esse naturam.*

Acephali *dicti, id est, sine capite. Nullus enim eorum reperitur auctor, a quo exorti sint. Hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores, duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, et unam in ejus persona naturam praedicant.*

Theodosiani, *et* Gajenitae *appellati a Theodosio, qui temporibus Justiniani principis in Alexandria, populi perversi electione, una die ordinati sunt Episcopi. Hi errores Eutychetis, et Dioscori sequentes, Chalcedonense Concilium respuunt; ex duabus unam in Christo naturam asserunt; quam* Theodosiani *corruptam,* Gajenitae *incorruptam contendunt.*

Agnoitae, *et* Tritheitae, *a Theodosianis exorti sunt, ex quibus* Agnoitae *ab ignorantia dicti; quia ad perversitatem, a qua exorti sunt, id adjiciunt, quod Christi Divinitas ignoret futura, quae sunt scripta de die, et hora novissima, non recordantes Christi personam in Esaia loquentis,* Dies judicii in corde meo.

Tritheitae *vero vocati, quod sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres asserunt Deos esse, contra illud, quod scriptum est.* Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.

Sunt et aliae Haereses sine auctore, et sine nominibus. Ex quibus aliae putant, triformem esse Deum: aliae Christi Divinitatem passibilem dicunt: aliae Christi de Patre nativitati initium temporis dant: aliae liberationem hominum apud inferos factam Christi descensione non credunt: aliae animam imaginem Dei negant: aliae animas converti in daemones, et in quaecunque animalia existimant: aliae de Mundi statu dissentiunt: aliae innumerabiles Mundos opinantur: aliae aquam Deo coaeternam faciunt: aliae nudis pedibus ambulant: aliae cum hominibus non manducant. Hae sunt Haereses adversus Catholicam Fidem exortae, et ab Apostolis et a sanctis Patribus, vel Conciliis praedamnatae, quae dum in se multis erroribus divisae, invicem sibi dissentiant, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant.

Recentiores aliquae adducuntur c. *Ex communicamus.* 15. *h. t.* et *Clement. Ad nostrum.* 3. eod. ibi: *Ad nostram (qui desideranter in votis gerimus, ut Fides Catholica nostris temporibus, et pravitas haeretica de finibus Fidelium extirpetur) non sine displicentia grandi pervenit auditum, quod Secta quaedam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, et quarundam infidelium mulierum, quae Beguinae vulgariter appellantur in regno Alemanniae (procurante satore malorum omnium operum) damnabiliter insurrexit tenens, et asserens doctrina sua sacrilega, et perversa infrius designatos errores.*

Primo videlicet, *quod homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit: nam (ut dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis in Christo perfectior inveniri.*

Secunda, *quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui, et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere, quidquid placet.*

Tertia, *quod illi, qui sunt in praedicto gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non sunt humanae subjecti obedientiae, nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur, quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

Quarta, *quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in praesenti assequi: at eam in vita obtinebit beata.*

Quinta, *quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.*

Sexta, *quod se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti: et perfecta anima licentiat a se virtutes.*

Septimo, *quod mulieris osculum (dum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale: Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.*

Octavo, *quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis ejusdem, si a puritate, et altitudine suae contemplationis tantum descenderet, quod circa mysterium, seu Sacramentum Eucharistiae, aut circa passionem Christi aliqua cogitarent. Nonnulla etiam alia sub simulata quadam sanctitatis specie dicunt, faciunt, et committunt quae oculos Divinae Majestatis offendunt, et grave in se continent periculum animarum.*

20 Recentissimas vero *Haereses*, et *Haereticos* recenset Bulla Coenae §. 1. videlicet, *Hussitas, Wichlevistas, Lutheranos, Zvinglianos, Calvinistas, Hugonotos, Anabaptistas, Trinitarios*, ut proin apud Catholicos nefas sit, dubitare, an hi modo recensiti sint veri *Haeretici*, nec ne; cum ut tales ab Ecclesia sint declarati, ac propterea etiam, sicut et alii quicunque *Haeretici*, eorumque receptores, fautores, defensores per eandem Bullam excommunicati.

21 Generaliter etiam *Haereticos* pulchre declarat Jus Civile *l. Omnes.* 2. *C. de Haereticis* ibi: *Haereticorum autem vocabulo continentur, et latis adversus eos Sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento a judicio Catholicae Religionis et tramite, detecti fuerint deviare.*

§. II.

De Communicatione, et Disputatione cum Haereticis; nec non de Praedicatione ad eos, et Catholicos facienda

SUMMARIUM

22 *Si abest scandalum, et perversionis periculum, licite, et absque Excommunicatione possunt Catholici cum haereticis communicationem habere.*

23 *Etiam cum Lutheranis, et aliis in Bulla Coenae expresse excommunicatis.*

24 *Possunt cum iis varios contractus, non tamen Matrimonia inire, praesertim in locis, ubi tolerantur.*

25 *Ubi vero scandalum, vel perversionis periculum, illicitum est.*

26 *Cum haereticis disputare, Laicis sub excommunicatione prohibentur.*

27 *Etiamsi sint docti.*
28 *Ista tamen Juris prohibitio in locis, ubi Catholici cum Haereticis permixti vivunt, usu vel non est recepta, vel per consuetudinem contrariam abrogata.*
29 *Clericis non est prohibitum disputare cum Haereticis.*
30 *Si sint Clerici sufficienter docti, et debitas circumstantias prudenter observent.*
31 *Praedicare nec haereticis, nec Catholicis possunt Laici.*
32 *Neque Clerici sine licentia Episcopi.*
33 *De potestate praedicandi competente Regularibus. Remissive.*

22 Quaeritur I. An, et qualis Communicatio cum *haereticis* prohibita, vel licita sit Catholicis? Resp. Quamvis olim Communicatio cum quovis *haeretico* utpote excommunicato fuerit prohibita, tamen hodie licitum est communicare cum omnibus, notoriis quoque et manifestis etiam in Bulla Coenae, et alibi in Jure nuntiatis *haereticis*, specialiter et nominatim non excommunicatis, si abest scandalum, et perversionis periculum. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 9. *num.* 3. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 1. Pirhing *h. t. num.* 22. *et* 23. cum communi aliorum. Ratio est; quia Martinus V. in Concilio Constantiensi per Constitutionem, quae incipit, *Ad vitanda*, atque refertur a Navarro *in Manual. cap.* 27. *n* 35. et Sylvestro ℣. *Excommunicatio.* 5. *num.* 7. moderando declaravit, nullum Excommunicatum imposterum esse vitandum, nisi a Judice specialiter, et nominatim ut Excommunicatus sit denuntiatus, aut nisi sit publicus et notorius percussor Clerici. Quae Bulla, cum sit generalis; nullum nisi praefatos excipiens, et *haereticos* comprehendit: Tum quia verba Legis generalia, generaliter sunt intelligenda, *l. de Pretio. ff. de Publican. in rem action.* cum Concordantiis: Tum quia *exceptio unius firmat regulam in contrarium, l. In iis, quae ff. de Legib.*

23 Nec refert, quod Lutherani, Calvinistae, et quidam alii *haeretici* nominatim declarentur, et singulis annis publice denuntientur excommunicati per *Bullam Coenae*; quia illa denuntiatio non est specialis circa aliquas personas in specie, et nominatim expressas, sed generalis duntaxat, omnes Lutheranos, Calvinistas etc. in genere complectens, ejusmodi generalis denuntiatio vi Constitutionis Martinianae non sufficit ad hoc, ut Excommunicatus sit vitandus, uti Doctores citati bene observant.

24 Infertur proin cum iisdem DD. licitum esse Catholicis, praesertim in locis, ubi cum *haereticis* permixti vivunt, uti in Germania, Hungaria, Polonia etc. I. Inire, et habere cum iis Civiles contractus. II. Admittere filios *haereticorum* ad scholas, vel studia Catholica, non tamen econtra filios Catholicorum ad Scholas *haereticorum* ob perversionis periculum. III. Servire, seu famulari *haereticis*. IV. Adire et visitare templa *haereticorum*, ibique ritu Catholico orare: quin etiam Conciones *haereticorum* audire ex justa aliqua causa, v. g. ut annotentur errores Praedicantis haeretici, vel si famulus comitatur Dominum haereticum, Sanchez *lib.* 2. *Moral cap.* 4 *nu.* 16. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. Azorius *loc cit. q.* 4 Pirhing *h. t. a num* 24. et alii. Matrimonium tamen inire cum *haereticis* non licet Catholico, prout amplius dictum est *Lib. IV. Tit. I. n.* 36.

25 Dicitur autem notanter in Conclusione *num.* 22. data, *Si abest scandalum, et periculum perversionis*; hoc enim alterutrum ubi intervenit in Communicatione cum *haereticis*, etsi aliae licita, vitari de Jure divino debet juxta Omnes, eo quod tam scandalum, quam propriae animae, et peccati verum periculum Jure divino vitare, quivis teneatur, prout late Theologi, ex illo S. Scripturae: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Hinc in resolutione casuum circa Communicationem cum *haereticis* bene attendere oportet, an non exinde detur scandalum aliis, vel interveniat propriae animae periculum.

Quaeritur II. An? Quibus? Quando? Et quomodo liceat Catholicis disputare cum *haereticis*? 26
℞. I. Laicis omnibus sub poena excommunicationis ferendae sententiae prohibitum est, disputare cum haereticis de Fide, textu expresso, *c.* 2. *h. t. in* 6. ibi: *Jubemus quoque, ne cuiquam Laicae personae liceat publice vel privatim de Fide Catholica disputare, qui vero contra fecerit, Excommunicationis laqueo innodetur.* Ratio est: quia, cum Laici e potiori minus docti, minusque instructi praesumantur in Mysteriis Fidei, periculosum eis est, de Fide disputare cum *haereticis*, utpote in falsa sua Secta apprime imbutis, ita ut in simili disputatione plerumque majus periculum timendum, ne Catholicus pervertatur, vel *haeretici* in sua falsa Religione firmentur, quam convertantur.

Et quidem haec Juris prohibitio non tantum de indoctis, sed etiam de doctis Laicis procedit, ut contra Cajetanum *2. 2. quaest.* 10. *a.* 7. *ad* 1. bene tenet Sylvester ℣. *Disputatio. num.* 1. Farinacius *Prax. Criminal. quaest.* 178. *nu.* 112. cum Glossa communiter recepta *in cit. c.* 2. *h. t. in* 6. ℣. *Tenet.* Ratio est, Tum quia Jus indistincte ac generaliter loquitur: consequenter etiam indistincte intelligi debet, *arg. c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* Tum quia Leges feruntur de iis, quae frequenter, vel plerumque accidunt, *l. Nam ad ea.* 14. *ff. de Legib.* Laici autem frequentius, imo plerumque sunt indocti, aut certe minus sufficienter instructi in Mysteriis Fidei; consequenter universim omnibus merito prohibita est Disputatio de Fide cum *haereticis*, ne alioquin disputante Laico vere docto, etiam rudes, et imperiti de sufficientia sua male praesumentes ansam disputandi accipiant, non sine gravi periculo *num. praeced.* allegato. 27

Notant tamen recte Herinx *Disp* 9. *de Fide. q.* 3. *num.* 34. Palao *Tract.* 4. *Disput.* 2. *pun.* 4. Sanchez *lib.* 5. *Moral. cap.* 6. *num.* 7. et alii; Legem, seu prohibitionem hanc vel casu nunquam esse receptam, vel contraria consuetudine iterum abrogatam in locis, in quibus *haeretici* cum Catholicis permixti vivunt, quia passim ibidem cum *haereticis* in privatis colloquiis disputant Laici: idque saepe necessarium est pro avertando pusillorum scandalo, praesertim ubi ob persecutionem Haereticorum non tolerantur Clerici. 28

Resp. II. Quamvis non desint, volentes, etiam Clericis prohibitum esse disputare cum *haereticis*, *arg. l. Nemo.* 4. *C. de Summa Trinitat.* ibi: *Nemo Clericus, vel Militaris, vel alterius cujuslibet conditionis de Fide Christiana publice turbis coadunatis, et audientibus tractare conetur imposterum: et can. Cum quibus.* 36. *in fine. can* 24. *q* 3. Nihilominus Clericis per dicta Jura prohibitum non esse, publice et privatim disputare cum *haereticis*, si debitae serventur circumstantiae, communis et universali praxi Ecclesiae confirmata tenet opinio aliorum; eo quod tam *l. Nemo*, quam *can. Cum quibus* einati loquantur in casu, quo fit Disputatio dubitativa de Fide, seu ratione dubii, quod Clerici de Fidei articulo aliquo jam definitio habent, vel eum vocare volunt in dubium, uti de *can. Cum quibus*, bene *ibid.* advertit Glossa ℣. *Certamen.* et *l. Nemo.* constat ex contextu statim subsequente, ibi: *Nam et injuriam facit Romae Synodo, si quis semel judicata, et recte disposita revolvere, et publice disputare contenderit.* Accedit, dictam Legem, *Nemo*, ab Ecclesia non fuisse 29

approbatum, consequenter omni valore carere, hoc ipso, quod nulla Lex Civilis, quae de Ecclesiis, vel rebus spiritualibus, aut personis Ecclesiasticis etiam in favorem eorum disponere habeat valorem, nisi ab Ecclesia approbetur, textu expresso c. *Ecclesia.* 10. *de Constitut.* ibi: *Nullus firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum*: concordat c. *fin. de Rebus Eccles. non alien.*

30 Dicitur tamen notanter in Conclusione, *si debitae serventur circumstantiae*: Tum respectu Disputantium, ut videlicet nonnulli sufficienter docti, et instructi hujusmodi Disputationes assumant; ac alias eadem, quae a Disputatione Laicorum pericula eveniunt: Tum respectu Audientium, loci, insuper ac temporis, uti bene observat, et materiam hanc ulterius bene deducit Gonzales *in c. Cum ex injuncto.* 12. *h. t.*

31 Quaeritur III. An etiam, et quinam prohibeantur praedicare *Haereticis*, vel aliis? Resp. I. Sicut prohibitum est Laicis disputare cum *haereticis* de Fide, ita etiam prohibitum eis quoque est, ac *haereticis*, vel quibusvis aliis etiam Catholicis praedicent, texto claro c. *Cum ex injuncto.* 12. *et c. Sicut. h. t.* ibi: *Cum igitur nonnulli Laici praedicare praesumant, et verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum occulte subintrent etc. Mandamus, quatenus cum alios Dominus dederit Apostolos, alios Doctores, alias Prophetas, interdicas Laicis universis cujuscunque Ordinis censeantur, usurpare officium praedicandi.*

32 Resp. II. Graviter insuper, et quidem sub Excommunicatione prohibitum est Clericis, ne publice vel privatim sive *haereticis*, sive Catholicis praedicent; nisi ad Praedicationis officium legitime deputentur. Ita clare statuitur c. *Excommunicamus.* 13. § *Quia vero h. t.* ibi: *Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem ejus vindicant praedicandi, cum idem Apostolus dicat*: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur: *Omnes, qui prohibiti, vel nonnisi missi praeter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice vel privatim Praedicationis officium usurpare praesumpserint, Excommunicationis vinculo innodentur; et, nisi quamcitius resipuerint, alia competenti poena plectantur.*

33 Porro qualiter Regulares indigeant licentia, vel saltem benedictione Episcopi ad praedicandum in suis, vel alienis Ecclesiis, ex parte diximus jam supra *Lib. I. Tit. XXXI. de Officio Judicis Ordinarii*, et magis adhuc dicemus infra *Tit. XXXIII. de Privilegiis.*

§ III.

De Lectione, Retentione, Impressione, et Defensione haereticorum, et aliorum prohibitorum Librorum.

SUMMARIUM.

34 *Hi libri dupliciter prohibentur, per Bullam Coenae videlicet, et Indicem Librorum prohibitorum.*
35 *Per Bullam prohibetur sub Excommunicatione Lectio omnium, et solorum librorum haereticorum haeresin continentium, vel de Religione tractantium.*
36 *Ad incurrendam tamen hanc Excommunicationem requiruntur plures conditiones, et quidem 1. ut Auctor libri sit haereticus.*
Hinc legere librum Infidelium, vel Catholicorum etiam haeresin continentem contra Bullam Coenae non agit. Ibid.
37 *Etsi mala fide illum legat.*
38 *Quid Juris de Libellis Controversiae, quae in his partibus Catholici, et haeretici contra se invicem edunt.*
39 *Lectio libri haeretici per Bullam Coenae est prohibita, sive manuscriptus.*
40 *Secundum aliquos nomine libri hic non veniunt Epistolae, Conciones, Orationes, et aliae breves Scripturae haereticorum.*
41 *Contrarium est probabilius, probatur a paritate rationis. Et n. seq.*
43 *Et per declarationem Cardinalium.*
44 *Solvuntur fundamenta Adversariorum.*
45 *Confirmatur.*
46 *II. Conditio est, ut liber tractet de Religione: vel haeresin contineat.*
Quando dicatur de Religione tractare? Ibid.
47 *Magna Controversia inter Doctores est: An, et quando liber haeretici principaliter de alio objecto tractans, unam tamen, vel alteram haeresin inspersam habens dicatur in sensu Bullae continere haeresin? Et duobus n. seqq.*
49 *Juxta aliquos sufficit, si vel unica simplicissime, ac brevissime proposita, nulloque modo propugnato, haeresis per accidens inspersa habeatur.*
50 *Contrarium docet Layman ex fundamento tamen minus solido.*
51 *Idem Contrarium et nos, ut satis probabile tenemus, sed alio ex fundamento.*
52 *Quia videlicet circa tales libros universaliter deest ratio, et finis Legis. Et duobus n. seqq.*
55 *III. Conditio est, ut scienter, seu sciens legat, id est, sciat, librum esse Auctoris haeretici, et de Religione tractare, ac haeresin continere.*
56 *IV. Conditio est, ut quis legat talem librum sine facultate Apostolica directe, vel indirecte concessa.*
57 *Facultatem legendi libros prohibitos ex speciali Indulto Pontificio habent Germaniae Episcopi eamque communicare possunt aliis, sed nonnisi Sacerdotibus. Et n. proced.*
58 *Idque ordinarie ad solum Quinquennium.*
59 *Minime vero in perpetuum.*
60 *Imo nec ad Quinquennium licentiam legendi libros prohibitos aliis concedere possunt Ordinarii illo tempore, quo facultas ipsis concessa per quinquennium non amplius durat. Et tribus n. seqq.*
64 *Compendiosa relatio, et remissio conditionum requisitarum ad hoc, ut librum per Bullam Coenae prohibitum legens, incurrat Excommunicationem.*
65 *Non excusantur ab Excommunicatione docti, solo animo errores confutandi, et sine perversionis periculo legentes librum Bulla Coenae prohibitum. Et num. seq.*
67 *Bene tamen ab illo excusat parvitas materiae, quae legitur.*
68 *Quam parvitatem aliqui volunt esse paucas lineolas: alii integram etiam magni libri paginam, sed nimis late. Et n. seq.*
70 *Excommunicatur, qui legit notabilem partem, etsi in illa haeresis non contineatur. imo qui legit solum Epistolam dedicatoriam, vel Prooemium libri. Et n. proced.*
71 *Omnium et solorum librorum haereticorum, quorum lectio est prohibita per Bullam Coenae, est etiam prohibita Retentio, Impressio, et Defensio.*
72 *Sive dein suo, sive alterius nomine, in propria, vel aliena domo quis eos retineat.*
73 *Etiam partem retinens pro involutione v. g. peccat.*
74 *Datur tamen etiam in ista Retentione parvitas materiae. et quae? Et n. seq.*
75 *Quid incipiendum cum libris haereticis? Remissive.*

77 *Quaenam veniant nomine Imprimentium libros per Bullam Coenae prohibitos?*
78 *Et quinam nomine* Defendentium?
79 *Laymani, et Becani Assertum, Bullam Coenae in his partibus, vel omnino non, vel non tanto cum rigore esse receptam.*
80 *Sequuntur, et practicare audent plures ingenti cum praejudicio immunitatis Ecclesiasticae.*
81 *Impugnatur ex professo, et demonstratur, quod Bulla Coenae in aliqua quacunque tandem Provincia vel loco licite, et valide non possit non recipi, consequenter male non recepta nihilominus obliget.*
82 *Fundamentum praecipuum est, quod juxta communiorem, veramque sententiam ab obligationem justae Legis non requiratur acceptatio illius. Et num. seq.*
84 *Et juxta certam doctrinam (nam contraria damnata est) omnes peccent, qui absque justa causa Legem non acceptent.*
85 *Ostenditur in nulla Provincia dari, aut excogitari posse justam causam vel rationem non acceptandi Bullam Coenae.*
86 *Praesertim quoad prohibitionem librorum haereticorum. Et duobus num. seqq.*
89 *Objectio, quod Bulla Coenae per contrariam consuetudinem legitime praescriptam fuerit abrogata, vel saltem derogatum eidem.*
90 *Solvitur, et ostenditur, quod contra Bullam Coenae nunquam introduci, et legitime praescribi valeat consuetudo aliqua.*
91 *Et quaere? ac num. praeced.*
92 *Consuetudines contrariae sunt abusus.*
93 *Objectio Haereticorum, quod libros eorum prohibeant, et comburant Catholici.*
94 *Solvitur.*
95 *Et justificatur haec prohibitio exemplo antiquae Ecclesiae, ac Legibus Civilibus. Et num. seq.*
97 *Atque sacra Scriptura.*
98 *Ratio prolixae discussionis materiae de prohibitione librorum haereticorum per Bullae Coenae.*
99 *Index librorum prohibitorum unde?*
100 *Per illum prohibentur Libri triplicis Classis; primae Classis libri prohibiti qui?*
101 *Secundae Classis libri quinam?*
102 *Et quinam tertiae Classis?*
103 *Libri primae et secundae Classis ob Haeresin, quam continent, prohibiti, prohibentur Excommunicatione non reservata per Indicem.*
104 *Et reservata per Bullam Coenae.*
105 *Libri secundae et tertiae Classis ob aliam non sanam doctrinam prohibiti, sub peccato gravi quidem, sed nulla sub Excommunicatione prohibentur.*
106 *Tertiae Classis libri subinde sunt pejores, quam primae Classis.*
107 *Unde desumendum, qualiter Libri tertiae Classis, tacito videlicet Auctore editi, sint prohibiti.*
108 *Si constat, librum haereses continentem esse ab Auctore haeretico, censetur per Bullam Coenae prohibitus, etsi nomen Auctoris non sit appositum.*
109 *De facto novus confectus est Index librorum prohibitorum, qui continuo crescit.*
110 *Et easdem cum antiquo Regulas habet.*
111 *Regulae Indicis librorum prohibitorum.*
112 *De Instructione ad expurgandos libros prohibitos praescripta. Remissive*
113 *Asserunt aliqui, Indicem librorum prohibitorum absolute non esse receptum: aliqui vero non esse receptum quoad libros secundae Classis.*
114 *Assertum de absolute non recepto Indice in facto, non subsistit, nec in Jure.*
115 *Idem est de Asserto absolute dicente, non esse receptum Indicem quoad libros secundae Classis. Et duobus num. seqq.*
117 *Plures Pontifices Indicem de novo confirmarunt, et consuetudines contrarias revocarunt; idemque faciant Successores.*
118 *Ut proin difficile sit probare de Jure, non receptionem, vel consuetudinem contrariam.*
119 *De Indice quoad aliquos libros secundae Classis non recepto, Assertum non subsistit.*
120 *Speciale Notabile circa libros primae Classis.*
121 *Etiam Regulares tenentur ad observantiam Indicis.*
122 *Quia privilegia eorum sunt revocata.*
123 *Nec valet violenta quaedam interpretatio a nonnullis allata.*
124 *Praesertim ob Constitutionem Alexandri VII. omnium privilegiorum etc. derogatorium.*
125 *Lectores, et Professores Controversiae vi officii tacite sibi concessam non habent licentiam legendi libros haereticos. Et num. seq.*
127 *Qui librum haereticum, aut alium prohibitum habet, debet eum tradere Inquisitoribus, ubi Officium viget. Et num. seq.*
129 *In aliis locis, sufficit, si comburatur, vel tradatur aliquibus habentibus facultatem legendi, praesertim Monasteriis: et quare?*
130 *Declaratur Indultum, seu facultas Pontificia legendi, et tenendi libros prohibitos concedi solita Regularibus, et demonstratur, quod non obstantibus clausulis in eo contentis dicti Regulares asservare, et bene custoditos habere possint libros prohibitos in suis Bibliothecis, usque ad num. 135.*
135 *Quid Juris de Impressione librorum prohibitorum per Bullam Coenae?*
136 *Et quid de Impressione librorum in genere vi Concilii Tridentini?*
137 *Et vi indicis librorum prohibitorum? referuntur Ordinationes utriusque per extensum.*
138 *Causa prolixioris discussionis hujus materiae.*

Notandum prius duplicem praecipue circa hos libros extare prohibitionem: unam videlicet in Bulla Coenae; alteram vero in Indice librorum prohibitorum, auctoritate Concilii primitus, et Pii IV. erecto, postea per Successores Pontifices continuato, confirmato, et aucto. 34

Quaeritur itaque I. Quorum librorum Lectio? Retentio? Impressio, et Defensio prohibita sit per Bullam Coenae? et quomodo? Resp. I. Per Bullam Coenae gravissime, et quidem sub Excommunicatione Papae reservata prohibetur Lectio omnium et solorum librorum haereticorum illorum, qui ab Auctore haeretico compositi haeresim continent, vel de Religione tractant. Unanimis, et certa, ob clarum dictae, Bullae Coenae textum § I. ita sonantem: *Excommunicamus, et anathematizamus etc. Omnes, et singulos Haereticos, quocunque nomine censeantur etc. ac eorundem libros haeresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, aut Sedis Apostolicae scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio, vel colore etc.* Pro majori intelligentia hujus Legis pono sequentem Conclusionem, quae 35

Resp. II. Ad hoc, ut libro alicujus Haeretici censeatur prohibita Lectio vigore Bullae Coenae, et poenis ejusdem subjacere, requiruntur sequentes conditiones. I. Ut liber sit alicujus veri Haeretici, seu ut Auctor, qui librum composuit, sit Haereticus: hinc Excommunicationem Bullae Coenae non 36

incurrit, qui legit librum Pagani, Judaei, Turcae, vel alterius Infidelis non baptizati, etsi de Religione tractet, et haeresin contineat. Nec ille, qui legit librum Auctoris Catholici, etsi unam, vel plures haereses ex imprudentia inspersas habeat: vel in quo de verbo ad verbum etiam per integra folia referuntur textus, et doctrinae alicujus Haeretici, vel haereses Scriptoris haeretici. Naverrus *Manual. cap.* 27. *num.* 56. Palao de Infidelitate *Tract.* 4. *Disp.* 2. *pun.* 10. §. 1. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10: *num.* 23. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 1. Ratio est; quia dictâ Bulla, uti patet ex textu, excommunicat illos solos, qui legunt librum *Haeretici*; consequenter si Auctor libri verus *Haereticus* non est, Lectio illius sub dicta prohibitione, utpote odiosa non comprehenditur; eo quod Lex poenalis, et omnis alia odiosa stricte sit interpretanda, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. 17. a *numer.* 427. *arg.* c. *In poenis*, et c. *Odia. de Reg. Jur. in* 6.

37 Nec refert, quod quis Auctoris Catholici, aut alterius non haeretici librum Haereses, aut doctrinas Haereticas continentem legat mala intentione v. g. sola culpabili curiositate, vel animo discendi Haeresin, impugnandi Catholicos etc. uti bene advertunt DD. citati. Ratio est, quia Ecclesia non judicat de internis et occultis, et propter interna *nullum* punit delictum, *arg.* c. *Erubescant. dist.* 32. juncta Glossa ℣. *Secretorum.*

38 Infertur. Quid sentiendum de libris, ac libellis, quos in his partibus Catholici contra *Haereticos*, et hi contra illos de Controversia Fidei passim edunt, videlicet, quod etsi contra Bullam Coenae agat, poenasque illius incurrat, qui legit aliquem hujusmodi libellum ab *Haeretico* editum (cum vere sit liber *Haeretici* de Religione tractans, quin et haeresin continens) tamen ab eadem transgressione dictae Bullae, ac poena illius immunis sit, qui legit ejusmodi librum, vel libellum a Catholico editum, etsi in eis haeresis, et doctrinae *Haereticorum* ad longum de verbo ad verbum pro refutatione referantur.

39 Caeterum si Auctor libri est *Haereticus*, et liber haeresin continet, vel de Religione tractet, Lectio illius vi Bullae Coenae prohibita est, sive liber sit Typo impressus, sive manuscriptus. Castro Palao *loc. cit.* Suarez *Disp.* 22. *sect.* 10. *numer.* 2. Layman *loc. cit.* Sanchez *loc. cit numer.* 24. cum Communi: quia manuscriptus vere etiam est, et dicitur liber *Haeretici*, consequenter aeque ac impressus, censetur prohibitus; praesertim cum eadem de illo, ac isto militet ratio; ubi autem eadem ratio, eadem est Legis dispositio, *arg. l. Ideo. ff. de Legib.* et *l. Non possunt. ff. eod.* cum Concordantiis. Et alias facile eludi posset saluberrima haec prohibitio.

40 Controversia autem inter DD. est, num etiam vi praefatae Bullae Coenae prohibita sit Lectio Epistolae, Concionis, Orationis, vel alterius similis brevioris scripti, aut impressi in paucis foliis duntaxat consistentis libelli, aut Opelli, de Religione tamen agentis, aut haeresin continentis, eamque impugnantis, et ab *Haeretico* editi? Layman siquidem *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *numer.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *numer.* 29. Bonacina *Disp.* 2. *de Censur. quaest.* 5. *pun.* 4 Durandus *lib.* 2. *in Can.* 1. *q.* 44. *numer.* 6. Herinca *Disp.* 9 *de Fide. q* 8. *numer.* 82. negativam saltem probabilem esse putant, ducti ratione: Tum quia hujusmodi Epistolae, Conciones paucorum foliorum in Tractatum non redactae, proprie non veniant libri nomine secundum communem loquendi usum accepto; consequenter, cum verba Legis poenalis stricte sint interpretanda, c. *Odia. de Reg. Jur. in* 6. in Bulla Coenae Lectionem librorum haereticorum prohibente, comprehendi non videntur: Tum quia veri libri diutius conservari, latius diffundi, majorisque auctoritatis esse, et consequenter majus periculum generare solent, quam similes Epistolae, Conciones etc. formam Tractatus non referentes.

41 Econtra vero Farinacius de *Haeresi. q.* 180. *num.* 30. *et* 31. Suarez *Disp* 22. *sect.* 2. *numer.* 10. et alii Affirmativam tuentur; quam etiam ut probabiliorem, et in praxi tenendam censet Palao *de Infidelitate. Tr.* 4. *Disp.* 2. *punc.* 10. §. 1. *num.* 4. *et* 5. man quoque eam verisimilem dicit. Cujus sententiae plures afferunt rationes. *Primo*; quia ratio Legis, periculum videlicet perversionis, ob quod Bulla Coenae prohibita est Lectio librorum haereticorum, idem reperitur in hujusmodi etsi paucorum foliorum Concionibus, Epistolis, aliisve parvis Scripturis, quod in majori aliquo unam, vel alteram solummodo haeresin continente libro: praesertim, si, uti fit, in hujusmodi Concionibus haeresin ex professo propugnent, et refutare omnibus viribus satagant. Ubi autem eadem est ratio, eadem est Legis dispositio. *l. Illud. ff. ad Legem Aquil. et c. Inter corporal. de Translat.*

42 *Secunda* ratio est; quia dum Bulla prohibetur liber Auctoris haeretici, prohibetur quoque quaevis pars etiam modica illius, v. g. Prooemium, Praefatio, Epistola Dedicatoria illius, prout omnes etiam Adversarii fatentur; ergo etiam Conciones, et aliae separatae parvae Scripturae haeretici Auctoris; cum licet actu non sit pars magni libri, tamen esse valeant, et interea idem, quin et subinde longe majus perversionis periculum, quam plures conjunctae partes majoris libri, vel totus liber habeant.

43 *Tertia* ratio desumitur ex Declaratione Congregationis, quae interrogata circa Decretum *Concil. Trident. Sess.* 4. *de Editione librorum*, emanatum; quaenam comprehendantur ibidem Nomine libri? Respondit: Comprehendi sub illo etiam *Conciones*, *Lectiones*, *Disputationes*, et similia; Ergo etiam in casu nostro, Bulla Coenae prohibendo Lectionem librorum Auctoris haeretici, censenda est prohibere quoque Conciones, et alias paucorum foliorum; praesertim cum in his eadem ratio, et idem, vel majus periculum perversionis invenietur juxta dicta, et dicenda infra.

44 Nec in contrarium efficaciter quid probare videntur fundamenta Adversariorum *num.* 40. posita. Nam *posterius* quasi vero non militeret eadem ratio, jam patet per dicta *num.* 41. Ad *prius* vero, quod Conciones, Epistolae etc. non veniant Nomine libri, respondetur, Auctores Bullae Coenae prohibendo libros *Haereticorum*, revera intendisse, et voluisse prohibere omnia illorum Opera, sive magna, sive parva, sive impressa, sive scripta, ex quorum Lectione imminere potest legenti periculum perversionis, sive dein in stricto ac communi sensu liber dici valeat, sive non. Consequenter, cum juxta dicta *numer.* 41. etiam in Lectione similium Concionum, ac modicarum Scripturarum idem, imo subinde majus perversionis periculum subsit, propter verbum Legis, contra intentionem illius judicare non debemus, *Nam non debet quis verba Legis considerare, sed voluntatem et intentionem; quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni*, ut dicitur *can. Humanae aures cau.* 22. *quaest.* 5. et *l. Scire.* 16. *ff. de Leg.* ibi: *Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim, et potestatem*: ac c. *Certum est. de*

Reg. Jur. in 6. ibi: *Certum est, quod is committit in Legem, qui legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem*; quae etiam in poenalibus, et odiosis procedunt, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit. §. XVII. a n. 429.*

45 Confirmatur: Si ex hac ratione, quod Conciones etc. non veniant nomine libri proprie accepti, non comprehenderentur sub prohibitione Bullae Coenae, sequeretur etiam, Opuscula, seu Libellos modicos in Octava v. g. vel Decima forma non esse comprehensos; quia etiam non sunt libri, sed libelli duntaxat, consequenter in materia odiosa nomine Libri non venientes; atqui sequela est absurda, et contra ipsos Adversarios.

Ob has igitur, et similes rationes sententiam *Affirmativam* nos quoque probabiliorem reputamus, eamque in praxi omnino suademus, quamvis sententiam *Negativam*, dicentem, memoratas Conciones, et alias similes paucorum foliorum breves Scripturas Auctoris haeretici non esse per Bullam Coenae prohibitas, ut penitus improbabilem pronuntiare nolimus.

46 II. Conditio requisita ad hoc, ut liber *Haeretici* per Bullam Coenae prohibitus censeatur, est, ut vel de Religione tractet, vel saltem haeresin contineat, ita, ut alterutrum horum sufficiat: quia, uti ex textu patet, Bulla disjunctive loquitur, per dictionem *vel*, quae alterutrius subsistentia verificatur, *arg. l. Eam. ff. Quando dies legati, l. Si illud. ff. de Legat.* 2. cum Concordantiis. Ut autem ad propositum dicatur de *Religione* tractare, debet ex professo, seu instituto tractare de illa, v. g. de Theologia Scholastica Morali, vel Mystica, hoc est, de Mysteriis Fidei, cultu Dei, et Sanctorum, de Scriptura sacra, de peccatis, de conscientia, de Moribus in ordine ad finem naturalem recte instituendis etc. ita, ut non sufficiat obiter tanquam de hujusmodi objectio agere, uti bene advertit Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 34.* ubi tamen etiam merito addit, non esse necesse, ut principale argumentum vel objectum libri sit de *Religione*, sed sufficere, si incidenter, et per accidens, ita tamen notabiliter de *Religione* tractat, ut arbitrio prudentis censeatur ex professo, vel instituto, et non obiter de illo agere. Porro si de *Religione* agat, Lectio illius prohibita est, etsi nullam penitus *haeresin* contineat. Et haec extra Controversiam esse, merito ait Layman *loc. cit.*

47 Magna autem Controversia est de altera divisiva Conditione, *vel haeresin continet*, quidnam videlicet requiratur, ut sufficiat ad hoc, ut liber dicatur continere *haeresin* in *sensu Bullae Coenae*: praesertim an *haeresin* sufficienter continere, indeque sub Excommunicatione reservata prohibiti esse censeantur *haereticorum* Auctorum libri illi, qui ex professo, vel instituto principaliter nec de *Religione*, nec de *Haeresi*, sed alia materia et objecto v. g. Philosophia, Medicina, Historiis, rebus politicis etc. tractent, unam tamen, vel plures *Haereses* per accidens, aut incidenter hinc inde inspersas habent. Circa quam Controversiam, ut certa ab incertis separemus.

48 Notandum prius, certum esse, ad hoc, ut liber in sensu Bullae *Haeresin* continere, indeque prohibitus censeatur, neutiquam requiri, ut liber principaliter agat de *Haeresi*, sed sufficere, si unam vel alteram *Haeresin* per accidens contineat, eamque ex instituto, aut professo, seu notabiliter deducat, proponat, defendat, multumque probare, legentive persuadere conetur, etsi juxta tenorem Frontispicii principaliter de alio objecto, vel materia, Medicina v. g. tractet. Ratio est; quia Bulla non requirit, ut liber de Haeresi principaliter agat, sed tantum ut vel de *Religione* tractet, vel *Haeresin* contineat, quarum haec posterior pars utique saltem tunc verificatur, si praefato modo liber *Haeresin* contineat; quia tunc perversionis periculum jam adest, ob quod principaliter prohibita esse videtur Lectio libri *Haeresin* continentis, vel de *Religione* tractantis.

Sola itaque difficultas remanet de haereticorum libris illis, qui neque de religione nec de *Haeresi*, sed alia profana materia, vel objecto, Medicina, v. g. Philosophia, Statu politico etc. tractantes, unam quidem, vel etiam plures *Haereses* hinc inde dispersas continent, nullam tamen earum ex instituto, aut notabiliter propugnant, vel defendunt, aut probare, vel persuadere conantur, sed simpliciter tantum referunt, vel ad summum obiter duntaxat, et brevissima, ac sine ulla aliqua apparente ratione, aut argumento propugnant. Sanchez siquidem *lib. 2. Moral. cap. 10. num. 34.* Suarez *p. 3. tr. 6.* Pelao *de Infidelitate, Tr. 4. Disp. 2. pun. 10.* Bonacina *Disp. 2. q. 5. pun. 4. num. 19.* Farinacius *de Haeresi. q. 180. num. 22.* et alii docent, etiam talem librum in Bulla Coenae sub Excommunicatione prohibitum censeri; quorum sententiam verbis Bullae conformiorem etiam judicat Laymanus *lib. 2. tr. 1. cap. 15. num. 3.* eo, quod Bulla plus non requirat, quam ut liber, vel de *Religione* tractet, vel *Haeresin* contineat; in tali autem libro *Haeresis* revera continetur, consequenter conditio Bullae adimpleta habetur; cum in alternativis, seu disjunctivis alterutrum verificari sufficiat per Jura *n. 46.* citata. 49

Econtra idem Layman *loc. cit. num. 4.* docet, hujusmodi haereticorum Auctorum libros *Haeresin* simpliciter tantum referentes, aut obiter propugnantes, in partibus nostris Germaniae non obstante Bulla Coenae licite legi posse, quia (ait ipse) illa Constitutio Bullae secundum talem rigorem recepta non est. Idem docent nunc plerique post Layman. scribentes, ut Pirhing *h. t. nu. 20.* et alii nullo alio ducti fundamento, quam quod Layman. dicat, Bullam Coenae secundum talem rigorem in Germania non esse receptam; prout etiam ipsum solum, ejusque opinionem de Bulla secundum talem rigorem non recepta, pro fundamento suae sententiae citant, ut proin solum praefatum Laymani dictum pluribus Recentioribus ansam praebuerit, docendi, et tenendi, Bullam Coenae in his partibus secundum omnem rigorem non esse receptam, indeque tuto legi posse haereticorum Auctorum libros, *Haeresin* unam, vel plures simpliciter referendo, aut obiter duntaxat propugnando continentes. 50

Nos autem (salva auctoritate et judicio Ecclesiae) omnino probabile censemus, praefatos Haereticorum libros, qui juxta tenorem Frontispicii, nec de *Religione*, nec de *Haeresi*, sed alia profana materia, aut objecto, v. g. Philosophia, Medicina, Mathesi, Historiis profanis, Statu politico etc. principaliter tractantes, unam, aut plures *Haereses* continent quidem, nullam tamen earum ex professo et instituto, aut notabiliter propugnant, sed simpliciter referunt, aut obiter duntaxat, brevissime simulque aperte futiliter propugnant, in omnibus, non tantum Germaniae, sed etiam aliis absque ulla laesione Bullae Coenae tuta conscientia legi posse, nisi alia prohibitio obstet. Ad hanc autem Opinionem neutiquam movemur Laymani, et illum sequentium fundamento, utpote periculoso, et minus subsistente juxta dicenda infra a n. 79. sed alio, illo videlicet, quod hujusmodi libri per Bullam Coenae non videantur prohibiti, prout per sequentia probamus. 51

Ubi universaliter deest, vel non reperitur ratio et finis legis, ibi etiam deest, vel non reperitur, nec datur lex, aut obligatio, etsi verba legis eam insinuare videantur, sed in *Haereticorum* libris, qui 52

principaliter de re profana, Medicina v. g. Philosophia, Historia, Statu politico etc. tractantes, unam vel plures *Haereses* simpliciter duntaxat referunt, vel eam nonnisi obiter, brevissime, et aperte futiliter defendunt, universaliter deest, et non reperitur ratio, et finis legis; ergo respectu illorum non datur lex, nec obligatio ipsius.

53 *Major* videtur certa; quia juxta illud vulgatum Doctorum: *Ratio legis, est anima legis*, ita ut Abbas *in c. Ad audientiam, de Decimis. num. 2.* dicat: *habent se verba et intentio, seu ratio, sicut corpus, et anima; nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis dominatur verbis*; ergo, ubi universaliter deest, et non reperitur ratio, finis, seu intentio tanquam anima legis, etiam ipsa lex abest, etsi verba legis ejus praesentiam insinuare videantur. Nam pro commoditate Lectoris, et materiae dignitate hic iterum repetitur, quod supra jam dictum ex *can. Humanae aures. cau. 22. q. 5. Non debet aliquis verba considerare* (intellige nude et simpliciter) *sed voluntatem, et intentionem, quia non debet intentio verbis servire, sed verba intentioni*. Et hinc *l. Scire. 16. ff. de Legib. Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim, et potestatem*. Et c. *Certum est. 88. de Reg. Jur. in 6. Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

54 . Probatur itaque *Minor*: Ratio, finis, et intentio, quare sollicita Mater Ecclesia per Bullam Coenae sub Excommunicatione gravissime prohibuerit, et etiamnum prohibeat Lectionem *haereticorum* librorum de *Religione* tractantium, aut *Haeresim* continentium fuit, et est, evitare periculum perversionis, et *Haeresum* propagationem, seu ne Legentes hujusmodi librum, ex Lectione illius se conjiciant in periculum perversionis, et *Haereses* ulterius serpant, prout habet communis Doctorum, et amplius dictum est supra. Atqui in allegatis nu. 51. libris, et Lectione illorum universaliter abest, seu nullum reperitur perversionis periculum: universaliter enim loquendo, sicut nemo prudenter praesumitur, pati aut subire periculum perversionis ex hoc solo, quod simpliciter et nude sciat, aut audiat, *Haereticos* hanc, aut illam *Haeresim* tenere, v. g. *non dari Purgatorium, Matrimonium non esse Sacramentum etc.* ita etiam universaliter loquendo nemo prudenter praesumi potest pati tale periculum ex hoc solo, quod id nude, et simpliciter, vel obiter relatum, in libro legat.

55 . III. Conditio requisita ad hoc, ut quis legendo librum Auctoris *haeretici* de *Religione* tractantem, aut *Haeresim* continentem incurrat Excommunicationem Bullae Coenae est, ut *scienter* legat; id est, ut sciat librum esse Auctoris *haeretici* et tractare de *Religione*, vel *Haeresim* continere. Omnes. Ratio est: quia Bulla expresse requirit: ibi: *Scienter legentes*. Hinc, qui vel non scit Auctorem libri esse *haereticum*, vel si id scivit quidem, ex tenore tamen, vel aliunde deceptus ignorat, illum de Religione tractare, vel *Haeresin* continere, Excommunicationem si Bullae Coenae non incurrit; etiamsi ignorantia esset crassa, aut supina. Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 10. num. 38.* Laymann *lib. 1. tr. 1. cap. 14. num. 4.* Universaliter enim, quando in Lege ad incurrendam Censuram requiritur *scientia*, excusat ignorantia etiam crassa, ut post Covarruviam *in c. Alma Mater. p. 1. §. 10. num. 17.* Sylvester *V. Ignorantia. q. 8. dict. 4.* et alios, bene docet et probat Sanchez *lib. 9. Disp. 32.*

56 IV. Conditio est, ut legatur *sine auctoritate, seu licentia Sedis Apostolicae*, uti expresse requirit Bulla Coenae. Hinc qui vel a Summo Pontifice, vel alio habente facultatem Pontificiam concedendi Lectionem librorum *haereticorum*, specialem habet licentiam, legendi dictos libros, a Censura utique immunis erit. Et talem facultatem a Summis Pontificibus specialiter sibi concessam ordinarie habent Episcopi Germaniae, vi cujus non tantum ipsimet legere, sed etiam aliis concedere possunt licentiam legendi libros haereticos, et alios quomodolibet prohibitos paucis exceptis; uti patet ex copia hujusmodi facultatum a Sede Apostolica concessarum moderno nostro Reverendissimo ac Celsissimo S. R. I. Principi, et Episcopo Frisingensi, quam per extensum adduximus in *Tom. 4. in Appendice. n. 22.*

Circa quae tamen privilegia, seu potius facultates (privilegia enim ex natura sua perpetuo durant, hae vero facultates ordinarie ad quinquennium duntaxat per dicenda *num. seq.*) aspiciendus, et exacte observandus est tenor ipsarum, ac extendatur. Et hinc licet Pontifices concedendo Ordinariis praesertim Germaniae hujusmodi facultates, etiam addere soleant potestatem communicandi etiam aliis has facultates, tamen quia haec potestas communicandi plerumque non universaliter, sed quoad Sacerdotes duntaxat datur, uti passim videre est ex Copiis facultatum, et in specie ex Copia illarum, quae nostro Reverendissimo et Celsissimo Ordinario Frisingensi sunt concessae, et *Tom. 4. in Appendice. num. 22.* allegatae: ibi: *num. 20. Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum conscientiam judicaverit*, NB. *Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus*, non potest noster Reverendissimus et Celsissimus Ordinarius facultatem tenendi et legendi libros *haereticos*, et alios prohibitos communicare alicui quantumvis docto Laico, nec cuivis simplici Sacerdoti, sed *solis Sacerdotibus idoneis in Cura animarum laborantibus*, et quidem hic non aliter, quam ad finem *et effectum eos impugnandi, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Machiavelli, et libros de Astrologia judiciaria principaliter aut incidenter de ea tractantes*, quia ita et non aliter sonat tenor facultatis Apostolicae *num. 2.* et *20.* Quod idem observare habent alii Reverendissimi Ordinarii, nonnisi similis tenoris facultatem habentes; qui tenor proin bene inspiciendus, considerandus, et observandus est. 57

58 Porro memoratae a Sede Apostolica Reverendissimis Ordinariis concedi solitae facultates, ordinarie ad solum quinquennium, vel quadriennium dantur, quo elapso iterum necessario de novo peti, et renovari debent; adeo, ut, si Ordinarius post elapsum hujusmodi tempus tali facultate alias de Jure sibi non competente uteretur, v. g. dispensaret super *dirimente* impedimento Criminis, non tantum graviter peccaret, sed nulliter etiam ageret, per ea, quae de Dispensatione Legum diximus *Lib. I Tit. II. § XVIII.* Quapropter illi, quibus ex Officio incumbit, bene attendere debent, quandonam tempus praefixum elabatur: quatenus renovatio facultatum in tempore fieri, et nullitates evitari valeant.

59 Dubium hic moveri potest, an Reverendissimus Episcopus, qui vigore hujusmodi facultatum Apostolicarum ad quinquennium libros *haereticos*, aliosque prohibitos, tenere, et legere, atque hanc legendi facultatem etiam aliis idoneis Sacerdotibus communicare potest, possit eam communicare in perpetuum, vel saltem ad quinquennium, etiam tunc, quando eam communicat tempore, quo ob lapsum illius, per unum, vel alteram duntaxat annum amplius durant facultates eidem concessae, postea de novo renovandae? Et quidem circa *primam* partem dubii videtur certum, quod, cum ipse Ordi-

narius non in perpetuum, sed ad quinquennium duntaxat concessam habeat facultatem tenendi ac legendi libros *haereticos* etc. Eam in perpetuum, vel ultra quinquennium aliis concedere minime valet: *Quia nemo potest dare, quod non habet*: per Vulgaria.

60 Circa *alteram* vero dubii partem non modica videtur difficultas; pro *Negativa* enim militare videtur sequens argumentum: tempore et casu, quo facultas legendi libros *haereticos* Ordinario specialiter concessa, de facto non amplius, quam per unum duntaxat, vel alterum annum durat, ipsemet non amplius habet potestatem per quinquennium legendi et tenendi libros *haereticos*; ergo eam nec aliis ulterius concedere potest; juxta illud vulgatum: *Nemo potest dare, quod non habet*.

61 Confirmatur: Reverendissimus Ordinarius aliquis vigore praefatarum facultatum non habet majorem potestatem communicandi aliis v. g. suo Vicario Generali, aut aliis idoneis Sacerdotibus facultatem legendi libros prohibitos, quam facultatem dispensandi super certis impedimentis Matrimonii; atqui hanc non potest ultra tempus sibi concessum communicare, seu non potest ultimo v. g. vel penultimo quinquennii sibi concessi anno dicto facultatem dispensandi super impedimentis Matrimonii, ad novum integrum quinquennium communicare suo Vicario Generali, ita ut hic etiam elapso in facultatibus praefixo quinquennio, per tres adhuc, vel quatuor annos sine renovatione facultatem exspiratarum valide et licite dispensare valeat: Tum quia contrarium habet consuetudo (quae est optima legum interpres *L.* 37. *ff. de Legib.*) vi cujus constat, quod elapso praefato quinquennio nullus ab Episcopo communicatam facultatem dispensandi habens v. g. Vicarius Generalis ea uti audeat: Tum quia alias Reverendissimi Ordinarii intentionem summi Pontificis in quinquennio positam, facile eludere, et facere possent, ut facultates ad quinquennium sibi concessae, ad decennium sine ulla renovatione durarent; dummodo videlicet ultimo quinquennii mense aut die, eas alicui alteri v. g. Vicario Generali, vel Consiliario alicui Ecclesiastico communicarent; tali enim in casu a die communicationis adhuc ad integrum quinquennium novum valerent, et sic utique in effectu ad decennium durarent, quod menti Pontificis adversari videtur; ergo.

62 Dices, Reverendissimus Ordinarius pro tanto tempore communicare valet facultates praefatas, quanto eas ipse a Papa concessas habet, ut patet ex tenore concessionis; atqui ille ad quinquennium illas habet; ergo ad idem easdem communicare valet. Resp. Distinguendo *Majorem*. Si illas statim a die receptionis alteri communicat, concedo *Majorem*; Si post tres, vel quatuor annos jam elapsos, primum communicat, nego *Majorem*. quia cum pro tunc ipsemet ad unum duntaxat, vel alterum annum eas habeat, easdem ad tempus ulterius amplius communicare nequit.

63 Verum circa hanc difficultatem a nu. 60. hucusque ventilatam, positive aliquid resolvere non audemus, sed potius Oraculum S. Congregationis exspectamus, illud tamen ad vitanda nullitatis pericula humiliter suademus, ut dum Reverendissimi Ordinarii facultatem legendi libros *haereticos*, et alios prohibitos, aut dispensandi v. g. aliis concedunt, nulli ad plures annos, aut longius tempus, quam ipsi eandem tempore communicationis adhuc habent, communicent: consequenter in Communicatione scripto tenus, vel oretenus facienda, memoratum tempus specificent, ne alias Communicatarii talem facultatem vel in perpetuum, vel saltem ad quinquennium sibi concessam, bona fide existimant, eaque cum memorato nullitatis periculo utantur, prout a parte rei factum esse, novimus.

Caeterum, ut in compendio habeatur notitia de Lectione librorum *haereticorum* per Bullam Coenae prohibita, breviter capitulando dicimus; ad hoc, ut liber aliquis censeatur per Bullam Coenae sub Excommunicatione prohibitus, requiruntur sequentes conditiones. 64

I. Ut ipse Auctor libri sit *haereticus*, juxta dicta *n.* 36.

II. Ut de *Religione* tractet, vel *haeresin contineat*, conformiter dictis, *n.* 46.

III. Ut quis scienter, id est, sciens librum ab *haeretico* compositum, de *Religione* tractare, aut *haeresin* continere illum legat, secundum dicta *n.* 55.

IV. Ut sine Sedis Apostolicae facultate directe, vel indirecte sibi concessa eum legat, per dicta *nu.* 55.

Resp. III. Ab Excommunicatione per Bullam Coenae in legentes librum prohibitum lata, non excusantur docti, qui concurrentibus hactenus quatuor conditionibus hujusmodi librum *haereticum* legunt, etiam solo animo errores *haereticos* impugnandi, et confutandi. Farinacius *de haeresi q.* 180. n. 39. 42. Suarez *Disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 21. Palao *de Infidelitate. Tr.* 4. *de Fide. Disp.* 2. *pun.* 10. *num* 8. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *n.* 53. cum Communi aliorum, contra Falinum *in c. S. quis Episcopus. h. t.* Mascard. *de Probat. concl.* 86. n. 14. Ratio est: quia Bulla generaliter et indistincte loquitur; ergo indistincte erit intelligenda, *arg c. Quia circa. de Privileg* praesertim cum addatur clausula, qua prohibetur librorum praefatorum Lectio, *Ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore*. 65

Nec juvat, si dicas: apud hunc, vel illum non adest, sed cessat ratio, seu causa Legis prohibentis, videlicet, perversionis periculum. Nam contra est: quod causa, seu ratione legis respectu unius, aut plurium in particulari duntaxat cessante, obligatio legis etiam respectu talium non cesset, si respectu totius Communitatis adhuc durat, ut habet Communissima et certa tam Theologorum, quam Canonistarum *ad Tit. de Constitut* cum alias facile eliderentur leges, et magna atque scandalosa confusio foret in populo, quolibet pro libitu dicente, apud me non militat ratio, seu finis Legis. 66

Resp. IV. Excusat tamen ab Excommunicatione Bullae Coenae parvitas materiae, quae in libro *haeretico* legitur. Sanchez *loc. cit.* num 31. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *num* 5. Palao *loc. cit num.* 6. Bonacina *de Censur. q.* 5. *pun.* 4 *num* 13. cum communi aliorum, contra Toletum et paucos alios volentes, Excommunicationem incurrere illum, qui modicissimam materiam v. g. unam, vel alteram lineam legit; praesertim, si intentionem habuit plura legendi. Ratio Conclusionis nostrae est: quia cum universaliter loquendo, in aliis legibus Ecclesiasticis praesertim gravissimam Excommunicationis Censuram infligentibus excuset parvitas materiae, juxta unanimem DD. non apparet, quare in hac Lege non excuset. 67

Parvitatem autem materiae communiter dicunt, esse paucas v. g. quinque, sex, vel etiam decem lineolas. Sanchez vero *loc. cit.* post Vivaldum, et Sa extendit illam usque ad unam integram paginam libri etiam in Folio impressi: eo quod regulariter loquendo non videatur subesse aliquod perversionis periculum in Lectione unius paginae. Verum Layman *loc. cit. num.* 5. Suarez, Bonacina, et alii hanc extensionem nimiam esse, merito dicunt, 68

eo quod versemur in materia periculosa, in qua non sunt laxandae habenae; cum in pagina magni libri in Folio impressi haeresis inspersa facile ita deduci, ac propugnari possit, ut periculum perversionis subsit, consequenter ratio legis, indeque obligatio adsit, *arg. can. Consuetud. dist.* 1.

69 Accedit, ipsum Sanchezium, et alios fateri, excommunicari legentem, si tantum Epistolam dedicatoriam, vel Praefationem legat; uti videre est apud Sanchez *loc. cit. n.* 3. Ergo multo magis, si ipsam libri substantiam in quantitate Praefationi aequali legat, *arg. a Minore ad Majus* desumpto. Illud communiter concedunt, eum, qui plus, quam hujusmodi paginam legit, Excommunicationem certo incurrere.

70 Nec excusatur, si in illis paginis, quas legit, de *Religione* nullatenus tractetur, nec *Haeresis* contineatur, ut cum Communi bene advertunt Sanchez *lib. 2. Moral. cap.* 10. *num.* 33. Layman *lib. 2. tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 5. Suarez, Ugolinus, etc. Ratio est; quia Bulla Coenae, quae omnem aditum legendi libros *haereticos* praecludere intendit, ad incurrendam dictam Censuram non requirit, ut quis legat ipsam *Haeresin*, vel materiam de Religione tractantem, sed tantum ut legat librum, in quo *Haeresis* continetur, vel de *Religione* tractatur. Quapropter citati DD. insuper volunt, Excommunicationi subjacere etiam illum, qui Prooemium, Epistolam dedicatoriam ad Lectorem, vel Indicem talis libri legat, juxta jam dicta.

Jam circa Retentionem, Impressionem, et Defensionem librorum *haereticorum*.

71 Resp. V. Omnes, et soli libri Auctoris *haeretici*, quorum Lectio per Bullam Coenae est prohibita, prohibentur etiam retineri, imprimi, et defendi, adeo, ut sicut Excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrit, qui talem librum scienter, et absque speciali Sedis Apostolicae licentia legit, ita etiam eandem incurrat, qui retinet, vel imprimit. Omnes ob claram Bullae dispositionem §. 1. eodem modo tam de retinentibus, et imprimentibus, quam de legentibus loquens illis verbis: *Legentes, et retinentes, aut imprimentes, aut quomodolibet defendentes ex quavis causa.*

72 Dicitur autem *retinere*, sive suo, sive alterius nomine, sive in propria, sive in aliena domo librum retineat, ex quacunque dein causa aut fine id faciat, curiositatis v. g. gratia, aut ad Bibliothecae ornamentum, confutandum *Haereticos*, distrahendum, commutandum illos etc. Sanchez *lib. 2. Moral. Disp.* 10. *nu* 52. *et* 53. Castro Palao *Tract.* 4. *de Fide. Disp.* 2. *pun.* 10. §. 2. *nu.* 7. *et seq.* atque teste Omnes, Layman *lib.* 2. *tr.* 3. *cap.* 15. *num.* 7. Ratio est; quia Pontifex absolute prohibet omnem retentionem hujusmodi librorum, sub quacunque tandem causa fiat; cum velit eos penitus exterminari. Hinc inferunt praefati DD. excommunicatos etiam esse Bibliopolas, et Bibliopegas, qui hujusmodi librum ad distrahendum, vel compingendum retinent.

73 Sufficit quoque ad incurrendam Excommunicationem; si quis partem libri retineat, Sanchez *loc. cit. num.* 54. quia vere dicitur *retinere* librum, sicut dicitur *legere* librum, qui partem illius legit, juxta dicta. Hinc idem Sanchez *loc. cit. num.* 53. excommunicatos censet Armatarios, Mercatores, et quosvis alios, qui hujusmodi libros, aut partes eorum retinent ad involvendas merces, aut similia.

74 Verum sicut in legendo, ita etiam in retinendo datur parvitas materiae, ut si quis brevi tempore per unum vel alterum duntaxat diem v. g. librum retineat. Sanchez *loc. cit. num.* 55. Palao *loc. cit. nu.* 8. Layman *loc. cit. num.* 7. vel si unum, duo, aut tria folia retineat; quia etsi non respectu Lectionis, tamen respectu retentionis haec videntur esse parvitas materiae. Sanchez *loc. cit. n.* 54.

Excusatur etiam a peccato, et Censura, qui longiori tempore librum talem retinet ex eo; quia non habet opportunum tempus, et occasionem illum tradendi Inquisitoribus, vel habenti licentiam eos legendi et retinendi. Layman *loc. cit. num.* 7. Palao *loc. cit. n.* 10. 75

Si quaeras: Quid ergo Insipiendum cum istis libris, si ad manus alicujus devenerint? Resp. Ad id patere infra. 76

Imprimentes quod attinet, notandum cum Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 10. *num.* 57. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *nu.* 7. Palao *de Fide. Tract.* 4. *disp.* 2. *pun.* 10. §. 2. *num.* 13. Ugolinu *de Censuris Papae reservatis. p.* 2. *cap.* 1. ℣. *Imprimentes.* et aliis, hoc nomine comprehendi omnes, qui ad libri Impressionem propinque concurrunt, et vere illius causae sunt, veluti *primo* illos, qui librum imprimendum tradunt, seu illos, quorum nomine liber imprimitur. *Secundo* Typographum, aut Patronum Officinae, qui suscipit, etsi propriis manibus non laboret. *Tertio* Omnes, qui ad Typum actualem in opere concurrunt, v. g. qui collocant litteras, qui praeparant, aut apponunt papyrum, atramentum, seu colorem, qui premit torcular; quia omnes isti vere sunt causa Impressionis. Idem dic de iis, qui librum pro Typo corrigunt praesertim, quia etiamsi dato non concesso, nomine *Imprimentium* non venirent, tamen nomine *Legentium* venirent, et excommunicati essent. Palao *loc. cit. n.* 13. 77

Quantum ad *Defendentes* notandum, horum nomine venire, qui quocunque praetextu vel causa librum *Haeretici*, quatenus talis defendunt, et tuentur verbis, vel facto: abscondendo v. g. illum, aut impediendo, ne Inquisitoribus tradatur, aut ne comburatur: aut idem verbis suadendo, sive publice vel occulto id faciant. Layman *loc. cit. nu.* 7. Sanchez *loc. cit. nu.* 58. Palao *loc. cit. num.* 14. cum Communi aliorum, texto claro Bullae §. 1. Merito tamen *loc. cit.* observat Sanchez, eum, qui librum aliquem defendit, vere demonstrando, illum prohibitum non esse, vel approbando, quod in eodem Catholicum est; aut praecise laudando ingenium Auctoris, vel stylum libri, idque non in ordine ad tuendum, non comburatur, aut Inquisitoribus tradatur, Excommunicationi non subjacere. 78. 7

Objicies contra hactenus dicta, et responsa ad Quaesitum *a num.* 35. de librorum haereticorum Lectione, Retentione, Impressione, Defensione per Bullam Coenae prohibita, dicendo, Bullam Coenae vel omnino non, vel non tanto cum rigore esse receptam in Germania, consequenter ibidem penitus non, vel non tanto cum rigore obligare. 79

Hanc Objectionem aliquoties non absque justa indignatione et audivimus, et legimus, in quibusdam recentioribus Scriptoribus, nullum aliud fundamentum afferentibus, quam quod ita dicat Layman, quem proin solum allegant: hic enim caeteroquin Classicus clarissimus et doctissimus Auctor *Lib. II. Tract. I. cap.* 15. *num.* 4. volens defendere, quod librorum *haereticorum* obiter tantum *Haeresin* inspersam habentium Lectio in his partibus non sit prohibita, praefato utitur argumento, illis verbis: *Verum tamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris haec Constitutio secundum talem rigorem recepta non est. Multi enim frequenter prodeunt Haereticorum libri, Juridici, Medici, Historici, quibus plerumque reperias unam, vel plures Haereses obiter admixtas: et tamen passim*

in Catholicorum Bibliothecis asservantur, leguntur.

Eodem num. paulo inferius adducit Becanum supponentem, Bullam Coenae in aliquibus praesertim Germaniae locis omnino non esse receptam, ac propterea ibidem non obligare. *De reliquis vero praesertim remotioribus Dioecesibus* (pergit Layman) *non satis mihi constat: Ait autem Becanus 2. 2. cap. 15. q. 8. num. 5. ubi Bulla Coenae, vel Index librorum prohibitorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros haereticos.*

80 Sola itaque hac Laymani assertione, et allegatione plures nostri docent, Bullam Coenae quoad Lectionem librorum *haereticorum* in Germania secundum rigorem non esse receptam: Imo in discursibus aliquos et quidem (quod dolendum est) etiam Ecclesiasticos saeculares et Regulares nonnunquam audire est, qui dicere audent, Bullam Coenae absolute non esse receptam; et per consequens non obligare in his partibus. Quae doctrina cum non tantum sit prorsus insolida, sed etiam Statui Clericali, atque Immunitati et Jurisdictioni Ecclesiasticae (cujus potissimum, firmissima, ac quasi unica adhuc columna est Bulla Coenae) extreme praejudiciosa, eam ex professo refutare, utile et necessariam esse duximus.

81 Quapropter ad Objectionem *numer.* 79. positam, et tam ad Laymani, quam Becani, eorumque simplex Assertum respondetur, absolute negando totum Suppositum, quod Bulla Coenae in aliqua quacunque tandem Provincia, vel loco juste possit non recipi; per consequens etiam negando, quod alicubi ita recepta non sit, quin ibidem plene et secundum omnem suum verum sensum omnes obliget.

82 Fundamentum Responsionis nostrae desumimus ex *Titulo de Constitutionibus*, seu legibus, et natura, ac qualitatibus Bullae Coenae. Ex *Titulo de Constitutionibus* habemus, quod juxta communiorem et veram Sententiam ad obligationem justae Legis non requiratur ejusdem acceptatio ex parte Subditorum, prout late probavimus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. *VI.* per totum; atqui Bulla Coenae est Lex justissima, uti Omnes concedunt: ergo ad obligationem illius nulla requiritur acceptatio; consequenter ex ratione non acceptatae hujus Bullae male arguitur, eam non obligare.

83 Nec dicas, esse saltem aliquos Doctores; volentes, ad Legis obligationem requiri acceptationem ejusdem; Nam contra est *primo*, quod Doctorum horum rationes et fundamenta ita docendi minus subsistant, prout *cit. Lib. I. Tit. II.* §. *VI.* satis clare ostendimus, et Sententiam contrariam firmavimus.

84 Contra est *secundo*, quod etsi dato non concesso, probabile foret, ad obligationem justae Legis Pontificiae quoque requiri acceptationem, tamen hodie certum est, quod populus semper teneatur acceptare justam Legem, et propterea continuo peccet, si eam absque justa causa non acceptet; quia Sententiam contrariam damnavit Alexander VII. in Propositione 28. ita sonante: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

85 Ex quo sic argumentamur: Pro nullo loco, Regno, aut Provincia datur vel assignari potest justa et rationabilis causa non acceptandi justissimam et sanctissimam legem in Bulla Coenae comprehensam; ergo non potest non acceptari; consequenter omnes ubique, semper, et continuo peccant, si eam non acceptant. *Antecedens* patet: Tum quia nullus Doctorum huc usque, quantum nobis constat, ausus est scribendo allegare aliquam rationem vel causam in specie, ut dicere: haec est justa et rationabilis causa in hoc, vel illo loco non acceptandi Bullam Coenae: Tum quia tota Bulla ex omni parte, ex respectu omnium est justissima, et aequissima, utpote quae praeter Excommunicationem omnium *Haereticorum* (quae utique justissima est) in hoc principaliter consistit, quod sub gravissima Excommunicatione Papae reservata prohibeat actus, ex quibus *Haeresis*, aut periculum illius sequi, vel introduci, vel jam introducta, foveri, et ulterius dilatari posset, uti sunt fovere, et defendere *Haereticos*, legere, retinere, imprimere, aut defendere illorum libros: Item actus, qui adversantur, et praejudicant sanctissimae libertati, immunitati, aut jurisdictioni Ecclesiasticae, vel juribus Ecclesiae Romanae, vel potestati, auctoritati, et Jurisdictioni Christi in terris Vicarii, Summi Pontificis. Quae omnes utique ex omni parte evidenter justissimae sunt prohibitiones, adeo ut eas non acceptandi justam et rationabilem causam nullus habere posse videatur; praesertim cum imaginariae forsan rationes ac interesse privatorum, bono communi praecipue vero universalis Ecclesiae Dei (ob quod prohibitiones memoratae factae sunt) semper postponi debeant, *arg. can. Scias.* 39. *cau.* 7. *q.* 1.

86 Et profecto ut ad propositum in specie loquamur de prohibitione periculosae Lectionis, Retentionis, Impressionis, ac Defensionis librorum *haereticorum*, quaenam etiam in Germania, et aliis Provinciis, ubi *haeretici* cum Catholicis permixti vivunt, vel a longe excogitari, aut fingi potest justa ratio, aut rationabilis causa, hanc sanctissimam prohibitionem non acceptandi? si enim esset aliqua, esset, quia in his partibus jugiter conversari, et continuum commercium cum *haereticis* habere debemus; et hoc fieri potest absque ulla Lectione, vel Retentione librorum *haereticorum* de *Religione* tractantium, aut *haeresin* continentium, ut consideranti patet.

87 Vel quia cum *haereticis* subinde etiam de *Religione* discurrere et disputare, consequenter ex libris eorum ad confutandos eorumdem errores, nos informare oportet: sed nec ista ratio quid valet; quia illi, quibus istud ex officio, aut cura incumbit, statim impetrare et habere possunt a Sede Apostolica specialem facultatem legendi ad hunc finem libros *haereticos*: reliquis vero praesertim Laicis ordinarie loquendo, non expedit, minus necesse, imo Jure communi *c. Quicunque.* 2. §. *Inhibemus. h. t. in* 6. prohibitum est disputare cum *haereticis* de *Religione*: qui proin *haereticos* prudenter allegant ad pastores animarum, vel tales, quibus id incumbit, ac concessum est. Quod si subinde in aliqua Provincia, vel loco ob certas circumstantias id etiam respectu Laicorum aut simplicium sacerdotum necesse, vel expediens videatur, potuerunt hi ex libris praesertim Controversisticis Catholicis pro statu suo sufficienter se informare ad hoc finem; aut, si speciales circumstantiae etiam Lectionem libri *haeretici* exigerent, facultatem ad hoc impetrare vel immediate a Sede Apostolica, vel ab Episcopo loci; cum juxta dicta omnes Episcopi Germaniae, et aliarum Provinciarum *haeresi* infectarum habere soleant specialem facultatem libros *haereticos*, et hanc facultatem etiam aliis saltem sacerdotibus communicandi juxta dicta *n.* 65.

88 Vel denique quia in his partibus fere omnes *haereticorum* libri, etiam Medici, Historici, Philosophici, Politici, unam, vel plures *haereses* inspersas habent, vel aliquid de *Religione* incidenter tractant; difficile autem, et quasi impossibile foret in his partibus abstinere a Lectione, et Retentione omnium librorum *haereticorum*. Verum

nec hoc justam causam non acceptandi Bullam Coenae praebat, eo quod *Haereticorum* libri profani, qui *Haeresin* unam vel plures obiter tantum, et sine vera periculosa aliqua propagatione aut defensione continent, aut similiter, aut non aliter de *Religione* incidenter in eis tractent, per Bullam Coenae prohibiti non censeantur per dicta supra a *num.* 50. Copia vero, aut multitudo eorundem *Haeresin* modo *num.* 46. 47. et 48 specificatu continentium, vel de *Religione* principaliter, aut incidentaliter ex instituto tamen tractantium, justam causam non acceptandi prohibitionem minime tribuat, sed potius eandem faciendi, necessitatem imponat; cum ex copia et multitudine talium librorum crescat, et augeatur periculum perversionis animarum, dilatationis *Haeresis*, veraeque *Religionis* et Ecclesiae grave praejudicium, indeque consurgat *necessitas*, aut certe justissima prohibendi hos libros causa. Accedit, quod nulla sit necessitas habendi prohibitos *Haereticorum* libros, cum de quavis materia et objecto libri Catholicorum, aut certe *haereticorum* Bulla Coenae non prohibiti ad abundantiam habeantur. Consequenter a primo ad ultimum, quia nulla datur justa ratio, vel rationabilis causa non acceptandi sanctissimam Bullam Coenae, non potest non acceptari, cum eam non acceptantes semper continuo peccent.

89 Dices: dato quod nulla detur justa causa non acceptandi sanctissimam Coenae Bullam, consequenter priori illam non acceptantes tempore aliquo semper, et continuo peccent: tamen saltem successu temporis praxi et consuetudine contraria legitime praescripta abrogari potest; cum quaevis lex humana (qualis est Bulla Coenae) consuetudine legitime praescripta abrogari possit juxta unanimem DD. *arg. c. fin. de Consuetud.* et amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit. et Tit. IV.* praesertim § *V. a num.* 142. ubi docuimus etiam mala fide, et per actus peccaminosos introduci posse consuetudinem abrogantem Leges. Censetur autem de facto jam in Germania et aliis quibusdam *Haeresi* infectis Provinciis similis per actus, etsi ab initio peccaminosos introducta consuetudo Bullae Coenae contraria, eamque abrogans, eo quod ibidem in pluribus non observetur, sed passim, et libere violetur, Violatoribus propterea nec Declarationem Excommunicationis incurrere, nec aliam poenam sentientibus.

90 Ad hanc objectionem (quam a nonnullis in Jure minus fundatis saepius audire est) respondetur rursus, negando *Suppositum*, videlicet, quod contra Bullam Coenae introduci, aut legitime praescribi valeat rationabilis aliqua consuetudo legitime: Tum quia consuetudo adversus libertatem, et immunitatem Ecclesiasticam etiam immemorialis, semper invalida ac illicita est, prout ex utroque Jure late probavimus *Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. a num.* 61. Consuetudo autem contra Bullam Coenae, vel maxime adversatur libertati, et immunitati Ecclesiasticae, utpote pro qua principaliter edita, et cujus de facto firmissima, et quasi unica columna existit. Tum, et quidem praecipue: quia saepe dicta Bulla Coenae continuo revocat, et annullat omnes et singulas etiam immemoriales, et longissimis temporibus praescriptas consuetudines, et alia quaecunque excogitabilia effugia, per saluberrimam Clausulam dignissimam, ut per extensum hic referatur, quae sic sonat: *Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supra dictis, vel eorum aliqui, seu aliquibus aliis, cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, et praeeminentiae fuerint, etiamsi ut praemittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana praefulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, et Civitatibus, seu locis a praedicta Sede ex quavis causa etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis Clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, ac expressam, ac de verbo ad verbum, de privilegiis, et indulgentiis, et indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, et nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, nec non de consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis scriptis, vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus, ac sententias quo minus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.*

91 Urgebis, per hanc Clausulam revocari, et annullari duntaxat consuetudines priores, seu Bullam Coenae antecedentes, non vero posteriores, seu illas, quae post Bullam jam conditam de novo fuere introductae; Clausulae siquidem ut derogatoriae ac revocatoriae consuetudinum, praecise afficiunt, et annullant consuetudines antecedentes, non vero subsequentes legem, nec obstant, quin post talem legem de novo introduci valeat consuetudo legi contraria, prout cum Communi aliorum amplius dictum est *Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. num.* 185. atqui consuetudines Germaniae, et aliarum Provinciarum *Haeresi* infectarum, etiam post conditam Bullam Coenae adhuc introductae, et legitime praescriptae fuere; ergo. Resp. Transmissa *Majore*, iterum negando *Minoris* suppositum, videlicet, quod post Bullam Coenae iterum introducta, et praescripta fuerit, aut praescribi poterit valida aliqua consuetudo contraria: Tum ob rationem *num. praeced.* dictam: Tum et praecipue, quia quisis Pontifex Bullam Coenae de novo tanquam novam Legem condit, eamque singulis annis in Coena Domini solemniter renovat, et confirmat, atque omnes consuetudines etiam immemoriales, ac longissimas praescriptiones annullat, et revocat, sicque facit, quod nullo unquam tempore legitime introduci, et praescribi valeat aliqua consuetudo, etsi alias data, non concessa rationabilis, ac praescriptibilis esset; cum quaevis consuetudo ei contraria introduci coepta, per jugiter sequentes novas Bullae emanationes, et renovationes, Clausulasque derogatorias, statim iterum, et antequam tempore ad eam praescribendam requisito continuari valeat, revocetur, et sic subsequenter; ut proin impossibile sit, ullam consuetudinem tempore ad eam praescribendam requisitio introducere, hoc ipso, quod quaevis introduci coepta, statim iterum revocetur.

92 Et ex his manifeste patet, omnes praxes, et consuetudines sive in Germania, sive in aliis Provinciis de facto existentes, nullo modo legitimas, licitas, et validas esse consuetudines, sed meros abusus, et corruptelas, a peccato, et censura minime excusantes; non obstante, quod locorum Ordinarii contra Transgressores plerumque non procedant, nec illos excommunicatos declarent; quoniam hi dum ad avertenda majora mala, et aliis justis de causis similes etiam patentes Bullae violationes necessario dissimulant, eas minime approbant, sed Deo vindicandas relinquunt, coram quo sicut sub inani praetextu non acceptae, aut consuetudine abrogatae Bullae, aut simili non fatilium rationum nullus a culpa est liber, sic nullus poenam nec hic nec ibi evadet. Quod utinam magis considerarent quidam Politici, et occulti vel etiam aperti Jurisdictionis et immunitatis Ecclesiasticae, potestatisque

et auctoritatis Pontificiae inimici, irrisores et contemptores, nec non statui suo Ecclesiastico difformes, tepidi ejusdem defensores, aut neglectores.

93 Objiciunt quidem etiam, vel potius immerito murmurant, et injuste conqueruntur ipsi *haeretici*, quod apud nos libri eorum prohibeantur, quin et igni tradantur. Mentiuntur enim plebi, id a nobis fieri partim ex odio veritatis et fuga lucis; partim quia timemus, ne (ajunt) Lectores invenientes in eorum libris nostros errores, et ipsorum solida fundamenta, a nostra ad ipsorum Religionem veram (*scilicet*) transeant, partim quia non possumus rationes ac fundamenta ipsorum solvere. Unde ex justissima prohibitione occasionem etiam inique sumunt jactandi se, et superbiendi, indeque alterius decipiendi, et in falsa Secta confirmandi communem plebem, addita etiam dolosa, et venenosa Clausula, Pontifices adimere Catholicis non tantum libertatem, sed etiam occasionem et potestatem *in* maxime momentosa, et aeternam salutem principaliter concernente puncto *Fidei*, ac *Religionis* scitu necessariam veritatem indagandi.

94 Verum quam iniquae, dolosae, mendaces, injuriosae, et calumniosae sint hae querelae, et dicteria *haereticorum*, cuivis vel parum experto, et erudito patet. Enim vero nequaquam ex allegatis causis, vel aliqua ipsarum, sed ideo prohibentur libri *haereticorum* de *Religione* tractantium, aut *haeresin* ut supra continentium: quia fere omnes repleti, vel certe infecti sunt mendaciis, calumniis, fallaciis, falsis allegationibus, textibus dolose truncatis, vel injuste falsificatis, Sophismatibus etc. idque sub specie boni, uti Catholici Scriptores praesertim Controversistae passim demonstrant, *haereticorumque* librorum rationes, et fundamenta ad oculum tam clare refutant, ut quivis errores eorum *aperte* videre, quin et palpare valeat. Ex quibus Catholicorum libris controversisticis quilibet securissimam occasionem, et plenam libertatem habet in puncto *Religionis*, et *Fidei se* sufficienter informandi, principia et fundamenta, veritatisque signa, et notas Catholicorum cum principiis, fundamentis et Haereticorum conferendis, simulque videndi, quinam pro sua *Religione* majora, certiora, securiora, ac solida veritatis fundamenta, signa, et notas habeat.

95 Porro quod ex dictis, et aliis justis de causis libri *haereticorum*, et alii nocivi merito prohibeantur, quin et igni tradantur, sancto etiam antiquae Ecclesiae (quam *haeretici* quoque veram fuisse fatentur) exemplo et praxi, nec non ipsis antiquorum Imperatorum sanctionibus et legibus probatur, et confirmatur. De qua praxi antiquissimi testantur Scriptores, ut Clemens *lib.* 1. *Apostolic. Constit. cap.* 7. Alexander Episcopus Alexandrinus in *Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum*, apud Theod. *Lib.* 1. *Histor. cap.* 4. et *Tom. I.* Concil. Severini Binii *Fol.* 481. Constantinus Imperator in Epistola ad Episcopos, et populum apud Socratem *lib.* 1. *Histor. cap.* 6. Porphyrii scribit: *Impia Scripta delete penitus, et extincta fuisse, atque similiter visum, si quod Opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud cremandum esse. Addit etiam poenam: ut si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus fuerit, et eum non statim in medium adductum, igne combusserit, morte mulctetur.* Quod Decretum de Arii libris comburendis fuerat etiam factum in Concilio Niceno apud Niceph. *lib.* 8. *Histor. cap.* 18.

96 Audiamus etiam Leges Civiles *l. Dacare.* 5. §. 1. de *SS. Trinitat. Sancimus igitur, ut omnia, quaecunque Porphyrius sua pulsus insania (aut quivis alius) contra Religiosum Christianorum cultum conscripserit, apud quemcunque inventa fuerint, igni mancipentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam scripta, ne ad aures quidem hominum venire volumus.* Et infra §. 3. *Quoniam vero pervenit ad pias aures nostras, quod quidam doctrinas quasdam conscripserunt, et ediderunt ambiguas, et non per omnia congruentes expositae Orthodoxae Fidei a sancta Synodo sanctorum SS. Patrum, qui Niceae, et Ephesi convenerunt etc. jubemus facta hujusmodi scripta, sive antea, sive nunc (potissimum autem ea, quae Nestorii sunt) comburi, et perfectissime interitui mancipari, ita ut in nullius cognitionem venire possint: His, qui talia scripta, aut tales libros habere, aut legere sustinuerint, ultimum supplicium experturis.*

Pariter ad propositum sonant sequentes Leges, videlicet, *l. Quicunque.* 8. § *fin. C. de Haeretic.* ibi: *Nulli etiam contra Venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem proferre. Nemo hujusmodi habere libros, et sacrilega Scriptorum audeat monumenta servare: quod, si qui in his criminibus fuerint comprehensi, perpetua deportatione damnentur*, item *l. Ex Manichaeitis.* §. 2. *C. eod.* ibi: *Qui habet libros Manichaicos, et non manifestat eos, ut comburantur, puniuntur*: cum Concordantiis.

Quibus accedit, et causam ex integro justificat ipsa S. Spiritus doctrina *Act.* 19. registrata illis verbis: *Multi ex illis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.* 97

Et haec de facta per Bullam Coenae prohibitione librorum *haereticorum* de *Religione* tractantium, aut *Haeresin* continentium prolixius dicere oportuit: Tum ad tollendos tepidorum Christianorum Catholicorum tepida circa illam principia, et malas quorundam, simulque periculosas corruptelas, tum ad reprimendas Haereticorum injuriosas calumnias, falsas simulationes et mendacia, periculosasque et dolosas sub specie boni libris suis inspersas deceptiones. 98

Quaeritur II. Quinam libri? Et qualiter legi prohibiti sint Indice librorum *prohibitorum*? Ante Responsionem notandum, sacrosanctum Concilium Tridentinum, nec non plures Pontifices, in specie vero Pium IV. Sixtum V. et Clementem VIII volentes occurrere malis et periculis, quae ex *haereticorum*, et aliorum perniciosorum librorum Lectione passim sequuntur, decrevisse, ut conficeretur certus Index librorum prohibitorum. Ex quo, et Regulis illius universalibus quivis videre posset, an liber aliquis, et quomodo sit prohibitus. II. N. 99

Resp. I. Per Indicem librorum prohibitorum triplicis, *primae* videlicet, *secundae*, et *tertiae* Classis prohiberi libros. Ad *primam* Classem pertinent illi libri, qui propter ipsos Auctores, *haereticos* scilicet sunt damnati, seu prohibiti. Item omnes ab Auctore *haeretico*, vel de Haeresi publice suspecto editi illi libri, qui de *Religione* ex professo tractent, modo supra a num. 49 explicato, etiamsi *haeresin* non contineant. Cujusmodi Auctores plurimi in specie referuntur Ordine Alphabetico in praefato Indice, praemissa cujusvis litterae Rubrica *Auctores primae Classis*, ad quos pertinent etiamsi expressi in Appendice. Ad eandem Classem pertinent *Haeresiarcharum*, id est illorum *haereticorum*, qui *haeresin* invenerunt, aut suscitarunt, vel Haereticorum *qua talium* Capita aut Duces sunt, vel fuerunt; quales v. g. sunt *Lutherus*, *Zwinglius*, *Calvinus*, quorum libri omnes et singuli, etsi de *Religione* non tractent, nec Haeresin contineant, sed de alia quacunque tandem materia agant, per 100

hunc Indicem prohibiti sunt, idque conformiter Juri communi, quia *damnato Auctore damnantur ejus scripturae, et libri, et Opera*, ut habet Summarium *c. Fraternitatis. h. t.*

101 Ad *secundam* Classem pertinent libri, qui prohibentur, aut prohibiti sunt non propter ipsum Auctorem libri, sed propter non sanam, suspectam, aut moribus Fidelium repugnantem, quam continent, doctrinam. Quales sunt libri Auctorum etiam Catholicorum de rebus lascivis, et obscaenis tractantes: Item libri eorundem Christianis moribus, aut fidei contrariam, vel in hac materia suspectam doctrinam continentes. Cujusmodi plurimi etiam in specie referuntur in saepe allegato Indice, ordine pariter Alphabetico praemissa cujusvis litterae Rubrica *certorum Auctorum libri prohibiti*, ad quos etiam spectant libri in Appendice immediate sequenti expressi.

102 Ad *tertiam* Classem pertinent incertorum Auctorum libri prohibiti ob doctrinam, quam continent malam sive in genere *Moris*, sive in genere *Religionis*, aut *Fidei*: Quales libri rursus plurimi ordine Alphabetico referuntur in eodem Indice, praemissa cujusvis litterae Rubrica *Incertorum Auctorum libri prohibiti.*

103 Resp. II. Libri *primae* Classis omnes, item etiam libri *secundae*, et *tertiae* Classis illi, qui ob aliquam, quam continent *haeresin*, vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibiti aut damnati sunt; prohibentur per Indicem sub Excommunicatione ipso facto incurrenda, Papae tamen non reservata. Idem clare patet ex Indicis *Regula* 10. ubi ita statuitur: *Quod si quis libros haereticorum* (quales sunt omnes ad *primam* Classem pertinentes) *vel cujuscunque Auctoris scripta* (consequenter etiam Catholicorum, vel Infidelium, sive ad *secundam*, sive ad *tertiam* Classem pertinentes) *ob haeresin, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in Excommunicationis sententiam incurrat.*

104 Ex quo patet, *haereticorum* libros de *Religione* tractantes, vel *haeresin* continentes, dupliciter sub Excommunicatione prohibitos esse, una, et quidem Papae reservata per Bullam Coenae, juxta dicta *a n. 35.* Altera non reservata nun per Indicem librorum prohibitorum.

105 Resp. III. *Secundae*, et *tertiae* Classis libri illi, qui non ob *haeresin* aliquam, nec ob *Religionis* falsum dogma, sed ex alio capite v. g. ob doctrinam moribus contrariam rejecti existunt, sub gravi quidem peccato mortali, gravique Episcopi arbitrio imponenda poena, nulla tamen sub Excommunicatione prohibiti sunt. Ita clare habet Indicis *Regula* 10. ad finem: ibi: *Qui vero libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.*

Circa *secundam* Classem librorum prohibitorum, a Catholicis videlicet Auctoribus scriptorum notandum, nullum censeri prohibitum, nisi in Indice auctoritate Concilii Tridentini expresse sit specificatus, ut bene notat Laymann *Lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 13. *n.* 8. Adde, vel nisi sit de genere illorum, qui juxta Regulas infra *n.* 111. ponendas universaliter sunt prohibiti.

106 Circa *tertiam* vero Classem specialiter quoque notandum: libros ibidem specificatos non ideo hac *tertia*, vel *ultima* Classe poni, quasi vero minoris periculi, minorisque malitiae, consequenter minus prohibiti, indeque *ultima* Classe positi essent, ita ut gravitas prohibitionis, periculi, et malitiae in libro desumenda foret ex Ordine Classis, prout plurimi etiam ex doctoribus putarunt. Nam contrarium a parte rei se habet; cum plures libri ob ignotum Auctorem in *tertia* Classe positi, sint longe magis perniciosi, quam libri *primae*, et *secundae* Classis, uti expresse dicit Alexander VII. *in Constitut. super observatione Indicis librorum prohibitorum*, edita 1664 quae incipit: *Speculatores Domus Israel*, estque 15. inter Constitutiones dicti Pontificis *Tom. V. Bullarii Romani*, ubi §. *I.* postquam dixit: *quod illa Classium* (trium videlicet supra specificatarum) *distinctio plurimos non modo vulgares, sed etiam eruditos decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem aestimabant, quasi severius actum semper videatur cum legentibus anteriorum, quam posteriorum Classium libros, quod tamen secus esse ex ipsa Classium institutione a Concilio Tridentino facta colligi facile potest.* Addit prope finem, *Contingit, ut plerique libri ignoti Auctoris, qui tertiae Classi assignantur, multo pejores sint, quam in prima, aut secunda recensiti.*

Ex quo infertur, qualibet hic et ille liber, qui 107
ob ignotum nomen Auctoris in *tertia* Classe existit, prohibitus sit, eo videlicet sub Excommunicatione, vel non, ex ipsa materia libri desumendum sit: si enim liber *haeresin* modo supra *n.* 51. allegato contineat, sub Excommunicatione non reservata prohibitus censetur, juxta dicta *n.* 105. Item etiam sub Excommunicatione servata per Bullam Coenae, quia censetur liber Auctoris *haeretici*, licet nomen illius non sit expressum, hoc ipso enim, quod, uti supponitur, unam, aut plures Haereses ex professo propugnat, et defendat; *haereticus* jure praesumitur, cum istud non nisi verus Haereticus faciat.

Unde etiam universaliter notandum, quod etiam 108
illi libri, qui tacito Auctoris nomine de *Religione* tractantes, aut *haeresin* continentes prodeunt; per Bullam Coenae sub Excommunicatione reservata prohibiti censeantur, si aliunde sufficienter scitur, aut ex ipsa materia indubitate praesumitur, Auctorem esse *haereticum*: Tum quia Bulla non requirit, quod Auctor in libro sit expressus, sed tantum, quod liber sit Auctoris *haeretici*; dummodo de hoc sufficienter, quacunque demum ratione, aut modo constet: Tum quia eadem, imo major ratio legis periculum nempe perversionis est in libris, qui tacito, quam qui expresso nomine Auctoris eduntur; cum illi longe majori libertate, et praesumptione, minoreque verecundia aut timore poenae, quam isti venenum suum evomant, teste experientia: *ubi autem eadem ratio est, eadem est Juris dispositio*, per Vulgaria Juris: *cum de similibus idem sit judicium*, c. *Inter corporal. de Translat. Episc.*

Caeterum, quia recensita haec in tres Classes li- 109
brorum divisio non paucos confusos reddidit. Alexander VII. novum Indicem librorum prohibitorum fieri, eumque et Successores illius continuari fecerunt, in quo non tantum libri prioris Indicis, sed etiam illi, qui de novo prohibiti fuere, inveniuntur, ita tamen, ut omissa trium Classium distinctione omnes et singuli Ordine Alphabetico ponantur, et illi, qui *primae* Classis sunt, specialiter, utpote speciali nota digni, signentur per ly *I. Cl.* uti videre est in moderno Indice: qui Index per additionem aliorum librorum, qui de novo damnantur a Summis Pontificibus, continuo crescit.

Porro, quia novus hic librorum prohibitorum
Index de reliquo easdem cum Indice antiquo Re- 110
gulas habet, illasque stricte observari vult, Pontifex, ut videre est in citata Constitutione Alexandri VII. *Speculatores*, quae est 15. inter Constitutiones dicti Pontificis *in Tom. 5. Bullarii*, utile videtur, eas per extensum hic subjungere; praesertim, cum in eis generalis habeatur doctrina osten-

dens, quinam libri sint prohibiti; sunt autem Regulae sequentes.

Regula I.

111 *Libri omnes, quos ante annum M. D. XV. aut Summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.*

Regula II.

Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post praedictum annum, Haereses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui haereticorum Capita, aut Duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zwinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schwenckfeldius, et his similes cujuscunque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem Haereticorum libri, qui de Religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui vero de Religione non tractant, a Theologis Catholicis, jussu Episcoporum et Inquisitorum examinati, et approbati permittuntur.

Libri etiam Catholice conscripti, tam ab illis, qui postea in Haeresin lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiae gremium rediere, approbati a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicae, vel ab Inquisitione generali, permitti poterunt.

Regula III.

Versiones Scriptorum etiam Ecclesiasticorum, quae hactenus editae sunt a damnatis Auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

Librorum autem veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis et piis, judicio Episcopi concedi poterunt; modo hujusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatae editionis ad intelligendam sacram Scripturam, non autem tanquam sacro Textu, utantur.

Versiones vero novi Testamenti, ab Auctoribus primae Classis hujus Indicis factae, nemini concedantur quia utilitatis parum, periculi vero plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.

Si quae vero annotationes cum hujusmodi, quae permittuntur, versionibus, vel cum vulgata editione circumferuntur, ex punctis locis suspectis a Facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicae, aut Inquisitione generali permitti eisdem poterunt, quibus et versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus, concedi viris piis, et doctis poterunt.

Ex Bibliis vero Isidori Clari Brixiani prologus et prolegomena praecidantur; ejus vero textum nemo textum vulgatae editionis esse existimet.

Regula IV.

Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua, passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem, in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, et pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolae vero, qui praedictam facultatem non habentes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant: aliisque poenis pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio subjaceant.

Regulares vero non nisi facultate a Praelatis suis habita, ea legere aut emere possint.

Observatio.

Animadvertendum est circa suprascriptam quartam Regula Indicis fel. record. Pii Papae IV. nullam per hanc impressionem, et editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato et usu sanctae Romanae, et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias sacrae Scripturae tam novi, quam veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas; ac super summaria et compendia etiam historica eorundem Bibliorum, seu librorum sacrae Scripturae, quocunque vulgari idiomate conscripta: quod quidem inviolate servandum est.

Regula V.

Libri illi, qui haereticorum Auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Concordantiae, Apophthegmata, Similitudines, Indices, et hujusmodi, si quae habeant admixta, quae expurgatione indigeant, illis, Episcopi, et Inquisitores, una cum Theologorum Catholicorum consilio sublatis aut emendatis, permittantur.

Regula VI.

Libri vulgari idiomate de Controversiis inter Catholicos et Haereticos nostri temporis disserentes, non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua conscriptis statutum est.

Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares, vulgari lingua habiti.

Quod si hactenus in aliquo Regno, vel Provincia, aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, quae sine delectu ab omnibus legi non expediat, si earum Auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab Episcopo, et Inquisitore poterunt.

Regula VII.

Libri, qui res lascivas, seu obscoenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solum fidei, sed et morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur: et qui eos habuerint, severe ab Episcopis puniantur.

Regula VIII.

Libri, quorum principale argumentum bonum est; in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quae ad haeresin seu impietatem, divinationem, superstitionem spectant, a Catholicis Theologis Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt.

Idem judicium sit de Prologis, Summariis seu annotationibus, quae a damnatis Auctoribus, libris non damnatis appositae sunt: sed posthac non nisi emendati excudantur.

Regula IX.

Libri omnes et scripta Geomantiae, Hydromantiae, Aeromantiae, *Pyromantiae, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, artis magicae, prorsus rejiciuntur.*

Episcopi vero diligenter provideant, ne Astrologiae judiciariae libri, tractatus, indices legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisve casibus, aut iis actionibus, quae ab humana voluntate pendent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

Permittuntur autem judicia, et naturales observationes, quae navigationis, agriculturae, sive Medicae artis juvandae gratia conscripta sunt.

Observatio, Circa nonam Regulam.

Circa Regulam IX. ejusdem Indicis ab Episcopis, et Inquisitoribus Christi fideles sedulo admonendi sunt, quod in legentes, aut retinentes contra Regulam hanc libros hujusmodi Astrologiae judiciariae, divinationum, et sortilegiorum, rerumque aliarum in eadem Regula expressarum procedi potest, non modo per ipsos Episcopos et Ordinarios, sed etiam per Inquisitores locorum ex constitutione fel. recard. Sixti Papae V. contra exercentes Astrologiae judiciariae artem, et alia quaecunque divinationum genera, librosque de eis legentes, ac tenentes, promulgatae sub Datum Romae, ad S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1585. Nonis Januarii; Pontificatus sui anno primo.

Regula X.

In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. sessione decima statutum est.

Quare si in alma Urbe Romana liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium summi Pontificis, ac sacri Palatii Magistrum, vel personas a Sanctissimo Domino Nostro deputandas, prius examinetur.

In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturae imprimendae, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem haereticae pravitatis, ejus Civitatis, vel Dioecesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio et examen pertineat, et per eorum manum propria subscriptione gratis, et sine dilatione imponendam, sub poenis et censuris in eodem decreta contentis, approbetur, hac lege et conditione addita, ut exemplum libri imprimendi authenticum, et manu Auctoris subscriptum, apud Examinatorem remaneat.

Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatique fuerint, iisdem poenis subjici debere judicarunt Patres deputati, quibus Impressores, et qui eos habuerint, et legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctoribus habeantur.

Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, et in fronte libri scripti, vel impressi authentice appareat, probatioque et examen, ac cetera gratis fiant.

Praeterea in singulis Civitatibus, ac Dioecesibus domus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, et Bibliothecae librorum venalium saepius visitentur a personis ad id deputandis ab Episcopo, sive ejus Vicario, atque etiam ab Inquisitore haereticae pravitatis, ut nihil eorum, quae prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes vero Librarii, et quicunque librorum Venditores habeant in suis Bibliothecis Indicem librorum venalium, quos habent cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant, aut vendant, aut quacunque ratione tradant, sine licentia eorumdem deputandorum sub poena amissionis librorum, et aliis arbitrio Episcoporum, vel Inquisitorum imponendis: Emptores vero, lectores, vel Impressores eorundem arbitrio puniantur.

Quod si aliqui libros quoscunque in aliquam Civitatem introducant, teneantur iisdem personis deputandis renuntiare, vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus sit, Ministri publici ejusdem loci praedictis personis significent, libros esse adductos.

Nemo vero audeat librum, quem ipse sive alius in Civitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, et habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie constet, librum jam esse omnibus permissum.

Idem quoque servetur ab haeredibus, et executoribus ultimarum voluntatum, ut libros a defunctis relictos, sive eorum Indicem illis personis deputandis offerant, et ab illis licentiam obtineant, priusquam eis utantur, aut in alias personas quacunque ratione eos transferant.

In his autem omnibus et singulis poena statuitur, vel amissionis librorum, vel alia arbitrio eorumdem Episcoporum, vel Inquisitorum pro qualitate contumaciae, vel delicti.

Circa vero libros, quos Patres deputati aut examinarunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, et rursus excuderentur, concesserunt quidquid illos statuisse constiterit, tam Bibliopolae, quam caeteri observent.

Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis Regnis, aut Provinciis, vel Dioecesibus expedire judicaverint.

Caeterum nomina librorum, qui a Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum, quibus illi hanc Provinciam dederant, eorundem deputationum Secretarius, Notarius sacrae universalis Inquisitionis Romanae descripta, Sanctissimi Domini nostri jussu tradidit.

Ad extremum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum Regularum praescriptum, aut hujus Indicis prohibitionem libros aliquos legere, aut habere.

Quod si quis haereticorum, vel cujusvis Auctoris scripta, ob haeresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in Excommunicationis sententiam incurrat.

Qui vero alio nomine interdictos legerit, aut habuerit praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severe puniatur.

Observatio.

De Thalmud, et aliis libris Hebraeorum.

Quamvis in tertia Classe Indicis praedicti Pii Papae IV. sub littera T. Thalmud hebraeorum, ejusque glossae, annotationes, interpretationes et expositiones omnes prohibeantur, sed quod si absque nomine Thalmud, et sine injuriis et calumniis in Religionem Christianam aliquando prodiissent tolerentur: quia tamen Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII per suam Constitutionem contra impia scripta et libros hebraeorum sub Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini M. D. LXXXII. *pridie Kal. Martii Pontificatus sui anno secundo, illos prohibuit atque damnavit: mens ipsius non est, eos propterea ullatenus etiam sub illis conditionibus permittendi, aut tolerandi, sed specialiter et expresse*

statuit, et vult, ut hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, atque nefarii Hebraeorum libri omnino damnati, et prohibiti maneant et censeantur, atque super eis, et aliis libris hujusmodi, praedicta Constitutio perpetuo, et inviolabiliter observetur.

De libro Magazor.

Adhaec sciant Episcopi, Ordinarii, et Inquisitores locorum, librum Magazor Hebraeorum, qui continet partem officiorum et caeremoniarum ipsorum et Synagogae, Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Italica, aut quavis alia vulgari lingua, praeterquam Hebraea editum, jam diu ex speciali Decreto rationabiliter prohibitum esse. Ideirco provideant illum nullatenus permitti, aut tolerari debere, nisi Hebraica lingua praedicta.

112 Post has Regulas subjuncta etiam habetur instructio illis serviens, qui libris tum imprimandis, tum expurgandis deputati sunt, quam lege in fine Concilii Tridentini, post memoratas Regulas positam; servit praecipue Reverendissimis Ordinariis, et eorum Vicariis Generalibus.

113 Quaeritur III. Utrum Index librorum prohibitorum in Germania receptus sit, et obliget? Ratio dubitandi, et negativam tenendi est assertum quorundam absolute dicentium, Indicem librorum prohibitorum in Germania non esse receptum: et aliorum inter quos est Layman *lib. 2. tr. 1. cap. 15. n. 8.* volentium, eum non esse receptum quoad prohibitionem librorum *secundae Classis*: in specie vero non esse receptam Regulam IV. Indicis de lectione sacrae Scripturae in vulgari idiomate. Num autem opinio et assertum horum DD. ut profertur, in facto et Jure subsistat, patebit ex sequentibus Conclusionibus. Nam merito movetur Controversia.

114 Resp. I. Certum videtur, quod Assertum de absolute non recepto Indice, in Facto minime subsistat. Ratio est; Tum quia nemo praesumit dicere, Germanos posse omnes et singulos, quantumvis ab Indice prohibitos, etiam *primae Classis*, et quorumvis *Haereticorum*, ac *Haeresiarcharum*, de quacunque tandem materia *Religionis*, aut *Haeresis* etc. perniciose, et periculose tractantes legere: Tum quia prudentes, et timentes Deum passim sollicite petunt, et obtinent, vel immediate a Sede Apostolica, vel ab Episcopo speciali facultate praedito licentiam legendi libros prohibitos, et hoc ipso indicant, Assertum de absolute non recepto Indice carere solido fundamento. Imo id ipsi etiam Reverendissimi Germaniae Ordinarii aperte innuunt, cum facultatem legendi libros prohibitos pro speciali gratia per Sedem Apostolicam sibi concessa, et singulis quinquenniis necessario renovanda habeant, prout etiam pro eadem clauso quolibet quinquennio sollicite de novo instant, et hoc ipso fatentur, Indicem librorum prohibitorum etiam ibi obligare, ac per consequens receptum esse. Quod etiam in Jure non subsistat dictum de indice absolute non recepto Assertum, patebit ex dicendis infra n. 116.

115 Resp. II. Etiam alterum Assertum absolute dicens, Indicem quoad libros *secundae Classis* non esse receptum in Germania, nec in facto, nec in Jure videtur subsistere. Nam quod in facto non subsistat, militare etiam videntur rationes *num. praeced.* allatae. Quibus accedit, quod prohibitio Indicis etiam in Germania non recepta pateat quoad plures libros ad *secundam Classem* spectantes, aut reducibiles, veluti libri a Catholicis Auctoribus de rebus obscaenis, vel practicandis sortilegiis, maleficiis, incantationibus etc. scripti, vel certo praedicentes futura contingentia, quae dependent a libera voluntate humana; quos et plures similes libros editos vel edendos ob prohibitionem Indicis in Germania quoque legi non posse, passim fatentur Doctores etiam Germani, ipse quoque Layman *cit. Lib. 2. tr. 1. cap.* 15. n. 8. etsi memorati libri ad *secundam Classem* spectare videantur, utpote non propter Auctorem *haereticum*, nec propter *Haeresin* inibi contentam, sed ob non sanam, suspectam, moribus fidelium contrariam a Catholicis scriptam doctrinam sunt prohibiti juxta dicta *n.* 101. Consequenter in facto non videtur subsistere Assertum Laymani, et aliorum absolute dicentium, prohibitionem Indicis quoad libros *secundae Classis* non esse receptam.

Quod etiam in Jure non subsistat memoratum 116
Assertum absolute prolatum militare videtur: Tum quia ad obligationem justae legis non est necessaria acceptatio per dicta *n.* 82. Tum quia legem justam, qualis utique est prohibitio librorum etiam *secundae Classis*, subditi tenentur acceptare juxta dicta n. 83. Tum etiam quia, etsi haec lex per consuetudinem contrariam legitime praescriptam abrogata fuisset, tamen etiam eidem consuetudini diversis successivis temporibus rursus derogatum fuit per plures Constitutiones Pontificias subsequentes.

Nam, quod bene notandum, postquam prima 117
vice Auctoritate Concilii Tridentini, et Pii IV. per Bullam *Dominici Gregis* (quae est 77. *in Tom.* 2 *Bullarii inter Constitutiones dicti Pontificis*, et reperitur etiam ad finem Concilii Tridentini Indici librorum praefixa) Index librorum prohibitorum fuit confectus et absolutus, eundem postea Clemens VIII. in Constitutione, *Sacrosanctum Ecclesiae*, quae est 35. *inter Constitutiones dicti Pontificis in Tom. 3 Bullarii Cherub.* denuo confirmavit, innovavit, et ab omnibus observari de novo praecepit, cunctisque consuetudinibus contrariis, interea introductis, expresse derogavit. Eundem etiam Gregorius XIV. in Constitutione, *Apostolatus Officium* (quae est 40. *inter Constitutiones dicti Papae in 3. Tom. Bullarii*, et habetur insuper post Indicem librorum prohibitorum Concilio Trident. annexa) observari de novo praecepit, simulque revocavit, et annullavit omnes licentias legendi libros prohibitos a Praedecessoribus cuicunque concessas: quod idem, et quidem adhuc magis expresse fecit Urbanus VIII. in Bulla *Apostolatus Officium*, *quae est* 116. in *Bullario*. Eundem cum Regulis illius ulterius innovavit, confirmavit, et exacte observari praecepit, consuetudinibusque contrariis forsan interea de novo introductis derogavit Alexander VII. in supra *n.* 110. citata Bulla *Speculatores Israel*: Idem facere, et observationem Indicis praecipere videntur Pontifices Successores, dum fere omnes ad haec usque tempora libros aliquos de novo prohibent, eosque Indici librorum prohibitorum inseri mandant, ita ut memoratus Index continuo augeatur, sicque auctus una cum antiquis Regulis Indici ab initio statim praefixis auctoritate eorundem prodeat, et exacte observari praecipiatur.

Ex quibus utique patet, quam difficile sit, abso- 118
lute manutenere, Indicem etiam quoad libros *secundae Classis* in Germania non esse receptum; vel eidem consuetudine contraria legitime praescripta derogatum; cum novae Constitutiones ejusdem observationem de novo praecipientes jugiter emanant: quae consuetudinibus contrariis derogant; et quas utpote justas acceptandi gravis obligatio est.

Quod si quis contendat, Assertum de non ac- 119
ceptato, vel consuetudine contraria abrogato Indice librorum prohibitorum *secundae Classis* saltem

ea parte verificari, videlicet quoad Lectionem et Retentionem librorum prohibitorum, qui caeteroquin boni et potius ob unam vel alteram, aut plures doctrinas sacrae Theologiae minus convenientes aut sacris Canonibus, ac Constitutionibus Pontificiis contrarias, aut quia in certa materia excedunt, vel quia scripserunt de aut super materia, de qua scribere, aut glossare non licet etc. facilius intentum assequetur; quia tales libros in Germania non obstante Indice expresse illos prohibente passim teneri, et legi in comperto est; quales v. g. in specie sunt *Francisci Pellizarii Manuale Regularium, Brunonis Chassaini Privilegia Regularium, Augustini Barbosae Collectanea*, Declarationes, et Remissiones etc. circa quos tamen os in coelum ponere, et positive aliquid dicere non audemus, sed id S. Congregationi ad id per Sixtum V. erectae relinquimus, id solum dicentes, et securius, et laudabilius esse etiam in his simpliciter obedire Sedi Apostolicae.

120 Illud tandem etiam observandum circa libros in Indice prohibitos, quod si dato non concesso verum esset, illum vel ex toto vel ex parte non receptum, vel eidem consuetudine legitime praescripta derogatum esse in Germania, consequenter libros ut en prohibitos legi ibidem posse, et retinari, tamen libros *primae Classis* editos ab Auctore *haeretico*, et de *Religione* tractantes, vel *Haeresin* continentes, ab eodem prohibitos, legi, aut retineri non posse: quia libri etiam prohibentur per *Bullam Coenae*, quae non potest non recipi, nec consuetudine contraria abrogari, juxta dicta n. 82.

121 Quaeritur II. Utrum etiam Regulares teneantur ad observantiam *Indicis*? Ratio dubitandi, et *negativam* tenendi est, quod Gregorius XIII. concesserit Societati JESU, et consequenter per communicationem Privilegiorum etiam aliis, praesertim Mendicantibus Regularibus, quod Superiores eorum Generales possint suis Subditis concedere facultatem legendi libros *haereticos*, et alios prohibitos, uti videre est *in Bullario ejusdem Societatis*; ob quod etiam Peyrin dictam *negativam* tenuit. Quo non obstante Resp. *Affirmative*, Communis. Ratio est, quia Gregorius XV. et Urbanus VIII. supra *num.* 117. citati revocarunt omnes licentias et facultates quibuscunque etiam Regularibus, et quomodocunque concessas tenendi, et legendi libros prohibitos.

122 Nec quidquam valet, quod pro sententia contraria affert Peyrin (quem indirecte defendere conatur Pellizarius *in Manuali Regular. Tr. VI. cap. 5. n. 37.*) dicens, dictas revocationes tantum afficere licentias particulares via ordinaria concessas, non autem facultates generales, seu privilegia Regularibus concessa legendi, et tenendi libros *haereticos*, et alios prohibitos. Nam contra est, quod Urbanus VIII. revocet *licentias et facultates quibuscunque, et quomodocunque*, consequenter etiam per modum Privilegii, et *ex quacunque causa concessas*, uti videre est ex textu Bullae ita sonante: *Quapropter, cum librorum prohibitorum lectio magno sincerae fidei cultoribus detrimento esse noscatur, et sicut accepimus, nimis excessiva sit, hujusmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, ut huic malo mature occurratur, et imposterum quam cautissime licentiae hujusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, providere volentes: Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Omnes et singulas licentias legendi, et habendi libros quoscunque ob haeresin, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiae judiciariae, vel alias quomodolibet prohibitos, quibuscunque personis Laicis, et Ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus cujuscunque Ordinis, Societatis, Instituti, existentibus, ac quacunque Dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cujuscunque status, gradus, conditionis, qualitatis, praeeminentiae, etiam speciali nota et mentione dignis, ac per litteras Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, et aliter quomodocunque, et ex quacunque causa, tam in forma Brevis, quam aliter quomodocunque a Praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu a quibuscunque aliis a Nobis, vel ab eis facultatem, et auctoritatem habentibus, non tamen a Nobismetipsis per litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, seu Chirographum manu nostra signatum, concessas, earum tenores praesentibus pro expressis, et insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione revocamus, cassamus, et annullamus, ac pro revocatis, cassis, et annullatis haberi, nullique suffragari.*

Quin imo libros per licentias hujusmodi permissos legentes, aut habentes, poenas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, et declaramus.

Pariter nil valet, quod pro indirecta defensione Peyrini affert Pellizarius *loc. cit.* dicens, videri posse, per dictam Urbani Constitutionem revocari duntaxat licentias legendi libros, non vero facultatem concedendi licentias legendi, quam facultatem vi privilegii habent Superiores Generales Regulares. Nam rursus contra est: Tum quia Pontifex per illa verba: *Quomodocunque a Praedecessoribus Romanis Pontificibus, seu* NB. *a quibuscunque aliis, vel ab ipso, vel ab eis facultatem, et auctoritatem habentibus concessos etc revocamus*, manifeste etiam revocare videtur licentias vi similium facultatum habitas, vel habendas; Tum quia certum videtur, per hanc Urbani Constitutionem ipsos Superiores Generales privatos esse facultate legendi, et tenendi libros prohibitos ob generalem Clausulam, *Saecularibus quam Regularibus cujuscunque Ordinis, Societatis, ac quacunque Dignitate fulgentibus etc* Atqui si ipsi carent facultate legendi libros prohibitos, eam aliis communicare nequeunt; *cum nemo possit dare, quod non habet*; ergo. Tum etiam quia haec quaesita interpretatio aperte militat contra rationem et finem Legis, consequenter contra Legem ipsam. Cum ratio legis sit anima legis, per vulgaria. 123

Accedit, et rem extra omnem Controversiam ponit Constitutio Alexandri VII. *Speculatores Israel* citata supra n. 106. quae Indicem ab omnibus etiam Regularibus exacte observari vult, *Non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, et confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, seu quibuscunque tenoribus ac formis, ac quibusvis clausulis, et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, et renovatis* 124

Et ex hoc infertur, carere etiam solido fundamento, quod quidem caeteroquin Doctissimus manutenere volebat, videlicet illis, qui ab Ordinis sui Superioribus applicantur docendis Fidei controversiis, et convertendis *Haereticis*, in partibus *Haeresi* infectis, tacitam concessam censeri facultatem legendi libros *haereticos*, et alios prohibitos; quia (ait) cui conceditur finis, conceditur etiam media, quale ad cognoscendos, et confutandos errores *Haereticorum* cum suis fundamentis, est lectio 125

librorum *haereticorum*. Nam contra est; quod, cum juxta dicta Superiores ipsi nec facultate legendi, nec potestate illam aliis communicandi gaudeant, nullo modo neque tacite, neque expresse eam aliis concedere valeant. Nam juxta bis dicta, *nemo potest dare, quod non habet*.

126 Ad rationem oppositam respondetur, *distinguendo*: qui concedit finem, concedit etiam media illa, quae in concedentis potestate sunt, *transeat*, quae ultra ipsius potestatem sunt, *negatur*. Hinc talis ad Fidei controversias, et convertendos *Haereticos* deputatus debet media ad finem suum conducentia, vel ex Controversistis, et aliis libris Catholicis desumere, vel, si putat sibi ad illum necessariam esse etiam lectionem librorum *haereticorum*, debet hoc medium petere ab illis, qui dare possunt, Papa videlicet, aut Episcopo habente specialem facultatem concedendi talem lectionem: qui in tali casu, et ad talem finem libentissime debunt: minime vero supponere debet, eam sibi tacite concessam ab illis, qui illam nec ipsi habent, nec dare possunt.

127 Quaeritur III. Quid ergo faciendum cum libris *Haereticorum*, et aliis prohibitis? Resp. In locis, ubi viget Officium Inquisitionis, et in Hispania, Italia etc. eos necessario et sub poena Excommunicationis, aliisque poenis contra *Haereticos* latis tradi debere Inquisitoribus, ita ut non sufficiat eos propria auctoritate comburere. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 56. Palao *de Fide*, *tr.* 4. *Disp.* 2. *pun.* 10. §. 2. *num.* 12. Farinacius *de Haeresi* q. 180. *num.* 5. Barbosa *de Offic. et potestat. Episc. allegat.* 90. *num.* 5. Ratio est; quia ita expresse statuit Julius III. in sua Constitutione, quae incipit, *Cum meditatio*. Finis autem hujus Constitutionis est, ut Auctor libri hujus facilius cognoscatur, et, si opus est, apprehendatur, inquiratur, et puniatur. Quapropter debent Inquisitores deferentem libros hujusmodi interrogare, unde habeat, a quo acceperit hos libros. Palao *loc. cit.* Barbosa, Sanchez, et alii supra citati.

128 Dicitur autem notanter, *ubi viget Officium Inquisitionis*. In aliis enim locis, ubi Inquisitio non viget, ut in Germania etc. Quid cum libris istis fieri possit, et debeat, alia est Quaestio. Ad quam si quis respondet, eos esse tradendos locorum Ordinariis, utpote qui in talibus locis supplent vices Inquisitorum, prout passim desumitur ex *Concilio Tridentino*. Contra est, quod ipsimet Reverendissimi Ordinarii libros prohibitos legere, et retinere non possunt, nisi speciale ad id privilegium habeant, juxta dicta supra *a nu.* 56. consequenter illis necessario tradi non debeant.

129 Hinc respondendum videtur, sufficere, et necesse esse, ut vel comburantur, vel tradantur alicui, vel aliquibus, qui specialem facultatem habeant legendi, et retinendi libros *haereticos* Qualem specialem facultatem fere in quovis Monasterio vel Conventu in locis *Haeresi* infectis unus vel alter immediate vel mediate a Sede Apostolica concessam cum habeat, in memoratis Monasteriis recipi, ac retineri, ac in separato Bibliothecae loco asservari solent hujusmodi libri prohibiti ut, si, et quando opus fuerit facultate eos legendi gaudentes, *Haereticorum*, et aliorum errores ex eisdem magis deprehendere, illosque et Auctores illorum pro bono communi Ecclesiae confutare valeant. Ad quem proin finem etiam plerumque consultius videtur, ut libri prohibiti, praesertim *haeretici* talibus Religiosis, vel etiam aliis facultate eos legendi, et tenendi praeditis (inter quos sunt etiam omnes horum locorum Ordinarii juxta dicta) in his partibus tradantur, quam ut comburantur. Ubi tamen Superiores locales sollicite cavere debent, ne libri hujusmodi aliis, quam speciali facultate praeditis legendi concedantur, neve ad manus aliorum devenire valeant.

130 Nec obstat dictis, quod in Pontificio Indulto, quo Regularibus supplicantibus concedi *solet* specialis facultas legendi libros *haereticos*, et alios prohibitos, apponi soleat Clausula, qua praecipitur Superiori Majori, Provinciali v. g. ut provideat diligenter, *ne tempore facultatis elapso*, *aut post obitum eorum* (subditorum videlicet, qui facultatem legendi habent) *libri praedicti ad aliorum manus deveniant*, *sed una cum libris*, *quos ipsa leges*, *et retinebis*, *reddantur igni comburendi*, prout in recentissimo hujusmodi Indulto legimus. Ex quo nonnulli desumere volunt, libros *haereticos*, et alios prohibitos igni comburendos, non vero aliis praesertim Regularibus facultatem legendi, et retinendi habentibus tradi debere. Non obstat inquam: Tum quia Papa per dictam Clausulam solum intendit, ne libri prohibiti ad aliorum, quam facultate legendi gaudentium manus deveniant, neve ipsi facultate praediti eo utantur, postquam jam exspiravit, uti patet ex ratione apposita illis verbis: *Ne ad aliorum manus deveniant*: quod utrumque absque combustione librorum praefatorum facile cavetur, si decedente aliquo specialem facultatem habente, libri prohibiti, quos habuit, ad separatum locum, et bene clausum deferantur, quatenus, si ad convertendos, vel confutandos *Haereticos*, opus fuerit, a successore aliquo similem facultatem habente reassumi, et legi valeant: dummodo appropinquante fine quinquennii, ad quod facultas concedi solet, ejusdem facultatis renovatio Romae in tempore sollicitetur.

131 Nec refert, si modico tempore post exspirationem facultatis, donec nova illius concessio adveniat, retineantur. Quia sicut non agitur contra prohibitionem; si quis librum, quem *haereticum*, vel alias prohibitum advertit, modico tempore absque lectione illius retineat, donec commodam occasionem tradendi illum Inquisitoribus acquirat; sic eadem prohibitio non violatur, si hujusmodi libri prohibiti absque lectione illorum; modico tempore retineantur, donec nova concessio facultatis, aut renovatio illius moraliter certo obtinenda adveniant; praesertim si interea libri isti in separato et bene custodito loco, ne ad aliorum manus deveniant, caute asserventur: prout in Religionibus, praesertim in nostra Provincia fieri solet, ubi in Bibliothecis separatus, et speciali distinctam clavem requirente sera munitus locus pro libris prohibitis ita deputatus habetur, ut aliquem ex illis accipere penitus nullus valeat, qui non prius ostendat, unde et qualem licentiam legendi libros prohibitos habeat.

132 Porro, quod praefata in Monasteriis locorum, et Provinciarum *Haeresi* infectarum solita asservatio librorum prohibitorum nec Bullae Coenae, nec indici librorum repugnet, imo quod plerumque melius, ac consultius sit, libros prohibitos modo supra dicto, in Bibliothecis istorum Monasteriorum asservari, quam comburi, inde patet; quia fere cunctae Religiones in hisce partibus *Haeresi* infectis vel immediate a Sede Apostolica, vel a locorum Ordinariis specialis facultate praeditis id habent, quod in quovis Monasterio eorum, saltem unus ad certum tempus licentia gaudeat legendi et tenendi libros *haereticos*, et alios prohibitos; quae licentia brevi ubique omni effectu careret, si, uti nonnulli juxta cortiorem textus volunt, quivis liber prohibitus, postquam ab aliquo lectus est, non amplius retineri posset, sed statim comburi deberet, cum tali modo omnes libri prohibiti brevi perirent, et Successores non haberent, unde ex libris *Haereticorum* ad

confutandos, et convertendos illos desumere, et facultatem legendi libros prohibitos ad quinquennium concedi solita uti valerent. Quapropter cum omnia privilegia, facultates, et Rescripta gratiae aliquid operari, et effectum aliquem habere debeant, *arg. c. In his. 30 de Privileg* juncta Glossa ibidem, *et media concedat, qui concedit finem*, lectio autem librorum *haereticorum* pro confutatione et conversione illorum *tanquam finis concessus*, sine libris tanquam mediis haberi nequeat; consequens est, libros hujusmodi non comburi, sed pro licita et utili lectione caute, ut supra, asservari debere, non obstante, quod cortex verborum aliud insinuare videatur, quia etiam ad *Rescripta* applicari bene potest, quod de Legibus dicitur: *Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, can. humanae aures. cau. 22.* cum Concordatis supra allegatis.

133 Et profecto, si juxta verborum corticem cuncti libri *haeretici*, postquam ab aliquo fuere perlecti, statim deberent comburi, et non possent pro ulteriori lectione ab eodem, vel aliis in facultate legendi succedentibus asservari, jam pridem omnes libri antiqui, et manuscripta Lutheri, Calvini, aliorumque Haeresiarcharum, nec non principales Fidei ac Religionis Tractatus, Conciliabula, foedera, Confessiones ab Haereticis confecti, aut habiti comburi debuissent et adhuc deberent, non sine ingenti Ecclesiae, et Religionis praejudicio: cum ex ipsis libris ad oculum hactenus demonstrati fuerint, et adhuc demonstrari possint ac debeant innumeri errores, contradictiones, discordiae, falsitates, mendacia, deceptiones, mutationes, quas etiam in substantialibus Fidei et Religionis punctis *haeretici* fecerunt, et commiserunt, quarum demonstratione ipsa simul etiam demonstratur Sectae eorum falsitas; hoc ipso enim, quod Religio, quae in materia Fidei semel fallit, et errat, semper errare, et fallere possit; consequenter nec vera, nec infallibilis, sed falsa, et fallibilis sit.

134 Caeterum non negamus, quin saepe magis expediat, libros aliquos prohibitos comburere, quam asservare; si nempe pro fine concesso non iis prosint, qui facultatem legendi habeat: quod Superiorum, et aliorum prudentum judicio relinquitur.

135 Quaeritur IV. Quid Juris circa Impressionem librorum *haereticorum*, et aliorum prohibitorum? Resp. I. Quid circa Impressionem librorum *haereticorum* de *Religione* tractantium, aut *haeresim* continentium statuat Bulla Coenae, plene habes supra *num.* 35.

136 Resp. II. Loquendo de Impressione aliorum librorum, observandae erunt Ordinationes Concilii Tridentini *Sess. 4. Decreto de Editione et usu sacrorum librorum*, et *Indicis librorum* ad finem ejusdem de Impressione appositae, quas omnes tam Concilii, quam Indicis per extensum hic adducere utile duximus, ut pro majore commoditate legentium, etiam de Impressione prohibitorum, et aliorum librorum cuncta simul ad manum habeantur.

Concilium itaque Tridentinum *loc. cit.* ita loquitur. *Sed Impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere, quidquid libet, sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, ipsis Sacrae Scripturae libros, et super illis annotationes, et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et quod gravius est, sine nomine Auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros hujusmodi temere venales habent, decrevit et statuit, ut posthac S. Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub poena Anathematis et pecuniae, in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum Ordinationum. Qui autem scripta eos communicant, vel evulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant quibus Impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint Auctores, pro Auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti vel impressi authentice appareat; idque totum hoc est, et probatio, et examen gratis fiat, ut probanda probentur, et reprobentur improbanda. Post haec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae S. Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et praecipit, ad tollendum hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de caetero quisquam quomodolibet verba Scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare; ut omnes hujus generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, Juris et arbitrii poenis per Episcopos coerceantur*

Index vero librorum prohibitorum ita ordinat de Impressione librorum prohibitorum.

§. I.

Nullus liber imposterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, et patriam praeferat Auctoris. Quod si de Auctore non constet, aut justam aliquam ob causam tacito ejus nomine Episcopo, et Inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librum examinaverit, atque approbaverit

In his vero generibus librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is, qui laborem colligendi, et compilandi susceperit, pro Auctore habetur.

§. II.

Regulares praeter Episcopi et Inquisitoris licentiam (de qua Regula decima dictum est) meminerint teneri se Sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subjacent, obtinere.

Utramque autem concessionem quae appareat, ad principium Operis, imprimi faciant.

§. III.

Curent Episcopi, et Inquisitores, poenis etiam propositis, ne impressoriam artem exercentes, obscaenas imagines, turpesve in grandiusculis litteris imprimi consuetas, in librorum deinceps impressione apponant.

Ad libros vero, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, ac characteribus grandioribus utuntur, in quibus expresse appareat alicujus rei prophanae, nedum turpis, obscaenaeve species

Qui etiam invigilabunt summopere, ut in singulorum impressione librorum nomen Impressoris, locus impressionis, et annus, quo liber impressus est, in principio ejus, atque in fine annotetur.

§. *IV.*

Qui Operis alicujus editionem parat, integrum ejos Exemplar exhibebit Episcopo, vel Inquisitori, id ubi recognoverint, probaverintque, penes se retineant, quod Romae quidem in archivio Magister sacri Palatii, extra Urbem vero in loco idoneo, quam Episcopus, aut Inquisitor elegerit, reservetur.

Postquam autem liber impressus erit, non liceat cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquo modo publicare, ante quam is, ad quem haec cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento, diligenter contulerit, licentiamque, ut vendi, publicarique possit, concesserit.

Idque tum demum faciendum, cum exploratum habebitur, Typographum fideliter in suo munere gessisse, neque ab Exemplari manuscripto vel minimum discessisse. Qui contra facere ausus fuerit, graviter et severe puniatur.

§. *V.*

Curent Episcopi, et Inquisitores, quorum muneris erit facultatem libros imprimendi concedere, et eis examinandis, spectatae pietatis, et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei duntaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.

Talium autem virorum approbatio, una cum licentia Episcopi, et Inquisitoris, ante initium operis imprimatur.

§. *VI.*

Typographi, et Bibliopolae coram Episcopo, aut Inquisitore, et Romae coram Magistro sacri Palatii, jurejurando spondeant, se munus suum catholice, sincere, ac fideliter executuros, hujusque Indicis decretis, ac Regulis, Episcoporumque, et Inquisitorum edictis, quatenus eorum artes attingunt, obtemperaturos; neque ad suae artis ministerium quemquam scienter admissuros, qui haeretica labe sit inquinatus.

Quod si inter illos, insignes, ac eruditi nonnulli reperiantur, Fidem etiam Catholicam juxta formam a Pio IV. fel. record. praescriptam, eorumdem Superiorum arbitrio, profiteri teneantur.

§. *VII.*

Liber Auctoris damnati, qui ad praescriptum Regularum expurgari permittitur, postquam accurate recognitus et purgatus, legitimeque permissus fuerit, si denuo sit imprimendus, praeferat titulo inscriptum nomen Auctoris, cum nota damnationis, ut, quamvis quoad aliquid liber recipi, Auctor tamen repudiari intelligatur.

In ejusdem libri principio, tum veteris prohibitionis, tum recentis emendationis, ac permissionis mentio fiat, exempli gratia, Bibliotheca a Conrado Gesnero Tigerino damnato Auctore olim edita, ac prohibita, nunc jussu Superiorum expurgata, et permissa.

Et haec de Lectione, Retentione, et Impressione librorum prohibitorum prolixius scribere utile duximus; quia multos circa hanc materiam errores, abusus, et corruptelas, praesertim in his partibus videre est, non sine magno Religionis, morum, et animarum praejudicio, quibusdam Scriptoribus sua nimis libera, et minus solida doctrina non modicam ad id praebentibus causam.

§. IV.

De Tolerantia Haereticorum, et liberi exercitii Religionis eorum: ubi etiam de Foederibus Principum Catholicorum cum Haereticis, et Infidelibus: nec non de Bello cum ipsis, et contra ipsos.

SUMMARIUM.

139 *Loquendo de Jure communi nec recipi, nec tolerari possunt haeretici, et ritus eorum in territorio Catholico, sed eos ubique repellere, expellere, et exterminare tenentur Principes Catholici.*

Probatur ex Jure Canonico. Ibid.

140 *Et Civili.*

141 *Ac ratione; quia nempe sicut haeresis pejor Judaismo, et Paganismo; ita etiam haeretici pejores, et perniciosiores sunt Judaeis, et Infidelibus. Et num. seq.*

143 *Item quia ex continua commoratione cum ipsis majus scandalum, et perversionis periculum consurgit, quam ex cohabitatione cum Judaeis. Et num. seq.*

145 *Item diversitas Religionis graviter obest tranquillitati publicae.*

146 *Ad evitandum hujus Religionis, vel Ecclesiae Catholicae malum recipi, et tolerari possunt haeretici in locis Catholicis.*

147 *Non vero ad evitandum aliud malum, vel procurandum bonum temporale. Et n. seq.*

149 *Doctrina practica ad propositum.*

150 *Recipi insuper possunt et tolerari, si per pacis, vel alium contractum ex objecto non invalidum, vel malum id eis fuerit promissum.*

151 *Nova emergente causa justa iterum expelli possunt.*

152 *Quare in Germania tot existunt, et tolerentur haeretici?*

Pax Religionis Catholicos inter et haereticos Passavii inita, et Augustae confirmata an valeat? Ibid.

153 *Quid Juris de Pace Osnabrugensi, et Monasteriensi?*

154 *Bulla Innocentii X. per extensum, qua invalidatur et reprobatur utraque memorata Pax.*

155 *Reflexiones super hac Bulla relinquuntur Lectori.*

156 *Proponitur, quam ardua, et quanti momenti, quantaeque difficultatis sit summe practica Quaestio, an et qualiter liceat Principibus Catholicis juvare Infideles, et haereticos, vel auxilium ipsorum invocare contra alios praesertim Catholicos: ubi etiam adhortatio fit ad Confessarios, Theologos, et Consiliarios Principum Catholicorum, atque ad hos ipsos.*

157 *Circa quam Quaestionem certum est I. Quod Principes Catholici Infidelibus aut haereticis non possint praebere auxilium, nec petere ab eis ad bellum patenter injustum.*

158 *Certum est II. Non posse Catholicum opitulari Infidelibus aut haereticis in bello, quod pro dilatanda sua falsa, et restringenda nostra vera Religione gerunt.*

159 *Nec potest illos juvare, vel foedus cum illis inire sub conditionibus Ecclesiae, vel Religioni praejudiciosis, vel cum damno ejusdem.*

160 *Certum est ulterius, non licere Principi Catholico in bello etiam justo invocare Infideles, aut haereticos pro auxilio cum conditionibus Ecclesiae*

siae praejudiciosis, vel cum gravi damno ejusdem insecutare.

161 *Exempla, et doctrinae practicae, usque ad n. 172.*

172 *Proponitur, et resolvitur Objectio.*

173 *Alia Objectio ponitur.*

174 *Et solvitur.*

175 *Quid facere oporteat Principes Catholicos stantibus pro utraque parte apparentibus justis causis Belli? Et num. seq.*

177 *Et quid, si licitis destituantur auxiliis?*

178 *Princeps quivis apertam habens justam causam Belli pro se, ordinarie habere potest licita auxilia ab aliis.*

179 *Si in casu extraordinario licitis mediis, et auxiliis ad bellum aperte justum pro se destituitur, nequit recurrere ad auxilium Ecclesiae et Religioni praejudiciosum; sed debet ad Deum recurrere, in illo confidere, eique causam commendare: et quomodo? Et num. quinque sequentibus.*

185 *Controversia, an absolute sit illicitum, Infideles, aut Haereticos pro auxilio invocare, vel hoc eis praebere.*

186 *Sunt, qui absolute asserunt.*

187 *Regulariter, et ordinarie loquendo illicitum et impium est, Infideles, aut Haereticos pro auxilio vocare, vel hoc eis praestare, vel foedus cum illis inire, praesertim contra Catholicos.*

188 *Probatur I. Ex sacris Litteris usque ad n. 193.*

193 *Probatur II. Oraculis Pontificum, SS. Patrum, et Doctorum usque ad n. 199.*

200 *Probatur III. poenis, quibus Deus punivit Catholicos, Infidelium, vel Haereticorum auxilium implorantes, usque ad n. 205.*

205 *Probatur IV. ex Jure, usque ad n. 208.*

208 *Repetitur Conclusionis prima pars.*

209 *Dantur casus, in quibus licitum est, cum Infidelibus, et haereticis foedus inire, eosque in auxilium vocare: quando? et quare. Et num. seq.*

211 *Sequuntur casus practici in specie, in quibus hoc licet usque ad n. 217.*

217 *Rursus ponuntur casus in quibus non est licitum. Et num. duobus sequentibus.*

220 *Compendiosa recapitulatio de foedere Principum Catholicorum cum Infidelibus, vel haereticis, et auxilio ab eis exhibendo, praesertim contra Catholicos, usque ad n. 224.*

224 *Causa prolixioris discussionis hujus materiae.*

225 *Princeps Catholicus potest, et debet subditos suos haereticos bello expugnare, si aliud medium deest.*

226 *Aut contractus, aut pactum legitimum non obstet.*

227 *Doctrina practica.*

228 *Princeps Catholicus ob solam causam haeresis non potest propria auctoritate bellum gerere contra haereticos sibi non subditos.*

229 *Bene vero auctoritate Papae.*

139 Quaeritur I. An Principes, aut Status, et Respublicae Catholicae recipere, vel tolerare in suis territoriis possint *haereticos*, et ritus seu exercitia Religionis eorum? Resp. I. Ordinarie loquendo, de Jure communi tam Civili, quam Canonico non possunt Principes Catholici recipere, nec tolerare in suis territoriis *haereticos*, et multo minus ritus eorum, seu Religionis, vel potius falsae sectae suae exercitium permittere, sed gravissime teneatur illos ubique locorum repellere et expellere. Conclusio patet ex claris Juris textibus, *Canonici* quidem, c. *Excommunicamus.* 13. §. *Moneantur.* h. t. ibi: *Moneantur autem, et inducantur, et si necesse fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur saeculares Potestates, quibuscunque fungantur Officiis, ut sicut reputari et haberi fideles, ita pro defensione Fidei praestent publice juramentum, quod de terris suae jurisdictioni subjectis, universos haereticos ab Ecclesia denotatos, bona fide, pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo quandocunque quis fuerit in Potestatem sive perpetuam, sive temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum juramento firmare. Si vero Dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit, ab haeretica foeditate per Metropolitanum, et caeteros Comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, et terram exponat Catholicis occupandam: qui etiam exterminatis haereticis absque ulla contradictione possideant, et in Fidei puritate conservent, salvo jure Domini principalis: dummodo super hoc ipse nullum praestet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent Dominos principales.*

Concordat c. *Ad abolendam.* 9. §. *Statuimus* h. t. ibi: *Statuimus insuper, ut Comites, Barones, Rectores, et Consules Civitatum, et aliorum locorum, juxta commonitionem Episcoporum, praestito corporaliter juramento promittant, quod fideliter et efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra Haereticos, et eorum Complices, adjuvabunt bona fide juxta Officium, et posse suum. Si vero id observare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, et ad alios nullatenus assumantur: eis nihilominus Excommunicatione ligandis, et terris ipsorum interdicto Ecclesiae supponendis. Civitas autem, quae his institutis duxerit resistendum* etc. ibi: *Si qui vero fuerint, qui a lege Dioecesanae jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicae potestati: nihilominus in his, quae sunt contra Haereticos instituta, Episcoporum subeant judicium, et eis in hac parte, tanquam a Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suae privilegiis) obsequantur.*

Concordat etiam c. *Ut officium.* 11. §. *Statuimus,* h. t. in 6.

Jure Civili autem, l. *Omnes* 5. C. h. t. ibi: *Omnes haereses vetitae legibus divinis, et imperialibus constitutionibus perpetuo quiescant.* et l. *Manichaeos.* 5. C. h. t. ubi postquam plurimos in specie recensuit haereticos Imperator, addit: *Nunquam in Romanum locum conveniendi, morandique habeant facultatem* etc. *Quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fit injuria.* 140

Item in Authentica, *Si vero* C. eod. ibi: *Si vero Dominus temporalis requisitus et admonitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab haeretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis haereticis absque ulla contradictione possideant, et in Fidei puritate conservent.* 141

Item Authent. *Gazaros.* C. eod. ibi: *Gazaros etc. et omnes haereticos utriusque sexus quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque Bannimus* etc. et ibi postea.

Ratio tam sanctionum tam Canonicarum, tum Civilium Legum et Constitutionum multiplex, et quidem *prima* est: quia *haeresis* est summe, et quidem intensive loquendo, magis culpabilis et praeeminens, Denique magis odiosa, et injuriosa, quam *Judaismus*, et *Paganismus*, ideoque *haeretici* pejores, ac perniciosiores sunt quam *Judaei* ac *Pagani*, prout cum D. Thoma *Tom.* 2. 2. *q.* 10. *a.* 6. habet communis Theologorum, et ante ipsum jam communiter senserunt antiqui SS. Patres, e quibus S. Chrysostomus *in Matth cap.* 12. ait: *Haereticos Gentilibus pejores esse, nemo dubitat: Gentiles enim per ignorantiam blasphemant, haeretici autem scientes* 142

laniant veritatem. *S. Augustinus lib.* 21. *cap.* 25. *de Civitate Dei*, ait: *Est et a sana fide devium, Haereticorum, qui a Catholica Ecclesia* (ad quam saltem per Baptismum intraverunt) *exeunt, meliorem esse causam, quam Paganorum, qui nunquam fuerunt Catholici; cum pejor etique sit desertor Fidei, et ex desertore oppugnator ejus effectus, quam ille, qui non deserait, quod nunquam tenuit.* S. Ambrosius *de Fide lib.* 3. diserte ait: *Haereticos esse detestabiliores ipsis Judaeis, qui carnem Christi crucifixerunt.* Similiter, et adhuc gravius etiam alii SS. Patres loquuntur de *haereticis*, atque pessimis titulis, et nominibus diris, ac fulminibus in eos Zelo Fidei, et verae Religionis inflati invehuntur. Nam a S. Ignatio *Epist. ad Trallian.* vocantur *Diaboli propagines*: a S. Irenaeo *lib.* 3. *cap.* 33. *Organa satanae*: et *lib.* 5. *cap.* 20. *Diaboli instrumenta*: et a S. Basilio Epist. 141. *Diaboli*: a Nysseno Orat. de S. Basilio, *Pestes, et lues Fidei*: S. Gregorio Nazianzeno Orat. 28. *Sancti numentanei, et Theologi unius diei*: ab eodem Orat. 33. *Mendacii exercitas, fraudis propugnatores, daemonum expeditio, immundorum spirituum legiones etc.* et a S. Hieronymo *in cap.* 10. Eccles. *Clibani impietatis*, ab eodem in Ose. 7. *Filii pestilentiae, tenebrarum fontes, gurgites omnium malorum, templa omnium daemoniorum.* Consimiliter alii sanctissimi, et antiquissimi SS. Patres, et proin S. Augustinus *in Enchirid. cap.* 74. recte dicat: *Ad tam magna tonitrua qui non expergiscitur, non dormit sed mortuus est.* Qui idem S. Augustinus et videre est apud Pignatelli *Tom.* 1. *Consult.* 143. n. 15. pronuntiare non dubitavit, intolerabilem, et non obscure *haereticum*, ac vix sanae mentis compotem esse, qui non pejus de *haeretico*, quam de *Pagano*, aut *Judaeo* etc. existimat.

Et merito: Tum quia (praeter jam dicta, et dicenda infra) *haeretici* ex destinata malitia veritatem et veram Religionem impugnant, *Pagani* vero ex ignorantia: Tum quia *haeresis* ordinarie ex turpibus causis, malitia videlicet, odio, vindicta, libidine etc. oritur; cum econtra *Paganismus*, et *Judaismus* ex naturali quadam caecitate, aut minus culpabili ignorantia proveniat.

143 *Secunda ratio*, cur Leges et Canones tam stricte prohibeant, ne alibi recipiantur, et ne tolerentur *haeretici*, est scandalum, et grave perversionis periculum, quod ex continua commoratione, et conversatione *haereticorum* cum Catholicis consurgit; quale iterum longe gravius esse illo, quod ex commoratione cum *Judaeis*, et *Paganis* oritur, SS. Patres, et Theologi rursus communiter asserunt, et lamentabilis experientia, praesertim in Germania, Hungaria, Polonia, Gallia etc. demonstrat, qua constat, quod semel in aliquo loco recepti *haeretici*, brevi tempore non tantum multa millia hominum, sed etiam integras Civitates, Provincias, et Regna vel ex toto perverterint, vel magna ex parte pestifera suae Haereseos lue infecerint, et etiamnum infectam teneant. Dum econtra Loca, Regna, et Provinciae, quae sanctis Legibus et Canonibus obedientes *haereticis* commorantem aliquam habitationem nunquam concesserunt, subdole vero et non per ostium intrantes aut intrusos, statim pro viribus expulerunt, uti Hispania, Italia, Bavaria etc. ab eadem diabolica *haeresis* lue immunes permanserunt, et adhuc permanent.

144 Hoc scandalum et perversionis periculum ex cohabitatione cum *haereticis* proveniens, mirum in modum inculcant, et demonstrant SS. Patres, indeque deducunt, non tantum Utroque Jure humano *Canonico* nempe, et *Civili*, sed etiam *Divino* prohibitum esse, ne alicubi recipiantur, vel tolerentur *haeretici*. Brevitatis causa allegationem textuum ex SS. Patribus omitto; et doctrinam illorum ex S. Scriptura confirmo, ubi commoratio, et conversatio cum *haereticis* satis clare videtur nobis interdicta, ita ut etiam *AVE* Haereticis dicere ibidem prohibeatur. Joan. Epist. 2. *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite eum in domum recipere, nec Ave ei dixeritis, qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Et Paulus ad Titum cap. 3. v. 10. *haereticum hominem post unam, vel secundam correptionem devita: sciens, quia perversus est.* Plures his similes testes in sacris Paginis invenire est.

Tertia ratio est bonum commune pacis, et tranquillitatis publicae, quae ibi vera et firma esse nec solet, nec potest, ubi animorum et Fidei dissensio; uti bene advertit S. Ambrosius 3. *Offic.* illis verbis: *Vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est Fidei bellum:* quod experientia passim oculis oberrans comprobat. Exempla hujus vide apud Becanum *de Fide cap.* 15. Lege etiam, si placet Justum Lipsium *in lib. contra Dialogistam, de Una Religion.* et alios Christianos Statistas, qui unum ex Principiis primis et maximis Regni aut Provinciae in publica tranquillitate, et bono Regimine conservandae specialissime ponunt *unitatem Fidei, ac Religionis.* 145

Dicitur tamen notanter in Conclusione n. 139. posita, *Ordinarie loquendo*; quia limitatur I. In casu, quo prudenter consideratis omnibus considerandis, ad evitandum majus malum, vel procurandum majus bonum, *Religionis* v. g. certam Haereticorum conversionem; vel ad avertendum transitum integrae Provinciae Catholicae ad *haereticos*, omnino necessariam judicetur, et *Haeretici* aliqui recipiantur, aut tolerentur. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 17. *n.* 4. citans Valensem *Tom.* 3. *Disput.* 1. *q.* 11. *pun.* 6. *ad* 4. Becanum 2. 2. *cap.* 16. *q.* 4. Cajetanum, Molanum, et alios. Ratio est; Tum quia licet nunquam sint facienda mala, ut eveniant bona, *arg. c. Ex tenore. de Sortileg.* cum Concordantiis: Tamen licitum, imo rationabile est, ad evitandum majus malum, subinde minus malum permittere, *arg. can. Hac ratione.* 9. *can.* 31. *q.* 1. et *l. Legis virtus.* 7. *ff. de Legib.* cum Concordantiis. Hujusmodi majus malum, ad quod evitandum *haereticos* recipere, eosve, et exercitium Religionis illorum tolerare liceret, merito censeretur, si in praesenti v. g. vel imminente quodam bello *haereticis* victoribus, aut nimis praepotentibus existentibus, periculum foret, ne integrum aliquod Regnum aut Provincia sub potestatem *haereticorum* redigatur, nisi in Tractatu pacis permittatur, ut *haeretici* in una vel altera Civitate, vel etiam in Provincia cum Catholicis habitare, et Religionis suae exercitia habere permittantur: Majus enim malum Ecclesia, et Religio Catholica utique pateretur, si totum Regnum, aut Provincia sub potestatem *haereticorum* redacta, totaliter a vera Religione deflecteret, et periclitaretur, quam si in una vel altera Civitate, vel etiam Provincia recipiantur, et una cum Catholicis sub potestate Principis Catholici tolerentur, Divina providentia forsan cum tempore disponente, ut ita recepti vel convertantur, vel justa aliqua emergente nova causa expellantur.

Caeterum bene cum aliis ad propositum advertit Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 17. *num.* 4. quod praeter memoratum majus Religionis, et animarum malum, aliud majus malum esse, et dici non facile posset, cujus vitandi causa Principes Catholici Haereticis Religionis suae exercitium in partibus Catholicis permittere licite possint. Placet verba ipsius formalia hic subjungere: *Quam ob rem (sit) libertas Religionis permissa, multoque magis promissa* 147

adeo perniciosa est saluti animarum, atque ruinis Reipublicae, quippe quae sine consensione Fidei, ac Religionis diu in pace consistere, ac conservari non poterit, ut talis Fidei libertas inter mala maxima Reipublicae numerari debeat; ideoque Catholicis Principibus non facile malum aliquod gravius esse possit, cujus vitandi causa haereticos subditis suis libertatem exercitii Religionis promittere, aut juramento confirmare liceat: praesertim cum hujusmodi pactio cum haereticis intra postea servanda sit.

148 Ita certe conveniunt Doctores, non posse Principes Catholicos ad avertendum malum duntaxat temporale, aut ad obtinendum bonum praecise temporale, aut *Haereticos* ad sua Territoria recipere, aut illos tolerare, ac permittere, ut Religionis suae exercitium ibidem libere habeant. Hinc

149 Infertur pro praxi, non posse Principem Catholicum recipere *Haereticos*, vel permittere illis liberum Religionis exercitium pro magna *Summa* pecuniaria, vel ex eo, quod *haeretici* majorem et extraordinarium dare eidem velint *Tributum* annuum, vel quia eundem juvant contra alium Principem Catholicum pro conservanda, vel obtinenda aliqua Religione, vel Jure temporali, prout amplius patebit infra.

150 Limitatur Conclusio *n.* 139. posita in casu, quo *haereticis* per pacis, aut alium Contractum vel pactum ex objecto non malum, nec invalidum per Principem Catholicum fuit promissum, quod in Territorio aliquo sint recipiendi, vel jam recepti tolerandi, suaeque Religionis exercitio libero permittendi; Tales enim in casu juxta fidem publicam datam recipi, et recepti tolerari debent. Nisi nova, eaque justa causa supervenial. Ratio est; quia fides publica cuicunque etiam *Paganis*, *Judaeis*, et *haereticis* data, a quovis etiam Catholico servari debet, *arg. l. Sicut. 5. de Act. et Obligat.* prout de *Judaeis*, et *Paganis* supra jam diximus, *Tit. VI. de Judaeis et Saracenis. nu.* 7. atque amplius demonstrat Laymann *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 12 *n.* 15. merito legendus.

151 Dicitur tamen notanter, *Nisi nova justa causa supervenint*: ob hanc enim sicut *Judaei*, ita etiam *haeretici* semel recepti, et per fidem publicam de tolerantia assecurati ejici procul dubio possunt, per dicta est *Tit. praeced num.* 8. Cujusmodi causam vel maxime esse, communiter agnoscunt DD. si *Pagani*, aut *haeretici* periculosas Machinationes, aut enormia communiter praeparant, aut perpetrant contra veram Fidem ac Religionem, vel Regnum, Provinciam, aut Principem Catholicum Dominum suum; prout in specie v. g. fecerunt Romano Imperatori subditi, utpote Vasalli Romani Imperii, *haeretici* per foedus Smalcaldicum *Smalcaldiae* inter *haereticos* Principes initum; utpote quo paciscebantur, quod unitis viribus Religionem *Acatholicam*, seu *haeresin* contra Catholicum Imperatorem, aliosque Catholicos Principes, protegere, propagare, veram autem Fidem, aut Religionem Catholicam subvertere velint.

152 Caeterum ex dictis colliges, quare in Germania tot tolerentur, et in libero suae falsae Religionis exercitii permittantur *haeretici*, ideo nempe, quia per Pacem Religiosam imprimis Passavii 1552. Imperatorem Carolum V. et Principes Catholicos ex una, et Acatholicos ex altera parte initam, ac postea Augustae anno 1555. confirmatam, plena securitas et Religionis suae libertas fuit promissa *haereticis* Confessionis Augustanae, seu *Lutheranis* (Calvinistis tamen et aliis Haereticis ab hoc privilegio exclusis) quam pacem, quia a Sede Romana positive reprobatam non scimus, nec nos reprobare audemus, praesertim, cum tunc temporis necessitas vitandi majus malum: periculum videlicet, ne totaliter, vel certe majori adhuc ex parte Provinciae Germanicae ad potestatem *haereticorum*, indeque ad Sectam eorum transirent, memoratam pacem, eaque mediante *haereticorum* securitatem et liberum exercitium tanquam minus Religionis malum permittere coacti fuere Catholici.

Quid autem sentiendum sit de Pace *Osnabrugensi* et *Monasteriensi*, anno 1648. facta, in quo privilegia de libertate Religionis *haereticis* Confessionis Augustanae per pacem Religiosam concessa, etiam ad *Calvinistas* fuere extensa, et integri Episcopatus, Monasteria, Praepositurae, aliaque plura in summum praejudicium Religionis Catholicae, libertatis et immunitatis Ecclesiasticae in perpetuum fuerunt attributa, colliges ex Innocentii X. Bulla, qua dictam Pacem penitus annullavit et reprobavit, eamque etsi juramento firmatam, omni valore et robore carere, neminemque ullo modo obligare declaravit, ut magis videre licet ex integro tenore ejusdem Bullae, quae prout *in Tom. 4. Bullarii Romani decima nona inter Constitutiones dicti Pontificis* reperitur, hoc de verbo ad verbum subjungitur. 153

Innocentius Papa X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Zelo Domus Dei animum nostrum assidue commovente in eam praecipue curam sedulo incumbimus, ut Orthodoxae Fidei integritas, ac Ecclesiae Catholicae dignitas et auctoritas ubique sarta tecta conservetur, neve eorum, qui quaerunt sua potius, quam quae Dei sunt, facto jura Ecclesiastica, quorum Assertores a Domino constituti sumus, aliquod detrimentum accipiant, Nosque supremo Judici rationem villicationis nostrae reddituri, negligentiae in credita Nobis administratione arguamur. 154

§. 1. *Sane cum intimo doloris sensu accepimus: quod per complures unias Osnabrugis die 6. Augusti praesentis anni 1648 inter Charissimum in Christo Filium nostrum Ferdinandum Romanorum Regem in Imperatorem Electum cum suis foederatis et adhaerentibus una, ac Suecos cum eorum itidem foederatis et adhaerentibus ex altera: nec non alterius Pacis Monasterii Westphaliae die 24. Octobris ejusdem anni 1648. inter eundem Ferdinandum Romanorum Regem Imperatorem electum, cum suis pariter foederatis et adhaerentibus ex una, atque Charissimum etiam in Christo Filium Ludovicum Francorum Regem Christianissimum cum suis similiter foederatis ex altera parte respective initarum articulus gravissime Religioni Catholicae, Divino cultui, Sedi Apostolicae, et Romanae, ac inferioribus Ecclesiis, Ordinique Ecclesiastico, ac jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac juribus illorum illata fuerunt praejudicia. Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis hujusmodi inter alia, bona Ecclesiastica alias ab haereticis occupata, illis, eorumque Successoribus in perpetuum addicuntur: haereticis Augustanae, ut vocant, Confessionis liberum suae haereseos exercitium in plerisque locis permittitur, et locorum pro aedificandis ad hunc effectum Templis assignatio permittitur; ipsique cum Catholicis ad publica munia et officia, ac ad nonnullos Archiepiscopatus, Episcopatus, aliasque Dignitates, et beneficia Ecclesiastica, Precumque primariarum eidem Ferdinando Regi in Imperatorem electo a praefata Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur. Annata, jura Palatii, confirmationes, menses Papales,*

et hujusmodi jura, ac reservationes in bonis Ecclesiasticis dictae Confessionis Augustanae excluduntur. Confirmationes electionum, et postulationum praetensorum Archiepiscoporum, Episcoporum, aut Praelatorum ejusdem Confessionis potestati saeculari attribuuntur. Plures Archiepiscopatus, Episcopatus, Monasteria, Praepositurae, Balliviae, Commendae, Canonicatus, et alia Beneficia, et bona Ecclesiastica Principibus haereticis, eorumque haeredibus, etiam sublata denominatione Ecclesiastica in Feudum perpetuum sub dignitatis saecularis titulo conceduntur. Contra Pacem hujusmodi, ullumve ejus articulum nulla jura Canonica, vel Civilia, communia, vel specialia Conciliorum Decreta, Religiosorum Ordinum regulas, juramenta, aut concordata cum Romanis Pontificibus, ullave alia statuta sive politica, sive Ecclesiastica decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones allegari, audiri, vel admitti debere disponitur. Numerus septem Electorum Imperii olim Apostolica auctoritate praefinitus sine nostro, et Sedis praefatae beneplacito augetur, et octavus Electoratus in favorem Caroli Ludovici Comitis Palatini Rheni Haeretici instituitur, aliaque multa, quae pudet referre Orthodoxae Religioni, Sedique praefatae, ac Romanae, et inferioribus Ecclesiis, caeterisque praemissis summopere praejudicialia, et damnosa decernuntur.

§. 2. Et quamvis Venerabilis frater Fabius Episcopus Neritonen. noster, et Sedis praefatae ad tractum Rheni, et inferiores Germaniae partes Nuncius extraordinarius in executionem mandatorum nostrorum fuerit palam nostro, et ejusdem Sedis nomine protestatus, ejusmodi Articulos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notissimi Juris sit, quamcunque transactionem, seu pactionem in rebus Ecclesiasticis sine praefatae Sedis auctoritate factam, nullam, nulliusque valoris, et momenti existere.

§. 3. Attamen quo efficacius praemissorum indemnitati consultum sit, pro commissi Nobis ex alto Pastoralis Officii debito providere volentes, ac instrumentorum utriusque Pacis hujusmodi, omniumque in illis contentorum, caeterorumque hic etiam necessario exprimendorum, et inserendorum tenores etiam veriores, et datas, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictus alterius, seu utriusque Pacis hujusmodi articulos, caeteraque in dictis instrumentis contenta, quae Catholicae Religioni, divino cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolicae Romanae, et inferioribus Ecclesiis, ac Ordini, et Statui Ecclesiastico, illorumque personis, membris, rebus, bonis, jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, praerogativis, et juribus quibuscunque quomodolibet officiunt, seu praejudicium etiam minimum afferant, aut inferre, seu intulisse, aut alias nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, intelligi, praetendi, vel censeri possent, cum omnibus inde secutis, et quandocunque secuturis, ipso jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu vacua omnino fuisse, esse, et perpetuo fore, neminemque ad illorum, et cujuslibet eorum etiamsi juramento vallata sint observantiam teneri: neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem aut titulum coloratum, vel causam praescribendi etiamsi longissimi, et immemorabilis temporis possessio, seu quasi possessio etiam citra ullam interpellationem, seu interruptionem subsequatur, acquisitam fuisse, aversa, minusve ullo tempore acquiri, et competere posse, neque ulla ullum statum facere, vel fecisse, atque perinde ac si nequaquam emanassent pro non extantibus, et non factis perpetuo haberi debere tenore earumdem praesentium decernimus, et declaramus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, Articulos praefatos, aliaque praemissa, ut praefertur, praejudicialia, Motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, et contra illa deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Et quatenus itidem opus sit, easdem Sedem Apostolicam Romanamque, et inferiores Ecclesias, ac quaelibet loca pia, et quascunque personas Ecclesiasticas adversus illa in integrum, ac pristinum, et eum in quo ante praedictam, et quascunque alias assertas seu praetensas anteriores exactiones, pactiones, seu conventiones, circa praemissa ubicunque, et quomodocunque factas, erant, statum restituimus, reponimus, ac plenarie reintegramus.

§. 4. Praesentes quoque Litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, etiam ex eo, quod praefati, et quicunque alii etiam speciali mentione et expressione digni, et in praemissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel auditi, minusque causae propter quas eaedem praesentes emanarunt deductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam ullo modo justificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato, et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite a Jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocunque alio colore, praetexta, causa et occasione notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci ullatenus posse, sed illas semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat, et spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari.

§. 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscunque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, ac ejusdem Sedis Nuncios, et quosvis alios quacunque auctoritate fulgentes, nunc et pro tempore existentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, et interpretandi facultate, et auctoritate semper, et ubique judicari, et diffiniri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 6 Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis tam generalibus, quam specialibus, etiam in Conciliis universalibus editis, et quatenus opus sit, nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo jure quaesito, et Constitutione fel. record. Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecunque interesse Camerae Apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eadem Camera praesentandis, et registrandis, ita ut praesentes nullo unquam tempore in eadem Camera praesentari seu registrari necesse sit, Legibus quoque Imperialibus, et municipalibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, concessionibus, et litteris Apostolicis, quibuscunque locis, et personis etiam Imperiali, Regali, et alia quavis sive Ecclesiastica, sive mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine simi-

libus etiam Consistorialiter sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et decreti etiam irritantibus, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio facienda, aut alia exquisita forma haec servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, formamque in illis traditam pro servata habentes ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscunque.

§. 7. Volumus autem earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique locorum, et gentium in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesimo Novembris, Millesimo Sexcentesimo quadragesimo octavo, Pontificatus Nostri Anno quinto.

155 Reflexiones super hac Bulla Benevolo Lectori relinquo; has enim quamvis cum fundamento hic apponere facile possemus, tamen suadentibus discretionis, ac prudentiae Regulis omittimus; quia ob temporis, et modernarum calamitatum circumstantias sine periculo id praestare in his partibus haud valemus.

156 Quaeritur II. An, et qualiter possint Principes Catholici in bello, quod intenditur, aut acto jam geritur, sub certo *Foedere* auxilium promittere, vel praebere *Infidelibus*, vel *haereticis*: vel hos in auxilium vocare contra alios praesertim Principes Catholicos: vel cum illis *Foedus*, ut vocant, *defensivum*, et *offensivum* inire de mutuo ferendo auxilium contra quoscunque? Haec quaestio sicut summe practica quippe continuo occurrens, et una ex gravissimis, ac importantissimis, utpote a qua bonum totius Ecclesiae, et Reipublicae Catholicae, quam plurimum dependet, esse cognoscitur; ita summe intricata ac controversia ideo praecipue invenitur inter Doctores; quia plures certa cum incertis, vel controversis confundentes, ut bene distinguunt. Hinc ut in hac summi momenti materia clare, et secure, simulque solide procedamus, prius, quae certa et extra controversiam sunt, praemittere, postea ad ea, quae dubia aut incerta videntur, vel saltem controversa inveniuntur, respondere resolvimus, Omnipotentem, Ter Optimum, ac misericordiosissimum Deum, per JESUM Christum crucifixum, invisibile verae Ecclesiae Catholicae *Caput* humillime invocantes, ut tam Confessarios, Theologos, et Consiliarios Principum Catholicorum, quam hos ipsos illuminare et excitare, confortare et adjuvare dignetur, quatenus illi seposito omni respectu, vel timore humano, passione et affectu inordinato, contemptoque amore, ac interesse proprio, Deum solum, et bonum commune Ecclesiae prae oculis habentes, saltem ea, quae certa sunt, Principibus sincere et candide manifestent, suadeant, et consulant, ac tanquam gravissime obligatoria serio et constanter, denegata etiam in casu renitentiae Absolutione inculcent: In his vero, quae dubia aut controversa sunt, probabiliora consulant, et suadeant, addita sufficiente informatione, quod ubi agitur de praejudicio tertii, aut boni communis, praecipue autem Ecclesiae ac Religionis, non liceat relicta probabiliori et tutiori, sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam: Econtra Principes Catholici, seposita passione et vindicta inordinataque affectu, et cura Regna et Provincias suas dilatandi, se, suos, domumque suam exaltandi, consilia eorum fideliter exquirant, et quae recte, justeque data, amplectantur, et exequantur, siquidem ex eo, quia vel illi, vel isti in aliquo horum defecerunt, proh dolor! contigit, tot iniqua, perniciosa, et periculosa *Foedera* nonnulli Principes Catholici cum *Infidelibus*, et *haereticis* inierunt, gravissimo, et sanguineis lacrymis deplorando activo et passivo damno, cum per talia *Foedera*, vel occasione illorum directe vel indirecto factum sit, quod non tantum Religionis, veraeque Ecclesiae exaltatio et ampliatio, Infidelitatis at Haeresum extirpatio fuerit impedita, sed integra etiam Regna et Provinciae, Episcopatus, et Praepositurae etc. a Catholicis ad Infideles, ac *haereticos*, infidelitatemque et haeresin eorum jam transierint, indeque multae milliones animarum Christi sanguine redemptarum perierint, et adhuc periturae

Quaestionem

sint. Quapropter certa ab incertis separando ad

Resp. I. Circa Quaestionem positam certa, et indubitata esse sequentia. Et quidem certum est I. Quod 157
Principes Catholici *Infidelibus*, et *haereticis* praebere non possint auxilium, nec aliquod ab eis petere ad *Bellum*, sive *defensivum*, sive *offensivum* patenter injustum, seu absque justa causa suscipiendum, aut susceptum, sive contra Catholicos, sive Acatholicos. Omnes. Ratio patet; quia malum cognitum, quale gravissimum ex pluribus capitibus utique est bellum injustum, non perpetrare, nec ad illud cooperari licet, juxta unanimem Theologorum, apud quos, sicut et apud Canonistas *Tit. de Treuga et pace*, amplius vide; quia evidenter certa ulterius probare hic vacat.

II. Certum, et indubitatum est apud omnes, 158
quod Principes Catholici gravissime peccent, impie, et scelerate agant, si pecuniis, armis, militibus, annona, aut alio modo *Infidelibus*, aut Haereticis vi foederis succurrunt, promittunt, aut praebent auxilium ad bellum, quod pro dilatanda sua, et infirmanda, restringenda, vel extirpanda nostra vera Religione gerunt, aut agere intendunt contra Principes Catholicos, praesertim in *defensivo*, et *offensivo bello* Religionis. Ratio manifesta est; quia haec in re nil aliud est, quam *Infidelitatem*, et *haeresin* propugnare, et veram Religionem oppugnare, quod ex parte Catholicorum impium, ac sceleratum esse, nimis certum est. Et tales quidem adjuvantes ex duplici capite Bullae Coenae ipso facto excommunicati existunt; inprimis quidem *per §. I.* quo excommunicantur omnes *fautores*, *et defensores haereticorum*: Dein §. 7. quo excommunicantur omnes, *qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christianorum hostes et inimicos, vel haereticos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum, ferri stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canaben, funes, tam ex ipso canabe, quam alia quacunque materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos et Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se, vel alios de Rebus statum Christianae Reipublicae concernentibus in Christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas, et Christianae Religionis inimicos, nec non haereticos in damnum Catholicae Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestant...*

Resp. III. Certum est III. Non licere Principi 159
Catholico promittere, aut praebere aliquod auxi-

lium *Infidelibus*, aut *Haereticis*, etiam justum in substantia gerentibus bellum, vel inire cum ipsis *Foedus* et pactum contra alios, praesertim Catholicos Principes aut populos cum conditionibus Ecclesiae, et Catholicae Religioni praejudiciosis, aut ei inde certo praevideatur grave damnum seu praejudicium eidem. Conclusio patebit ex sequenti, ubi dicetur, illicitum esse Principi Catholico etiam in justo suo bello tali modo invocare *haereticos* pro auxilio; ergo multo magis illicitum erit illos juvare.

Accedit gravissima utriusque Juris prohibitio, quia universaliter, et sub gravissimis poenis, praesertim Excommunicationis prohibetur, ne *Infidelibus*, aut *haereticis* praebeatur ullum quodcunque auxilium in damnum Religionis Catholicae, uti clare patet ex Bulla Coenae §. 7. *num. praeced.* allegato, item c. *Quod olim.* 12. et c. *Ad liberandum* 17. *de Judaeis, et Saracenis. Clem.* 1. §. *Porro de Jurejur.* et *L.* 2. *C. Quae res exportari non deb.* cum Concordantiis.

Nec refert, quod in nonnullis allegatis Juribus de solis *Infidelibus*, non item de *haereticis* fiat mentio. Nam contra est: Tum quod etiam in aliquibus, praesertim vero in Bulla Coenae, contra quam nulla dari valet consuetudo, praescriptio, vel non acceptatio juxta dicta *n num.* 81. pariformiter de *Infidelibus*, et Haereticis disponatur: Tum quod eadem, vel major prohibitionis ratio militet de *haereticis*, quam *Infidelibus*, cum illi *haeretici* longe perniciosiores, et periculosiores sint Ecclesiae, quam *Infideles*, uti patet ex dictis *a num.* 142.

160 Resp. IV. Certum est IV. Non licere Principibus Catholicis ad *Bellum*, etsi alias ex parte sua justum, pro recuperandis, aut conservandis bonis temporalibus Jure sibi debitis invocare in auxilium *Infideles* vel *haereticos*, aut inire cum illis *Foedus* et pactum contra alios praesertim Principes aut populos Catholicos cum conditionibus Ecclesiae et Religioni Catholicae graviter praejudiciosis, aut si inde certo secuturum praevideatur grave damnum seu praejudicium memoratae Ecclesiae, aut Religionis Catholicae. Ratio est; quia Ecclesiae, et Religionis Catholicae bonum commune, utpote spirituale, et a quo innumerarum pendet salus animarum, semper praeferendum est bonis temporalibus, prout fatentur omnes *per vulgarem Juris.* Hinc licet juxta infra *no.* 216. dicenda plures Doctores velint, licitum esse Principi Catholico, in bello ex parte sua justo etiam *Infideles*, et *Haereticos* invocare in auxilium, si id facere potest, atque faciat absque periculo scandali, et sine conditionibus iniquis, vel Ecclesiae et Religioni praejudiciosis, simulque sine omni gravi damno vel praejudicio inde futuro: Tamen praefati et omnes alii unanimiter concedunt, nullatenus esse licitum, si inde certo secuturum praevideatur grave Ecclesiae, aut Religionis praejudicium, et multo minus, si praefatorum auxilium cum apertis conditionibus Ecclesiae, et Religioni graviter praejudiciosis petatur, aut praebeatur; cum bellum quantumvis alias justum et licitum, illico evadat injustum, si non nisi cum praejudiciosis Ecclesiae, aut Religionis conditionibus, aut gravi damno illius geritur, aut geri potest, uti Castro Palao *de Charitate. Tr.* 6. *Disp* 5. *pun.* 3. *num.* 18. *et pun.* 6. *num.* 10. Molina *Tr.* 2. *disp.* 107. *num.* 6. Bonacina *Tr.* 2. *Disp.* 2. *de Restitut. in particul. q. ult. sect.* 1. *pun. ult.* §. 2. *num.* 6 Victor *de Jure belli. num.* 33. Marchant. *Tract* 6. *Tit.* 3. *q.* 1. *dub.* 4. *per totum.* Sporer *Tract.* 5. *in Decalogum. cap.* 2. *sect.* 2. *nu.* 108. dicens, id esse omnino certum, Coninch. *Disp.* 31. *dub* 4. *n.* 72. Suarez *Disp.* 13. *de Charitat. sect.* 4. *num.* 4. Valent. 2. 2. *Disp.* 3. *q.* 16. *pun.* 2. ♞. *Octavo certum est.* Bruna Nausser *Disp.* 211. ad pariter certum asserens. Probatur Conclusio ulterius per textus Scripturae, rationes, et Jura infra *a. n.* 188 alleganda, quibus probatur, saltem tunc non esse licitum Principi Catholico cum *Infidelibus*, aut *Haereticis* Foedus inire, eisque auxilium praebere, vel hoc petere ab illis, si adhibentur conditiones Religioni praejudiciosae, aut si grave Ecclesiae, vel Religionis damnum certe secuturum praevideatur.

Et ex his praesertim duabus Conclusionibus pro 161
praxi infertur. Certum esse, quod Principes Catholici illicite, imo pessime agerent in sequentibus casibus, v. g. Rex Galliae, si in bello, quod etiam justissimum putaret contra Caesarem, juvaret Turcas, aut Hollandos cum hac conditione et pacto, quidquid de Regnis, et Provinciis etiam Catholicis Imperatoris occupaverimus, inter nos dividamus, vel mihi haec, vobis illa Provincia Catholica a Caesare occupanda maneat.

Vel si idem Rex Galliae in bello etsi juxta opinio- 162
nem suam justo pro conservendis aut recuperandis Civitatibus, Provinciis, aut aliis bonis temporalibus Jure sibi debitis, contra alium Principem Catholicum v. g. Imperatorem, vel Domum Austriacam invocaret in auxilium *Infideles*, aut *Haereticos*, v. g. Turcas cum hac conditione, *si in hoc meo justo defensivo, vel offensivo bello, quod contra Imperatorem gero, aut gerere intendo, tale auxilium mihi praestitis, juvabo et vos, nec pacem inibo, donec per arma, vel pacem iterum acquiratis Transylvaniam, aut Regnum Hungariae*, vel haereticos *Anglos* v. g. cum hac conditione, si *juvatis me, cedam vobis meam novam Franciam.*

Vel si Rex Hispaniae ad Hollandos diceret, *si me* 163
toli, vel toli modo stabilire juvatis in Monarchia Hispaniae, cedam vobis Ducatum Brabantiae, et Comitatum Flandriae: Vel si idem Rex Hispaniae ad Regem Angliae et Hollandos diceret, *si juvatis me contra Caesarem in Monarchia hispanica conservare, licitum sit Regiae Majestati Magnae Britanniae, et Generalibus Statibus Hollandiae, communi consilio et auxilio, quas poteritis in Regno Neapoli, Siciliae, Sardiniae, et Corsicae terras, et Urbes armis occupare. quidquid autem occupaveritis, vestrum manebit*

Vel si Caesar diceret ad Anglos, et Hollandos, 164
si juvatis me contra Regem Galliae, licitum vobis sit, communi consilio et auxilio occupare Jure mihi haereditario debitum modo ab alio inique possessum Regnum Sardiniae, Siciliae, et Neapoli. quidquid autem occupaveritis, vestrum manebit.

Vel si Turcam pro auxilio vocaret dicens. si juvas 165
me contra Regem Galliae, bellum mihi inique inferentem, cedam tibi iterum totam Transylvaniam, vel inferiorem Hungariam.

Ratio universalis horum omnium jam assignata 166
est. quia videlicet omnes hae conditiones, et quaelibet earum summe damnosae et perniciosae sunt Ecclesiae, et Religioni Catholicae, consequenter sub aliqua earum Princeps Catholicus in bello caeteroquin justissimo contra alium praesertim Principem Catholicum *Infideles*, aut *haereticos* pro auxilio vocare, aut illos juvare non potest Cum juxta Unanimem, et certam DD. Princeps Catholicus etiam in bello ex parte sua justo, v. g. pro conservando, aut recuperando bono temporali, Regno v. g. aut Provincia Jure sibi debita, assumpto, vel assumendo contra alium praesertim Principem Catholicum *Infideles*, aut *haereticos* pro auxilio vocare, aut eos juvare nequeat cum gravi praejudicio et damno Ecclesiae, ac Religionis, per dicta *n.* 159. *et* 160.

Ob eandem rationem pariter gravissime peccat 167

Princeps Catholicus, si etiam absque hu,usmodi graviter praejudiciosa Ecclesiae conditione expresse *Infideles*, aut *Haereticos* invocat, vel juvat casu, quo praevidet, exinde ob alias circumstantias grave Ecclesiae, aut Religioni Catholicae damnum aut praejudicium certo secuturum, quod ipse impedire neqnit.

168 V. g. Si Rex Galliae prudenter praevidet, si in bello hoc, hoc quidem justum ex parte mea contra Caesarem aestimo, *Turcas* pro auxilio invoco, prohibere non possum, quia plurimae per eos fiant Ecclesiarum, Monasteriorum ruinae, rapinae, et alia innumera sacrilegia; Vel occupabit ille aliquas Provincias Catholicas, easque conservabit.

169 Vel si idem praevidet, quod si consilio, vel auxilio directe, et indirecte *Turcis* contra Caesarem aut *Hollandis*, vel *Anglis* contra Regem Hispaniae succurram, *Turca* unam vel plures Provincias Catholicas a Caesare, vel Angli a Rege Hispaniae aliquas Provincias, vel Insulas Catholicas certo occupabunt, et retinebunt.

170 Vel si Imperator videt, si *Anglis*, et *Hollandis*, vel aliis *haereticis*, qui in bonis suis temporalibus injustam aggressionem a Rege Galliae, pati, indeque *justum bellum defensivum* pro se habere videntur, petito auxilio succurrem, procul dubio unam, vel alteram Provinciam, aut Civitatem Catholicam ei eripient, et obtinebunt, sicque integra Provincia a Catholicis ad haereticos devenient.

171 Secus foret, si Imperator aut alius Princeps Catholicus *haereticos* contra alium Catholicum Principem injuste illos aggredientem praecise juvaret ad hoc, ut ab injusta aggressione defensi, in suis per publicam, et validam pacem sibi acquisitis, ac stabilitis bonis et locis manutenerentur, non vero ut nova a Catholicis cum Religionis damno acquirant.

172 Nec quidquam valet, neque pro excusatione Principum Catholicorum juvat, quod objiciunt *Politici* dicendo: *Necessitas non habet legem, arg. l. Ubi adsunt.* 19. *ff. de Tutor et Curat. L.* 7. *et* 8. *ad S. C. Trebell.* cum Concordantiis. *Et quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*, c. *Quod non. de Reg. Jur.* Atqui saepe dantur casus, ubi Princeps aliquis Catholicus vere necessitatur, ut *Infideles* et *Haereticos* cum conditionibus Ecclesiae graviter praejudiciosis, ut cum certe futuro Ecclesiae et Religionis gravi damno, pro auxilio invocet, eo quod *Infideles* aut *Haeretici* sine conditionibus, aut circumstantiis hujusmodi auxilium praebere recusent; sine illorum autem auxilio contra alium Principem Catholicum praevalere, eumque ut injuste ablata temporalia restituat, vel ab injusta aggressione aut praetensione desistat, adigere nequeat: Consequenter etsi alias cum conditionibus Ecclesiae aut Religioni graviter praejudiciosis, aut manifesto cum periculo gravis praejudicii Ecclesiae secuturi, *Infideles*, aut *Haereticos* contra Principem Catholicum invocare non liceat, tamen urgente praefata ac simili necessitate id licitum erit. Resp. Enim, allegatam, et similes necessitates non esse absolutas, sed morales duntaxat, in morali autem necessitate praefatas Juris Regulas, videlicet, *quod necessitas non habeat legem*, et ea, *quae alias sunt illicita, faciat licita*, universaliter non procedere, et quidem in specie locum non habere, ubi transgressio legis vergit in detrimentum, seu grave praejudicium Ecclesiae, aut Religionis Cristianae, ut habet unanimia DD. signanter Sonrez *de Censuris. Disp.* 6. Laymann *lib.* 1. *Tr.* 4. *cap.* 14. *num.* 6. Palao ubi supra, Sotus *lib.* 1. *de Justit. q.* 6. *a.* 4. Coninck *p.* 3. *t.* 2. *Disp.* 13. *dub.* 22. Medina 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. §. *Sequitur gravissimum dubium*, cum quibus ad propositum in specie etiam sentiunt citati supra *n.* 160. et alii dicentes, in tali casu *Jure* naturali et divino obligari quemvis, ut bonum commune Religionis, Fidei, et Ecclesiae cuivis bono temporali praeponat, consequenter ad hoc conservandum, vel obtinendum, in grave praejudicium illius nihil attentet.

Dices, ex hoc sequeretur, quod Principes Catholici essent deterrimae conditionis, utpote, qui nec ea, quae juste possident, secure retinere, nec injuste sibi ablata recuperare possent, cum potentiores alii Principes Catholici illos rebus et locis pro libitu privare possent, et instigante ambitione, amore, et interesse proprio, passione, aut injusta vindicta non raro privarent hoc ipso, quod scirent, Adversarium vires ad resistendum sufficientes non habere, alios vero sine conditionibus praejudiciosis Ecclesiae auxilio non praebere, aut alias sine gravi Ecclesiae damno auxilium illorum invocari non posse: atqui sequela haec videtur nimia difficilis Principibus Catholicis, imo manifeste absurda, ergo. 173

Ad hanc objectionem respondetur, ordinarie loquendo, de nullo Principe Catholico quantumvis potente supponi debere, quod alium Principem Catholicum sine justa causa *Belli* aggredi, vel eum locis, Provinciis, aut aliis rebus suis injuste privare velit, sed, si aggreditur, aut privare attentat, id facere ex causis, quas putat sufficientes ad hoc esse, et justas, non obstante, quod pars adversa id injuste, et sum sui injuria fieri putet, cum *Bellum* ex utraque parte formaliter justum esse, et quivis coram Deo ac conscientia sincere putare, et judicare valeat, se habere justam causam, et justitiam *Belli* stare pro se, uti communiter tam Theologi, quam Canonistae ad *Tit. de Treuga et Pace* docent: In tali autem casu non ad *Infideles*, aut *Haereticos* cum iniquis, et Ecclesiae summe praejudiciosis conditionibus, aut alias cum gravi damno eidem certe eventuro recurrendum est, sed ad alia licita, et convenientia media, quae ordinarie non deficiunt. 174

Si quidem si stantibus pro utraque parte rationibus, causa dubia aut controversa existit, quolibet existimante, justitiam *Belli* aeque, vel magis pro se, quam alio stare, potest Princeps Catholicus vel ad *Transactionem* recurrere, vel compromittere in *Arbitros*, praesertim vero Sedem Apostolicam, quae in cunctis justa semper existens, et speciali assistentia Spiritus S. gaudens, recte judicando jus suum cuique certo tribuet, prout in similibus casibus jam non sine aedificatione totius Mundi experti sunt plures Principes Catholici. Quorum exemplum si nonnulli Principes Catholici secuti fuissent, vel adhuc sequerentur, nec tam copiosus Christianorum sanguis effusus, nec tot Provinciarum, et populorum ruinae secutae fuissent, nec *haereses* tantopere invaluissent, sed potius pridem jam extinctae fuissent. 175

Vel si *Transactionis*, et *Arbitrii* media recusans potentior Princeps Catholicus rem absolute praetendit, potest Princeps debilior recurrere ad Sedem Apostolicam, et demonstrata justitia suae causae eam requirere, ut potentiorem vel ad saniora disponat, vel Censuris, aliisque mediis competentibus adigat, vel potest in auxilium vocare alios Principes Catholicos, vel tandem his deficientibus, aut insufficientibus, aut succurrere nolentibus, potest invocare et adhibere auxilium *haereticorum*, aut *Infidelium*, si hi sine praejudiciosis Ecclesiae conditionibus juvare velint, et alias exinde nullum periculum Ecclesiae, aut Religioni sequatur, juxta dicenda infra *n.* 209. 176

Si nullum ex allegatis, nec aliud medium, quam 177

Infidelium, aut *Haereticorum* auxilium non nisi cum praejudiciosis Ecclesiae, et Religionis conditionibus, aut alias magno cum damno Ecclesiae praestandum, pro retinenda, aut recuperanda re, aut jure suo temporali superesse videatur, debet necessario rem Deo commendare, et jacturam rerum temporalium, etiam integrarum Provinciarum potius sustinere, quam eas gravi cum praejudicio et damno Ecclesiae Catholicae recuperare, aut conservare ob rationes supra dictas.

178 Idem facere, vel unum ex allegatis licitis mediis assumere, vel his, et aliis licitis deficientibus rem Deo commendare, et reservato sibi Jure quocunque jacturam temporalem pati potius debet debilior Princeps Catholicus, etiam casu, quo justitia causae aperte pro ipso staret, et potentior injustus aggressor, vel occupator manifeste appareret: ob easdem rationes et Jura a n. 185. allegata, et allegand a infra a n. 188.

Nec Doctrina haec nimia gravis, ac difficilis dicatur Principibus Catholicis: Tum quia rarissime, et nonnisi extraordinarie contingit, quod omne auxilium justum debiliori deficiat; praesertim, si justitia causae aperte, et manifeste pro ipso stat, cum in tali casu fere quivis contra apertum aggressorem, aut usurpatorem juste indignatus pro conservando Jure naturae, ac gentium, ut et in simili casu ipse quoque auxilium sperare valeat, modo licito auxilium praebere paratus sit, supremo Universi Rectore, ac Gubernatore corda ad id movente, suumque auxilium praebente, ut ad evitanda scandala, publicae et apertae Magnorum Principum injustitiae coerceantur, et castigentur, ac illi, qui aliena invadere, rapere, aut usurpare aperta injustitia nituntur, sua perdant, ordinarie enim propter injustitias transferuntur Regna.

179 Quod si vero extraordinarie contingeret, etiam in tali casu debiliorem Principem Catholicum sufficienti in sua justa causa aliorum justo ac licito auxilio destitui, solumque superesse *Infidelium*, aut *Haereticorum* auxilium non nisi cum praejudiciosis Ecclesiae, ac Religionis conditionibus, aut gravi damno ejusdem inde secuturo praestandum, hoc, ut diximus, nullatenus invocare, multo minus acceptare potest, sed sub gravissimo peccato Mortali respicere obligatus, inscrutabilia simulque justissima judicia divina, ac permissionem humillime adorare, et credere debet, quod cum *non sit malum* (poenae) *in Civitate, quod non fecit Dominus*, nec fieri, nec omitti aliquid valeat sine divina ejusdem dispositione aut permissione, Deum vel ob suam, vel populi adimpletam peccatorum mensuram, vel ex aliis etsi occultis, tamen justissimis et sanctissimis causis malum hoc super ipsum, vel populum immittere, vel permittere ad ipsius et aliorum salutem spiritualem, et, si huic non obsit, majorem utilitatem temporalem suo emersuram.

180 Hinc cum resignatione in Divinam voluntatem sequentes, aut similes virtutis actus heroicos sanctissime et utilissime producere poterit.

Juravi, et statui custodire judicia justitiae tuae, et potius omnia perdere, quam aliquid eorum cum gravi tui offensa conservare, aut recuperare: Malo omni auxilio carere, quam ad Deos alienos recurrere invocando Infidelium, *aut* Haereticorum *auxilium gravi cum damno Ecclesiae, et Dei mei injuria: longe praestat, ut ego et domus mea jacturam temporalem, quam ut Ecclesia et Religio, indeque innumerae animae pretiosissimo Sanguine Christi redemptae, spiritualem patiantur jacturam.*

Justus es Domine, et rectum judicium tuum, Obmutui, et non aperui os meum, quoniam tu fecisti. - Sicut fuerit voluntas in Coelo, sicut fiat.

Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.

Cognovi Domine, quia aequitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me, melius mihi est terrestre quam caeleste Regnum perdere.

Quid enim mihi prodest, si mundum universum lucrer, animae autem detrimentum patiar?

Debet etiam, et potest secure confidere in Deo, 181
qui sicut facile potest, ita ordinarie solet, mire juvare illos, qui spretis auxiliis illicitis in ipso firmiter confidunt, et confidentes dicunt:

Non est tibi difficile solvere vel in multis, vel in paucis.

Dominus mihi Adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.

Dominus mihi Adjutor, et ego despiciam inimicos meos.

Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.

Non timebo millia populi circumdantis me, exurge Domine, salvum me fac.

Veruntamen non sicut ego, sed sicut tu vis: 182
sicut fuerit voluntas tua in coelo, sic fiat.

Tuum est Regnum Domine, tua potentia etc. A te, quae habeo, possideo, et propter te despicio.

Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea.

Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat. 183

Ad hos, et similes actus, si contempto praejudicioso Ecclesiae auxilio, in praefato extraordinario casu eliceerent Principes Catholici, utique mirum in modum experirentur auxilium divinum, ac summopere promoverent gloriam Dei, et bonum Ecclesiae, sibique et Domui suae temporaliter, et spiritualiter longe magis consulerent, quam si timore Dei, et confidentia in ipsum postpositis, ad male conditionata, vel alias praejudiciosa Ecclesiae et Religioni auxilia inique recurrant, providentia Divina cuncta ita disponente, dirigente, et permittente, ut cum tempore cuique reddatur juxta opera sua, ut vel statim, ac de praesente, vel saltem in filiis puniantur, et praemientur facta parentum, uti patet exemplis infra a n. 199 ponendis.

Et hactenus quidem, videlicet quod Princeps 184
Catholicus non possit *Infideles*, aut Haereticos juvare, vel auxilium eorum pro conservandis, aut recuperandis bonis temporalibus jure sibi debitis, sicque in Bello justo invocare, aut *Foedus* cum illis inire sub conditionibus Ecclesiae, et Religioni Catholicae graviter praejudiciosis, vel cum manifesto periculo gravis damni Eidem inde certo secuturi, certa et indubitata sunt apud Doctores.

Magna autem Controversia est inter eosdem, num 185
liceat memoratos *Infideles*, aut *haereticos* juvare, vel illorum auxilium invocare, aut *Foedus* cum eisdem inire, si nullae conditiones Ecclesiae, aut Religioni praejudiciosae, nec alias illicitae, sed honestae adhibeantur, et aliunde nullum Ecclesiae, vel Religionis periculum subesse, aut damnum praevidetur.

Circa quam Controversiam, licet non desint, qui 186
Negativam acerrime defendant, docendo, absolute et semper illicitum esse cum *Infidelibus*, ac *haereticis* inire *Foedera*, illosque juvare, et auxilium eorum invocare saltem contra Principes Catholicos; quia putant, nunquam fieri posse, quod *Foedus* cum Infidelibus ineatur, vel auxilium eis praestetur, vel petatur ab eisdem, quin vel scandalum, vel praejudicium Ecclesiae et Religionis directe aut indirecte sequatur. Tamen aliqualiter mitius loquendo

Resp. V. Quamvis regulariter, ordinarie, et 187

communiter loquendo, illicitum, et graviter peccaminosum sit Principibus Catholicis, cum *Infidelibus*, vel *haereticis* Belli *Foedus* inire, illosque in Bella etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem Principes Catholicos: Nihilominus dantur casus aliqui, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullae adhibentur conditiones Ecclesiae, ac Religioni graviter praejudiciosae, simulque moraliter certo apparet, quod ex tali *Foedere*, vel nullo nec scandalum, nec grave aliquod Ecclesiae vel Religioni damnum aut praejudicium sequi valeat: Et multo magis, quando tale *Foedus* redundat in certum emolumentum Ecclesiae, vel necessarium est ad avertendum longe majus Ecclesiae et Religionis damnum.

188 *Prima* pars Conclusionis, quod videlicet ordinarie loquendo, illicitum sit, tenent Layman *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 12. Molina *de J. et J. Tr.* 2. *Disp.* 112. *num. ult.* Suarez *de Bell. Disp.* 13. *sect.* 7. *nu.* 25. Palao *p.* 1. *tr.* 6. *disp.* 5. *pun.* 3. *nu.* 18. *et pun.* 6. *num.* 10 Bonacina, Simon Majolus, Besoldus, et ex professo per egregie Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 185. *per totam*, cum communissima et certa aliorum.

189 Probatur haec *prima* pars Conclusionis ex sacris Litteris, ubi passim habetur, quod Deus similia *Foedera* cum Infidelibus graviter prohibuerit, et contra agentes severe punierit. Audiamus ex pluribus aliquos saltem hujusmodi textus *Exodi* 23. *in fine*. Fideli populo suo expresse prohibet Deus: *Non inibis cum eis* (infidelibus) *foedus, nec habitent in terra tua, ne forte faciant te peccare in me*: et Cap. 34. *Cave, ne unquam cum habitatoribus terrae illius jungas amicitias, nec ineas pactum cum hominibus illarum Regionum.* Item Deuteron. 7. *Non inibis cum eis foedus.*

190 Cum Asa Rex Judae *Paralipom. lib* 2. *cap.* 16. vires Baasae Regis Israelis formidans, sub certo pacto in auxilium vocaret Benadad infidelem Regem Syriae illis verbis *Foedus inter me, et te est, pater quoque meus, et pater tuus habuere concordiam. Quam ob rem misi tibi argentum, et aurum*: illico missus a Deo fuit ad illum Hanani Propheta, qui cum interpretationibus et minis ei diceret: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriae, et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriae Regis exercitus de manu tua. Nonne Æthiopes, et Libyes multo plures erant quadrigis et equitibus, et multitudine nimia, quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua*: Subjungit dein rationem, quare spreto, et neglecto illicito auxilio hominum in Deo fiduciam ponere deberent Principes, *Oculi enim* (ait) *Domini contemplantur universam terram, et praebent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, et propter hoc ex praesenti tempore adversum te bella consurgent.*

191 Amasias, item Rex Judae cum contra Idumaeos bellaturus, in auxilium sumpsisset ex Israel, qui relicto cultu Dei vero, in idololatriam cum Jeroboam deflexerant, *centum millia robustorum centum talentis argenti*, 2. Paralip 25. Jubente Deo venit ad eum Propheta, dehortans eum ab isto ipsorum auxilio: *O Rex, ne ingrediatur tecum exercitus Israel, non enim est Dominus cum Israel, et cunctis filiis Ephraim* Et ut confundantur principia Politicorum, qui diffidentes auxilio Divino, vel omnem vel potissimam spem suam ponunt in brachio carneo, et robore exercitus, addit Propheta ibidem: *Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est, et adjuvare, et in fugam convertere.* Paruit sancto consilio Amasias, et objecto *Infidelium* auxilio, spretaque jactura centum Talentorum, quae *Infidelibus* jam expenderat, cum solo fideli populo Victor contra Idumaeos gloriosus evasit.

Huc facit illud, quod Propheta improperavit Josaphat Regi Judae, dum impio praeberet auxilium, 2. Paralip. 19. *Impio praebes auxilium, et his, qui oderunt Dominum amicitia jungeris: et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera tua inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra tua.* 192

Probatur *secundo* Oraculis SS. Pontificum, SS. Patrum, et aliorum Doctorum. Enim vero Clemens VII. Clemens VIII. significari fecit Henrico IV. Regi Galliae, quem ceu filium unice diligebat, ut videre est *in Epistol.* 327. Cardinalis Ossati: *Majestatem ejus credere non posse, quanti sibi doloris argumentum sit, quod inimicos Dei tam perfidos, et adversos Sedem Apostolicam exacerbatos, qui anno tertio tot sacrilegia, et abominationes contra Ecclesias, locaque sacra perpetrarunt suppetiis, et favore sublevari ab eo concernant, quam S. Sedes tam bono animo, quibuscunque potuit modis, et rationibus complexa est, pacem Regno ejus intus et foris procuravit.* 193

B Pius V. Papa societatem Regis Franciae cum Turcarum Rege damnavit, eumque *Labem Franciae* vocavit, uti habetur *apud Francis. Long. Coriolan. in Breviar. Chronol.* 194

Joannes VIII. Cum quidam Italiae Principes ac populi pro commodo suo temporali cum *Saracenis* foedus iniissent, ut eorum viribus res suas neglecto Ecclesiae detrimento stabilirent, diversis Epistolis ad eos exaratis, rem tanquam gravissimi sceleris atrocitatem execratus est, dum eam *Epistol.* 35. et 46. vocat *impium scelus*, ibidem *societatem ad perditionem animarum initam.* Hinc hortatur, suadet, et auctoritate Apostolica praecipit hujusmodi pacta, et foedera disrumpi, *misimus*, *inquit*, *Valbertum Portuensem, et Eugenium Ostiensem, ut pactum illud, quod perditionis est causa, dissolvi per omnia suaderent.* Et Epistol. 38. *iterumque atque iterum exhortamur, ut Christiani Nominis viri Paganorum foedera fugiant, et solum in Deum, qui eos creavit, et non in Diaboli membra, quae sunt fornicationes, et vasa irae, spem suam ponere discant.* 195

Quibus suasionibus non contentus, etiam praecepta, et quidem sub excommunicatione adhibuit *Epist.* 40. et iterum *Epist.* 292. ad Episcopum Praefectum, totumque populum Amalphitanum: *Quod si in tali impio scelere, diabolo persuadente amplius permanere praesumpseritis, et ipsum pactum de praesenti non corruperitis, praecipimus huic Episcopo nostro Dominico, ut vice nostra omni Ecclesiastica communione privare procuret.* Ubi specialiter ostendit cum Pignatelli *loc. cit.* hoc foedus initum non fuisse cum expressis conditionibus Ecclesiae praejudiciosis; et tamen a Papa reprobatum et damnatum esse; quia saltem indirecte nocebat, et praejudicabat Ecclesiae, ac Religioni. 196

S. Chrysostomus *in Matth. homil.* 1. cum historiam et foedus Josaphat cum impio Achab examinaret; *vides* (inquit) *quia nec dare potuit auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipere. Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos supra dicta historia de Asa Quoniam vero nec dare, instruit nos haec historia de Josaphat; qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, utiliores sibi existimans inimicos Dei, quam Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, adversatur Deo, Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat.* 197

Similia piissimo tunc temporis Imperatori vi Foederis Haereticis libertatem, praecise concedenti scripsit S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 46. Item Theodorico, ac Theodoberto Regibus Francorum S. Gregorius *lib.* 7. *Epist.* 16. *Pientissimum*, inquit Nazianzenus, *Imperatorem deceat, nihil ex* 198

reliquo ipsius erga Ecclesiam studio redditurum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanae eversionem, eorum Haereticorum libertatem, licentiamque praevaleat. Ad quod Doctissimus Pignatelli *cit. Tom.* 9. *Consultat.* 185. n. 42. *Audis, inquit, Regum socordiam in reprimenda Haereticorum licentia, omnem eis bonorum operum, zelique fructum tollere? Quid eis igitur expectandum, qui licentiam haereticorum non modo non comprimunt, sed temporalis aemulatione Principatus accedunt, et ad eversionem Ecclesiarum eis laxissimas habenas, adeoque subsidium praebent? Qui membra Christi non solum hostibus ejus conculcanda permittunt, sed de industria culcanda tradunt, eosque, qui tenentur libertatem fidei, Religionisque suae ferro sternunt, et innocentem, clamantemque in Coelum sanguinem fundunt? Neque tales forsan, neque Christiano Nomine dignaretur per utrique Gregorio, quo eruditione, quo sanctitate Basilius Epist.* 192. *quantumcunque de caetero recte vivere, et pietatem studiis suis praetexere viderentur: Non Christiani,* inquit, *sunt tales, sed Christi negotiatores, qui quod praesenti vitae commodum est, vitae ex veritate ducendae praeferunt, ubi inanem hunc Principatum adipisci se posse arbitrati sunt, inimicis Christi se sociarunt, ubi populum irritari viderunt, rursus fidei rectitudinem praeseferunt, sunt verba Basilii*; hucusque Ille.

199 Probatur *tertio* gravissimis poenis, quibus Deus illos punivit, qui cum *Infidelibus*, et *haereticis* foedus iniere, eosque in auxilium vocavere. Quorum exempla tam ex Sacris, quam profanis historiis plurima lectu dignissima affert Pignatelli *loc. cit. a num.* 52. *usque ad num.* 78. Nos aliqua tantum breviter ex illo hic adducamus. Et inprimis qualiter Deus Regibus Asa, Josaphat, et Amasiae propter *foedus* cum Dei inimicis partim minatus fuerit, partim inflixerit poenas, patet ex dictis supra a num. 190.

200 Judas Machabaeus, qui divino fretus auxilio oppressam tunc fidelem gentem suam exigua suorum Manu erexerat, hostesque prostraverat, quamprimum cum Romanis tuna *pugnanis*, at quidem primus omnium Fidelium foedus inivit, eosque in auxilium vocavit, infelici interitu confestim poenas dedit, et stantem jam, florentemque Rempublicam suamque iterum prostravit; Nam eo ipso anno, ac pene mense, antequam vel Legati Roma rediissent, ipse Judas cum flore exercitus prostratus, unus fratrum interfectus, alii duo Jonathas et Simon vel exules in desertum pulsi, tota Regio cum Urbibus, et praesidiis in Demetrii potestatem tradita; talisque facta tribulatio in Israel, et qualis non fuit ex die, qua non est visus Propheta in Israel, 1. *Machab.* 9.

201 Jonathas Judae frater, et in Principatu successor, post paucos annos idem *Foedus* cum Romanis inivit, sed malo etiam effectu: Nondum enim Jerosolymam reversis Legatis ipse cum duobus filiis, et mille viris proditione Tryphonis interfectus est, et Respublica iterum conjecta in summum periculum, Deo diffidentiam in divinum, et fiduciam in auxilium Infidelium puniente.

202 Inter exempla in Ecclesia Dei plurima sunt etiam, quod Eudosia Augusta cum Vandalos Arianos *haereticos* auxilii causa contra Maximum in Italiam accerseret, Deo vindice cum filiabus Eudoxia, et Placidia in Africam captivae ductae sint. Paulus Diaconus *lib.* 4. *Histor. Miscell.* et Procop. *lib.* 1. *de Bello Vandal.*

203 Bonifacius Comes dolo Aetii rebellionis injuste accersitos, quamdiu ab impiorum auxilio abstinens, Divino auxilio fidit, superior fuit Adversariis suis, Ducibus Mavortio, et Gallione interfectis: quamprimum vero auxilio divino diffidens Vandalos Alanosque *haereticos* in interitum Ecclesiae Africanae, et Catholicae Fidei, pro auxilio in Africam evocavit, adfuit continuo etiam poenitenti ultor Deus: Nam cum Vandalis pugnans victus est, et Hippone obsessus, et superatus misere periit. Iidem qui supra.

Quam infelicem exitum habuerit, et quam graves poenas Francisco I. Galliarum Regi, ejusque Posteritati, totique Regno attulerit *Foedus*, quod idem Franciscus cum Turcis inivit contra Carolum V. ad horrorem, et stuporem usque, passim legere est in historiis. 204

Palaeologi dum inter se de Imperio decertant, et inito cum Turcis *Foedere* in Europam eos advocant: Mercedis loco Imperium eorum primo a Turcis invasum, inde precario obtentum, sibi facti Turcam Janizari, Regnum amissum, Constantinopolis capta, stirps Palaeologorum radicitus excisa est Calchondilus *lib.* 1. *et* 2. *de Rebus Turcicis.*

Quarto probatur, praesertim contra eos, qui vi *Foederis* juvant *Infideles*, et *haereticos* per Jura supra *num.* 158. *et num.* 159. allegata. Accedunt totales Excommunicationes, quibus Summi Pontifices innodarunt Principes, et populos Catholicos cum *Infidelibus*, et *haereticis* Foedus ineuntibus, inter quas fuit etiam illa, qua Joannes VIII. aliquoties actu excommunicavit quosdam Principes Catholicos ob belli *Foedus*, quod cum Infidelibus habebant in damnum Ecclesiae saltem indirecte inde secutum, uti inter alia patet ex illius *Epist.* 22. ibi: *Virtute S. Spiritus, et auctoritate S. Petri, cui ligandi et solvendi, et solidandi in coelo, et in terra in Domino concesso est potestas, omni sacra communione, non cum totius Apostolicae Sedis consensu privavimus, et ab Ecclesia Dei societate separavimus, ut in eadem Excommunicatione maneatis, donec etc.* Et cum aliqui ab Excommunicatione absolvi peterent, respondit: Epist. 41. *Absolvite vos prius colligationes impietatis, et Foedus impium, quod cum inimicis Christi habetis compositum, et nos illico misericordiam etc.* et infra: *In scelere impio manantibus miserandum non est.* 205

Item Excommunicatio tribus vicibus lata in Bulla Coenae in omnes, qui belli causa auxilium, consilium, aut favorem quomodolibet praestant *Infidelibus*, aut *haereticis*. 206

Quinto probatur ratione: quia licet Princeps Catholicus *Foedus* cum *Infidelibus*, aut *haereticis* sub praejudiciosis conditionibus Ecclesiae, et Religioni non ineat, nec sub iisdem auxilium ab eis petat, nec illis praestet, neque etiam scandalum vel damnum Ecclesiae aut Religioni inde secuturum certo praevideat, tamen ordinarie loquendo, praefatum scandalum, aut Ecclesiae et Religionis damnum directe, aut indirecte sequitur, teste experientia, praesertim cum tam *Infideles* erga Christianos; ipsum *haeretici* erga Catholicos, vel potius Ecclesiam et Religionem Catholicam radicatum, ac implacabile odium et aversionem habeant, vi cujus quandocunque possunt, etiam cum arctissimo *foedere* contra Catholicos uniti, et ubi minime praesidetur, Ecclesiae et Religioni directe ac indirecte nocere, aut praejudicare, suamque falsam Sectam promovere, ac dilatare, seque augere, ac potentiorea efficere conantur: quod plurimis exemplis demonstrat Pignatelli *cit. Tom.* 9. *Consultat.* 185. et multiplici eaque recentissima experientia confirmatur, qua constat, quod fere nullum *Foedus* Catholicorum Principum cum *Infidelibus* et *haereticis* fuerit, nec auxilium eorum invocatum, vel eisdem praestitum saltem contra Principes Catholicos sit sine gravi aliquo Ecclesiae, ac Religionis damno aut praejudicio. 207

Ab exemplis bujusmodi recentibus in specie consulto abstrahimus, eoque consideratioot Lectorie relinquimue.

208 Interea concludimus, quod cum juxte certam, et noauimem doctrinem *a num.* 160. *usquo ad num.* 187. positam, impium, ioiqnum, et gravitee peccaminosum sit, causa *Belli* etiem juelt cum *Infidelibus*, aut *Haereticis* etiam absqoe positivie conditionibus Ecclesiae aut Religioni graviter praejudicioris *Foedus* inire, vel auxilium eorum invucare, eut juvare eosdem praesertim coutre Catbolicos cum gravi scaudalo, aut damno Ecclesiee et Religioai directe, aut indirecte inde scuturo: Tale eotem scandalum, vel grave damnum ac preejudicium Ecclesiee, et Religioni Catholicae ex hujusmodi Foederibus, et ausiliis petitis, vel praestitis, ordinerie sequantur, juste dieta; consequene eet, quod *Primo* pars Conclasionis *num.* 187. positee dicit, videlicet, *ordinario et regulariter loquendo*, impium, iniquum, illicitum, et graviter peecaminosum, utpote Ecelesiee et Religioni directe, vel iodirecte graviter precjudiciosum essa eum *Infidelibus*, et *Haereticis* belli *Foedera* iuire, eosque juvare, vel pro auxilio invucare, praesertim eontra Priucipes Catholieos, etiamsi conditiones Eeclesiae, et Religioni graviter precjudiciosae, eut alias positive iniquae non adhibeautor.

209 *Altero* dictae Conclusionis num. 187. positee pars, scilieet, quod nihilominus dentur aliqui casus, in quibus id licitum est, tune nempe, quando nullae adhibentur conditiones Ecclesiee, et Religioni praejudiciosae, vel elies illieitae, simulque moraliter certo apparet, *Foedus eam Infidelibus*, aut *Haereticis* iniri, vel auxilium illis praestari, eut peti ab iisdem manifesto eom emolumento et commodo Ecclesiee et Religionis, vel certe nullum exinde scandalum, nec greve aliquod damnum Ecclesiee, aut Religioni erqui posse, vel deniqne si ed avertendum majus Ecclesiee, ac Religionis malum necessarium videtor. Probatur hoe ratinoe, videlicet, qoia uti bene advertunt Laymen *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 12. *num.* 6. Moline *de Justit. et Jur. Tr.* 1. *Disp.* 112. *n. ult.* Panormitaous in c. 8. *de Voto et Voti redempt.* num. 15. Deeiauus *vol.* 3 *Consil.* 20.. Bocerus *Tr. de Bello. cap.* 6. *num.* 16. et alii; *Foedos* eam Infidelibus, aut *haereticis* iuire, vel auxilium eb eis petere, aut praestere eisdem, non ex se, et netura sua, sed retione scandeli et periculi demoorum, quae Ecclesiae, et Religiooi inde ordinarie sequuntur, illieitum est: cuosequenter ubi omne tale perieulum ebesse moraliter *certum* videtur, et multo magis, si etiem commodum, ot emolumentum Ecclesiae inde sequi, vel majus Ecclesiae malum averti, operte conspicitur, id licitom erit.

210 Confirmatur: quando Catholicus aliquis privatus, inique, et sioe omni justa causa vellet elium Catholicum, vel etiam *Saracenum*, aut Heereticum occidere, nemo negat, quin contra iniquum aggressorem posset Catholicus Turcam eliquem, vel Haereticum, vel hic Catholicum a longe etentem io auxilium vocare, unusque alteri auxilium impertiri, *arg. l. Ut vim 3. ff. de I. et I.* cum Concordantiis. Pariter si duo vel tres malitiosi Catholici colluderent, ad occidendum vel spoliandum uuum Catholicum, et duo Haereticos aut Infideles, possint hi tres foedus iuire, de motuo ferendo euxilio, quandocunque aliquis eorum injustam aggressionem a malitiosis illis petiatur: *arg. cit. l. 3. ff. de I. et I.* ergo ex se, et natura sna malum, et illicitum non est, eom *Infidelibus*, aut *haereticis* inire *Foedus*, vel auxilium illorum implorare, aut id eisdem praestera, sed tantum ratione scandali, eut gravis demni Ecclesiee, aut Religionis, quod inde ordinerie sequitur; eut si conditiooes Ecclesiae et Religioni preejudiciosee edhibeotur; sie eoim etiam io primum dictis casibus non posset Catholicus eb alio Catholico injustam aggressionem patieus, ac timens dicere ad *haereticum* vel *Turcam*; *Juva me, si juvas me contra hunc iniquum aggressorem, tuam Sectam amplectar, vel procurabo, quod Lutherani in hac, aut illa Provincia Catholica habere possint liberum exercitium Religionis suae, vel, quod eis cedatur haec vel illa Civitas, vel Provincia Catholica etc.* vel *committam adulterium etc.* Et ex hoc *secunda* parte Conclusionis iuferuntoc sequentes doctrinae practicae.

I. Posset Imperator auxilium praestare Regi Sueciae 211
contra Regem *Daniae*, vel *Prussiae*, vel huic contra illum hac conditione, si ausilium accipiens restituere velit Ecclesiae hanc, aut illum Episcopatum, vel cedere auxilianti Catbolico hanc vel illam Civitatem, aut permittere in suis acatholicis Provinciis aedificationem Ecclesiarum Catholicarum, atque praedicationem, et exercitium Religionis Catholicae; dummodo auxiliatricibus Copiis Catholicis boni adjungantor castrenses Pastores, et Capellani Catholici, bellique Ducibus in mandatis detur, quatenus Copias Catholicas ita serveut conjunctas, aut dispositas, et collocatas, taliquo modo regant, ut nullum periculum scandali Copiis Catholicis seruturi prudenter timeri valeat.

II. Posset idem Romanus Imperator aliquis, aut 212
Respublica Veneta, adhibita praefata de evitendo omni periculo scandali cautela auxiliares Copiae praebere Turcarum Imperatori contra *Persas*, vel alios *Infideles*, hac conditione, *si Turco auxilianti Catholico cedat aliquod Regnum, Provinciam aut Insulam, v. g. Serviam, Candiam, vel Terram sanctam*, vel *si permittant liberum Catholicae Religionis exercitium in suis Regnis etc.*

III. Posset Rex Galliae, vel Hispaniae, vel alius 213
Princeps Catholicus in Bello justo juvare *Anglos* contra *Hollandos* nunc haereticos, vel hos contra illos cum simili conditione evidenter utili Ecclesiae, et Religioni Catholicae, v. g. *si Angli iterum admittant in Hibernia Pastores Catholicos et Religiosos, eisque Monasteria restituant*; vel *si exercitium Religionis Catholicae liberum in tota Anglia permittant etc. aut Catholicis aliqua cedatur Provincia*. Ratio patet, quia in his tribus et similibus abest scandalum, et Ecclesiae damnum, simulque adest evidens ipsius commodum.

IV. Posset Princeps Catholicus quivis *Infideles*, 214
aut *haereticos* invocare pro auxilio contra illos *Infideles*, vel *haereticos*, v. g. Regem *Daniae*, et *Prussiae* contra Regem *Sueciae*, hos et alios Haereticos, vel etiam Regem *Persarum* contra Imperatorem *Turcarum*, dummodo id fiat sine aliqua Ecclesiae et Religioni graviter praejudiciosa conditione, et sufficienter praecaveatur scandalis: Unde teste Pignatelli *Tom.* 9. *consult.* 185. *num.* 89. Strumius *in lib. de Administrat. bell. Turc. p.* 3 suadet Imperatori Catholico, ut perpetuum *Foedus* habeat cum *Mosco*, et *Persarum* Rege contra Imperatorem *Turcarum*, et Engel *de Treuga et pace* testatur de Communi DD. licere Principi Catholico invocare pro auxilio *Infideles*, aut *haereticos* contra alios *Infideles*, vel *haereticos*.

V. Posset Princeps Catholicus *Infideles*, aut 215
haereticos, contra alios *Infideles*, aut *haereticos* cum modica, aut minore Ecclesiae praejudicio pro auxilio invocare, casu quo inde omnino necessarium esset, ad evitandum longe majus Ecclesiae, aut Religionis damnum: ut si evidens, aut humanitus certum esset, quod Princeps Catholicus v. g. Imperator, aut Rex Galliae sufficientibus propriis, et aliorum Ca-

tholicorum auxilio carens, *Infidelibus* vel *haereticis*, cum quibus bellum gerit, integrum Regnum, aut plures Provincias cedere debeat, nisi *Infideles*, aut *haereticos* alios vocet, et adhibeat pro auxilio; quale hi sine aliquo modico, aut minore Ecclesiae praejudicio, v. g. nisi Religionis *Catholicae* exercitium in certa aliqua Civitate, vel Provincia *Catholica* permittatur, aut nisi Civitas aliqua eisdem cedatur, non praestarent. Ratio patet; quia inter duo Ecclesiae mala, utique minus eligere, et permittere oportet, si utrumque evitare, sed alterutrum necessario permittere debemus *arg. can. Hac ratione* 9. *cau.* 31. *q.* 1. *et l. Legis. virtus.* 7. *ff. de Legib.* cum Concordantiis.

216 VI. Potest Princeps Catholicus in bello aperte justo *infideles*, aut *haereticos* pro auxilio invocare contra alios, etiam Catholicos, si absque ulla conditione Ecclesiae, et Religioni praejudiciosa id faciat, ac caeteroquin tales circumstantias adhibet, ut moraliter certum appareat, nullum exinde grave damnum, vel praejudicium nec Ecclesiae aut Religioni in communi, nec locis, rebus, aut personis sacri secuturum; si v. g. *infideles*, aut *haereticas* Copias pro certa mercede pecuniaria assumit non in magna, sed in modica, vel tali quantitate, ut cum exercitu suo notabiliter excedens eas, disciplinam militarem exacte servare, et revera possit, ne tales *Infidelium*, aut *haereticorum* Copiae respectu Ecclesiarum, Monasteriorum, aliarumque rerum, personarum, et locorum sacrorum, ruinas, injustas spoliationes, rapinas, violentias, aut alia sacrilegia committant, simulque a periculosa, et scandalosa conversatione cum Catholicis abstineant.

217 Minime vero potest Princeps Catholicus *Infideles*, aut Haereticos contra Catholicos pro auxilio invocare et adhibere in tali quantitate, vel talibus cum circumstantiis, ut prudenter praevideat, se cohibere non posse, quin grave damnum, et praejudicium Ecclesiae et Religionis Catholicae inde sequatur, vel saltem respectu locorum, rerum, et personarum sacrarum, multae et graves ruinae, rapinae, et violentiae, sacrilegia etc. ut cum aliis bene advertit March. *Tom.* 2. *Tr.* 6. *Tit.* 3. *q.* 1. *dub.* 4. *Resolut.* 2.

218 Nec excusat Principem Catholicum, si dicat, se ista non velle; intrudere, sed quia prohibere non potest, praecise permittere: nam ut bene ex D. Thoma 1. 2. *q.* 20. *art.* 5. *et q.* 73. *a.* 8. communis Theologorum arguit, hoc ipso, quod Princeps certo praevidet, se prohibere non posse, quin similia mala Ecclesiae, vel Religioni sequantur, si *Infideles*, aut *Haereticos* pro auxilio imploret, praefata indirecte velle, eorumque coram Deo reus esse censetur, si hujusmodi auxilium nihilominus adhibet: Quod Theologice ulterius egregie deducit, et exemplis declarat Pignatelli *cit. Tom* 9 *Consultat.* 185. *num.* 119. *usque ad num.* 136. quem lege.

219 Multo minus potest Princeps Catholicus invocare *Infideles*, vel *Haereticos* pro auxilio contra alium Principem Catholicum cum conditione aliqua Ecclesiae aperte praejudiciosa, et damnosa, v. g. *Si juveris me, cedam vobis hanc vel illam Civitatem, Provinciam Catholicam etc.* vel, *quidquid de Terris, Regnis, Provinciis Adversarii mei Catholici obtinuerimus, vel occupaverimus, inter nos dividamus:* vel *Relinquam vobis, vobisque maneat illa certe Provincia, vel Civitas Catholica, si illam ab Adversario meo occupaverimus.* Cum enim hae, aut similes conditiones sint graviter praejudiciosae, et damnosae Ecclesiae ac Religioni Catholicae, ut consideranti patet, neutiquam licet Principi Catholico sub aliqua causa invocare *Infidelium*, aut *Haereticorum* auxilium pro recuperanda, vel conservanda re temporali, quantumvis Jure sibi debita, prout ex unanimi, et certa Doctorum amplius diximus supra *num.* 160.

Breviter autem recapitulando prolixius dicta *a num.* 156. hucusque, certa ac indubitata sunt sequentia. I. Certum est, non licere Principi Catholico inire *Foedus* cum *Infidelibus*, aut *haereticis*, aut auxilium eis praebere, nec petere ab iis in Bello pateuter injusto, sive contra Catholicos, sive Acatholicos juxta dicta *numer.* 157. 220

Certum est II. Quod Princeps Catholicus nec vi *Foederis*, nec alias praebere possit Infidelibus auxilium ad bellum pro dilatanda, aut promovenda sua, et infirmanda, restringenda, aut minuenda nostra vera Religione directe aut indirecte institutum, aut instituendum per dicta *num.* 158.

Certum est III. Quod Princeps Catholicus sine gravissimo peccato Mortali *Infidelibus*, aut *Haereticis* nec auxilium possit praebere, nec auxilium ab eis petere, vel *Foedus* cum illis inire contra alios praesertim Catholicos cum conditionibus Ecclesiae, et Religioni Catholicae graviter praejudiciosis, vel si inde certo secuturum praevidetur grave damnum aut praejudicium Ecclesiae vel Religionis Catholicae, juxta dicta *n.* 159. item *n.* 160. *et seqq. usque ad num.* 184. *ac num.* 217. 221

Communissima ulterius, quasi unanimis, et certa doctrina est IV. Quod, etsi conditiones Ecclesiae, et Religioni Catholicae, praejudiciosae non adhibeantur, et grave aliquod praejudicium, vel damnum inde secuturum non praevideatur, tamen ordinarie, et regulariter loquendo, illicitum sit Principi Catholico cum *Infidelibus*, aut *Haereticis* inire *Foedus*, vel eorum auxilium invocare, vel juvare eosdem contra alios saltem Catholicos, juxta dicta *num.* 185. *usque ad num.* 209. 222

Quibus non obstantibus probabile et tutum est, quod si nullae adhibeantur conditiones Ecclesiae, vel Religioni graviter praejudiciosae, aut alias iniquae, et negotium ita tractetur, ut grave aliquod Ecclesiae damnum sequi non posse, moraliter certo cognoscatur, possit Princeps Catholicus *Foedus* inire cum *Infidelibus* et *haereticis*, vel auxilium eorum invocare contra alios *Infideles*, vel *haereticos*; item possit eosdem juvare contra alios *Infideles*, vel *haereticos*, praesertim cum conditionibus Ecclesiae utilibus, vel cum emolumento inde secuturo juxta dicta a num. 209. Item possit etiam id facere in Bello aperte justo contra alium Catholicum Principem, si omne Ecclesiae, ac Religionis damnum et periculum illius certo abest, juxta dicta *num.* 216. 223

Ignoscet benevolus Lector, quod materiam hanc de *Foedere* Catholicorum cum *Infidelibus*, et *haereticis*, atque auxilio, quod petitur ab illis, vel praestatur eisdem, tam prolixe, repetendo etiam subinde aliqua, egerimus: Impulit ad hoc amor et cura erga Ecclesiam et Religionem Catholicam, quae a plurimis jam annis passa est, et etiamnum patitur gravissime, lacrymis sanguineis deploranda damna ac praejudicia in diversis terrae partibus praesertim in Europa ex eo, quod plures Principes Catholici spretis, vel neglectis, et non observatis supradictis quantumvis certis doctrinae, sequendo sola principia politica et statistica pro obtinendis, vel conservandis bonis temporalibus, pro dilatanda, et exaltanda Domo sua, alioque hujusmodi fine temporali cum *Infidelibus* vel *haereticis* Belli *Foedus* inire, eorumque auxilium invocare, vel praebere eisdem contra alios etiam Catholicos sub conditio- 224

nibus Ecclesiae et Religioni graviter praejudiciosis, vel alias cum gravi ejusdem damno, ac praejudicio summe peccaminoso passim praesumpserint. Utinam Dei bonitas faciat, ut vel unicus Princeps Catholicus, vel Consiliarius, aut Confessarius horum lectione pro avertendis tot, tantisque Ecclesiae et Religionis damnis, indeque subsequente tot animarum jactura moveatur.

225 Quaeritur III. An liceat Principi Catholico contra *haereticos* ob solam *haeresin* bellum gerere, eosque bello adigere, ut *haeresin* deserentes, veram amplectantur Religionem? Resp. I. Loquendo de Jure communi, et nisi publicae, validaeque pacis, vel alius legitimus contractus et pactum publicum resistat, non tantum possunt, sed tenentur Principes Catholici contra *haereticos* sibi subditos, ob solam *haeresin* bellum gerere, eosque bello expugnare, si alio modo eos coercere non valent. Communis et certa. Patetque ex dictis supra *a num.* 139. ubi ex Jure utroque, et ratione probavimus, quod Principes Catholici tolerare in suis Territoriis non possint, sed exterminare teneantur *haereticos* sibi subditos; ergo si id aliter quam bello praestare nequit, *haereticis* forsan invalescentibus, aliorum *haereticorum* auxilium implorantibus, utique bello eos expugnare potest, ac tenetur Princeps Catholicus.

226 Dicitur tamen notanter, *nisi publicae validaeque pacis, vel alius legitimus contractus vel pactum obstet*; quia etiam etiam *Infideli*, et *haeretico* fides servanda est prout amplius diximus supra *num.* 150. merito tamen *num.* 151. addentes, nisi nova justa causa superveniat, ob quam juste ejici valent, ut si v. g. periculosas machinationes, aut alia enormia, vel graviter praejudiciosa praeparant, aut perpetrant contra veram Religionem, Principem, Provinciam, pacem publicam etc. juxta dicta *num.* 151. et *Tit. praeced. num.* 8.

227 Caeterum ex Conclusione infertur, non solum posse, sed et teneri Principem Catholicum, qui in suo Territorio *haereticos* nunquam recepit, vel semel receptos, juste iterum expulit, v. g. Imperatorem, Regem Galliae, Hispaniae etc. bellum contra *haereticos* gerere, et bello illos impugnare, si v. g. in Bohemiam, Austriam, Galliam, Hispaniam se rursus intrudere vellent, aut ibidem occulte intrusi jam invalescere inciperent, aut si proprii Subditi a vera Fide deficere attentarent.

228 Resp. II. Quamvis Princeps Catholicus propria auctoritate non possit ob solam *haeresin* gerere bellum contra *haereticos* sibi non subditos, tamen licite, et meritoria hoc potest auctoritate summi Pontificis ad id exhortantis, suadentis, vel mandantis. *Prima* pars Conclusionis patet ex dictis in simili *de Judaeis Tit. praeced.* ob easdem vere rationes, praesertim vero, quia caret omni jurisdictione etc.

229 *Secunda* pars probatur: quia Papa tanquam supremus et universalis Ecclesiae Pastor habet jurisdictionem in omnes Christi *Fideles*, etiam *haereticos*, utpote qui per Baptismum tanquam januam, Ecclesiam ingressi, veri Subditi illius facti sunt, et semper manent; etiamsi in facto rebelles et inobedientes ei sese exhibeant; consequenter sicut Princeps profanus suos Subditos rebelles, vel a Fide deficientes ut ad *haeresin* deviantes bello coercere, et expugnare potest per dicta *num* 225. sic idem per se, vel per alios ad id invocatos, aut demandatos, atque hi de voluntate vel mandato, consequenter auctoritate ipsius poterunt.

230 Confirmatur: Praecipua ratio, quare non liceat Principibus Catholicis *Judaeos*, aut *Infideles* propter solam *Infidelitatem*, aut *Judaismum* impugnare; quia deest eis jurisdictio puniendi, et bello coercendi *Infidelitatis* crimina aliorum sibi non subditorum, prout amplius diximus *Tit. praecedent. num.* 47. atqui haec ratio cessat in casu, quo Princeps Catholicus ob solam *haeresin* bellum gerit contra *haereticos* sibi non subditos, auctoritate Summi Pontificis; utpote cui plena competit jurisdictio etiam in *haereticos*, et in crimina eorum, non obstante rebellione illorum: imo quo magis eidem rebelles sunt, eo majorem causam habet, illos bello per se, vel per alios coercendi: praesertim ubi eos nimium invalescere, et nisi bello coerceantur, pacem Ecclesiae per eos turbari, graviaque mala, ac praejudicia inferri, aut certo Ecclesiae imminere cernitur; quia sicut juxta dicta, rebellio Subditorum erga Principem seu potestatem saecularem, aut si per illos pax Reipublicae injuste turbatur, justam causam Principi praebet, Subditos bello coercendi, ita multo magis justam causam belli praebet si Subditi rebelles sunt contra potestatem, et Caput suum spirituale, pacemque Reipublicae Christianae, seu Ecclesiae Catholicae perturbant; cum haec rebellio longe pejor sit illa, et longe majus malum commune sit turbatio pacis respectu Religionis et Ecclesiae, quam politicae Reipublicae.

Accedit, quod *haeretici* una cum pace Ecclesiae, plerumque etiam perturbent pacem Reipublicae politicae: Tum quia, ubi non est unitas Fidei, ibi pax Reipublicae diu conservari nequeat: Tum quia *haeretici* sunt superbi, ubi autem superbia, ibi discordia. 231

Nec dicant *haeretici*, se nec Reipublicae politicae, nec Ecclesiae turbare pacem: Nam contra exempla clamant innumera, et continua quasi experientia, qua constat, quas turbationes tam respectu Ecclesiae, quam respectu Reipublicae politicae ubique semper causarint, et etiamnum causent *haeretici*. Quis enim vel parum eruditus ignorat, quas turbationes respectu utriusque causarint in toto Oriente *Ariani*? quas in Graecia Macedoniani? quas in Africa *Donatistae*? quas in Romano Imperio *Lutherani*, et *Calvinistae*? quas iidem in Hungaria, et Polonia? quas *Hussitae* in Bohemia? quas *Hugonotae*, et *Calvinistae* in Gallia, Anglia, Belgio? quos *haereticos* subditos suos, sive alienos propria, sive aliena, videlicet Pontificia auctoritate, si Principes Catholici seposita omni aemulatione, ac inordinato amore, aut interesse proprie saltem in principio, antequam invalescebant, bello compescuissent, innumera eaque gravissima tam Ecclesiae, et Religionis, quam Reipublicae communia mala, ac innumerabilium animarum ruinam videre non fuisset, nec deflenda esset. 232

Dicitur autem notanter in Conclusione: *Nisi publicae validaeque pacis, aliusve legitimus contractus, aut pactum publicum obstet*; quia sicut *Infidelibus*, sic etiam *haereticis* servanda est fides publica, *arg. l. Sicut.* 5. *C. de Obligat.* et *Act.* et *c. Noli. cau.* 23. *q.* 1. cum Concordantiis. Et ad longum probat Layman *lib.* 2. *Tr.* 3. *cap.* 13 *num.* 15. *per totum*, ubi etiam docet, quod Principes Catholici *Foedus*, aut pacem publicam cum *Infidelibus*, aut *haereticis* initam, Papa tollere aut relaxare etiam ex parte Catholici nequeat: quae tamen intellige; dummodo tale *Foedus*, aut alius Contractus publicus ex objecto malus vel iniquus non sit: Nam hoc ubi esset, utique etiam publicum hujusmodi *Foedus*, aut pacta Tractatum tollere, et relaxare, posset, prout actu fecit juxta dicta supra *num.* 154. 233

§. V.

De Poenis spiritualibus Haereticorum.

SUMMARIUM.

234 *Sola haeresis formalis.*
235 *Externa contrahit poenas spirituales.*
236 *Quid requiratur, quid sit, et dicatur externa?*
237 *Poenae spirituales haeresis enarrantur in compendio.*
238 *Quaevis haeresis ipso facto inducit Excommunicationem Papae reservatam.*
239 *Si est Formalis.*
240 *Et* Externa.
241 *Animo eam asserendi manifeste seu externe prolata.*
242 *Atque peccaminosa.*
243 *Doctrinae practicae ad propositum de haeresi* Formali *externa, usque ad num.* 247.
247 *Excommunicationem dictam Papae reservatam ipso facto incurrunt etiam credentes haereticis Et num. seq.*
249 *Item eorum Receptores.*
250 *Defensores.*
251 *Et Fautores.*
252 *Et qui horum aliquem sepeliunt.*
253 *Receptores, Defensores, et Fautores haereticorum sunt excommunicati, etsi sint tales solius amicitiae, aut consanguinitatis causa.*
254 *Haeretici* publici.
255 *Et probabilius etiam occulti sunt irregulares.*
256 *Haeretici omnes, eorumque Receptores, Defensores, et Fautores sunt inhabiles ad Beneficia, et Officia Ecclesiastica.*
257 *Et tenentur Beneficium in haeresi receptum, una cum fructibus dimittere, et restituere.*
258 *Etiamsi convertantur, et Haeresin abjurent, si fuere notorii haeretici.*
259 *Num etiam occulti haeretici post conversionem maneant inhabiles, controversia est apud Doctores.*
260 *Sunt insuper privati Beneficiis prius obtentis,*
261 *Ad quod tamen juxta aliquos requiritur Sententia condemnativa Judicis.*
262 *Sed verius est, eam non requiri.*
263 *Solvitur objectio contra hanc doctrinam.*
264 *Et confirmatur consuetudine, et stylo Curiae Romanae.*
265 *Requiritur tamen sententia declaratoria criminis commissi.*
266 *Hinc ob haeresin occultam nemo tenetur restituere Beneficium prius rite obtentum.*
267 *Haeretici, eorumque Receptores, Defensores ipso Jure privantur etiam Sepultura Ecclesiastica.*
Quod Juris? si haereticus in loco sacro sepeliatur? Ibid
268 *Filii, Nepotes etiam Catholici Patris haeretici, soli autem Matris haereticae filii sunt inhabiles ad Officia, et Beneficia Ecclesiastica Et num. seq*
270 *Nisi Parentes eorum ante mortem se convertant*
271 *Quamvis conversi Parentes maneant adhuc inhabiles.*
272 *Sicut et conversorum filii, si sunt de relapsis in haeresin parentibus.*
273 *Secundum aliquos Filii, et Nepotes haereticorum in Germania non sunt inhabiles ad Beneficia.*
274 *Statuitur, et probatur sententia contraria.*
275 *Cui non derogant publica Pacta et Foedera cum haereticis in Germania inita.*
276 *Infamia non est causa, ob haereticorum filii sint irregulares, et inhabiles.*
277 *Probatur ad hominem.*
278 *Non est universalis consuetudo in Germania admittendi haereticorum filii ad Beneficia.*
279 *Cum de contrario experientia constet.*
280 *Si alicubi viget dicta consuetudo, legitimè praescripta, valet, si probari potest: quod difficile est.*
281 *Filii haereticorum etc ipso facto etiam privantur Beneficiis prius rite obtentis.*
282 *Non tantum post, sed etiam ante lapsum parentum in haeresin rite obtentis, uti contra Sanchez et alios habet probabilior et Juri conformior, usque ad num.* 286.
286 *Spiritualibus Poenis subjacent haereticorum filii etiam ante lapsum parentum in haeresi nati.*
287 *Ut magis castigentur in Filiis Parentes.*
Filii innocentes ob delicta parentum divino, et humano judicio puniri solent. Ibid.
288 *Probatur alia ratione.*
289 *Et consuetudine Legem interpretante.*
290 *Plures probabiliter cum Sanchez docent, filios haereticorum ante eorum lapsum natos, non incurrere poenas Juris.*
291 *Qui per preces haeretici Beneficium obtinent, privantur sic obtento, et fiunt inhabiles ad alia.*

Notandum, duplicis generis esse poenas contra *haereticos* utroque Jure latas, *Spirituales* videlicet, et *Temporales*, De illis in praesenti, de istis vero in sequenti §. agemus.

Quaeritur itaque I. Quaenam *haeresis*, et quas 234
in compendio contrahat Poenas spirituales? Resp. I. Omnis, et sola *haeresis formalis externa* spirituales poenas coram Deo, et in conscientia contrahit. Communis, et certa. Ratio *primae partis*, videlicet, quod omnis, et sola *formalis* poenas secum trahat, est; quia materialis Haeresis, non vera *haeresis*, nec culpa, vel peccatum est juxta dicta supra *n.* 12. consequenter nullam poenam meretur. Palao *de haeresi. tr.* 4. *Disp.* 3. *n.* 16. Sanchez *lib.* 7 *cap.* 7. *num.* 8. cum ubi nulla culpa, ibi nulla sit poena, per, *per vulgaria Juris.*

Dicitur autem cautanter, *coram Deo*, *et in conscientia*, quia in Foro externo quaevis *haeresis externa* ordinarie praesumitur *formalis*, cum Judices tam Ecclesiastici, quam Saeculares in Foro externo judicent secundum externa, hoc ipso, quod interna cognoscere nequeant, c. *Sicut.* 33. *de Simonia.* Farinacius *de haeresi. q.* 179. *num.* 55 *et seqq.* Palao *loc. cit. num.* 17. bene advertens, quod alias quivis *haereticus* poenas in Foro externo facile eludere posset dicendo, *se* interne aliter sensisse, et veram habuisse Fidem.

Ratio *secundae partis*, videlicet, quod omnis 235
et sola *haeresis externa* poenas secum trahat, est; quia *cogitationis poenam nemo patitur*, can. *Cogitationis* 14. *de Poenitent. dist.* 1. cum Ecclesia, quae non judicat de occultis, c. *Sicut.* 33. *de Simonia*, sed tantum de manifestis, *occulta et interna*, seu *mentalia districto Judici Deo* (*qui scrutator est cordium, et secretorum cognitor*) *relinquit puienda*, c. *Tua nos* 34 *eod*

Ubi tamen advertendum, *haeresin externam*, in 236
ordine ad contrahendas poenas *spirituales*, sufficienter esse et dici, si signo, verbo, vel facto aliquo *haeresin internam* sufficienter expressivo in ordine ad eam externe manifestandam posito, aut prolato manifestatur, etiamsi quis in occulto, et nemine prorsus praesente id fecit. Sanchez *lib* 2. *Moral. cap.* 8. *num.* 6. Pirhing h. t. num. 9. Layman. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap* 14. Barbosa *in Offic. et*

Potestat. Episc. Allegat. 40. *num.* 10. cum communissima tam Theologorum, quam Canonistarum. Ratio est; quia verba, signa et facta hujusmodi *externa*, quibus *haeresis interna* quantumvis in occulto, et nemine praesente manifestatur, ex natura sua sunt cognoscibilia, et judicio Ecclesiae subjecta; per accidens autem est, quod hic et nunc sint occulta, nemine praesente edita: siquidem ex hoc praecise habetur, quod puniri nequeant poena per accusationem, vel cognitionem judicialem, minime vero, quod plecti non valeant poena, quae ab ipsa Lege, vel Canone jam est imposita, et quae nec accusationem, nec cognitionem, nec sententiam requirit judicialem, qualis est Excommunicatio. Exemplificatur haec doctrina infra *num.* 243. *et seqq.*

237 Resp. II. *haeresis formalis externa* sequentes annexas habet poenas *spirituales*, videlicet I. est, Excommunicatio Major II. Irregularitas III. Inhabilitas ad Officia, Dignitates, et Beneficia Ecclesiastica. IV. Privatio eorumdem etiam prius rite obtentorum. V. Privatio sepulturae Ecclesiasticae. VI. Quod *haeresis* parentum afficiat, et ad officia et Beneficia Ecclesiastica inhabilitet Filios ac Nepotes etiam Catholicos. VII. Quod intuitu, et dolo *haeresis* Catholicus privetur Beneficiis per preces *haeretici* acquisitis, simulque inhabilis fiat, ad illa, et alia. Quae cuncta clare patebunt ex sequentibus; quia pro majore claritate et intelligentia harum poenarum, de quavis earum specialem ponemus Quaestionem. Itaque.

238 Quaeritur II. An? et qualiter *haeretici*, eisque Credentes, ac Receptores, Fautores, et Defensores eorum subjaceant *primae Poenae spirituali*, Excommunicationi videlicet? Resp. I. Certum est, omnes et singulos, cujuscunque nominis existant, *haereticos formales externos* ipso facto subjacere Excommunicationi Majori Papae reservatae. Unanimis et certa ob clara Jura c. *Sicut.* 8. c. *Ad abolendam.* 9. c. *Excommunicamus.* 13. *h. t.* ibi: *Excommunicamus, et anathematizamus universos haereticos etc. quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas; quia de vanitate conveniunt in idipsum etc.* cum Concordantiis. Accedit Bulla Coenae hanc Excommunicationem soli Papae reservans § 1. ibi: *Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus S. auctoritate quoque Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Wiclephistas, Lutheranos; Zwinglianos, Calvinistas, Eugonotus, Trinitarios, et a Christiana Fide Apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos: quocunque nomine censeantur, ac cujuscunque Sectae existant.*

239 Verum ut quis ob *haeresin* dictae Excommunicationi subjaceat, sequentes requiruntur conditiones, videlicet I. Ut quis sit *haereticus formalis*, juxta dicta *num.* 234 Hinc Rustici, et alii plebei Lutherani, et Calvinistae, si redeuntes ad Fidem nostram soli *materiales* Haeretici fuisse cognoscuntur, in Foro interno a quolibet absolvi possunt, uti bene advertunt Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 13. *num.* 4. Pirhing *h. t. num.* 111. quamvis laudabilis plurium Dioecesium consuetudo ubique merito imitanda habeat, quod etiam tales mittantur ad Episcopum, vel eos, qui specialem facultatem absolvendi ab *haeresi* habent, ut ibidem quoad utrumque Forum, emissa etiam publica Fidei professione absolvantur: idque pro majori securitate Fori non tantum externi, sed etiam interni; cum saepe dubium et periculum sit, an non tales sint, vel fuerint etiam *haeretici formales*.

240 II. Conditio est, ut *haeresis* sit *externa*, modo *num.* 236. explicata, ob rationem ibidem allegatam Hinc *haereticus* mere *mentalis*, seu *internus* a quovis absolvi potest, utpote Excommunicationi minime subjectus.

III. Conditio est, ut actus externus, quo *haeresis interna* manifestatur, fiat animo et intentione asserendi seu profitendi *haeresin*. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 7. *et* 17. Layman *loc. cit. cap.* 14. *n.* 3. Pirhing *h. t. num.* 19. cum communi. Ratio est; quia Excommunicatio lata est propter externum peccatum *haeresis*; quale *non* est *nisi* illud, quod ab interna *haeresi* procedit, et informatur, quod fit, dum quis eam actu externo asserere, et profiteri intendit. 241

Additur communiter *Conditio* IV. videlicet, ut actus externus, quo res interna proditur, Sit moraliter malus. Verum haec *Conditio* in praecedenti jam includi videtur: quia quandocunque actus externus fit animo asserendi, seu profitendi *internam haeresin*, jam hoc ipso est moraliter malus, etsi alias ex natura sua talis non esset uti bene advertit Sporer *Tom.* 3. *Tr. in primum Praeceptum Decalogi*, *cap.* 3. *num.* 23. 242

Caeterum ex dictis *Conditionibus* infertur, vere incurrere Excommunicationem illum, qui *haeresin*, cui interne adhaeret, v. g. *non dari Purgatorium; Christum non esse Deum. Praecepta Ecclesiae non esse servanda* etc. verbis; scriptis, vel alio signo externe sufficienter expressivo, animo eandem asserendi, seu contestandi vel profitendi, manifestat: v. g. qui etiam solus secum loquens dicit: *non datur Purgatorium; Christus non est Deus*; vel qui animo eandem profitendi die Veneris comedit carnes; vel die Festo non audit Missam; coram Sanctissimo Sacramento non flectit genu, caput non denudat. 243

Econtra ab Excommunicatione immunem esse I. Qui *haeresin* animo conceptam externe manifestat alteri, consilii gratia; vel ut ab eo magis instruatur: quia hic actus *non* est peccaminosus. 244

II. Qui legendo, narrando, disputando, externe profert *haeresin*, quam interne fovet, *non* animo eam confirmandi, aut exprimendi, sed praecise legendi, disputandi, aut *narrandi* gratia; quia non profert illam ut propriam, sed ut alienam; consequenter deest *secunda Conditio*. 245

III. Qui *haeresin* suam *internam* externe quod profert, verbis tamen, aut signis ex natura sua eandem *non* sufficienter exprimentibus; v. g. si quis interne credens, *Christus non est Deus*, vel *Christus non est sub speciebus panis aut vini*; externe solum diceret, *non est Deus*; vel *credo sub speciebus non esse*: quia haec verba non sufficienter exprimunt dictam *haeresin*, nec posset Ecclesia ex illis solis aliquem *haeresis* reum judicare, cum ea se sint indifferentia, et posset quis subintelligere, et dicere valle; *Murus non est Deus; credo sub speciebus non esse solum hominem etc.* deest ergo in similibus *tertia Conditio*. De his a *num.* 243. positis et aliis pluribus hujusmodi exemplis videri poterit Sanchez *cit. c.* 8. *num.* 8. Layman *loc. cit* a *num.* 1. Pirhing *h. t. a n.* 16. 246

Resp. II. Non tantum *haeretici*, sed etiam Credentes eis, Receptores item Defensores et Fautores eorumdem Excommunicationi summo Pontifici reservatae subjacent Rursus certa ac unanimis claris Juribus, *cit. c. Excommunicamus* 13. *h. t.* ibi: *Credentes praeterea, Receptores, Defensores, et Fautores haereticorum Excommunicationi subjacere decernimus*, cum Concordantiis; et Bulla Coenae, quae textu *num. praeced.* allegato immediate subjungit: *Ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores.* 247

Credentes autem ad propositum censentur non 248

tantum illi, qui uni alterive errori *haereticorum* contra Fidem creduat, et signo externo assentiunt, sed etiam, qui in communi eis assentiunt, v. g. verbo vel facto externo manifestantes, *se credere quidquid Lutherani, vel Calvinistae credent.* Barbosa *in c. Excommunicamus.* 13. *h. t. num.* 20. Pirhing *h. t. num.* 106. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 55. Layman *lib.* 2. *Tract.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. et alii bene etiam advertentes, quod etsi hi *Credentes*, re ipsa, veri sint *haeretici*, ac horum nomine veniant, tamen ne quis de eorum Excommunicatione dubitare posset, specifice expressi sint. Inter *Credentes* Haereticis reputantur etiam illi, qui implicite eis creduat, idque facto, aut signo externo absque voce manifestant, v. g. qui in infirmitate *haereticum* Pastorem vocant, ab eoque manus impositionem pro sua consolatione, et auxilio petant, Pirhing *loc. cit. num.* 109 *arg. c. Filii* 3. *h. t. in* 6. ibi: *Filii eorum, qui dum in lecto infirmi decumberent, petierunt haereticos Consolatores, ut per manus impositionem ab eis consolationem reciperent,* etc.

249 *Receptores* Haereticorum sunt, et dicuntur illi, qui *haereticum* ob causam *haeresis* fugientem, seque occultantem, ne in manus Judicis veniat, alicubi recipiunt, et multo magis, si ad hunc finem abscondunt. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 10. *num.* 10. Farinacius *de haeresi. q.* 182. *num.* 152. Layman *loc. cit.* Pirhing *loc. cit. num.* 112. Nec refert, sive privata persona id faciat, sive publica, aut Princeps recipiendo *haereticum* in Provinciam, aut Civitatem, sive in propriam, sive alienam domum, quia Jus quoad locum non distinguit. Sanchez *loc. cit.*

250 *Defensores* sunt, qui quovis modo, vi aut dolo, verbis, aut calamo *haereticorum* errores, vel personas defendunt, et etiam in *haeresi* manentes tuto possint vivere, aut ne in manus Judicis veniant, aeve ab eis puniantur; item qui ob *haeresin* captos, e carceribus aut manibus Judicum eripiunt, eos puniri prohibent, impediunt etc. Barbosa *in cit. c. Excommunicamus.* 13 *h t. num.* 2. Pirhing *loc. cit. n.* 113. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 6. Sanchez *cit. cap.* 10. *num.* 18.

251 *Fautores* (qui cum *Receptoribus* subinde coincident) dicuntur, qui quovis modo, sive *positive*, sive *negative* auxilium, et favorem praebent *haereticis* ne ob *haeresin* capiantur, puniantur, ejiciantur, vel ut a manibus Judicum liberentur, aut poenas evadant. Sic *positive* favent, qui ob dictam finem dant eis auxilium, consilium, ne ob *haeresin* e Regno, vel Provincia ejiciantur, coerceantur, vel qui executionem justitiae directe vel indirecte impediunt, dissuadent, allegando, eos esse viros probos, fieri eis injuriam etc. vel qui directe aut indirecte praebent auxilium vel consilium, ut alicubi recipiantur, in libero suae Sectae exercitio permittantur etc. *Negative* vero favere dicuntur, qui quod contra *haereticos* ob *haeresin* ex Officio facere debent, omittuntur, ut si v. g. Magistratus vel alii Ministri justitiae ibi, ubi vi validae pacis, aut tractatus non impediuntur, *haereticos* capere, vel captos debite custodire, aut punire omittunt. Azorius *cit. cap* 15. *q.* 7. Layman *lib.* 2. *Tr.* 1. *cap.* 14 *n.* 5. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 11. *et seqq* et alii.

252 Eidem Excommunicationi ipso facto etiam subjacent, qui Haereticum, aut ejus Fautorem, Receptorem, vel Credentem eidem corpus in loco sacro sepeliunt, textu claro *c. Quicunque* 2. *h. t.* ibi: *Quicunque haereticos, credentes, receptores, defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserint Ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem Excommunicationis sententiae se noverint subjacere.* Haec tamen Excommunicatio nullibi reperitur reservata Papae; consequenter ab ea quivis absolvere poterit, dummodo Excommunicatus prius faciat, quod Jus praescribit *c.* 2. *h. t. in* 6. praescribit illis verbis: *Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, et projiciant hujusmodi corpora damnatorum.*

Resp. III. *Receptores*, *Defensores*, et *Fautores* 253
Haereticorum Excommunicationem Papae reservatam incurrunt, etiamsi non habeant formalem et directam intentionem ideo receptandi, vel defendendi *haereticos*, vel eisdem favendi, ut in sua *haeresi* permanere, vel eam docere, defendere, vel ulterius diffundere valeant; sed propter aliud motivum, amoris v. g. amicitiae, commiserationis, consanguinitatis, affinitatis etc. Dummodo sua receptione, defensione, aut favore, re ipsa scienter faciant, aut impediant, ne ob *haeresin* arresetur, capiatur, puniatur, aut idipsum ex officio facere omittunt etc. Sylvester ℣. *haeresis* 1. *q.* 7. §. *Fautores.* Ugolinus *de Censuris Papae reservatis*, *p.* 1. *cap.* 1. ℣. *Receptatores.* §. 1. *num.* 3. Vivaldus *in Explanat. Bullae Coenae*, cum Communi aliorum contra Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 5. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 14. *num.* 5. *arg. L.* 2. *ff. de Receptat.* ubi habetur, etiam illum, qui causa consanguinitatis latronem recipit, puniendum esse. Ratio vero est: quia re ipsa, et in effectu potest quis tali receptione ad conservandam, vel promovendam *Haeresin* concurrere, adeoque vere ac proprie *Receptator* Haeretici est, quamvis id non faciat ex formali, ac directa intentione.

Queritur III. An? et qualiter ob *Haeresin* quis 254
contrahat poenam *Irregularitatis*? Resp. I. Omnes Haeretici *notorii*, seu publici notorietate *Facti*, vel Juris, ipso facto sunt *irregulares*, ita ut nec suscipere Ordines, nec susceptos exercere valeant, etiamsi convertantur, et ab *haeresi* absoluti sint. Communis, ac certa, *arg. can.* 1. et *can. Saluberrimum.* 21. *cau.* 1. *q* 7. juncto c. 2. § *haeretici.* et *c. Statutum.* 15. *de haeret. in* 6. ubi *haeretici* redduntur inhabiles ad Beneficia Ecclesiastica, ad quae etiam *Ordo* pertinet. Porro poena *Irregularitatis* afficit etiam *Credentes* Haereticis, eorumque *Receptatores*, *Defensores*, et *Fautores. cit. c.* 2. §. *haeretici*, et *Statutum*, *h. t. in* 6.

Resp. II. Quamvis non improbabile videatur, 255
quod nec Haereticus *occultus*, nec *Receptores*, vel *Defensores* illius sint *irregulares*, uti tenet Avila *p.* 7. *disp.* 5. *dub.* 2. Henriquez *lib.* 14. *cap* 4. *num* 11. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 4 *num.* 12. Farinacius *de haeresi. q.* 192. *num.* 79. Pirhing *h. t. num* 46. *arg. c. Ad abolendam.* 9. *h. t.* ubi sermo est de Haeretico *publico*, ubi etiam *in can Saluberrimum. can* 21. *cau.* 1. *q.* 7. Rationem allegant, videlicet, quia non propter *haeresin* solam, sed quatenus annexam habet Juris infamiam, Irregularitas decreta videtur in *haereticos*, quae infamia locum non habet in *haeresi occulta*, tamen probabilius, Jurique conformius est, etiam *occultos haereticos*, *Receptatores*, *Defensores* etc. esse *irregulares* Farinac. *de Haeresi. q.* 192. *n* 68. Sanchez *lib.* 2. *Moral cap.* 23 *num.* 2. Sylvester ℣. *Crimen q* 2. *n.* 3. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *q* 3. *et cap.* 21. *q.* 8 cum Communiori et veriori aliorum. Tum quia Jura universaliter loquuntur: Tum quia Clemens VII. Inquisitoribus concedit facultatem dispensandi in *Irregularitate* ob *haeresin occultam.* Tum quia ratio ab Adversariis allata non subsistit juxta dicenda *num.* 276. Hinc sicut ob *haeresin occultam* contrahitur Excommunicatio, ita et *Irregularitas.*

Queritur IV. An? et qualiter *haeresis* inducat 256

poenam *Inhabilitatis* ad Dignitates, Beneficia, et Officia Ecclesiastica? Resp. I. Certum est, hanc poenam ipso facto incurrere *haereticos*, et *Credentes* eisdem, nec non *Receptatores*, et *Fautores*, eorum. Omnes, claris Juribus *Quicunque* 2. §. *haeretici*. *h. t. in* 6. ibi: *Haeretici autem credentes, receptatores, et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Beneficium, seu Officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane.* Quod idem statuitur *c. Statutum* 15. *eod. in* 6.

257 Quare collatio Beneficii facta *haeretico* est ipso Jure nulla; teneturque illud in *haeresi* accipiens iterum dimittere, et fructus inde perceptos restituere ante omnem Judicis sententiam, hoc ipso, quod injuste, ac sine justo titulo sint recepti. Farinacius *de haeresi. q.* 189. *num.* 71. Castro Palao *de haeresi, tr.* 4. *disp.* 5. *pun.* 5. *nu.* . Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 26. *nu.* 4. Garcias *p.* 11. *de Benefic. cap.* 10. *num.* 72. *et* 80. Pirhing *h. t. num.* 49.

258 Resp. II. *Haereticus* est, et manet *irregularis*, et *inhabilis* ad Beneficia, et Officia Ecclesiastica, etiamsi *haeresin* abjuret, et absolvatur ab ea, saltem si fuit *haereticus* manifestus, seu *notorius*. Palao *loc. cit. num.* 2. dicens, id esse certum, Hostiensis *in Summa h. t.* §. *Quando, et qualiter. num.* 12. Gamoianes *in c. Super ea h. t.* et alii relati a Farinacio *de haeresi. q.* 193. *num.* 68. Ratio est; quia *haereticus notorius* est *irregularis* per dicta supra *n.* 254. *Irregularis* autem est inhabilis ad Beneficia, donec absolvatur ab ea, ergo.

259 Dicitur autem notanter, *saltem si haereticus fuit notorius*, quia num etiam *haereticus occultus* maneat inhabilis, postquam ab *haeresi* conversus, et absolutus est, controvertunt Doctores, uti videre est apud Farinacium *de haeresi q.* 189. *nu.* 82. *et seqq. et q.* 193. *a num.* 66. et alios Doctores, quos consule. Nobis, spectando Jura utpote indistincte loquentia *affirmativa* videtur probabilior.

260 Quaeritur V. An? et qualiter *haeresis* privet Beneficiis, et Officiis Ecclesiasticis prius rite obtentis? Resp. I. Certum est, Beneficiis, et Officiis prius rite obtentis privari omnes in *haeresin* labentes, eorumque *Receptatores*, et *Defensores*. Communis, et certa, *arg. c. Ad abolendam.* 9. *h. t.* ibi: *Omni officio, et beneficio spoliatus saeculari relinquatur arbitrio potestatis*, et *c. Ut commissi.* 12. *eod. in* 6. ibi: *Privandi praeterea vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis etc. et Officiis, ac honoribus publicis quibuscunque eosdem haereticos, Receptatores, ac Defensores eorumque filios et nepotes.*

261 Controversia autem est inter Doctores, utrum in *haeresin* lapsus ipso Jure sit privatus, vel primum per sententiam Judicis condemnatoriam privandus? Hanc *posteriorem* partem tenent Vasquez 1. 2. *disp.* 172. *cap.* 2. *num.* 11. Alphonsus de Castro *lib.* 2. *de Justa haeret. punitione*, et alii apud Castro Palao *de haeresi tr.* 4. *Disp.* 4. *pun.* 4. *num.* . ex illo fundamento, quod, quando dubium aut controversia est, an poena aliqua ipso Jure censeatur inflicta, an vero per Judicis sententiam infligenda, benigniorem sententiam oportet eligere, *arg. c. In poenis de R. J. in* 6. atqui dubium et controversia est, num Beneficiorum prius rite obtentorum poena ipso Jure incurratur, an vero per sententiam Judicis infligenda veniat, praesertim, quia etiam *c. Ut commissi.* dicitur, *vel privatos nuntiandi*, ergo. Quibus non obstantibus

262 Resp. II. Qui in *haeresin* labuntur, eorumque *Receptatores*, et *Fautores* ipso Jure Beneficiis, et Officiis Ecclesiasticis privati existunt Farinacius *de haeresi. q.* 189. *num.* 77. Garcias *de Beneficiis p.* 11. *cap.* 10. *nu.* 66 Gonzalez *de Regul. Cancellar. Glossa* 15 *num.* 65. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 6. Flaminius *lib.* 3. *q.* 1. *num.* 31. Castro Palao *loc. cit.* Covarruvias *Variar. Resolut. cap.* 8. *num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 26. *nu.* 6. cum communiori, et probabiliori aliorum, *arg. c. Ad abolendam h. t.* ubi per ly *Spoliatus* actualem privationem ab ipso Jure impositam denotari, satis liquet; et *c. Ut commissi.* 12. *eod. in* 6.

Nec obstat, quod *c. Ut commissi.* 12. *h. t.* dicatur *privandi*, vel *privati* nuntiandi; Nam, uti bene advertunt Doctores citati, ibi dictio *vel*, non disjunctive, sed expositive, seu declarative accipienda est, ut sensus sit, *privandi*, hoc est *privati* nuntiandi: idque ob dicenda *infra*. 263

Confirmatur praxi, et consuetudine, *quae est optima Legum interpres*, *c. Cum dilectus de Consuetud.* praesertim quam observat stylus Curiae Romanae, utpote quae pro lege haberi solet, *arg. c. Ex litteris. de Constit.* et *c. Quam gravi de Crimine falsi*; atqui juxta consuetudinem et stylum Curiae Romanae *haereticus* a die commissi Criminis *haereseos* censetur privatus Beneficio, ita ut a lapsu in *haeresin* nulli amplius resignari, sed a quovis impetrari valeat, de quo stylo Sanchez, et Farinacius citati; ergo. 264

Illud tamen notandum, quod, licet ob lapsum in *haeresin* quis ipso Jure privetur Beneficiis prius obtentis; tamen ante sententiam Criminis declaratoriam illud dimittere, et fructus post privationem ipso Jure statutam perceptos restituere non teneatur. Farinacius *q.* 189. *num.* 80. Sanchez *loc. cit. num.* 7. Castro Palao *loc. cit. num.* 3. Azorius *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 3. Ratio est; quia quandocunque poena ipso Jure lata etiam externam executionem requirit, tunc ad inducendam obligationem in conscientia requiritur sententia declaratoria Criminis commissi, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constit. a num.* 229. *arg. c. Cum secundum* 19. *h. t. in* 6. 265

Infertur proin, *privationem* Beneficiorum prius rite obtentorum locum non habere, quamdiu *haeresis* manet *occulta*, licet caeteroquin vere sit *externa* in sensu *num.* 236. explicato; quia quamdiu *occulta* est, declarari non potest, ut consideranti patet. 266

Quaeritur VI. Quid Juris circa privationem *Sepulturae*, quam *haeresis* inducit? Resp. I. Quicunque *haereticus*, in *haeresi* notorie decedens, sicut etiam *Receptatores*, *Fautores*, et *Defensores* eorum ipso Jure privati existunt *Sepultura Ecclesiastica*, et jam diximus *Lib. III. de Sepulturis a n.* 78. *arg. c. Sicut* 8. *h. t. et c.* 2. *eod. in* 6. ubi ulterius disponitur, quid Juris, si *haereticus* in loco sacro sepelitur? ibi: *Quicunque haereticos, credentes eis, receptores, defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserit Ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiae se noverint subjacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, et projiciant hujusmodi corpora damnatorum, et locus ille perpetua careat sepultura.* Vide etiam quae diximus *cit. Lib. III. de Sepultura nu.* 78. 267

Quaeritur VII. An etiam, et quas *Poenas spirituales* incurrant filii, et nepotes *haereticorum*? Resp. I. Tam filii, quam nepotes patris *haeretici*, soli autem filii, non item nepotes matris *haereticae* ipso Jure sunt *inhabiles* ad Officia, et Beneficia Ecclesiastica, et *irregulares* Omnes ob clara Jura *c. Quicunque.* 2. §. *haeretici. h. t. in* 6. cujus textum lege supra *num.* 256. et *c. Statutum.* 15. *eod.* 268

in 6. ubi fidem repetitur, simulque additur: *Primum et secundum gradum* (consequenter filios, et nepotes) *per paternam lineam, per maternam vero ad primum* (filios scilicet) *dantaxat volumus hoc extendi.* Idem est de filiis et nepotibus *Credentis, Receptatoris, Defensoris,* et *Fautoris* alicujus *Haeretici*, utpote de quibus praefata Jura pariformiter loquuntur.

269 Infertur: Filium Matris *haereticae* esse inhabilem ad Officia, et Beneficia, ac Ordines, etiamsi pater illius esset *Catholicus*; item filium, et nepotem patris esset *inhabilem*, etsi mater esset *Catholica*, uti post Glossam *in cit. c. Statutum.* 15. *h. t. in* 6. ℣. *Inane*, bene advertit Farinacius *de Haeresi q.* 191. *num.* 63. Pirhing *h. t. num.* 104. et alii.

270 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo parentes dictorum filiorum se convertunt, atque Ecclesiae credunt, et obediunt, aut obedire parati sunt, ad eo enim tempore filii eorum Ordinum, Officiorum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum, capaces sunt, sive dein ante, sive post conversionem eorum nati sint; prout satis clare dispositum habetur *cit. c. Statutum* 15. §. *Hoc sane h. t.* in 6 ibi: *Hoc sane de filiis, et nepotibus haereticorum credentium, et aliorum hujusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur; intelligendum esse, videtur: non autem illorum, quos amendatos esse constiterit, et reincorporatos Ecclesiae unitati, et pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiae poenitentiam recepisse; quam ipsi vel jam perfecerunt, vel humiliter persecutioni ejus insistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem*

271 Hinc Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 37. *num.* 6. bene advertit discrimen inter parentes *haereticos*, credentes etc. et descendentes illorum quoad hanc poenam, videlicet, quod parentes maneant ad cuncta Officia, et beneficia Ecclesiastica *inhabiles*, etiam postquam fuerint conversi, nisi dispensetur cum eis, per dicta *num.* 258. Filii vero illorum per parentum conversionem a poena hac *inhabilitatis* fiant immunes: ita ut absque ulla dispensatione Beneficium, vel Ordines suscipere valeant.

272 Nisi sint de parentibus in *haeresim* relapsis, horum enim filii, sicut et parentes remanent *inhabiles*, etiamsi parentes hujusmodi denuo convertantur. Farinacius *de Haeresi. q.* 191 *num.* 65. Ancharanus *in cit.* c *Statutum. h. t.* 1. *num.* 6. *not.* 3. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 23. Pirhing *h. t. num.* 105. cum communiori et probabiliori aliorum cum Glossa ibidem ℣. *Incorporatos*. Ratio est: quia ad hoc, ut filii *haereticorum* sint *habiles* ad Beneficia, duo requiruntur, videlicet I. Ut parentes eorum sint emendati, et conversi. II. Ut Ecclesiae unitati sint incorporati, seu reconciliati: Quod posterius deest in relapsis etiam poenitentibus; utpote, qui non obstante iterata conversione, et poenitentia illorum, sine ulla Ecclesiae audientia poniendi relinquuntur Curiae, et Potestati saeculari, texto expresso. *Super eo* 4. *h. t in* 6 consequenter Ecclesiae vere *reconciliati*, aut unitati ipsius *incorporati* non censentur; quamvis aliqui contrarium sentiant.

273 Nonnulli Conclusionem utrriusque quoad filios, et nepotes *Haereticorum, Receptorum, Fautorum etc.* in Germania limitant: Tum quia *Irregularitas*, et *inhabilitas* ad Beneficia afficiens *haereticos* videtur provenire ex radice *infamiae*, cui de Jure subjacent *haeretici* per dicenda infra num. 293. atqui in Germania *haeretici* infamia non laborant; utpote qui per *Foedera* et *pacta publica*, praesertim pacem *Monasteriensem*, et *Osnabrugensem* ab omni Juris poena immunes, pari libertate, privilegio et favore cum Catholici gaudent; et proin causa et radice *Irregularitatis*, et *inhabilitatis* ad Beneficia in eis cessante, effectus quoque in eisdem cessare merito censetur: *arg. c. Cum cessante causa.* 60. *de Appellat.* ibi: *Cum cessante causa cessat effectus:* Tum quia in eadem Germania Juri contrario derogatum videtur per consuetudinem legitime praescriptam, *c. fin. de Consuetud.* et *l. De quibus* 32. *ff. de Legib.* constat enim, tam ad Ordines, quam ad Beneficia sine difficultate, ac sine dispensatione admitti filios; et nepotes *haereticorum*, eorumque *Defensorum, Receptatorum* etc. in Germania. Quibus non obstantibus,

274 Resp. II. Etiam in Germania, et Romano Imperio filii, ac nepotes Haereticorum ipso jure sunt *irregulares*, et *inhabiles* ad Dignitates, Beneficia, et Officia Ecclesiastica, nisi alicubi consuetudo legitime praescripta in contrarium existat, et prout Juris, probari valeat. Ita communissima Doctorum etiam Germanorum, utpote qui indistincte et sine exceptione *Germanorum* docent, filios et nepotes omnium *haereticorum* esse *irregulares*, et *inhabiles* ad Beneficia et Officia Ecclesiastica Conclusio, loquendo de Jure communi est certa, prout ipsi fatentur Adversarii; eo, quod Jus universaliter, et sine ulla distinctione omnes *haereticorum* filios, et nepotes praefatae *irregularitati* et inhabilitati subjiciat; Juris autem verba generaliter sunt intelligenda, c. *Quia circa* 22. *de Privileg.* et ubi *Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, per *vulgaria.* Hinc solum probandum, quod Juri communi circa has poenas in Germania non fuerit derogatum per fundamenta ab Adversariis allegata, publica videlicet *Pacta* et *Foedera* infamiam abolentia, ac consuetudinem contrariam.

275 Et quidem, quod per memorata publica *Foedera* et *Pacta* Principum Catholicorum cum *haereticis* inita nullatenus SS. Canonibus, et legibus Ecclesiasticis, poenisque praesertim spiritualibus per eas statutis fuerit derogatum, patet; quia Laici in Lege Ecclesiastica, vel poenis per eas latis dispensandis, vel per *Pacta, Foedera*, et *Statuta* illis derogandi, vel tollendi easdem, penitus nullam habent potestatem; cum respectu SS. Canonum omnes Christi fideles etiam Principes, imo et Haeretici sint veri Subditi, et teneantur eisdem, ut cum communi et certa aliorum supra *Lib. I Tit II. de Constitut.* §. 12. diximus; Consequenter *Pacta*, et *Foedera* et *Statuta* eorum contra Canones nil valent, nisi ab Ecclesia acceptentur, et approbentur; atqui memorata *Pacta*, et *Foedera* Catholicorum cum Haereticis contra leges et poenas Ecclesiasticas facta, ab Ecclesia non fuere acceptata, et approbata, sed potius positive reprobata, juxta dicta supra *n.* 154. ergo.

276 Confirmatur: quia si dato, non concesso per memorata *Foedera*, et *Pacta* publica omnis etiam Jure Canonico inducta infamia fuisset sublata, tamen per hoc non esset sublata *Irregularitas*, et *inhabilitas* ad Beneficia, et Officia Ecclesiastica, eo quod poena *Irregularitatis*, et *inhabilitatis* ad Beneficia ab Ecclesia non fuerit lata ob infamiam eorum, prout male, et sine fundamento supponit Objectio, sed in odium *haeresis*, ad eamque evertendam, et extirpandam, ob quem finem ipsa quoque infamiae poena in eos statuta est, quatenus nempe timore similium poenarum deterriti alii ab *haeresi* sibi caveant, et alii ab eadem convertantur: ergo.

277 Confirmatur: *haeretici* omnes etiam in Germania juxta ipsos quoque Adversarios sunt *irregulares*, et *inhabiles* ad Officia et Beneficia Ecclesiastica non obstante, quod juxta eosdem Adversarios e poe-

na infamiae in Germania sint immunes; ergo infamia *haereticorum* non est causa et radix *Irregularitatis*, et *inhabilitatis* ad eorumdem Officia, et Beneficia Ecclesiastica; consequenter etiam filii eorum sunt, et manent *irregulares*, et *inhibilitatis* ad Beneficia, etsi dato, non concesso ab omni Juris infamia essent immunes

278 Probatur nunc etiam, quod neque per consuetudinem derogatum sit praefato Juri communi quoad filios, et nepotes *haereticorum*: Tum quia de illa universaliter non constat, nec universaliter pro Germania probari poterit, quod tamen requiritur ad hoc, ut effectum contra Juris dispositionem universaliter habeat per dicta *Lib. I. Tit. IV. §. VI.* Hinc etiam Papa casu ad Curiam suam delato, juxta dictam Legem judicat, et filios nepotesque *haereticorum* etiam in Germania *irregulares*, et *inhabiles* ad Beneficia declarat, uti testatur summe in his practicus Corradus Prax. *Dispensat. Apostol. lib.* 3. *cap.* 4. *a n.* 1. ergo.

279 Accedit; in ipsa etiam Germania filios *haereticorum* ut *irregulares* et *inhabiles* ad Beneficia in praxi reputari; prout ipsi vidimus, dum quidam de Nobilissima Familia, et optime Catholicus ideo praecise, quia a Matre *haeretica*, et in *haeresi*, defuncta erat genitus (Patre ipsius tunc jam converso existente) non fuerit admissus, donec Roma dispensationem attulerit.

280 Dicitur autem notanter in Conclusione num. 274. posita, *Nisi alicubi consuetudo legitime praescripta in contrarium existat, et prout Juris probari valeat*; cum enim poena *Irregularitatis*, et *inhabilitatis* ad Beneficia a sola Lege humana proveniat, ei per consuetudinem legitime praescriptam derogatur in loco, ubi vere existit, *arg* c. *fin. de Consuetud.* dummodo, prout Juris, probari valeat; quod difficillimum est, ut constat ex dictis *Lib. Tit IV. de Consuetud.* §. 7. *per totum*: ubi etiam num. 171. cum communi, et certa aliorum diximus, illum teneri probare consuetudinem, qui eam pro favore sui allegat, *arg. L.* 2. *ff. de Probat.* Porro per hoc, quod quis probat, consuetudinem existere in una vel altera Dioecesi, aut Provincia Germaniae, non hoc ipso probat, eam etiam in alia Diocesi, vel tota Germania existere; cum vis et effectus consuetudinis contra Legem in uno loco, aut Dioecesi non se extendat ad alia loca, ubi dicta consuetudo nondum existit; *per vulgaria*, ut proin ex eo, quia in una vel altera Germaniae Dioecesi existit consuetudo, filios *haereticorum* admittendi ad Beneficia, universaliter inferri, et doceri non possit, dicendo: In Germania filii, et nepotes *haereticorum* non sunt *inhabiles* ad Beneficia.

281 Resp. III. Filii *haereticorum Credentium*, *Receptatorum*, *Defensorum etc.* non tantum sunt *inhabiles* ad Officia, et Beneficia Ecclesiastica, sed insuper ipso Jure etiam privantur iis prius rite obtentis. Doctores supra num. 262. citati, item Farinacius *de haeresi q.* 191. num. 57. Joan. Andreas in c. *Ut commissi.* 12. *h. t. in* 6. Gutierr. *qq. Can. lib.* 1. *cap fin. num.* 38. Tum per Jura et rationes ibidem adductas, praesertim ex *cit. c. Ut commissi.* 12. *h. t. in* 6. cujus textum vide supra citato *num.* 260. ibi: *Eorumque filios, et nepotes etc.*

282 Vult quidem Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 28. *num.* 28. Abbas in *c. Urgentis.* 10. *num.* 4. *h. t.* et ibi Felinus *num.* 3. Menochius *Consil.* 805. num. 33. Clarus §. *haeresis. n.* 14. Pirhing *h. t. num.* 106. et plures alii a Sanchez citati, filios *haereticorum* privari quidem Beneficiis obtentis post lapsum parentum in *haeresin*, non vero illis, quae obtinuerunt ante parentum lapsum in Haeresin: quam sententiam idem Sanches pluribus probare conatur *ibid.*

Verum haec sententia non caret difficultate ob 283
c. Ut commissi. 12. *h. t.* ubi Papa pariter, et sine distinctione inter parentes *haereticos*, et filios eorum loquitur de poena privationis Beneficiorum illos afficiente, atqui parentes privantur ipso Jure Beneficiis ante *haeresin* obtentis per dicta *n.* 262. ut ipsemet fatetur Sanchez *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. *et seqq.* ergo etiam filii eorum.

Confirmatur: Sanchez, et alii supra *num.* 262. 284
citati fatentur, alios *haereticorum* privari Beneficiis prius rite obtentis *arg. cit. c. Ut commissi.* 12. *h. t.* ergo necessario privantur Beneficiis obtentis ante parentum lapsum in *haeresin* hoc ipso, quod post lapsum parentum in *haeresin*, et dum parentes isti sunt *haeretici*, Beneficium aliquod rite et valide obtinere non valeant; cum talium parentum filii ipso Jure sint *inhabiles* ad Beneficium rite et valide obtinendum, juxta Omnes per dicta supra *num.* 268. *arg. c. Quicunque* 2. *h. t. in* 6. consequenter, si filii ob *haeresin* parentum privantur Beneficiis prius obtentis, necessario privari debent obtentis ante lapsum parentum.

Confirmatur ulterius ex pluribus Constitutioni- 285
bus Pontificiis, quas refert Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 28. *num.* 27. (ad quas tamen *ibid. n.* 37. etiam respondere, easque pro se interpretari conatur) ut proin Sententia dicens, filios *haereticorum* ipso facto privari Beneficiis etiam ante lapsum parentum in *haeresin* obtentis, spectando Jura, omnino probabilior videatur; quamvis etiam Sanchezii contraria sententia supra *num* 282. allegata, satis aequa et non improbabilis appareat, quam etiam tenent Abbas in *c. Urgentis. h. t. num.* 4. ut ibi Felinus *num.* 3. Butr. *num.* 9. Covarruvias *Variar. Resolut. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 4. *in fine*, et plures alii a Sanchez citati.

Resp. III. Hactenus allegatis *Poenis spiritualibus* 286
subjacent *haereticorum* filii non tantum illi, qui post, sed etiam qui ante lapsum parentum in *haeresin* nati sunt. Farinacius *de haeresi. q.* 191. *num.* 52. Covarruvias *Variar. Resolut. lib.* 2. *cap.* 8. *a num.* 5. *per totum*, ubi relatis, et reprobatis contrariis fundamentis Conclusionem late probat, Surdus *Consil.* 386. *num.* 7. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap* 13. *Rubrica de quarta Haereticor. poena. q.* 8 Menochius *de Praesumpt. lib.* 5. *Praesumpt.* 33. *a num.* 17. Barbosa in *c. Statutum.* 15. *num.* 3. Riccius *de Jure personarum extra gremium existent.* et plures alii citati a Sanchez *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 9. Estque saeplus decisum in Rota Romana, teste Farinacio *loc. cit. arg. c. Vergentis.* 10. *h. t. c. Quicunque* 2. et *c. Statutum.* 15. *eod. in* 6 Quae et alia Jura filios *haereticorum* indistincte subjiciunt poenis. Rationes pro hac sententia plures affert Sanchez *loc. cit. n.* 9. Inter quas etiam sunt,

Primo, ut ea filiorum poena gravius supplicium 287
sentiant parentes *haeretici*; quae ratio aeque, imo fortius militat de filiis ante, quam post delictum parentum natis, cum longe vehementior sit amor parentum in filios jam natos, utpote quos prae oculis habent, quam in nascituros, quos non vident. Nec severitatem sapit, quod proles innocentes propter subsequens delictum parentum puniantur: Nam contra est: Tum quia juxta Omnes, filii etiam innocentissimi et Catholici puniuntur propter antecedentem *haeresin* parentum; ergo etiam propter subsequentem, cum non sit major ratio de parentum delicto antecedente, quam subsequente. Tum quia ipse Deus quoque filios ante delictum parentum natos, ob subsequens illorum delictum subinde punire solet, prout bene notat c. *Vergentis* 10. *h. t* ubi postquam de poena filiorum parentis *haeretici* ordinationem

fecit Papa, subjungit: *Nec hujusmodi severitatis censuram Orthodoxorum exhaereditatio filiorum, quasi cujusdam miserationis praetexta debet allatenus impedire; cum in multis casibus, etiam secundum Divinum judicium, filii pro parentibus temporaliter puniatur.*

288 *Secunda* ratio est; quia Jura praesumunt fore, ut filii imitentur mores parentum, *arg. l. Quisquis. §. Filii C. Ad Leg. Jul. Majestat.* et pluribus *loc. cit.* probat Sanchez.

289 Accedit praxis, et consuetudo *Optima legum interpres, l. De interpretatione ff. de Legibus* cujus constat, etiam ante crimen *haeresis* natos filios *haereticorum* puniri; de qua praxi plures etiam practici testantur Doctores, in specie Simancas *de Catholicis Instit. Tit.* 29. *n.* 22. Rojas *de Haeret. p.* 2. *num.* 356. Penna, etc. quibus, auctore teste Sanchez *loc. cit.* fuerint Inquisitores Fidei, utique credendum.

290 Plures rationes et fundamenta hujus sententiae, qui desiderat, videat apud Covarruviam *loc. cit.* et Sanchez *loc. cit. a num.* Qui tamen ultimus postquam longe lateque probavit nostrae Conclusionis sententiam, *num.* 10. amplectatur, et usque ad finem probare conatur contrariam, videlicet filios *haereticorum* natos ante *haeresin* poenis Juris non subjacere: quem, dato casu, pro favore talium filiorum legere poteris.

291 Quaeritur VIII. Quid Juris de illis, qui ad preces vel recommendationem *haereticorum* acquirunt Beneficia? Resp. Illos ipso actu in perpetuum privari taliter acquisitis, et, si tale Beneficium *scienter*, id est, scientes, eum, qui preces offert, esse *haereticum*, ut explicat Glossa *in c. Statim citandum* ℣. *Scienter, acceperunt*, etiam ad alia fieri inhabiles, ita clare statuitur c. *Quicunque §. Ad haec h. t. in* 6. ibi: *Ad haec quoscunque viros Ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum Dignitates, Personatus, et quaecunque alia Ecclesiastica Beneficia sunt adepti, ex tunc privamus taliter acquisitis; volentes, quod tales et habitis careant perpetuo, et si receperint illa scienter, ad alia vel similia nequaquam imposterum admittantur.*

§. VI.

De Poenis Haereticorum temporalibus, et corporalibus.

SUMMARIUM.

292 *Poenae haereticorum* temporales *in compendio referantur.*
293 I. *Est* Infamia, *ad quam tamen requiritur sententia declaratoria Judicis.*
294 *Nisi sit haereticus notorie talis.*
295 *An? et qualiter poena* Infamiae *afficiat Fautores, Defensores etc. haereticorum?*
296 *Haeretici sunt inhabiles ad Officia, honores et actus Civiles.*
297 II. *Poena est* Intestabilitas *activa, et passiva.*
298 *Etiam ad pias causas.*
299 *Quae secundum aliquos primum post sententiam declaratoriam*
300 *Secundum probabiliorem veraante illam obligat.*
301 III. *Est Privatio patriae potestatis.*
302 IV. Amissio *Dotis, et omnium privilegiorum mulieribus de Jure competentium.*
303 V. *Est* Confiscatio *omnium bonorum.*
304 *Quae tamen ante sententiam declaratoriam non obligat.*
305 *Nisi haereticus sit notorie talis.*
306 *Executio* Confiscationis *a quo, et quomodo fieri debeat; sive sit haereticus Clericus, sive Laicus?*
307 *In ea attenditur tempus, et dies criminis commissi, etiam post mortem haeretici.*
308 *Plura de hac Poena, Remissive.*
309 VI. *Liberatio ab omni obligatione, qua servi, et alii haeretico erant obstricti. Et num. seq.*
311 *Etiamsi obligatio fuerit jurata.*
Papa potest aliquem absolvere a vinculo juramenti. ibid.
312 *Qui debet aliquid haeretico, non tenetur solvere illi.*
313 *Nec servus ei obedire, vel obsequi.*
314 *Qui liberantur ab obligatione haeretico debita, adstringuntur Fisco.*
315 *Exceptis servis Catholicis.*
316 *Fides publica, per auctoritatem publicam data, etiam haereticis servanda est.*
317 *Idque vi Jure gentium, ac Divini.*
318 Hussio *Fides publica data in Concilio Constantiensi non fuit fracta.*
Fidem frangenti fides frangi potest. Ibid.
319 *Haeretici impoenitentes ultimo supplicio affici, et comburi debent, etiam Clerici, prius tamen degradati.*
320 *Haeretici relapsi etiam poenitentes ultimo supplicio afficiantur.*
321 *Relapsi alii sunt vere tales: Et qui?*
323 *Alii ficte tales: Et duobus num. seqq.*
325 *Haeretici non relapsi, si statim, ac deprehenduntur, poeniteant, poenam mortis evadunt.*
326 *Si quatuor concurrant conditiones.*
327 *Statim poenitere dicitur etiam adhuc ille, qui post sententiam ab Ecclesia contra se latam poenitet, antequam tradatur Curiae saeculari.*
328 *Haeretici etiam non relapsi, et statim poenitentes perpetuis subjacent carceribus.*
329 *Deprehensi in haeresi qui dicantur? Et num. seq.*
331 *Cum damnatis ad carceres perpetuos potest, et solet dispensari.*
332 *Et quomodo?*
333 *Filii et filiae etiam Catholici haereticorum privantur omni successione, et bonis paternis. Et num. seq.*
335 *Non item successione ascendentium, collateralium, vel aliorum Catholicorum.*
336 *Sunt etiam infames. Et num. seq.*
338 *A reliquis temporalibus, et corporalibus poenis sunt immunes.*
339 *De filiis haereticorum natis ante haeresin patris, Remissive.*
340 *In Germania haeretici Lutherani laici sunt immunes a poenis haereticorum temporalibus.*
341 *Non item Clerici haeretici.*
342 *Utrum alterius, quam Augustanae Confessionis et Sectae haeretici laici in Germania sint immunes a poenis haereticorum? usque ad num.* 346.

Poenae *haereticorum* temporales in compendio sunt sequentes. I. Est *Infamia*, et inde sequens inhabilitas ad omnes actus Civiles. II. *Intestabilitas* tam activa, quam passiva. III. *Amissio* patriae potestatis in filios IV. *Dotis*, et aliorum privilegiorum mulieribus de Jure concessorum. V. *Confiscatio* omnium bonorum VI. Quod Vasalli et servi, aliique liberentur ab omnibus etiam juratis obligationibus Domino, vel alii debitis. VII. *Poenae* corporales, mortis praesertim, et perpetui carceris. De quibus omnibus specialia instituemus Quaesita Hinc 292

Quaeritur I. *An?* et qualiter *haeretici* contrahant poenam Infamiae? Resp. I *haeretici* omnes sunt infames *Infamia Juris*. Communis, et certa. cum 293

Infames 17. *cau.* 6. *q.* 1. *c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes. h. t.* et *Authent. Gazaros. C. h. t.* ibi : *Omnes haereticos utriusque sexus quocunque Nomine censeantur, perpetua damnamus infamia.* Ad quam tamen incurrendam requiritur sententia non quidem condemnatoria, sed declaratoria criminis commissi, ut cum communi bene advertunt Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 26. *num.* 1. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 8. §. *Septima.* Pirhing *h. t. num.* 50. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 16. et alii.

294 Nisi crimen *haeresis* sit publicum, et notorium, tunc enim absque ulla sententia declaratoria ipso facto *infamis* est Haereticus, tamen, ut per conversionem iterum ipso facto aboleatur *infamia*, Sanchez *loc. cit. num.* 2. Azorius *loc. cit.*

295 Resp. II. Poena *infamiae* etiam Receptores, Defensores, et Fautores *haereticorum* afficit, non ante tamen, quam fuerint declarati excommunicati, et ab eo tempore intra annum satisfacere contempserint. Textu claro *cit. c. Excommunicamus.* 13. §. *Credentes. h. t.* ibi, *Credentes praeterea, receptores, defensores, et fautores haereticorum excommunicamus firmiter statuentes, ut postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit, ex tunc ipso Jure sit factus infamis.* Ex quo textu patet, hujusmodi Receptores etc. ab *infamia* esse liberos, si intra annum satisfecerint.

296 Resp. III. *haeretici*, eorumque Receptatores, Defensores etc. sunt etiam *inhabiles* ad honores, officia publica, et omnes actus Civiles, ita ut nec Judices, nec Advocati, nec Testes, nec Consiliarii, aut alii Officiales, vel Ministri publici esse valeant, Barbosa *in c. Excommunicamus* 13. *h. t. a num.* 25. Farinacius *de haeresi. q.* 89. *a num.* 43. eoque teste Canonistae omnes; *arg. cit. c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes h. t.* ubi post textum *num. praeced.* allegatum immediate subjungitur : *Nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur.* Concordat c. *Quicunque* 2. §. *haereticis. eod. in* 6. *Manichaeos.* 4. *l. Quae Samaritis.* 18. juncta Authent. *Credentes. C. de haereticis.* Quibus Juribus etiam statuitur, quod si quis horum ad honorem, dignitatem, aut officium publicum assumatur, vel aliquem ex dictis actibus exerceat, omnia nulla, et irrita esse.

297 Quaeritur II. An? et qualiter *haeresis* inducat poenam *Intestabilitatis*? Resp. I. *haeretici* nec Testamentum, nec Codicillum, nec aliam voluntatem ultimam facere, nec haeredes instituti, nec ex alia voluntate ultima quidquam capere, nec ab intestato succedere possunt. Commune, et certa, claris Juribus *cit. c. Excommunicamus* 13. §. *Credentes. h. t.* ibi : *Sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad haereditatis successionem accedat.* et *l. Manichaeos.* 4. §. 2. et §. 5. *C. h. t.* ibi : *Ipsos quoque volumus amoveri ab omni libertate, et successione, quolibet titulo veniente :* et infra §. 5 *Ergo et scriptura illius irrita sit, sive Testamento, sive Codicillo, sive Epistola, sive quolibet alio genere reliquerit voluntatem.* Concordant Authent. *Credentes*, et *l. Ariani*, et *l. fin. C. eod.* ibi : *Divinam nostram sanctionem, per quam jussimus, neminem errore haereticorum constrictum haereditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in ultimis Militis voluntatibus locum habere praecipimus, sive Jure communi, sive militari testentur.*

298 Et quoniam praefata Jura universaliter, et indistincte loquuntur, nec ad pias causas testari, vel ultimam aliquam voluntatem facere possunt *Haeretici.* Farinacius *de Haeresi. q.* 190. §. 6. *num.* 92. Barbosa *in c. Excommunicamus.* 13. *h. t. num.* 29. Pirhing *h. t. Nec militare testamentum concedere. l. fin. C. h. t.* nec filios instituere valent, *l. Manichaeos* 4. §. 6. *C. h. t.* ibi : *Sed nec filios, nec haeredes eis instituere, aut audire permittimus.*

Controversia autem est inter Doctores, num haec poena *Intestabilitatis* habeat locum etiam ante sententiam Judicis condemnatoriam, vel declaratoriam? Sanchez enim *lib.* 2. *Moral. cap.* 24. *num.* 3. et illum sequens Castro Palao *de Fide. Tr.* 4. *Disp.* 5. *pun.* 26. Farinacius *de haeresi. q.* 1. 190. *nn.* 89. Pirhing *h. t. num.* 74. et alii volunt, Testamentum *haeretici* ante sententiam Judicis esse validum, posse tamen per sententiam invalidari, *arg. c. Excommunicamus.* §. *credentes. h. t.* ubi dicitur : *sit intestabilis*, quo verbo *sit*, temporis futuri sententiam ferendam importari, dicunt. 299

Econtra Barbosa *in c. Excommunicamus. h. t. num.* 30. Covarruvias *in Clem. Si furiosus. p.* 1. §. 2. *num.* 2. Pennia *in Director. Inquisit. p.* 2. *comment.* 165. Peregrinus *de Jure Fisci*, *lib.* 5. *Tit.* 1. *num.* 172. et alii docent, Testamentum *haeretici* esse ipso Jure nullum, ita, ut si sequatur sententia declaratoria Criminis, effectus retrahatur ad diem commissi Criminis, et ab illo censeatur Testamentum nullum. Ratio est : quod, licet textus Juris Canonici interpretando trahi posset ad priorem sententiam, tamen Jure Civili clare sancitum habeatur, omnem ultimam voluntatem *haeretici* irritam esse, *cit. l. Manichaeos* 4. §. 5. *C. h. t.* textum lege supra *num.* 297. 300

Quaeritur III. Qualiter *haeretici* amittant *patriam potestatem*? Resp. Haeretici a die Commissi Criminis ipso facto amittunt *patriam potestatem* in liberos, hique efficiuntur sui juris, ita ut pater *haereticus* illos non emancipare, nec eis impuberibus substitutionem pupillarem facere valeat. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 24. *n.* 5. et 6. Farinacius *de haeresi q.* 197. *num.* 29. Pirhing *h. t. n.* 79. textu claro *c. Quicunque* 2. §. *fin. h. t. in* 6. et ibi Glossa communiter recepta; V. *Desierint.* 301

Quaeritur IV. An? et qualiter *Dotis*, et alia privilegia amittant Mulieres *haereticae*? Resp. *Privilegium Dotis, quo mulier Creditoribus tempore prioribus anteponitur, nec non de tacitis hypothecis, et alia omnia mulieribus a Lege data, clauduntur his, quae Catholicam non participant communionem*, ita in formalibus statuitur §. *Item privilegium. C. h. t.* Ex qua generali dispositione Decianus, et alii recte inferunt, etiam beneficium S. C. Velejani et alia Mulieribus haereticis adimi. 302

Quaeritur V. An? et qualiter in poenam *confiscentur Bona* Haereticorum? Resp. I. Bona Haereticorum omnia a die commissi Criminis ipso Jure censentur *confiscata*, ita ut nec filiis eorum Catholicis successio aliqua, vel haereditas relinquatur Barbosa *in c. Vergentis.* 10. *h. t. nn.* 3. *et* 19. Farinacius *de haeresi. q.* 190. *num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 14. *num.* 1. eoque teste Omnes, et vere, idque ob clara *c. Vergentis* 10. *h. t. c. Cum secundum* 19. *h. t. in* 6. ibi : *Bona haereticorum ipso Jure de Fratrum consilio decernimus confiscata.* Concordat Authent. *Gazaros. C. h. t.* ibi : *Censentes, quod omnia bona talium* (Haereticorum) *confiscentur, nec ad eos amplius revertantur, ita ut filii eorum pervenire non possint :* ubi etiam, sicut *c. Vergentis.* 10. *h. t.* ratio redditur : videlicet quod, cum Reorum criminis laesae Majestatis bona dicto modo confiscentur, *l. Quisquis.* 5. *pr. C. Ad Leg. Juliae Majestat. quanto magis* (sunt verba *c. Vergentis h. t.*) *qui aberrantes a Fide Domini Dei filium JESUM Christum offendunt, a Capite nostro, quod est Christus, Ecclesiastica debent districtione praescindi, et bonis* 303

temporalibus spoliari; cum longe sit gravius, aeternam, quam temporalem laedere Majestatem.

304 Resp. II. Quamvis *haereticorum* bona ipso Jure sint confiscata, indeque nulla requiratur sententia condemnatoria Criminis, juxta dicta: tamen requiritur sententia declaratoria ejusdem, ita ut ante hanc secutam *haeretici* possessionem non amittant, et bona sua *Fisco* tradere non teneantur. Farinacius *de haeresi. q.* 190. *numer.* 5. Barbosa *in c. Vergentis.* 10. *h. t. num.* 3. *et* 4. Surdus *de Aliment. tit.* 9. *q.* 52. *num.* 24. Sanchez *lib.* 2. *Disp.* 22. *numer.* 7. Pirhing *h. t. num.* 60. cum communissima aliorum, *arg. c. Cum secundum* 19 *h. t. ad finem.* Ratio est; quia leges poenales executionem requirentes, ante sententiam Judicis declaratoriam non obligant, nisi habeant clausulam *alia etiam declaratione non secuta*, prout amplius dictum, et probatum est *Lib. I. Tit. II. de Constitut. a num.* 227.

305 Limita tamen hanc Conclusionem in casu, quo *haereticus* est notorie *talis*, tunc enim nec declaratoria requiritur, Farinacius *de haeresi. q.* 190 *numer.* 5. Navarrus *h. t. Consil.* 40. *n.* 5. *et seqq.* Abbas *in c. Cum ab homine, de Judiciis. num.* 29. Felinus *in c.* 1. *de Constitut. nu.* 45. Pirhing *h. t. n.* 58. Ratio est; Quia sententia declaratoria Criminis tantum requiritur, ut constet de Crimine; ergo si hoc jam notorium est, ita ut celari non possit, declaratio illius non erit exspectanda, *arg. c. Evidentia, de Accusationib.* Volunt tamen quidam ex praefatis Doctoribus, in casu notorii Criminis requiri saltem, ut Judex assignet terminum ad excusandum factum, quo elapso executio poenae fieri potest absque ulla declaratione Criminis.

306 Resp. III. Executio *Confiscationis* fit sequenti modo, videlicet, quod, si *haereticus* est Clericus, bona ipsius intuitu Ecclesiae acquisita cedant Ecclesiae, cui servivit. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 20. *nu.* 24. Barbosa *in c. Excommunicamus h. t. n.* 7. Clarus ¶. *haeresis nu.* 13. Covarruvias *lib.* 3. *Variar. Resolut. cap.* 9. *n.* 12. et alii, *arg. c. Excommunicamus.* 13. §. *Damnati. h. t.* ibi: *Si vero Clerici applicentur Ecclesiis, a quibus stipendia acceperunt, bona vero illius patrimonialia cedant Fisco*, puta Episcopali, quia Clerici haeretici bona patrimonialia nullibi eximuntur a poena *Fisci*, Sanchez *loc. cit. num.* 22. Pirhing *h. t. nu.* 118. Farinacius *de haeresi. q.* 190. *num.* 154. et alii volentes, Episcopum debere bona hujusmodi *confiscata* ad causas pias applicare. Si autem *haereticus* est Laicus, *Confiscatio* fit per Judicem laicum, et bona *confiscata* pertinent ad *Fiscum* Principis saecularis, ita tamen ut executio hujusmodi fieri non possit, nisi prius a Judice Ecclesiastico sententia commissi Criminis declaratoria fuerit lata, *c. Cum secundum.* 19 *h. t. in* 6. ibi: *Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quae super hoc habeat potestatem, sententia super eodem Crimine fuerit promulgata:* Quia in causa *haeresis* solus Ecclesiasticus est Judex, juxta dicenda infra.

307 Resp. IV. In executione *Confiscationis* attenditur ad tempus, et diem *haeresis* commissae, ita, ut etsi declaratoria sententia, quia et accusatio *haeresis* primum post mortem *haeretici* fieret, effectus tamen sententiae retrotraheretur ad diem commissi Criminis, et restitutio bonorum ab eodem tempore facienda esset. Farinacius *de haeresi. q.* 190. *numer.* 9. Hostiensis *in c. Vergentis.* 10. *h. t.* et ibi Joann. Andreas *num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 60 *cum* Glossa communiter recepta *in c. Accusatus.* §. *Porro h. t. in* 6. *arg. cit. c. Accusatus*, ibi: *Ad confiscationem post mortem illius nihilo minus procedatur.*

Plura circa hanc *Confiscationis* poenam *haereticos* afficientem, qui desiderat, legat fuse de illa tractantes Farinacium *de haeresi. q.* 190. *per totum*, Castro Palao *de Fide Tract.* 4. *Disp.* 5. Sanchez saepe citatum, et alios. 308

Quaeritur VI. An vasalli et servi, aliique liberentur a privata *obligatione* debita Haeretico, et fide eidem servanda? Resp. Affirmative. Omnes ob claram Juris dispositionem *c. fin. h. t.* ibi: *Absolutos se noverint a debito fidelitatis homini, et totius obsequii, quicunque lapsis manifeste in haeresim, aliquo pacto, quacunque firmitate vallato manent obstricti.* Ubi Glossa ¶. *Absolutos.* bene observat, hanc poenam ipso Jure incurri, ita ut nulla requiratur sententia declaratoria, si *haeresis* est manifesta. Fagnanus *in cit. c. fin. h. t. n.* 3. et ibi Abbas *n.* 2. Barbosa *n.* 3. Gonzalez *n.* 1. Farinac. *de haeresi. q.* 189. *n.* 63. et alii. Ratio est; quia verbum *absolutos* indicat sententiam ipso Jure latam. 309

Nec obstat c. *Excommunicamus.* 13. ¶. *Moneantur. h. t.* ubi videtur, requiri sententia declaratoria Criminis. Nam contra est, quod hoc Capitulum non loquatur de *haereticis*, sed de Catholicis Principibus Haereticos extirpare negligentibus. 310

Procedit Conclusio etiam in casu, quo quis juratam erga illum, qui in *haeresim* lapsus est, habuerit obligationem; Doctores citati, cum Glossa *in cit. c. fin. h. t.* communiter recepta. Enimvero ex *cit. c. fin. h. t.* Doctores communiter inferunt, posse Papam causa Religionis Laicos ob delictum absolvere a juramento fidelitatis, et quavis alia etiam jurata obligatione, quam prius erga Delinquentem habebant: Tum quia in omni promissione censetur excepta Religionis causa, Gonzalez *in c. fin. h. t. numer.* 9. *arg. ff. de In jus vocando.* Tum quia in tali obligatione et juramento tacite intelligitur, si talis permanserit, cui de Jure communicare licet, seu, si de Jure se non reddit inhabilem aut indignum, Glossa *in cit. c. fin. h. t.* ¶. *Aliquo pacto* 311

Infertur I. Eum, qui aliquid debet *Haeretico* ratione emptionis, promissionis, mutationis, pignoris, depositi, mutui, vel alterius contractus, ipso Jure esse immunem ab obligatione; nec teneri servare promissum, pactum, vel contractum, aut fidem etiam juratam *haeretico* datam. Farin. *de haeresi q.* 189. *a nu.* 27. Abb *in c. fin. h. t. n.* 1. Pirhing *h. t. num.* 82. 312

Infertur II. Servos, et vasallos ipso Jure liberari a servitio, et fidelitate Domini *haeretici*, sicut et famulos, ac famulas ab obsequio ejusdem. 313

Resp. II. Servi, et debitores *haereticorum*, quamvis liberentur ab Obligatione, servitio, et fidelitate Haereticis praestanda, tamen non absolute liberantur, sed evadunt obligati *Fisco*, ita, ut, quod prius vi contractus vel alterius tituli debebant *haeretico*, debeant nunc *Fisco*, et qui prius erat servus Haeretici, sit modo servus Ecclesiae. Farinacius *de haeresi q.* 189. *n.* 68. Abbas *in c. fin. h. t.* et ibi Socinus *n.* 1. Felinus *prin.* Barbosa *nu.* 6. Castro Palao *de Fide Tract.* 4. *Disp.* 4. *pun.* 26. *num.* 11. eoque teste Communis, et certa aliorum. Ratio est; quia juxta dicta, omnia *haereticorum* bona, jura, et obligationes cedunt *Fisco* ergo etiam jura quae habebant in servos, et debita passiva. 314

Limitant tamen Conclusionem Castro Palao *loc. cit.* Pirhing *h. t. numer.* 81. et alii in servis Catholicis, quos plene liberari, et sui juris fieri, servos vero infideles, aut haereticos in servitium *Fisci* transire volunt, *argument. c. Manichaeos.* 4. § *fin. h. t.* 315

316 Resp. III. Licet quivis fideliter liberetur e privata fide, et obligatione etiam jurata haeretico facta *arg. c. fin. h. t.* tamen fides publica a Principe, vel Republica, vel alia publica auctoritate illi data omnino servanda est. Farinacius de Haeresi. *q.* 197. *a num.* 24. Castro Palao *loc. cit. num.* 22. Clarus §. *Haeresis. num.* 18. Menochius *Consil.* 106. nu. 226. Becanus de *Fide cap.* 16 *q.* 1. *num.* 8. Pirhing *h. t. num.* 83. com communi aliorum, *arg. c. t. et* 3. *de Pactis, L.* 1. *ff. eod.* et *l. Postlimin.* 5. §. 3. *ff. de Captivis.* ubi etiam hosti fides data dicitur servanda. Ratio est; quia ita exigit bonum commune, utpote quod multum turbaretur, et pateretur, si Haereticis publica fides non servaretur, ut consideranti patet.

317 Accedit, quod fidem publicam omnibus etiam *Infidelibus* et *haereticis* servandam esse, velint etiam Jus gentium, et Sacrae Paginae. *Josue cap.* 9. ℣. 18. *et* 2. *Reg. cap.* 21. ℣. 6. nec non sacrae historiae, ex quibus constat, Deum ultorem fuisse violatae fidei publicae, cuicunque datae.

318 Murmurant quidem, et conqueruntur communiter *haeretici* publicam fidem a Concilio Constantiensi datam *Husso*, non fuisse servatam, utpote quem non obstante dicta fide dicunt combustum. Ast iniqua et mendax est haec murmuratio ac querela: Tum quia fides publica *Husso* non fuit data Concilio Generali, sed ab Imperatore: Tum quia Imperator ei fidem publicam tantum dedit ad hoc, ut esset securus ab omni violentia contra Jus inferenda, quam *Hussus* passus non est, utpote qui de *haeresi* convictus, mortis reus factus fuit: prout non nulli etiam Acatholici fatentur Auctores, in specie Mynsinger *Cent.* 1. *Observat.* 82. Tum quia *Hussius* prius fregerat fidem, cum contra eam Imperatori datam, et contra hujus prohibitionem sub poena capitali factam arripuerit fugam, ut bene demonstrat Becanus *de Fide cap.* 16. *q.* 6. et per consequens mala factum non fuisset, si dato, non concesso, fides eidem fracta fuisset, juxta tritum illud, *Frangenti fidem, fides frangatur eidem. arg. l. Qui fidem.* 16. *ff. de Transact.* et *c. Sicut* 29. §. *fin. de Jurejur.* ibi: *Juramentum, quod de assensu factum est utriusque, eum non ligat, qui praestitit, dum ille, cui praestitum fuerat, servare negligit* et *c. Frustra.* 75. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Frustra sibi fidem quis postulat ab ea servari, cui fidem a se praestitam servare recusat.*

319 Quaeritur VII. Qualiter poena corporalis, *Carceris* praesertim, et *ultimi supplicii* statutae sint in *haereticos*? Ante responsionem notandam, esse in hoc puncto aliquod discrimen inter *haereticos poenitentes*, et *impoenitentes*, *relapsos*, et *non relapsos*. Hinc ut clara habeatur notitia, de singulis specialiter respondebimus. Et quidem circa *impoenitentes*. Resp. I. *haeretici impoenitentes*, id est, convertere se nolentes, sed in *haeresi* sua pertinaciter perseverantes, *ultimo supplicio* afficiendi sunt, sive Clerici sint, sive Laici, ita tamen ut Clerici *haeretici* prius degradentur, et postea Potestati saeculari *poena mortis* plectendi tradantur. Farinacius *de haeresi. q.* 196. *num.* 4. Clarus ℣. *haeresis. num* 7. Abbas *in c. ad Abolendum.* 9. *num* 13. Pirhing *h. t. num.* 92. Engel *h. t. num.* 15. Castro Palao *de Fide Tract.* 4. *Disp.* 6. *punct.* 2. *n.* 3. eoque teste Omnes. *arg. l. Arioni.* 3. *l. Quicunque* 8. *C. h. t. c. Excommunicamus.* 15. *h. t.* ibi: *Damnati vero per Ecclesiam, saeculari judicio relinquantur, animadversione debita puniendi, Clericis prius a suis Ordinibus degradatis.* cum Concordantiis, et Constitutione *Caroli V.* 1540. edita, vi cujus *haeretici impoenitentes* comburi, *resipiscentes vero* gladio feriri jubentur. Quibus accedit consuetudo *optima legum interpres*, qua constat, *haereticos impoenitentes* igne comburi: quo casu os eorum, et lingua ligari debet, ne suis blasphemiis pusillos scandalizent, uti pluribus allegatis bene advertit Farinacius *loc. cit.*

Resp. II. Pariter *ultimo supplicio* afficiendi sunt 320
haeretici relapsi, etiamsi poeniteant, *haeresinque* denuo abjurent, et plene se convertant. Clarus §. *haeresis. num.* 7. Felinus *in c. Ad abolendam.* 9. *h. t. n.* 2. et ibi Hostiensis *num.* 9. Abbas *num.* 1. Barbosa *n.* 20. Farinacius *de haeresi. q.* 195. *a n.* 4. Castro Palao *loc. cit. num.* 7. eoque teste Omnes, *arg. cit. c. Ad abolendam.* 9. *h. t.* ibi: *Illos quoque, qui post abjurationem erroris, vel postquam se, ut diximus proprii Antistitis examinatione purgaverint, deprehensi fuerint in abjuratam haeresim recidisse, saeculari judicio sine ulla poenitudinis audientia decernimus relinquendos.* Concordat c. *Super eo.* 4. et c. *Accusatus.* 8. *h. t. in* 6. Ratio est; quia longe pejus, et periculosius est, reincidere in *haeresin*, quam primum incidere.

Dicuntur autem *relapsi*, vel *vere* et *proprie*, vel 321
ficto, seu *praesumptione Juris. Vere* et *proprie relapsi* dicuntur, qui postquam confessi, vel convicti *haeresin* abjurarunt, id est, jure jurando execrati sunt, in eam iterum inciderunt, ita, ut de eadem denuo convicti, vel confessi in judicio existant. Farinacius *de haeresi. q.* 195. *n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 94.

Ficto vero, seu ex *praesumptione Juris relapsi* 322
dicuntur tripliciter. *Primo*, qui de *haeresi* accusatus propter vehementem suspicionem in judicio abjuravit *haeresin*, et postea in eam iterum ita lapsus est, ut de eadem vel convictus, vel confessus habeatur. Farinacius *loc. cit.* cum Communi, textu claro c. *Accusatus.* 8. *prin. h. t.* ibi: *Accusatus de haeresi, vel suspectus, quem magna de hoc crimine et vehemens contra eum suspicio orta erat, si haeresim in judicio abjuravit, vel postea committit, in ipso censeri debet, quadam Juris fictione relapsus, licet ante abjurationem suam, haeresis crimen plene probatum non fuerit contra ipsum.* Qualiter relapsus aeque, ac *vere relapsus*, ultimo supplicio est afficiendus, ut bene advertit Glossa in Corpore communiter recepta.

Secundo dicitur quis *fictione et praesumptione Juris* 323
in haeresin relapsus, qui postquam in una specie *haeresis* reus, *haeresin* universaliter abjuravit, postea in aliam *haeresis* speciem incidit, c. *Accusatus.* 8. §. *Eum vero, h. t. in* 6. ibi: *Eum vero, qui in una haeresis specie, vel Secta commisit, aut in uno fidei articulo, seu Ecclesiae Sacramento erravit, et postmodum haeresin simpliciter, vel generaliter abjuravit, si ex tunc in aliam etiam haeresis speciem sive sectam, aut alio articulo, seu Sacramento committat, volumus ut relapsum in haeresim, judicari.* Rationem bene assignat Glossa *ibid.* ℣. *Judicari*, videlicet, quia omnes *haereses* sunt connexae, habentes caudas ad invicem colligatas, et in vanitate convenient in id ipsum, c. *Excommunicamus.* 13. *h. t.* Unde et hujusmodi *relapso* ultimo supplicio afficii debere rursus concedunt Omnes.

Tertio dicitur *fictione Juris relapsus*, qui post ab- 324
juratam *haeresin*, in eandem notorie non incidit quidem, sed favet *haeretico*, c. *Accusatus.* 8. §. *Ille quoque h. t. in* 6. ibi: *Ille quoque, de cujus lapsu in haeresim ante abjurationem constiterit, vel nunc constat: si post illam haereticos receptat, deducat, visitet, sive associet, aut dona, aut munera eis donet, vel mittat, seu favorem eis impendat, qui excusari non possit* (videlicet propter necessitatem famis, ut si eleemosynam det haeretico in extrema, vel gravi necessitate, vel si ignoret, illum esse *haereticum*, prout explicat Glossa hic ℣. *Non possit*) *merito debet judicari relapsus, cum illum ex approbati a se prius erroris consequentia non sit dubium, id fecisse.* Et hi quoque per Jura citata, et communem Doctorum poena mortis plectuntur.

Resp. III. *haeretici non relapsi*, si statim, postquam 325
deprehensi fuerint, sponte errorem suum confiteantur,

et poeniteant, haeresinque publice abjurent, evadunt poenam mortis. Fegnanus in c. *Ad abolendam* 9. *h. t. num.* 16. Farinacius *de Haeresi. q.* 193. *a n.* 2. cum communi, et certa aliorum, *arg. cit. c. Ad abolendam* 9. *h. t.* ibi: *Puniendus, nisi continuo post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicae unitatem sponte recurrere, et errorem suum juxta arbitrium Episcopi publice consenserit abjurare, et satisfactionem condignam exhibere.* Concordat c. *Excommunicamus* 15. §. *Si qui autem. h. t.* Ratio est; quod, licet alias ordinarie loquendo poenitentia non liberet a poena mortis per crimen promerita, tamen hoc speciale est in crimine *haeresis*, in quo pia Mater Ecclesia Judex nullum poenitentem vult a gremio Ecclesiae rejicere, sed ad exemplum Dei, *qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat*, poenitentes ita misericorditer recipit, ut saltem poenam mortis evadant.

326 Ut tamen poenam mortis evadat *haereticus non relapsus*, quatuor videntur requiri conditiones, in textu *num. praeced.* allegato comprehensae. Videlicet I. Ut *statim*, seu continuo post deprehensionem erroris poeniteat. II. Ut *sponte*, et non metu mortis id faciat. III. Ut *haeresin* publice abjuret. IV. Ut aliam poenam sibi imponendam subeat, et condigne satisfaciat. Fagnanus *loc. cit.*

327 Circa *primam* tamen conditionem maxima est controversia inter Doctores, videlicet qualiter ad evadendam poenam mortis *continuo*, seu *statim* (ut loquitur textus) debeat *Haereticus* poenitere, et errorem confiteri, uti videre est apud Farinacium *de haeresi. q.* 193. *a n.* 42. Et quamvis ponderando verba Juris debeat statim ac deprehenditur, et antequam depositiones testium, vel alii processus contra ipsum fiant, suum errorem confiteri, et poenitere debeat, prout etiam teste Farinacio *loc. cit.* plures Doctores *in cit. c. Ad abolendam. h. t.* docent, tamen praxis, et consuetudo *optima legum interpres* habet, *haereticos non relapsos* poenam mortis evadere, si in aliquo sensu non statim, sed primo post carcerationem, vel etiam post receptas, et publicatas probationes, ac testium depositiones, vel immediate ante, imo etiam post sententiam a Judice Ecclesiastico latam errorem fateantur, et vere poeniteant, dummodo id faciant, antequam Curiae saeculari tradantur. Farinacius *loc cit* n. 56. Gonzales *in c. Ad abolendam* 9 *h. t nu* 4. Sylvester ℣. *haereticus* §. 1. *n.* 18. Clarus §. *haeresis. num.* 8. cum Communi aliorum testantium de communi consuetudine et praxi, etiam in Tribunali Inquisitionum. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 14. *q.* 8.

328 Resp. IV. Quamvis *haeretici non relapsi* poenam mortis evadant, si, antequam tradantur Curiae saeculari, vere poeniteant, tamen subjacent adhuc aliis poenis, et quidem ordinarie loquendo, perpetuis debent mancipari carceribus. Farinacius *de haeresi. q.* 193. *num.* 101. Castro Palao *de Fide Tr.* 4. *Disp.* 6. *pun.* 1. *num.* 1. cum Glossa communiter recepta *in c. Excommunicamus.* 15. *vers. Si qui. h. t.* per textum eodem Capite expressum illis verbis: *Si qui autem de praedictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam poenitentiam, in perpetuo carcere detrudantur.* Ratio autem, ob quam tam gravibus poenis mortis, vel perpetui carceris puniuntur *haeretici*, est gravitas hujus criminis, maximaque damna, et praejudicia, quae ex eodem non tantum Ecclesiae ac Religioni, sed etiam bono communi, et tranquillitati Reipublicae sequuntur per dictum supra.

329 Caeterum *deprehensi in haeresi*, ad hoc, ut postea sponte redeuntes, et poenitentes in perpetuum carcerem detrudi possint ac debeant, dicuntur illi, qui vel evidentia facti, et notorie sunt *haeretici*: vel de *haeresi* legitime convicti habentur. Barbosa *in c. Excommunicamus.* 15. *h. t. num.* 6. Glossa *ibid.* ℣. *Deprehensi.*

Hinc si quis *notorius haereticus* non existens, *haeresin* et errorem suum sponte saltem fatetur, et poenitet, dum capitur, vel denuntiatur, vel antequam testes contra ipsum examinantur, vel saltem antequam testium depositiones contra eum publicantur, in perpetuos carceres detrudi necessario non debet. Castro Palao *loc. cit.* Farinacius *de haeresi. q.* 193. *num.* 3. Rojas *Tract. de haeretic. p.* 2. *num* 197. *et seqq.* Pegna *Direct p.* 3. *q.* 93 *comm.* 141. Pirhing *h. t. num.* 91. Gonzalez *in c. Excommunicamus.* 15. *h. t. num.* 2. Ratio est, quia tales *deprehensi* in haeresi non censentur. 330

Resp. V. Etsi quis juxta dispositionem Juris ad poenam perpetui carceris etiam irremissibiliter per sententiam fuerit condemnatus, possunt nihilominus Inquisitores cum Episcopis hanc poenam mitigare, eamque vel in carceres ad certum tempus, vel in aliam poenitentiam commutare. Farinacius *de haeresi q.* 193. *a nu.* 124. Clarus § *haeresis. n.* 7. Castro Palao *de Fide. Tract.* 4. *Disp.* 6. *pun.* 1. *n.* 2. Gonzalez *in c. Excommunicamus* 15. *h. t. n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 91. et alii, *arg. c. Ut commissi.* 12. §. *Et illarum. h. t. in* 6. ibi: *Et illorum, qui mandatis vestris obedientes humiliter stant propter haeresin in carcere, vel muro inclusi poenam una cum Praelatis, quorum Jurisdictioni subsunt, mitigandi vel mutandi, cum videritis expedire.* Quae est specialis dispositio Juris, cum alias de ordinario Jure loquendo, Judex, postquam tulit sententiam, censeatur functus Officio, ita ut in illa dispensare, vel eam mutare amplius non valeat, *prout amplius* dictum est *lib. II. Tit. XXVII. de sentent. et re judicata a n.* 33. 331

Porro circa hanc dispensationem, et mitigationem poenae, praxis Officii Inquisitionis illud habet, quod cum damnatis ad perpetuos carceres *simpliciter* dispenset post Triennium, cum damnatis vero *irremissibiliter*, post octo annos dispenset, si humiliter et patienter poenam sustineant, veraeque poenitentiae, et emendationis signa edant. Farinacius *loc. cit.* Gonzalez *in c. Excommunicamus.* 15. *h. t. numer.* 2. Idem facere possunt Episcopi in locis, ubi Officium inquisitionis non viget; quia in hujusmodi locis idem, quod inquisitores, valent, item etiam superiores Regulares ibi, ubi vi consuetudinis legitime praescriptae suos subditos in causa haeresis judicant. 332

Quaeritur VIII. An, et quibus *poenis temporalibus* vel *corporalibus* ex allegatis subjaceant filii *haereticorum*? Resp. I. Filii etiam Catholici parentum *haereticorum* priventur quavis haereditate paterna, tam ex testamento, quam ab intestato eis alias competente, et omnibus aliis bonis paternis. Farinacius *de haeresi. q.* 191 *a n.* 1. cum Communi aliorum, ob clara Jura c. *Vergentis* 10. *h. t. c. Cum secundum.* 19. *eod. in* 6 et Authen. *Gazaros. C. h. t.* per quae Jura derogatum videtur Legi *Cognovimus.* 19. *C. Ad Leg. Juliae Majestat. eod.* ubi Catholici filii admittuntur ad haereditatem, et successionem paternam. Rationem hujus ex *cit. c. Vergentis. h. t.* jam allegavimus supra *num.* 303. quae ratio eodem *c. Vergentis*, ulterius justificatur illis verbis: *Nec hujusmodi severitatis censuram, Orthodoxorum exhaereditatio filiorum, quasi cujusdam miserationis praetextu debet ullatenus impedire; cum in multis casibus (etiam secundum Divinum judicium) filii pro partibus temporaliter puniantur: et juxta Canonicas Sanctiones quandoque feratur ultio non solum in Auctores scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum.* 333

Ampliatur Conclusio etiam ad filias, ita ut etiam priventur *Dote.* Farinacius *loc. cit. num.* 8 Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *q.* 6. et ad Nepotes, aliosque de- 334

scendentes, ita ut ab ascendentibus *haereticis* nec ab intestato, nec ex testamento aliquid percipere valeant. Farinacius *loc. cit. numer.* 22. Pirbing *h. t. num.* 100.

Verum tam conclusionem *numer.* 333. positam quam ampliationem *num. praeced.* factam limitat Sanch. *lib* 2. *cap.* 27. *n num.* 10 in filiis natis ante haeresin parentum; sicut enim filios natos ante Crimen Laesae Majestatis a parente commissum non incurrere poenas *temporales*, ita etiam filios natos ante crimen laesae Majestatis divinae seu haeresin, easdem poenas evadere vult, et ad longum ex professo probat.

335 Resp. II. Filii *haereticorum* non sunt incapaces haereditatis ascendentium, collateralium, et exterorum *Catholicorum.* Farinacius *de haeresi q.* 191. *num.* 26. Decian. *in Tract. Crimin. lib.* 5. *cap.* 45. *n.* 5. ℣. *Limita octavo.* Molin *de Jure et Justit disp* 6. *nu* 19. Gomez *de Delictis. cap.* 2. *Rubr. de Crimine laesae Majest. Divinae, et humanae. n.* 13. Pirbing *h. t. n* 99 et alii. Ratio est; quia Jura privationem successionis ex Testamento, et ab intestato statuentia de sola successione paterna, non item Avi, collateralium, et caeterorum bonis loquuntor, consequenter ad haec extendenda non sunt: *c Odia. de Reg Jur. in* 6. *Poenis. eod iis* 6. cum Concordantiis, ob quam Juris rationem, et dispositionem vera manet Conclusio, licet filii Reorum criminis laesae Majestatis humanae non solum a paterna, sed quavis alia successione sint exclusi. *l. Quisquis. pr* 5. *C. ad Leg Jul Majestat.* ibi *Filii vero ejus, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno etiam deberent perire supplicio) in quibus paterni, hoc est, haereditarii criminis exempla metuuntur, a materna vel avita, omnium etiam proximorum haereditate, ac successione habeantur alieni de testamentis extraneorum nil capiant, sunt perpetuo egentes, et pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit et mors solatium, et vita supplicium.* Ratio est; quia Lex poenalis non est extendenda ultra casum et personas in Jure expressas: prout alibi amplius diximus.

336 Resp. III. Filii *Haereticorum* sunt etiam *infames.* Farinacius *de haeresi q.* 191. *num* 26. Covarruvias *lib.* 2. *Variar. Resolut. cap* 8 *num.* 1. *in fine.* Molina *de J. et J. Tom.* 3. *Disput.* 658 *num* 25 Pegna *in Directorio Inquisit. p* 1. *Comment* §. ℣. *Hanc autem infamiam,* cum Communi contra Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 28 *n.* 5. Probant aliqui Conclusionem ex c 2 § *haeretici h. t. in* 6. ubi filii *haereticorum* declarantur *inhabiles* ad Beneficia, et Officia, atque irregulares. ergo (inferunt) etiam *infames.* sed minus recte, quia, uti supra jam dictum, dari potest et datur inhabilitas hujusmodi, ac irregularitas absque *infamia*; ergo haec ex illa male infertur. Alii probant ex *l. Quisquis.* 5. *C. Ad Leg Jul Majestat.* ubi liberi laesae Majestatis humanae perpetua notantur *infamia*, ibi: *Infamia eos paterna semper comitetur.* ergo (inferunt) etiam filii *haereticorum* tanquam Reorum criminis laesae Majestatis Divinae sunt *infames. arg. c. Vergentis* 10 *h. t.* Verum et hanc illationem non esse genuinam, constat ex *num. praeced*

337 Hinc aliter, et optime probatur ex pluribus Constitutionibus Pontificiis, ut Innocentii IV *Ad extirpanda,* edita 1252. Alexandri IV. rursus *Ad extirpanda,* edita 1259. Clementis IV. quae pariter incipit *Ad extirpanda,* edita 1265. Honorii IV. *Exhibita,* edita 1286. Quibus specialiter statutum habetur, filios *haereticorum* esse *infames,* ut videre est apud Farinacium, et Pegna *loc. cit* Accedunt duae Constitutiones Friderici Imperatoris idem expresse **statuentes: ut proin ruat principale fundamentum Sanchez docentis contrarium ex eo, quod nullo Jure reperiatur statuta poena *infamiae* in filios *haereticorum.***

Resp. IV. Reliquae poenae temporales, et corporales *haereticorum*, filios eorum *Catholicos* nullo modo afficiunt. Communis ac certa. Ratio est: quia nullibi in Jure statutum reperitur, filios *haereticorum* Catholicos alicui ex praefatis poenis subjacere. Imo quod a poena corporali sint immunes, positive statutum invenitur c. *Vergentis* 10. *h t.* et *L. Quisquis* 5. *C. Ad Leg Juliae Majestat.* 338

Caeterum utrum poena *infamiae*, et *privationis* omnis successionis in bona paterna afficiat *haereticorum* filios non tantum natos post *haeresin* patris, sed etiam genitos ante illam, uti supra diximus de poenis quibusdam spiritualibus, vide late pro, et contra discussum et finaliter negative concludentem apud Sanchez *cit lib.* 2. *Moral. cap* 27. 339

Quaeritur IX Num poenae temporales, et corporales afficiant *haereticos* in Germania, et Romano Imperio? Resp. I *Haeretici* laici Augustanae Confessionis, *Lutherani* videlicet, in Foro Civili temporalibus, et corporalibus poenis non subjacent. Layman *lib.* 2. *Tr.* 1. *cap.* 16. *n.* 5. *in* 6 *poenam* Pirbing *h. t. num.* 83. Ratio est, quia vi Pacis, et Foederis publici, *Religiosi* nuncupati, a Pontifice non rejecti, gaudent contis privilegiis, Juribus et immunitatibus Civilibus, uti Catholici, per dicta *supra,* quod etiam praxi continua comprobatur 340

Dicitur notanter, *haeretici laici*; quia si Clericus in *haeresin* quamcunque tandem, etiam *Lutheranam* labatur, poenis temporalibus, et corporalibus, Carceris v. g. perpetui (non item ultimi supplicii) omnino subjacet, usque a Judice Ecclesiastico executive affici potest, et debet: Tum quia quoad personas Ecclesiasticas Principes laici per illum publicum Tractatum valide aliquid statuere nil potuerunt, *arg c. Quae in Ecclesiarum* 10 *de Constitut.* et amplius patet ex dictis *Lib I. Tit II de Constitut.* ubi late probatum est, leges, statuta, et dispositiones Laicorum de Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis etiam in favorem illarum factas, omni penitus carere valore. Tum quia Ecclesia quoad personas Ecclesiasticas nec tacite, nec expresse approbavit illud *Foedus,* eximendo *haereticos* a poenis Juris, imo contrarium huc usque practicavit, et etiamnum practicat: Clericos *haereticos* deprehensos temporaliter, et corporaliter puniendo, et ad Carceres etiam perpetuos detrudendo 341

Dicitur notanter, Haeretici laici *Augustanae Confessionis:* quia num etiam alterius Confessionis, et Sectae haeretici, v. g. *Calvinistae, Zwingliani, Hugonotae* etc. sint immunes a poenis temporalibus, et spiritualibus, merito dubitari potest, quia per *Pacem* publicam *Religiosam* Passavii conditam, et postea Augustae confirmatam, soli Haeretici *Augustanae*, non item alterius Sectae immunes a poenis, et participes sunt facti jurium et privilegiorum, quibus gaudent Catholici. 342

Nec juvat alios *haereticos*, si dicatur illos a poenis *haereticorum* exemptos, juriumque, et privilegiorum Civilium participes esse factos saltem postea per publicam Pacem Monasteriensem, et Osnabrugensem. Nam contra est, quod illa *Pax* non tantum nullo, nec tacito modo approbata, sed positive reprobata, et anullata, et irrita declarata fuerit ab Ecclesia per Bullam Innocentii X. supra *num.* 154. allegatam. Hinc quamvis in Foro Civili illa *Pax* de facto observetur, ac propterea etiam alii *haeretici* a poenis immunes permittantur; tamen spectando Jura Judex Ecclesiasticus hujusmodi *haereticos* etiam laicos temporaliter punire, et ad perpetuos 343

carceres detrudere posse videtur; cum nullo Jure, aut valido pacto censeantur exempti.

344 Dicitur autem repetitis vicibus *spectando Jura*; quia utrum non saltem consuetudine legitime praescripta a poenis immunes, juriumque, et privilegiorum Civilium participes sint *haeretici* laici alterius, quam Augustanae Confessionis, aliis discutiendum relinquimus.

345 Illud certum est, non expedire, ut Judex Ecclesiasticus *haereticum* hujusmodi laicum propter *haeresin* temporaliter, aut corporaliter in his partibus puniat, eo quod sine publica perturbatione id fieri vix posset, *haereticis* cunctis publicae *Pacis* fractionem conquerentibus, et pro manutentione illos apud Catholicos instantibus, vel bellum novum propterea moventibus; et propterea ad evitandum majus malum etiam alterius quam Augustanae Sectae *haereticos* laicos impunitos, ac vindictae Divinae relinquere debeat; Enimvero ad evitandum majus malum, praestat minus permittere, et impunitum relinquere, *per vulgaria Juris.*

§. VII.

De Potestate absolvendi ab Haeresi et aliis Casibus reservatis, competente Episcopis.

SUMMARIUM.

346 *Papa nullum peccatum nisi ob annexam Excommunicationem reservat.*
347 Forus est *triplex*, contentiosus.
348 *Alius* poenitentialis, alius *conscientiae.*
349 *Absolutio pro Foro conscientiae valet quoad omnia; nisi lis moveatur in Foro externo.*
350 *Ordinarii vi Tridentini possunt absolvere ab omnibus delictis occultis etiam* Haeresi.
351 *Quae facultas quoad casus Bullae Coenae fuit revocata juxta communem Doctorum.*
352 *Per eandem Bullam.*
353 *Quod probatur per Declarationes Cardinalium.*
354 *Et Decreta Pontificum.*
355 *Alii negant esse revocatum.*
356 *Probare conantur suam opinionem ex Jure. Et tribus num. seqq.*
360 *Solvunt argumenta contraria. Et duobus numeris sequentibus.*
363 *Sententia prior est tenenda.*
364 *Solvuntur argumenta sententiae posterioris usque ad num.* 369.
369 *Episcopus ut Delegatus Apostolicus potest absolvere ab* Haeresi notoria, *si Reus illam prius abjurat.*
370 *Virtute specialis facultatis Episcopi Germaniae absolvunt a quavis* Haeresi.
371 *Impeditus personaliter accedere Papam, nequit per Episcopum absolvi a Casibus Bullae Coenae juxta aliquos.*
372 *Juxta communem vero, et probabiliorem potest.*
373 *Probatur ex Jure.*
374 *Solvitur instantia.*
375 *Debet tamen ab Episcopo absolutus obligari, ut cessante impedimento adeat Papam.*
376 *Nisi habeat specialem facultatem absolvendi.*
377 *Solvitur instantia.*
378 *Referuntur in compendio impedimenta adeundi Papam: atque declarantur usque ad num.* 389.
389 *Inter quae juxta aliquos etiam frequentia casuum est. Et num. seq.*
391 *Contrarium est verius.*
392 *Bulla Coenae non potest non recipi.*
393 *Impeditus personaliter adire Papam; non tenetur mittere Procuratorem, aut scribere pro Absolutione. Et num. seq.*

Supponitur I. cum communi Doctorum, quod 346
S. Pontifex ordinarie nullum peccatum sibi reservet, nisi propter annexam Excommunicationem sibi item reservatam. Unde sublata Censura, censetur ablata reservatio culpae; et ita si quis v. g. tempore Jubilaei, vel alias Confessario habenti specialem facultatem absolvendi a casibus Summo Pontifici reservatis fuisset confessus, ab eoque absolutus ab omni vinculo Excommunicationis, omissa tamen per oblivionem absolutione casus *Reservati Papae*, posset postmodum ab hoc per quemlibet Confessarium absolvi. Et similiter si *haereticus* ignoret, *haeresi* annexam esse Excommunicationem, ac proin hanc non incurrit ratione ignorantiae, juxta dicenda infra *Tit. XXXIX. de Sententia Excommunicat.* potest is a quodlibet Confessario absolvi. Pirhing *h. t. numer.* 37. et Barbosa ℣. *Casus reservatus. tom.* 1. *numer.* 2. Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *numer.* 2. et alii passim.

Supponitur II. cum Ludovico Miranda *Tom.* 1. 347
Quaest. Regul. quaest. 46. *art.* 7. Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disp.* 34. *numer.* 29. et aliis quod triplex sit *Forus*, alius *Contentiosus*, alius *poenitentialis*, alius vero *Forus Conscientiae*, qui est medius inter utrumque. Forus *contentiosus* idem est, ac Forus *externus*, et c. *Forus, de Verb. significat.* describitur dicendo: Forus est exercendarum litium locus.

Forus poenitentialis est *Forus Sacramentalis*, 348
quando scilicet aliquis in Sacramento poenitentiae ab aliquo peccato, vel censura absolvitur, non praestita sibi Absolutione ligatur. *Forus* tandem *conscientiae* medius inter utrumque; licet enim *Forus Sacramentalis* videatur nonnullis idem esse, ac *Forus conscientiae*, revera tamen differunt: nam Absolutio, quae conceditur in *Foro Poenitentiae*, potest fieri a solis Sacerdotibus Confessariis, et quidem in Sacramento poenitentiae. Absolutio vero in *Foro conscientiae* ab Excommunicatione, et aliis Censuris potest ab habentibus legitimam potestatem tam intra, quam extra Sacramentum poenitentiae, dummodo sit *prima Tonsura* initiatus, praestare, ut cum aliis a se citatis notat Navarrus *cap.* 27. *Manualis. n.* 41. quamquam commodius sit, ac magis receptum, ut talis Absolutio committatur Presbytero.

Supponitur III. cum communi Doctorum, quod 349
Absolutio pro *Foro Conscientiae* valeat quidem quoad omnia, praeterquam, quando lis movetur *in Foro externo*; tunc enim Judex secundum rigorem Juris potest non habere rationem hujus Absolutionis, nisi eam ultro acceptare velit; quia Absolutio pro *Foro conscientiae* data, nihil praejudicat *Foro externo*. Unde *haereticus* v. g. absolutus ab habentibus legitimam potestatem pro *Foro conscientiae*, si postmodum accusetur de *haeresi* in *Foro externo*, non evadit, poenas hujus *Fori externi*, etiamsi poenitentia aliqua publica fuisset ipsi imposita pro Foro conscientiae. Ratio est; quia utrumque judicium tendit ad diversos fines: nam in *Foro conscientiae* praecipue consideratur salus animarum, et compensatio offensae Divinae; in *Foro* autem *externo* debet attendi ad publicam vindictam, et satisfactionem Reipublicae, quam Reus pravo suo exemplo offendit. Pirhing *h. t. n.* 44. cum aliis citatis, et Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. pluribus hanc Absolutionem pro *Foro conscientiae* declarans. His suppositis,

Quaeritur I. An, et quando Episcopi habeant 350
facultatem absolvendi ab *haeresi*, et aliis Casibus Papae *reservatis*? Praesertim an concessa eisdem a

Concilio Tridentino facultas absolvendi pro *Foro conscientiae* ab *haeresi*, et aliis *reservatis* casibus occultis fuerit illis adempta per Bullam Coenae? Ante responsionem notandum *Primo*, in Concilio Trident. *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6. datam fuisse Episcopis potestatem dispensandi in omnibus Censuris ex delicto occulto provenientibus, et absolvendi a cunctis casibus occultis etiam Papae reservatis per sequentem textum: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, dispensare: et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in Dioecesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in Foro conscientiae gratis absolvere imposita poenitentia salutari. Item et in haeresis crimine, in eodem Foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

351 Notandum *secundo*, magnam esse controversiam inter Doctores, an praefata facultas a Tridentino Episcopis concessa, fuerit revocata per Bullam Coenae in ordine ad casus in illa reservatos, et quidem in specie quoad *haeresim* in eadem Bulla inter alios casus specialiter reservatam. Una, eaque communior inter Doctores sententia affirmat, dictam facultatem omnino fuisse revocatam. Ita docent Barbosa *de Officio, et potestate Episcopi Allegat.* 40. *a num.* 23. Sanchez *lib.* 2. *Moralium, Disp.* 3. §. 2. *num.* 22. Garzias *de Beneficiis. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 115. Durand. *in Bullam Coenae lib.* 3. § 2. *q.* 12. et 13. Pignatelli *Tom.* 1. *Consult.* 291. dicens, id hodie esse certum ob plures Declarationes Cardinalium. Sperellus *Decis.* 112. *num.* 61. aliique plurimi a Barbosa *loc. cit.* allegati.

352 Fundamentum praecipuum hujus sententiae desumitur ex verbis Bullae, ubi §. 21. Omnibus etiam Episcopali dignitate praeditis expresse adempta est facultas absolvendi a casibus in Bulla reservatis, quomodocunque etiam per cujusvis Concilii Decreta prius concessa. Audiamus verba formalia: *Caeterum a praedictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo cautione praestita, absolvi possit, etiam praetextu quarumvis facultatum, et indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, et aut Episcopali, vel alia majori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus et locis piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, et innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum.*

353 Accedit, quod secundum hanc opinionem in supremo Generalis Inquisitionis Praetorio Romano fuerit pronunciatum. Insuper S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretum declaravit ex Bulla Coenae Domini sublatam esse facultatem Episcopis tributam in Tridentino *Sess.* 24 *cap.* 6. et testatur Fagnanus *in c. Quoniam. de Constitut. num.* 29. et c. *Dilectus de Temp. ordinat. num.* 31. ubi subjungit. *Unde frustra nonnulli ex recensioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem S. Congregationis.* Refert etiam similes Declarationes plures Pitonc. *prax. p.* 2. *cap.* 1. *a.* 3. *n.* 6. *et seqq.*

Rursus ita declaravit Gregorius XIII. et Clemens VIII. prout varii Auctores testantur apud citatum Barbosam. Unde et S. Franciscus Salesius, cum in examine Episcoporum sibi ex trigintaquinque quaestionibus Clemens VIII. primam proposuisset: *possentne Episcopi ab haeresi absolvere?* isque respondisset: *Possunt ex Concilio Tridentino.* Papa respondente, non esse hanc suam mentem, antiquatum enim esse illum articulum; mox sententiam retractans verus Ecclesiae filius subjunxit: *Quandoquidem est mens Vestrae Sanctitatis, a me discedo; prorsus Pontificiae acquiesco.* Ita ex vita hujus sanctissimi Antistitis refert P. Gobath *Tract.* 7. *Theologiae Experim. num.* 370. Unde si verae sunt hujusmodi Pontificiae Declarationes, ab hac sententia neutiquam videtur discedendum. 354

Secunda sententia, et priori directe opposita, negat, per Bullam Coenae Domini revocari facultatem absolvendi ab *haeresi* aliisque casibus occultis pro *Foro conscientiae* in Concilio Tridentino concessam. Hanc sententiam multi etiam Doctores tenent, quorum 24. citat Barbosa *ibid. nu.* 21. Imo, quamvis Sanchez *lib.* 2. *in Decalogum cap.* 11. oppositam sententiam amplectatur, nihilominus tandem fatetur utramque, consequenter hanc secundam sententiam ex rationibus, et auctoritate Doctorum reddi videri probabilissimam: addit tamen ad finem, *omnino tenendam esse sententiam priorem, nec in re tam gravi amplectendam esse sententiam posteriorem valde dubiam, et parum tutam.* 355

Caeterum hanc secundam sententiam probant non nulli ex eo, quia Decreta Concilii Generalis, praesertim novi ac moderni, cujusmodi est Tridentinum, non censentur revocari, nisi fiat expressa mentio Concilii, ut multi tenent Doctores cum Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 46. *num.* 7. *arg. c. Nonnulli de Rescriptis*, et alibi; ergo cum in Bulla Coenae Domini nulla fiat mentio Concilii Tridentini, eidem non censetur derogare. Verum haec ratio parum probat: nam ut diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. 10. *a n.* 522. Concilio Tridentino derogari, etsi de illo non fiat mentio expresse; vide ibidem dicta expressa. 356

Melius igitur alii probare conantur hanc sententiam ex eo. Quia correctio Jurium est vitanda, si fieri potest, *arg. c. Cum expedit. de Election. in* 6. ut amplius diximus *in Prooemio* §. 12. *a nu.* 201. Atqui hoc fieri posse videtur in proposito, dicendo, quod Concilium Tridentinum loquatur de potestate absolvendi ab *haeresi* occulta, et Bulla Coenae Domini de potestate absolvendi ab *haeresi* publica. 357

Confirmant suam opinionem *primo*. Lex generalis posterior non tollit Legem specialiter loquentem priorem, sed potius distinguitur et limitatur per antiquam, ne videatur eam corrigere, *arg. c. Generi. de Regul. Jur. in* 6. *Generi per speciem derogatur.* cum Concordantiis. Atqui Bulla Coenae loquitur generaliter de *haeresi* ejusque absolutione, Concilium Tridentinum vero loquitur specialiter de Haeresi occulta, ut patet ex textu; ergo 358

Confirmant II. solvendo fundamenta prioris sententiae. Et quidem ad fundamentum *n.* 352. allegatum ex verbis Bullae Coenae Domini desumptum, respondent juxta proxime dicta, eam non tollere potestatem absolvendi ab *haeresi*, aliisque casibus occultis vi Concilii Tridentini Episcopis concessam; ut sic concordentur Jura Juribus, ac eorum correctio commode evitetur. 359

Ad pronunciatum supremi Tribunalis S. Inquisitionis dicunt, illud non habere vim legis: et quamvis priorem sententiam reddat valde probabilem, non tamen tollere probabilitatem oppositae sententiae posterioris. 360

361 Ad Declarationes S. Congregationis respondent cum Fagnano *in c. Quoniam de Constitut.* num. 59. et Engel *in Prooemio Juris Canonici*, numer. 16. ex Decreto Gregorii XV. Anno 1621. et Urbani VIII. die 2. Augusti 1631. emanato, hujusmodi Declarationibus nullam fidem in judicio vel extra a quocunque adhibendam esse, nisi *in authentica* forma solito Sigillo, et subscriptione Emi Cardinalis Praefecti, et Secretarii ejusdem Congregationibus pro tempore existentium munitae fuerint. Et ita sonat Decretum Urbani VIII. a Barbosa *lib.* 1. *Juris Ecclesiastici Universi. cap.* 4. *num.* 83. relatum.

362 Ad Declarationem Gregorii XIII. et Clementis VIII. respondent, de eadem non constare authentice: cum igitur res haec sit admodum ardua, et jam scientibus Summis Pontificibus controversa, putant non tolli probabilitatem secundae sententiae absque alia expressiori declaratione Pontificia. Ita olim Diana *part.* 1. *tract.* 5. *Resol.* 2. Bassaeus *Tom.* 1. ℣. *Casus reservatus.* n. 32. aliique. Verum his non obstantibus,

363 Resp. I. Ad Quaestionem *n.* 350. positam. Quamvis secunda sententia num. 355. *et seqq.* relata, olim probabiliter potuerit defendi, fueritque defensa a multis gravissimis Viris non sine gravi fundamento, ut ex dictis patet: de facto tamen secus dicendum, et omnino tenenda est Prior sententia *num.* 351. posita, idque ob novissimum Decretum Alexandri VII. Anno 1665. emanatum, sequentem inter alias Propositionem tanquam scandalosam damnantis: *Sententia asserens Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno* 1629. *die* 18. *Julii in Consistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.*

364 Nec sufficit dicere, praefatam Propositionem esse damnatam propter ultimam particulam, de Consistorio Cardinalium falso attestantem. Nam contra urget: quia dicta Propositio est damnata tanquam scandalosa: ex sola autem tali attestatione parum scandali sequi posset, nisi versaretur circa doctrinam caeteroquin falsam, quae habetur in prioribus dictae Propositionis verbis, ac olim jam rejecta dicitur a SS. Pontificibus, et S. Congregatione Concilii per ea, ac per Declarationes *n.* 353. *et num.* 354. allegatas, sicque ex professo damnata censetur. Et ideo P. Gobath *Tract.* 7. *Theologiae Experiment. num.* 270. novissimae editionis, hoc autem Decretum Alexandri VII. secundae sententiae opponit.

365 Neque urgent rationes *num.* 357. in favorem secundae sententiae allatae. Siquidem habent duntaxat locum stante dubio de intentione legis: fallunt autem, si aliunde constet de contraria intentione legis, seu dispositione Legislatoris, prout fit in proposito.

366 Ad id, quo Declarationes *num.* 353. allegatas infirmare conantur, respondetur, verum quidem esse, quod Declarationes Cardinalium non probent, nisi in forma authentica efferantur juxta dicta *num.* 361. tamen etiam verum esse, quod ab irreverentia et temeritate vix absit, Declarationes e probatis Auctoribus (inter quos utique est Fagnanus, olim S. Congregationis Secretarius) relatas ex hoc solo rejicere, quod non afferantur in forma authentica, prout ex eodem Fagnano *in Prooemio* §. 8. *nu.* 128. amplius diximus.

367 Quapropter sententia haec in praxi ubique etiam in Germania est tenenda, non obstante multitudine casuum, quia ob hos dantur Episcopis Germaniae speciales singulis quinquenniis renovandae facultates absolvendi ab *haeresi*, et aliis casibus Bullae Coenae: prout in specie habet noster Reverendissimus ac Celsissimus Princeps et Episcopus Frisingensis juxta dicta *Lib. IV. in Appendice no.* 22. *facultate* 10. ibi: *Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam Bullae Coenae, in locis tamen, ubi impune grassantur haereses*; uti est Germania.

Resp. II. Sicut ab *haeresi*, ita ab aliis casibus 368
Bullae Coenae absolvendi potestas alias vi Concilii Tridentini Episcopis competens, sublata est per eandem Bullam Communis Doctorum: quia casus omnes in dicta Bulla aequaliter sunt reservati, et clausula potestatis derogatoria est universalis quoad omnes: ergo si ob hanc Episcopus nequit absolvere ab Haeresi, nec ab alio Bullae casu absolvere poterit.

Resp. III. Quamvis juxta hactenus dicta Episco- 369
pus de Jure communi nequeat absolvere in Foro interno ab *haeresi*, tamen de Jure communi tanquam *Delegatus Apostolicus* id potest pro Foro externo, casu quo *haereticus notorius* Haeresin prius abjurat, et poenitens ad Ecclesiam redit. Farinacius *de haeresi q.* 192. *numer.* 52. *et seqq.* Castro Palao *de Fide Tract.* 4. *Disp.* 4. *pun.* 3. §. 2. *num.* 23. Pirhing *h. t. nu.* 42. et alii, *arg. c. Ut officium prin.* ℣. *Si vero h. t. in* 6. Quia Absolutio etiam in Foro externo eatenus juvat: quatenus sublata per Absolutionem Episcopi Excommunicatione, quivis dein Confessarius a peccato *haeresis* absolvere queat. Ita Doctores citati.

Porro virtute specialis facultatis possunt Episcopi 370
Germaniae pro utroque Foro absolvere Haereticos, juxta dicta n. 367.

Quaeritur II. An impeditus adire Summum Pon- 371
tificem possit Jure ordinario, et seclusa speciali privilegio a proprio Episcopo absolvi ab Excommunicatione propter *haeresin* incursa, et aliis Censuris Papae etiam in Bulla Coenae reservatis? Non enim desunt, qui *negative* respondent, quos citat Diana *part.* 12. *tract. de Conclavi. Resolut.* 24. atque ex parte sequitur *ibid. Resolut.* 25. hanc ob causam; quia tantum articulus mortis excipi solet in reservatione Censurarum Summo Pontifici facta. Quo non obstante,

Resp. I. Potest Episcopus *impeditum* persona- 372
liter adire Pontificem vel in perpetuum, vel ad longum tempus, absolvere ab *haeresi*, et aliis casibus vi Bullae Coenae reservatis. Diana cit. *Resolut.* 24. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 3. qui ex communi Doctorum ponit hanc Regulam: *Casus Papalis superveniente impedimento adeundi Papam, sit Episcopalis*, quia id congrua subordinatio inter Praelatos requirere videtur. Castro Palao *de Fide Tract.* 4. *Disput.* 4. *pun.* 3. §. 5. *a numer.* 4. Abbas *in c. De caetero de Sentent. Excomm. num.* 1. Navarrus *in Summa. c.* 27. *num* 89. Sylvester ℣. *Absolutio* 4. *num.* 7. Felinus *in c. Quamvis. de Sentent. Excommunicat.* Navarrus *cap.* 27. Ancharanus in c. *Eos qui eod. in* 6. Covarruvias *in c. Alma Mater p.* 1. §. 11. *numer.* 15. cum communi. Ratio est; quia, ut notant citati Doctores, ejusmodi impedimentum perpetuum, vel ad longum tempus, reputatur tanquam verus articulus, seu periculum mortis in ordine ad impetrandam dictam Absolutionem ab alio, quam a Papa. Probatur hoc ex eo: Tum quia sic *impeditus* moraliter est certus, se non posse ante mortem adire Summum Pontificem pro obtinenda Absolutione: Tum quia frustra et inutiliter, imo et periculose talis exspectabit verum articulum mortis; cum jam antea et semper sit necessaria Absolutio, atque periculum tandem sine Absolutione decedendi, si non posset hanc prius saltem a proprio Episcopo obtinere.

373 Probatur idem ex Jure Canonico, *c. Mulieres. c. De caetero.* et *c. Ea noscitur. de Sentent. Excommunicat.* ubi expresse datur Episcopis facultas absolvendi ab Excommunicatione Papae reservata, et incursa propter gravem percussionem Clerici, ei excommunicatus ob capitales inimicitias, infirmitatem, senectutem, Sexum muliebrem, vel *alias justas excusationes, quibus in itinere rationabiliter excusetur, sine periculo re nequeant conspectui praesentare*: dummodo talis juxta facultates suas parti laesae satisfaciet, simulque praestito juramento eidem injungatur, ut cessante impedimento, aut sanitate recuperata, Romanum Pontificem, vel Legatum ipsius adeat, mandatum Apostolicum accepturus; prout expresse habetur utroque *loc. cit.* Concordat c. *Quod de his.* 20. *c. de Monialibus.* 33. et c. *Quamvis.* 58. *de Sentent. Excommun.*

374 Nec obstat, quod in citatis Capitulis fiat sermo de Excommunicatione et percussione Clerici contracta, quae in *c. Si quis suadente diabolo* 17. *q.* 4. extra mortis periculum Summo Pontifici reservatur. Resp. enim, eandem rationem, ac proinde idem jus esse in omnibus Excommunicationibus reservatis, ut tradunt communiter Doctores. Nam id concedunt Jura, ne Excommunicatos ob impedimentum adeundi Papam moriens sine Absolutione incurrat periculum salutis aeternae. Adde *c. Eos qui de Sentent. Excomm.* in 6. ubi Glossa ỹ. *Canonis.* hoc extendit ad alios casus Jure communi Papae reservatos.

375 Resp. II. Quamvis Episcopus possit *impeditos* personaliter ire Romam, absolvere a casibus Papalibus Bullae Coenae, tamen debet eis sub juramento *injungere*, ut cessante impedimento illuc se conferant. Communis et certa ob clara Jura *n.* 373. citata.

376 Dicitur autem notanter: *Spectato Jure communi*; nam aliud erit, si Episcopus habeat speciale privilegium absolvendi, juxta dicta *num.* 367. Deinde etiam spectanda erit consuetudo locorum. Nam Episcopi in locis Roma remotioribus, praescripsisse possunt jurisdictionem absolvendi *impeditos* hujusmodi, sine onere, quod Reo imponere debeant obligationem sistendi se Papae, vel ejus Legato, prout post Navarrum notat Laymann *loc. cit. num.* 6. *lib.* 1. *tr.* 5 *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 6.

377 Nec refert, quod contra Bullam Coenae nulla fieri queat praescriptio juxta dicta *n.* 90. Quia obligatio, qua tenetur Episcopus *impeditis* ire Romam injungere, ut cessante impedimento illuc se conferant, non est a Bulla Coenae, sed a SS. Canonibus *num.* 373. citatis, contra quos bene valet praescriptio.

378 Quaeritur III. Quaenam censeantur in Jure esse impedimenta adeundi Papam? Resp. esse septendecim, quae inter alios singillatim declarantur a Sylvestro ỹ. *Absolutio.* 4. *n.* 3. et sequentibus versiculis comprehenduntur.

Regula, mors, sexus, hostis, puer, Officialis,
Deliciosus, inops, aegerque, senexque, sodalis,
Janitor, adstrictus, dubius, causae, levis ictus,
Debilis: absolvi sine Summa Sede merentur.

379 Ex his ly *Regula*, denotat Regulares, qui per suum Superiorem absolvendi sunt; prout *in Religionis favorem, et ut evagandi materia subtrahatur*, habetur statutum *c. Monachi.* 2. et c. *Cum illorum.* 32. *de Sentent. Excommun.* Intellige, nisi excessus illi sint difficiles ac enormes, ut *ibid.* subditur.

380 Ly *Mors* denotat mortis articulum, de quo habetur c. *Non dubium. de Sentent. Excommunicat.* et alibi. Per ly *Sexus* denotantur mulieres: nam hae ob fragilitatem Sexus impediuntur a longis itineribus. Deinde ly *Hostis* significat habentem capitales insidias, ob quas metu mortis, aut alterius gravis damni sibi ab hostibus inferendi prohibetur ab itinere ad Sedem Apostolicam. Et hi proinde possunt absolvi ab Episcopo, ut habetur c. *De caetero*, et c. *Ea noscitur. de Sentent. Excommun.* Adde *Pueros, Senes, Ægros, Debilesque*, ut habetur *loc. cit.* juncto c. *Quamvis.* et c. *Pueri. eod.*

381 Porro ly *Officialis* indicat eum, qui in casu percussionis Clerici arcendo turbam casu fortuito (non tamen absque omni culpa) Clericum percussit. Huc adde *Janitorem* seu Ostiarum, sub praetexto sui Officii Clericum male percutientem: nam uterque absolvi potest ab Episcopo, nisi forte Clericum graviter vulneraesset, ut dicitur c. *Si vero, il* 1. *de Sentent. Excommun.*

382 Ly *Deliciosus*, loquitur de delicatis, id est, de his, qui magnae sunt potentiae, simulque NB. ita delicati, quod *laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeant sustinere* ut explicatur c. *Mulieres. de Sent. Excommun.*

383 Per ly *Inops* insinuantur pauperes, seu inopia impediti, quo minus Romanum Pontificem possint adire, ut dicitur c. *Quamvis. de Sentent. Excommun.* Nec obstat c. *Ea noscitur. eod.* ubi pauperes jubentur Sedem Apostolicam adire. Resp. enim cum Glossa hic, in priori loco sermonem esse de iis, qui tanta paupertate laborant, ut ad Curiam ire non possint: in posteriori vero textu sermonem esse de his, qui possunt ire, licet pauperes sint.

384 Ly *Sodalis* in casu percussionis Clerici importat Clericos viventes in communi, ut in una domo vescentes, et sub eodem tecto quiescentes; qui pariter ob mutuam percussionem possunt ab Episcopo absolvi, nisi forte atrocitas facti poenam graviorem expectet, ut habetur c. *Quoniam. de Vita et honestat. Cleric.*

385 Ly *Adstrictus* denotat obligatos seu subjectos alterius potestati: ut sunt servi, qui non sunt sui juris; item filiifamilias. Nam hi non possunt ire Romam invitis dominis, vel parentibus, atque ideo ab Episcopo possunt absolvi, *arg.* c. *Mulieres.* et c. *Relatum. de Sentent. Excommun.*

386 Per ly *Dubius* cursus in causa percussionis Clerici, insinuatur ille, de quo publica fama est, quod verberavit Clericum: nam hic ad arbitrium Episcopi de hoc (si id neget) vel debet se purgare, vel ab ipso ad cautelam absolvi. Ita habetur c. *Cum desideres.* § *Secundo de Sentent. Excommun.*

387 Ulterius per ly *levis ictus*, intelligitur levis percussio Clerici: nam Excommunicatus pro levi manuum injectione in Clericum potest per Episcopum absolvi, *arg.* c. *Pervenit. eod.*

388 Tandem per ly *Causae*, intelliguntur aliae justae excusationes, quibus quis ab itinere ad Sedem Apostolicam emplectendo pro obtinenda Absolutione, rationabiliter excusatur *arg.* c. *De caetero. de Sentent. Excommun.* ibi: *Alias justas excusationes.* Quae quia possunt esse multiplices, in iis dijudicandis stabitur arbitrio boni viri, *arg.* c. *De Causis de Offic. Delegat.* Plura de his omnibus Sylvester *loc. cit.* et alii.

389 Porro ad hoc ultimum reducitur ab aliquibus *Nimia frequentia Casuum*, ob quam posse Episcopum absolvere a casibus Papalibus, docent plures Doctores, ut Pirbing *h. t. n.* 42. Layman *in Conclusionibus Canonicis, Concl.* 73. et Henricus Wagnereck *in c. Licet. de Offic. Vicarii. in* 6. cujus doctrinam etiam refert Gobath *Tract.* 7. *Theolog. Experim. nu.* 371. *in Appendice*, et alii. Siquidem, ut loquitur citatus Pirbing *cum ob nimiam frequentiam, et multitudinem absolvendorum, adsit necessarium et evidens impedimentum eos mittendi Romam: ideo tales casus Papales*

fiunt Episcopales, quamvis majoris securitatis gratia aliqui Episcopi talem potestatem a Papa petere soleant.

390 Adde verba citati Wagnereck a citato Gobath relata et approbata quae sic sonant. Quod ad Episcopos Germaniae attinet, recte meminisse jubet Layman *loc. cit. nu.* 73. doctrinae, quam Doctores uno ore non solum tanquam aequam, verum etiam necessarium tradunt, *Casus Papales ob nimiam frequentiam, vel impedimentum adeundi Papam, fieri Episcopales.* Quod vel maxime locum habet circa *haereticos* in Germania; imo et in aliis casibus: ut confidenter existimem cum eodem Laymano, securitatis esse potius, quam necessitatis, si Episcopi Germaniae potestatem absolvendi *haereticos*, quantumvis *notorios* a Pontifice specialiter petant, hactenus citatus Henricus Wagnereck

391 Verum quamvis ob impedimentum adeundi Papam Episcopo potestatem absolvendi ab *haeresi*, et aliis casibus Bullae Coenae attribuamus cum Communi aliorum, juxta hactenus dicta *a num.* 371. tamen ob frequentiam casuum id asserere non audemus, cum huic aliunde satis cautum *sit*, hoc ipso, quod Germaniae, et aliis remotioribus Episcopis soleant dari speciales facultates a dictis casibus absolvendi, prout jam supra *num.* 367. diximus.

392 Pariter non approbamus fundamentum, quo ad propositum utitur Martinus Becanus (a Laymano proxime citato relatus) 1. 2. *cap.* 15. *quaest.* 2. *no.* 6. dicens, Bullam Coenae Domini in multis Germaniae partibus non esse usu receptam; cum juxta dicta *a num.* 81. Coenae Bulla licite non possit non recipi, et nulla contra illam consuetudo aut praescriptio legitime fieri valeat.

393 Quaeritur IV. An quis in casu, quo *impeditus* personaliter adire Papam, teneatur mittere Procuratorem, vel scribere ad Sacram Poenitentiariam pro obtinenda Absolutione a Censuris Papae reservatis? Resp. *Negative* cum Diana *loc. cit. Resolut.* 24. §. *Nec in tali casu.* Barbosa *part.* 2. *de Offic. et potestat. Episcop. Allegat.* 41. *numer.* 7 Bassaeo *v. Absolutio num.* 30. Sanchez *lib* 2 *Moral. cap.* 13. *num.* 14 Palao *de Fide tr.* 4. *disput* 4. *pun* 7. §. 5. *num.* 7. cum communi aliorum Ratio est; quia Jura solum exigunt, ut Reus personaliter adeat Papam, seu ut Apostolico conspectui se praesentet; ergo si hoc non potest, ad aliud a Jure non impositum minime tenetur.

394 Hinc Navarrus *cap.* 27. *Manualis. numer.* 90. *ad* 5. *tom.* recte inquit: *Justum habet impedimentum is, qui ire non potest, licet pro Absolutione mittere possit, non enim ad id Jus obligat, sed vult, ut, si possit, vadat.* Haec ille. Cum igitur, ubi Lex non aggravat, neque nos aggravare debeamus, dicendum restat, quod laborans impedimento personaliter adeundi Papam, non teneatur mittere Procuratorem, vel Epistolam ad S. Poenitentiariam pro Absolutione: quamvis in praxi hoc posterius observari dicatur, praesertim in locis ab Urbe parum distantibus, atque ad majorem quietem et serenitatem conscientiae recte fiat, ut observant Doctores apud citatum Dianam *Resolut.* 25. *assert.* 3.

§. VIII.

De Potestate absolvendi ab Haeresi, et aliis Casibus Papae reservatis competente aliis Confessariis praesertim tempore Jubilaei, et in mortis articulo.

SUMMARIUM.

395 *Impeditus personaliter adire Papam potest secundum aliquos a quovis Confessario absolvi.*
396 *Contrarium est verius.*
397 *Potest tamen absolvi a quovis Confessario, qui etiam Episcopum personaliter adire est impeditus.*
398 *Episcopus facultatem absolvendi impeditos adire Papam potest aliis delegare. Et num. seq.*
400 *Virtute Jubilaei nequeunt Confessarii absolvere ab Haeresi, nisi specialiter exprimatur.*
401 *Alii tamen contrarium docent, et probare conantur.*
402 *Etiam solvendo argumenta prioris sententiae. Et duobus seqq.*
405 *Prior tamen sententia est tenenda.*
406 *Solvitur instantia contraria*
407 *In articulo mortis quivis Sacerdos a quovis peccato absolvere potest.*
408 *Etiam praesente legitimo Confessario, secundum aliquos.*
409 *In periculo insuper mortis quivis Sacerdos absolvere potest a quovis peccato.*
410 *Cautione tamen praestita de stando Ecclesiae mandatis, et praestanda satisfactione: usque ad numer.* 415.
415 *Absolutus in mortis articulo a casibus Episcopalibus non tenetur se postea praesentare illi.*

Quaeritur I. An *impeditos* adire Papam possit a quocunque Confessario absolvi a casibus Papalibus, etiam *ab haeresi*? Resp. Duplicem esse circa hoc opinionem Doctorum. Et quidem *affirmativam* tenentur Palao *de Fide tr.* 4. *Disp.* 4. *pun.* 3. §. 5. *n.* 4. Bart. Loth, et Vericelli, a Diana *cit. part.* 12. *tract. de Conclavi. Resol.* 24. § *Sed hic oriter*, relati. Rationem dant; quia Sacerdos potest absolvere in mortis articulo; sed in Jure aequiparatur perpetuum impedimentum, et articulus mortis, juxta *n.* 372. et c. *Eos qui de Sentent. Excommun. in* 6. ibi: *Eos qui a sententia Canonis, vel hominis (cum ad illum, a quo alias de Jure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum, pro Absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur.* 395

Econtra sententiam *negativam*, videlicet, quod *simplex* Confessarius absque alia potestate, aut delegatione sibi facta, nequeat extra verum articulum mortis absolvere a casibus Papalibus, non obstante impedimento adeundi Summum Pontificem, cum aliis a se citatis veriorem censet Barbosa *part.* 2. *de Offic. et potestat. Episc. Allegat.* 41. *num.* 42. Diana *loc. cit. Resolut.* 25. Navarrus *cap.* 27. *Manual. num* 90. Ratio est; quia non habet potestatem ad id, nisi in mortis articulo, in quo nulla est reservatio, ut ait Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 7. Imo talis potestas absolvendi in casu impedimenti adeundi Papam expresse tantum datur Episcopi, c. *De caetero.* et c. *Eu noscitur. de Sentent. Excommun.* ergo ea non competit *simplici* Sacerdoti: nam *ubi aliquid alicui generaliter prohibetur* (v. g. absolvere a *reservatis* Papae) *quod expresse non conceditur: intelligitur denegatum. Clem. Exivit.* §. *Porro eum. de Verbor. significat.* cum Concordantiis. 396

Illud certum videtur, quod si habentes impedimentum adeundi non tantum Pontificem, sed etiam Episcopum, et alios speciali facultate absolvendi praeditos, possit a quovis approbato Confessario absolvi, uti bene advertit Tamburinus *de Casibus reservatis. cap.* 10. §. 2. *n.* 28. et 34. Stor. *lib.* 2. *num.* 68. 397

Id etiam communiter concedunt, quod possit Episcopus potestatem absolvendi a *reservatis* 398

Papae, in casu impedimenti adeundi Pontificem alii Sacerdoti delegare, sicque ipse absolvere. Ita Bonacina *Tom. 3. disp. 1. de Bulla Coenae, quaest. 22. pun. 4 num. 24.* Ratio est; quia facultas absolvendi *impeditos* competit Episcopo ratione officii, et vi dignitatis Episcopalis; atqui facultas, quae ratione officii, adeoque jure ordinario competit, est delegabilis, ut habetur *cap. ultim. de Officio Judicis ordinar.* et amplius explicat Glossa *ibid.* ℣. *Casibus*, ergo.

399 Porro talis delegatio potest fieri vel *generaliter*, vel *specialiter*. *Priori* modo fit ea erga Vicarium Generalem Episcopi, vi suae commissionis generalis. *Secundo* modo sit illa delegatio adhuc dupliciter, nimirum vel delegando potestatem absolvendi circa casum specialiter oblatum, vel eam delegando circa omnes casus Episcopo *reservatos*: et quocunque modo fiat delegatio, potest delegatus absolutionem impendere. Bonacina *loc. cit.* post Sanches *lib. 2. Moral. cap. 11. num. 23.*

400 Quaeritur II. An virtute Jubilaei, in quo datur Confessariis facultas absolvendi a quibuslibet peccatis et Censuris, etiam in Bulla Coenae contentis, non expresso tamen crimine *haeresis*, censeatur concessa facultas absolvendi ab *haeresi*? Plurimum iterum circa hoc variant Doctores, plerisque eorum partem *negativam* tenentibus, quos in magno referunt, ac sequuntur Barbosa *part. 2. de Offic. et potestat. Episc. Allegat.* 40. *num.* 31. et Diana *loc. cit. Resolut.* 25. inter quos etiam sunt Navarrus *cap. 27. num.* 175. Sanches *lib. 2. cap.* 12. *num.* 10. dicens, esse certissimum, Garcias *p. 11. cap.* 10. *n.* 169. Farinacius *de haeresi. q.* 192. *num.* 63. Azorius *p. 1. lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 12. Fundatur haec sententia in gravitate, rigorosa reservatione *haeresis*: unde non venit in generali concessione absolvendi, cum sit speciali nota digna, juxta *Regul.* 81. *Jur.* in 6. ibi: *In generali concessione non veniunt ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Accedit, quod ita observet Stylus Curiae Romanae. Imo ita fuisse declaratum a B. Pio V. per motum proprium Anno 1572. et rursus a Gregorio XIII. ad petitionem Inquisitorum Hispaniae, testantur Auctores apud citatum Barbosam. Adde Decretum Innocentii X. Anno 1654. ad supplicationem Inquisitoris Toletani emanatum, id ipsum declarans, cujus totum tenorem refert citatus Diana.

401 *Affirmativam* vero sententiam tenet Fillincius *Tom. 1. tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 265. asserens, ita fuisse responsum in S. Congregatione Anno 1617. occasione Jubilaei tunc promulgati, una cum Soto, Corduba, Zerola, Fagundez, et pluribus aliis apud Barbosam citatis; et novissime sequitur Gobath *Tract.* 3. *Quinarii. n.* 248. citans insuper Azorium, Sanctarellum, Coninum, Lugonem, et alios. Ratio est, quia verba generalia generaliter sunt intelligenda, c. *Quia circa.* 22. *de Privileg.* simulque favores sunt ampliandi, c. *Odia de Reg. Jur.* in 6. Accedit, quod si Papa e tam generali et favorabili concessione voluisset excipere crimen *haeresis*, potuisset illud excepisse: prout saepius crimen *haeresis* fuisse expresse exceptum, notat citatus Gobath; ergo quando illud non excipitur, datur virtute Jubilaei potestas ab eo absolvendi in *Foro* conscientiae, *arg.* c. *Quia circa. de Privileg.* ibi: *Cum nihil exceperit, et poterat excepisse.*

402 Ad rationes in oppositum *num.* 100. relatas respondent. Et quidem ad *primam* respondet Fillincius *loc. cit.* licet sit opinio multorum Doctorum, non venire in concessione generali, tamen id nullo Jure probari, et alioquin viros doctissimos oppositum tenere.

Ad stylum Curiae Romanae respondet Diana *part. 1. tract.* 5. *Resolut.* 1. post Fagundez, quod stylus Curiae Romanae fundatur in probabilitate prioris opinionis, non tamen tollit probabilitatem alterius. Addunt *primo*, quod stylus Curiae varius sit pro varietate Pontificum. Addunt *secundo* cum pluribus Doctoribus, quorum 26. refert Diana *part.* 12. *tract. de Conclavi. Resolut.* 25. quod stylus Curiae non faciat Jus pro *Foro* conscientiae, sed tantum pro *Foro* externo obliget. 403

Ad Declarationes SS. Pontificum respondet Diana *cit. Resolut.* 1. quod de illis non constet authentice. Plura circa hoc Georg. Gobath *loc. cit. num* 248. una cum novissime addita Appendice, notans, intrepide a Confessariis Septentrionalibus hanc sententiam in usum deduci; cum praesertim *haeresis* in hisce partibus propter suam frequentiam vix sit annumeranda casibus Papae *reservatis*, ut scripsit olim Layman citatus: quamvis oppositam sententiam, saltem in Italia, omnino veram, et certam, ac penitus sequendam existimet Diana *cit. Resolut.* 25. *Assert.* 2. Quibus non obstantibus, 404

Resp. *Negativam num.* 400. positam longe probabiliorem, imo quasi certam, et in praxi omnino sequendam esse. Idque ob fundamenta *ibid.* allegata: praesertim vero ob repetitas Declarationes Cardinalium: quibus addi potest Decretum S. Congregationis sub Alexandro VII. editum 15. Maii 1656. illis verbis: *Cum crimen haeresis prae caeteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab haeresi in Jubilaeis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi praecisis verbis concedatur facultas absolvendi ab Haeresi.* 405

Nec valet in contrarium dicere, non constare authentice de his Declarationibus, nam ad hoc patet ex dictis supra *num.* 366. 406

Quaeritur III. Quid possint Confessarii circa Absolutionem ab *haeresi*, et aliis casibus Papae *reservatis* in vero mortis articulo? Resp. I. Possunt absolvere quilibet Sacerdotes ab omnibus peccatis, et Censuris, etiam *haeresi*, vel aliis Papae *reservatis* quoslibet poenitentes in mortis articulo, imo etiam in probabili periculo constitutos; dummodo hi de stando Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo cautionem praestiterint. Ita communis Doctorum. 407

Prima pars patet ex eo; quia in mortis articulo nulla est reservatio Casuum. Hinc in Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 7. sic legitur: *Veruntamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei constitutum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet poenitentes, a quibusvis peccatis, et Censuris absolvere possunt.* Ex quibus amplius verbis docet communis Doctorum, quod *simplex* etiam Sacerdos, quamvis sit degradatus, excommunicatus, irregularis, Apostata, possit absolvere, si non adsit Confessarius approbatus, proprius Parochus, aut Episcopus. 408

Non autem hoc praesente possit absolvere *simplex* Sacerdos, variant Doctores, et non pauci *negativam* tenent: quae etiam sententia in praxi merito est observanda, ne ob defectum praxis, atque uberioris scientiae, contingat error per *simplicem* Sacerdotem cum periculo salutis aeternae morituri. Interim etiam tunc, secluso alio erroris, et perversionis periculo, posse *simplicem* Sacerdotem absolvere, probabile censent Auctores, quos refert Barbosa *part. 2. de Offic. et potestat. Episc. Alleg.* 25. *n.* 79. et Diana *part. 1. tract.* 5. *Resol.* 5. *et part.* 4. *tract.* 4. 409

Resolut. 161. Ratio *est*; quia Concilium Tridentinum nullae apposuit Glossas *et* limitationes de absentia vel praesentia proprii Parochi, aut Confessarii approbati, sed loquitur absolute; ergo neque nos debemus limitationem apponere, aut favorem pro eo articulo amplissima Fidelibus praestitum restringere.

410 *Secunda* pars Responsionis *numer.* 407. datae, quae hoc extendit ad probabile periculum mortis, est communior Doctorum apud Barbosam *loc. cit. n.* 81. Dianamque *part.* 1. *tract. de Conclavi. Resol.* 32. qui plurimos alios citant. Ratio est; quia licet in rigore sit differentia inter articulum et periculum mortis (nam articulus mortis proprie dicitur quando ex aegritudine prudenter *timetur* mors: periculum vero mortis, cum datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, ut in conflictu bellico, in periculosa navigatione, et hujusmodi) in praesenti tamen materia idem *est* articulus mortis, et probabile periculum ejusdem: nam morale periculum in malis ita existimari, et vitari debe*t*, sica*t* eventus ipse, juxta illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

411 *Tertia* tandem pars, *duomodo de stando Ecclesiae mandatis etc.* Constat imprimis ex Bulla Coenae Domini, ibi: *Nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestita absolvi possit.* Concordat *c. De caetero c. Ea noscitur et c. Quamvis. et c. Quod de his. de Sent. Excom.* ubi praecipitur, ut absolutis tempore infirmitatis, vel ob aliud impedimentum adeundi Papam, sub juramento injungatur, ut cessante impedimento vel infirmitate, ad Apostolicam Sedem, vel ejus Legatum accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi, simulque juxta facultatem his, quibus per eos constiterit injurias irrogatas, satisfaciant.

412 Quinimo c. *Eos, qui de Sentent. Excommun.* statuitur, quod absoluti propter mortis articulum, vel aliud impedimentum a sententia Excommunicationis ab eo, a quo alias non poterant, cessante impedimento, quam cito commode poterant, se illi, a quo alioquin absolvi debuissent, contempserint praesentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, *et* satisfacturi, prout justitia suaserit, in eandem sententiam recidant ipso Jure.

413 Intellige hoc, non quod redeat eadem numero Excommunicatio (haec enim per absolutionem jam fuit sublata) sed alia omnino similis priori, et quidem ipso Jure propter novam inobedientiam, atque contemptum sese debite praesentandi de novo commissum. Arbitrantur etiam nonnulli apud Dianam *part.* 2. *tract. de Conclavi. Resol* 34. Quod *cit. c. Eos qui, de Sentent. Excommun. in* 6. loquatur de excommunicatis *denuntiatis* seu *deductis* ad Forum externum, non vero de excommunicatis non *deductis.* Verum prior sententia *est* communiter recepta, nec proinde ab ea recedendum.

414 Quaeritur IV. An similiter in mortis articulo absoluti a Casibus *reservatis*, v. g. Episcopo, sed nullam Censuram connexam habentibus, teneantur, si convaluerint, comparere coram Superiore, sicuti tenentur absoluti ab aliqua Censura? Resp. *Negative*, cum Navarro *cap.* 26. *Manualis. n.* 26. Suarez, et aliis communiter contra Hurtadum, quem in oppositum citat Diana *part.* 4. *tract.* 4. *Resolut.* 199. Ratio est: Tum quia peccata talia jam fuerunt directe absoluta, eo quod in mortis articulo *cesset* omnis reservatio: nemo autem tenetur eadem peccata bis confiteri: Tum quia nullo Jure con*stat* talis obligatio, sicuti constat de habentibus Censuram reservatam.

Neque urget id, quod habetur statutum de absolutione a Censuris. Nam imprimis diversa Juris dispositio oppositum suadet. Deinde Excommunicatio non incurritur nisi ob contumaciam, unde dignum *est*, ut talis specialiter se humiliet, et obsequentiam ostendat Ecclesiae, vel Superiori, cui fuit contumax: secus est in aliis casibus *reservatis.* Tandem etiam absolutus a Censuris in casu praemisso, non tenetur postmodum adire Superiorem ad hoc, ut iterum absolvatur, cum jam absolutus sit; sed ut mandatum ejus accipia*t*, atque ostendat se obedientiam ad recipiendam debitam medicinam, et ad exhibendam majorem satisfactionem, si Superior ipse majorem judicaverit imponendam, ut habetur in Jure. 415

§. IX.

De Potestate absolvendi ab Haeresi, et aliis Casibus reservatis competente Regularibus tam respectu suorum Subditorum, quam Saecularium.

SUMMARIUM.

416 *Regulares pro Absolutione non mittuntur Romam.*

417 *Praelati Regulares habent jurisdictionem quasi Episcopalem.*

418 *Sed non omnes.*

419 *Generales, et Provinciales possunt absolvere suos Subditos ab omnibus, a quibus Episcopus de jure communi absolvit suos Dioecesanos.*

420 *Doctrina practica.*

421 *Ampla potestas absolvendi in Ordine Minorum. Et num. seq.*

423 *Regulares ab Episcopo solam approbationem, a Papa vero jurisdictionem absolvendi habent.*

424 *Episcoporum reservatio principaliter afficit personam Confessarii.*

425 *Et ideo possunt Regulares absolvere alienum Dioecesanum a casibus in illius Dioecesi reservatis Episcopo.*

426 *Debent Regulares cavere Propositiones circa Absolutionem damnatas.*

427 *Nullus Regularis potest Saecularem absolvere ab aliquo casu Bullae Coenae.*

428 *Nisi talis personaliter accedere Papam sit impeditus.*

429 *Nec a casibus Episcopo reservatis absolvere possunt Regulares.*

430 *De potestate absolvendi, Remissive.*

Quaeritur I. Qualem potestatem habeant Superiores Regulares absolvendi e *Reservatis* quibuscunque suos Subditos? Ante Responsionem notandum *primo*, quod Monachi, aliique Regulares, ob mutuam percussionem (idem servata proportione dic de aliis casibus Papalibus juxta dicta *n.* 374.) non sin*t* mittendi ad Sedem Apostolicam, sed possun*t* absolvi a suo Praelato. Ita enim habetur c. *Monachi. de Sent. Excommun.* idque in *Religionis favorem, et ut evagandi materia subtrahatur*, extenditur *in c. Cum illorum. de Sentent. Excommun.* etiam ad eos, qui ante ingressum Religionis tale quid commiserant: *nisi excessus ipsorum extiterit difficilis, et enormis*, ut mox ibidem subjungitur. Et hinc *numer.* 379. annumerantur Regulares inter habentes impedimentum adeundi Summum Pontificem. 416

Notandum *secundo*, quod Praelati Regulares, ut sunt Generales, *et* Provinciales, ac hujusmodi Superiores Majores exempti, habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in suos Subditos, 417

prout loquuntur omnes Auctores. Desumitur autem hoc ex c. *Abbates. de Privileg. in 6.* ibi: *Monasteriorum suorum conversis, et qui ad illa convolaverint, et in quos Ecclesiasticam, et quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent.* Concordat Glossa *in Clem. 1. De rebus Ecclesiae non alien.* ℣. *Proprii.* Accedit ratio, quia jurisdictio in Regulares, quae erat penes Episcopos, dum essent Regularium Superiores, translata est in Praelatos Regulares per exemptionem a jurisdictione Episcoporum.

418 Porro nomine Praelatorum Regularium jurisdictionem quasi Episcopalem habentium intelliguntur soli Superiores *Majores*, nempe Generales, et Provinciales, ac hujusmodi. Licet enim Praelati caeteroquin dicantur omnes illi, qui sunt Superiores Conventuum cum jurisdictione, *arg. c. Decernimus de Judiciis*, ibi: *Et alii Ecclesiarum Praelati*: et nomine Praelaturae etiam comprehendatur Prioratus, Guardianatus, Magistratus, seu alia Superioritas localis; secundum quod sunt diversa nomina talium Praelatorum, qui Religiosis praesunt, ut notavit Glossa *in c. Nullus. de Election. in 6.* ℣. *Praelaturum.* Nihilominus Guardiani, aliique Superiores locales tantum habent in suos Subditos jurisdictionem ordinariam, et dignitatem Ecclesiasticam, qualem habent Parochi, et Curati, ut notat Sanctorus de Melfi *in Statuta Generalia cap. 1. Statuto 4. §. Guardianum*: non autem quasi Episcopalem. His praenotatis,

419 Resp. I. Regulares Praelati Generales, et Provinciales, possunt absolvere suos Subditos ab omnibus casibus, a quibus possunt Episcopi suos absolvere de Jure communi. Ita communis Doctorum, quos citat, et sequitur Herinck *Disp. 7. de Sacramento poenitentiae quaest. 3.* et Sanaig *Disp. 11. de Poenitentia quaest. 9. nu. 8.* Ratio patet ex proxime dictis. Confirmatur hoc ex Constitutione Pii V. (et habetur in Bullario Romano, Constit. ejus 13a.) ubi Priori Conventuali, et Superioribus Praelatis Ordinis Praedicatorum, ne sint deterioris conditionis quam Saeculares, conceditur eadem facultas absolvendi et dispensandi erga Subditos dicti Ordinis, quam habent Episcopi in Clericos et Laicos sibi subditos: in hoc autem privilegio communicant alii Ordines praesertim *Mendicantes*, habentes communicationem Privilegiorum.

420 Ex his inferes conformiter dictis, quidnam possint vel non possint Praelati Regulares, quantum est de Jure communi in absolvendis suis Subditis: Nam sicut juxta dicta *num. 372. et seqq.* possunt Episcopos suos Dioecesanos *impeditos* personaliter ire Romam, ita Superior Regularis potest suos Subditos impotes etiam *impeditos* personaliter ire Romam absolvere. Siquidem in Religionis favorem, et ut tollatur evagandi materia, possunt Superiores Regulares absolvere ab omnibus casibus Papalibus, nisi excessus fuerint difficiles et enormes, de quibus *num. seq.* Et quia habent in suos Subditos jurisdictionem ordinariam, et quasi Episcopalem, possunt dictam facultatem absolvendi delegare aliis, ut in simili diximus supra *num. 398.*

421 Resp. II. *Ex Apostolico concessione possunt Generales, et Provinciales, eorumque Vicarii, et Custodes in suis Custodiis Fratres sibi commissos, vel eos undequaque declinantes, ab omnibus casibus, in quos inciderint, sive ante, sive post ingressum Ordinis, etiam Sedi Apostolicae reservatis (Haereticis, relapsis, Schismaticis, Litterarum Apostolicarum falsificatoribus, ad partes Infidelium prohibita deferentibus, Bigamis, et homicidiis voluntariis exceptis) absolvere, ac etiam in quibusvis sententiis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti a Jure, vel ab homine generaliter promulgatis: ac etiam dispensare in Irregularitatibus propter dictas sententias, aut ob celebrationem Divinorum in locis Interdicto Ecclesiastico suppositis, vel ob Susceptionem Ordinum cum praedictis Censuris contractis: et ab iisdem casibus a propriis, quos sibi elegerint, Confessariis dispensari.*

Ita verbatim sonant statuta nostra Generalia novissime recognita, a Sede Apostolica confirmata, et a Reformata Provincia Bavariae acceptata *cap. 7. §. 4. fol. 117.* quae eadem refert ac probat P. Angelus Lantusca *in Theatro Regularium*, ℣. *Absolvo. num. 5.* citans Summos Pontifices, qui hanc amplissimam absolvendi potestatem Ordini concesserunt. Quia igitur de Legibus jam institutis non est judicandum, sed secundum ipsas vivendum, *arg. c. In istis, dist. 4.* nunc determinationi Statutorum Generalium omnino insistendum censeo. Quibus sic stantibus, 422

Quaeritur II. An, et qualem potestatem absolvendi Saeculares ab *haeresi*, vel aliis casibus Papae, vel Episcopo *reservatis* habeant Regulares tam Subditi, quam Superiores? Ante responsionem notandum *primo* cum Communi, jurisdictionem absolvendi Saeculares *exempti* non accipiunt ab Episcopo approbante, sed supposita approbatione Episcopi localis, et consensu proprii Superioris Regularis, eam concessam habeant a Sede Apostolica, prout desumitur ex *Clem. Dudum. § Statuimus de Sepulturis.* Hinc Fagnanus *in c. Omnis. de Poenitent. et remiss. numer. 79.* sic ait: *Jam Sacra Congregatio Concilii declaravit, Regulares intra Dioecesim Episcopi approbantis posse etiam audire poenitentem alterius Dioecesis; cum habeant jurisdictionem a Papa ex Clem. Dudum. de Sepulturis,* et notat Glossa *in c. 2. de Poenitent. et remiss. in 6. §. Item tertio etc.* ibi: *Mendicantes vero sunt delegati a Sede Apostolica.* Aliam rationem addit Laymann *lib. . tract. 6. cap. 10. numer. 19.* quia videlicet Episcopus tam amplam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium Fidelium undequaque venientium, eosque a Censuris etiam *reservatis* absolvendi dare non potest: sed eam Confessarii Mendicantium a Summo Pontifice, cum dependentia a consensu sui Praelati, et approbatione Episcopi accipiunt. 423

Notandum *secundo* cum citato Fagnano *nu. 78. et seqq.* ac aliis communiter, quod quando Episcopi, aliique locorum Ordinarii certos Casus sibi reservant juxta Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 7.* talis actus *reservationis* principaliter ac directe afficiat personam Confessarii arctando ejus jurisdictionem; licet etiam indirecte obstet poenitentibus, eo quod a tali Sacerdote ob defectum jurisdictionis absolvi non possint. Et hoc patet *primo* ex cit. *Concilio Trident.* ibi: *Extra quam articulum mortis cum Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis.* Concordant *Clem. Dudum. §. Per hujusmodi, de Sepultur.* et Extravag. *Inter cunctas, §. Sicque de Privilegiis*, ibi: *Sicque de casibus reservatis se nullatenus intromittant.* Patet enim, quod hoc loquendi formula Confessariorum jurisdictio restringatur, sicque reservatio Casuum ipsos principaliter et directe afficiat. Ex quo recta 424

Infertur a Fagnano *loc. cit. nu. 78. et seqq.* quod Regulares in aliqua Dioecesi ad audiendas confessiones ab Episcopo approbati sine facultate absolvendi a Casibus *reservatis*, possint absolvere poenitentes ex aliena Dioecesi confluentes a casibus in Dioecesi poenitentis *reservatis*, non autem in qua Confessiones audiunt. Tum quia *reservatio* Casuum afficit Confessarium, limitando ejus jurisdictionem: non potest autem Episcopus limitare jurisdictionem Regularis extra suam Dioecesin existentis. 425

Tum, quia actus *reservationis* est localis, et restrictus ad suam cujusque Episcopi Dioecesin, ut
425 desumitur ex *Concilio Trident. loc. cit.* ibi: *Nec dubitandum est, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Dioecesi liceat.* Tum etiam, quia non tenentur Regulares Confessarii habere notitiam Casuum *reservatorum* in aliena Dioecesi. His notatis,

426 Resp. I. Quoad potestatem Regularium absolvendi Saeculares, esse imprimis cavendas quasdam *Propositiones* novissime damnatas. *Prima* sic sonat: *Praelati Regulares possunt in Foro conscientiae absolvere quoscunque Saeculares ab haeresi occulta, et ab Excommunicatione per eam. Secunda* est: *Mendicantes possunt absolvere a Casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. Tertia* est: *Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.* Et hae tres *Propositiones* una cum pluribus aliis, ut minimum tanquam scandalosae, sunt damnatae ab Alexandro VII. non obstante, quod *ultima* earum olim fuerit fundata in Jure Canonico, nempe *in Clem. Dudum. § Si vero, de Sepulturis.*

427 Resp. II. Nullus Regularis, quantumvis *privilegiatus*, sive Superior, sive Subditus habet potestatem absolvendi Saeculares ab aliquo casu Bullae Coenae. Communis, et certa, ob clausulam omnium privilegiorum plenissime derogatoriam Bullae Coenae insertam §. 24. cujus verba lege supra *num.* 325.

428 Limitant aliqui Confessionem in Saecularibus personaliter Pontificem *adire impeditis*: utpote quos a quolibet, consequenter etiam a Regulari confessario uti in articulo mortis absolvi posse, docent juxta dicta supra *num.* 395.

429 Resp. III. Nullus Regularis potest absolvere saecularem a casibus reservatis Episcopo illius loci, in quo talis Regularis existit. Rursus communis, et certa, quia contraria opinio est damnata, juxta dicta *num.* § 6. Dicitur tamen notanter, *Episcopo loci, in quo talis Regularis existit*, ob dicta *num.* 425.

430 Resp. IV. Confessarii Ordinum *Mendicantium* rite approbati habent generalissimam facultatem super omnes Casus et Censuras Papae *reservatos*, exceptis iis, qui continentur in Bulla Coenae Domini; quibus adde Casus Episcopis *reservatos*, ob proxime relatam *Propositionem* damnatam. Ita Herincx *loc. cit. quaest.* 2. Sanng, aliique communiter. Patet hoc ex variis concessionibus SS. Pontificum, quas videre est *in Compendio Privileg.* ✠ *Absolutio quoad Saeculares.* Tum etiam ex concessione Pauli III facta Confessariis Societatis Jesu, et consequenter aliorum Ordinum habentium communicationem Privilegiorum. Et quidem

Verba Pauli III. in Bulla, *Cum inter cuncta.* sunt valde notanda, et sic sonant: *Concedimus quorumcunque utriusque Sexus Christi Fidelium ad eos accedentium Confessiones audiendi, et Confitentibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et a quibuscunque ex ipsis casibus resultantibus sententiis et censuris et poenis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, quae in die Coenae Domini solita est legi, absolvendi, ac eis pro commissis poenitentiam salutarem injungendi, plenam ac liberam facultatem.* Hactenus citata Bulla.

Plura de potestate absolvendi competente Regularibus vide apud Moralistas, et Auctores de Regularibus scribentes, uti Rodericquez, Miranda, Lezana, Portel., ac etiam Herincx *de Sacramento Poenitent. q.* 3. *Disp.* 7. et alios.

§. X.

De Judice Criminis Haereseos.

SUMMARIUM.

431 *In causa Haeresis nullus Laicus, sed solus Ecclesiasticus potest esse Judex.*
432 *Etiamsi sola quaestio Facti sit.*
433 *Jus Civile contrarium statuens circa hoc fuit correctum a Jure Canonico.*
434 *Judices autem Ecclesiastici in causa Haeresis sunt sequentes. I. Papa*
435 *II. Episcopi respectu omnium existentium in sua Dioecesi.*
436 *Quam propterea etiam visitare debet.*
437 *Episcopus etiam Exemptorum Regularium Judex est in causa Haeresis.*
438 *Nisi obstet consuetudo legitime praescripta, ut in Germania.*
439 *Vicarius Generalis sine speciali mandato Episcopi, non est Judex in causa Haeresis.*
440 *III. Bene vero Capitulum Sede vacante.*
441 *Non tamen respectu Exemptorum.*
442 *IV. Inquisitores Fidei.*
443 *S. Officium Inquisitionis, et Inquisitores unde initium, et originem habeant?*
444 *Extat hodie specialis Congregatio universalis Inquisitionis, cui Inquisitores omnes subjecti sunt.*
445 *Inquisitores Provinciarum, et Dioecesium non sunt Judices Episcoporum, Nuntiorum, et Officialium Apostolicorum. Et num. seq.*
447 *Episcopi in suis Dioecesibus sunt Inquisitores nati.*
448 *Inquisitores, et Episcopi possunt conjunctim, vel separatim in causa haeresis contra suspectos, vel denuntiatos procedere: et quomodo?*
449 *In locis, ubi non viget Officium Inquisitionis, Episcopi soli gaudent omni facultate Inquisitoribus alias competente.*
450 *Episcopi processum instituendo contra haereticos debent eundem modum observare, quem Inquisitores: Et quis sit hic modus?*
451 *Principes, Potestates, et Judices saeculares nullo modo possunt se immiscere in processum a Judice Ecclesiastico contra haereticos instituendum, vel institutum: sed debent immediate exequi sententiam Judicis Ecclesiastici.*
452 *Nec possunt praetendere videre prius processum a Judice Ecclesiastico factum: Et si praetendunt, debet illis negari.*
453 *Probatur Jure, ac ratione et num. praeced.*
454 *Dicitur statim, vel subito exequi, si intra sex dies exequitur.*
455 *Possunt Judices saeculares capere, et ad custodiam ponere haereticos ad hoc, ut eos tradant Judici Ecclesiastico.*
456 *Possunt etiam Statuta facere, quibus promovetur processus ab Ecclesiastico instituendus, non item quibus impediretur.*
457 *In Germania non expedit, quod Judex Ecclesiasticus haereticos temporaliter vel corporaliter puniat, aut ita puniendos tradat Judici saeculari.*

Quaeritur I. Quis sit, vel esse possit Judex criminis *haereseos*? Resp. I. Nullus Saecularis, seu Laicus, sed solus Ecclesiasticus esse potest Judex in causa *haeresis*, sive incidentaliter, et principaliter, sive sola etiam sit quaestio facti de illa. Farinacius de *Haeresi. q.* 186. *a nu.* 152. Pirhing *h. t. num.* 126. Del Bene *de Immunit. et Jurisdict. Eccl. cap.* 16. *dub.* 22. *nu.* 12. 431

Barb. *in c. ut inquisitionis. h. t. in* 6. *num.* 7. cum Glossa communiter recepta *in cit. c. ℣. Prohibemus*: Estque hodie certa ob clara Jura *c. Ut Inquisitionis.* 18. §. *Prohibemus. h. t. in* 6. ibi: *Prohibemus quoque districtius, Potestatibus, Dominis temporalibus, et Rectoribus, eorumdemque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc Crimine (cum sit mere Ecclesiasticum quoquo modo cognoscant, vel judicent.* Ratio assignatur in citato textu, videlicet, quia hoc Crimen *est mere Ecclesiasticum*; de Ecclesiasticis autem sola judicat potestas Ecclesiastica, *c. Decernimus.* 2. *de Judiciis*, ibi *Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non praesumant, sed Episcopi, et alii Ecclesiarum Praelati etc. Nec propter eorum* (Laicorum) *prohibitionem, Ecclesiasticam dimittant jurisdictionem exercere.* Concordant *c. Quanto.* 3. *eod.* et *c. Si Judex.* 12. *de Sentent. Excommun. in* 6.

432 Dicitur notanter *sive sola sit quaestio Facti de illa*, cum quaestio Facti de *Haeresi* a quaestione Juris vix possit separari; quia si quis ob verba vel signa externa *Haeresis* arguitur, necessario investigandum erit, an scienter, vel ignoranter, an ex joco et simplicitate, vel serio et ex malitia, an relative vel ex propria mente, verbo? an talia sint, quae ad *Haeresin*, et poenas contra illam a SS. Canonibus statutas exigantur, quae utpote quaestionem Juris in hac causa concernentia, non nisi a Judice Ecclesiastico cognosci valent, uti bene advertit Petrus Barbosa *in l. Titia.* 34. *ff. Soluto Matrim. num.* 37.

433 Nec obstat, quod in Jure Civili expresse statutum inveniatur *haereticos* saltem laicos in *causa haeresis* judicari et condemnari posse *arg l.* 1. § 1. *C. de Summa Trinitat l. Quicunque.* 8. §. *fin. C. h. t.* cum Concordantiis. Respondetur, etiam haec Jura e SS. Canonibus correcta fuisse, ita, ut licet olim Laici esse potuerint Judices in *causa haeresis*, tamen hodie esse non amplius possint. Farinacius *loc. cit.*

434 Resp. II. In specie autem Judices Ecclesiastici *in causa haeresis* sunt sequentes. I. Summus Pontifex. Omnes; quia ab eo omnis aliorum Judicum jurisdictio spiritualis descendit, et dependet.

435 II. Quivis Episcopus est Judex ordinarius in causa *haeresis* respectu omnium suorum Dioecesanorum tam laicorum, quam Clericorum Farinacius *de Crimine haeresis q.* 86. §. 1. *num.* 5. *et seqq.* Abbas *in c. Ad abolendam.* 9. *h. t. num.* 3. et ibi Joan. Andreas *num.* 5. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 2. Pirhing *h. t. num.* 124. cum Communi aliorum, textus est *in Clem.* 1. §. *Propter quod. h. t.* Ratio est; quia Episcopi ex Officio possunt, et debent in suis Dioecesibus extirpare *haereses*, consequenter etiam judicare, quinam sint *haeretici*, et debitis poenis in eos animadvertere.

436 Imo *c. Excommunicamus.* 13. §. *Adjicimus h. t. in virtute obedientiae*, et sub poena depositionis stricte mandatur, ut quilibet *Archiepiscopus*, *et Episcopus per se, aut Archidiaconum suum, aut alias honestas, idoneasque personas bis, aut semel in anno propriam Parochiam, in qua fama fuerit, haereticos habitare circumeat: et ibi tres, vel plures boni testimonii viros, vel etiam* (*si expedire videbitur*) *totam Viciniam jurare compellat: quod si quos ibi haereticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione Fidelium vita et moribus dissidentes, eos Episcopo studeant indicare, ipse autem Episcopus ad praesentiam suam convocet accusatos. qui nisi se ab objecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonice puniantur. Si vero ex eis juramenti religionem obstinatione damnabili respuentes jurare forte noluerint, ex hoc ipso tanquam haeretici puniantur.*

437 Et quidem haec jurisdictio Episcopi in causa *haeresis* extenditur etiam in personas *Exemptas*, ut has quoque ob Haeresin citare, judicare, et punire valeat, non quidem ut Judex ordinarius, sed ut delegatus Papae, textu expresso *c. Ad abolendam.* 9. §. *fin. h. t.* ibi: *Si qui vero fuerint a lege Dioecesana jurisdictionis exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicae Potestati. nihilominus in his, quae contra haereticos instituta, Episcoporum subeant judicium: et eis in hac parte tanquam a Sede Apostolica delegatis* (*non obstantibus libertatis suae privilegiis*) *obsequantur.*

438 Videtur tamen usus et consuetudo (quae legitime praescripta utique derogat legi Ecclesiasticae, *c. fin. de Consuetud.*) in Germania obtinuisse, quod Praelati Regulares suos Subditos etiam in *causa haeresis* judicent, et poenis Juris afficiant, uti videre est in casibus, quibus Regulares Apostatae *haereticam* Sectam amplexi, denuo revertuntur, et capiuntur: hos siquidem non ab Episcopis, sed Praelatis suis Regularibus judicari, ac puniri, satis in aperto est.

439 Porro, quamvis juxta dicta Episcopus in causa *haeresis* sit Judex competens et ordinarius super omnes etiam *exemptos* Dioecesanos, tamen potestate judicandi in hac causa caret Vicarius illius Generalis, nisi speciale ad id habeat mandatum ab Episcopo sibi datum saltem sub clausula generali sequenti, vel simili: *Committimus, et concedimus tibi omnia, quae nos possumus, etiam illa, quae speciale mandatum requirunt.* Farinacius *de haeresi. q.* 186. *n.* 13. Imola *in Clem.* 1. *h. t. n.* 19. Pirh. *h. t. n.* 124. Ratio est: quia ob gravitatem hujus Criminis requiritur specialis commissio, ut desumitur ex *Concilio Trident Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6.

440 III. Judex ordinarius in causa *haeresis* est etiam Capitulum Sede vacante (*non item* Vicarius ipsius Generalis, nisi specialiter deputetur, ob dicta *num. praeced.* Farinacius *de haeresi. q.* 186. *num.* 177. Hostiensis *in c. Ad abolendam. h. t. num.* 2. *et* 4. Barbosa *num.* 2. Abbas *num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 125. cum communi aliorum, *arg. cit. c. Ad abolendam* 9. *h. t.* ibi: *Vel Clerici ipsi Sede vacante.* Ratio est; quia Sede vacante *transit* tota jurisdictio Episcopi in Capitulum. Nec refert, sive per mortem Episcopi, sive per ejus capturam, vel alio modo Sedes vacet. Farinacius *loc. cit. num.* 179. in Glossam *in Clem.* 1. *h. t. ℣. Sede vacante*, communiter receptam.

441 *Exemptos* tamen Capitulum Sede vacante in causa *haeresis* judicare nequit. Farinacius *de haeresi. q.* 186. *num.* 182. Abbas *in c Ad abolendam. h. t. num. fin.* cum Communi aliorum. Ratio est; quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo solum in iis, quae Jure ordinario competunt Episcopo, non vero in iis quae non nisi Jure delegato, aut speciali habet, prout amplius diximus *Lib III. Tit. IX. a num.* 42.

442 IV. Judex competens in causa *haeresis*, sunt Inquisitores Fidei in S. Officio Inquisitionis, de quibus specialis merito instituitur Quaestio, quae.

443 Quaeritur II. Quid sit Officium Inquisitionis? Quid Inquisitores? et quae potestas eorum in causa *haeresis* Pro *prima* et *secunda* parte Quaesiti sciendum, quod, cum circa initium Saeculi Tertii *haeresis* sub specie pietatis se non tantum insinuaret, sed late diffunderet, ita ut Galliam, Pedemontium, et Lombardiam plurimum inficeret, Innocentium III. Arnoldum Abbatem Cisterciensem, et alios ejusdem Ordinis et Reformationis Abbates scientia et virtute praeclaros, et confutandos Albigensium errores destinarit.

Et cum *haereses* nihilominus multum grassarentur, ita ut Episcoporum, et praelatorum cura, labor, et vigilantia needum sufficeret ad eas extirpandas, et avertendas, S. Dominicus celeberrimi Ordinis Praedicatorum Fundator, Zelo Fidei et animarum apud eundem Pontificem Innocentium III. institit, et obtinuit, ut contra omnes de *haeresi* insimulatos, suspectos, aut diffamatos verus institueretur Processus judiciarius, ad hoc ut deinde de *haeresi* judicialiter confessi, aut convicti severissime punirentur. Atque inde initium sumpsit S. Officium Inquisitionis contra *haereticam* pravitatem, in quo primus Inquisitor generalis institutus fuit dictus S. Dominicus, et post illum alii ejusdem Ordinis Alumni: quibus substituti deinde, et alii subordinati fuere alii Inquisitores inferiores, et locales in diversis Provinciis, et Dioecesibus, praesertim Italiae, et Hispaniae, ita, ut ibidem in singulis quasi Dioecesibus adsit S. Officium Inquisitionis, et Inquisitores contra *haereticam* pravitatem, qui omnes hodie subjecti sunt S. Congregationi Cardinalium universalis Inquisitionis, vel S. Officii.

444 Nam cum dictus Pontifex cerneret, noviter exortas *haereses* Lutheranam, et Calvinianam multum serpere, et invalescere, ad eas, et alias *haereses* melius coercendas, et ne ulterius diffunderentur, atque ut Officium Inquisitionis ubique majori cum fructu, et exactu exerceretur, instituit memoratam Congregationem Anno 1542. per Constitutionem *Licet ab initio etc.* Cardinalis de Luca *Relatio Curiae Romanae, Discurso* 14. *a num.* 2. His notatis

445 Resp. I. Inquisitores omnes tam Generalis, et Supremus, quam inferiores at locales sunt veri Judices *haereticorum* in suo districtu, Provincia, aut Dioecesi Communis, et certa, *arg. c. Ut Officium.* 11. *h. t. in* 6. ibi: *Ut Officium Inquisitionis contra haereticos in Provincia, in qua vobis idem Officium est commissum, auctoritate Apostolica possitis efficacius adimplere, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ubique in praefata Provincia simul, vel separatim, aut singulariter (prout negotii utilitas suadebit) contra haereticos, credentes, receptatores, fautores, et defensores eorum, necnon contra infamatos de haeresi, vel suspectos, juxta Sanctiones canonicas (humano metu Divino timori postposito) procedatis.*

446 Limitatur tamen Conclusio in Episcopis, et Sedis Apostolicae Nuntiis, aliisque Officialibus, utpote contra quos etiam suspectos de crimine *haeresis* inquirere nequeunt, sed tenentur capta prius debita informatione illos denuntiare Sedi Apostolicae, prout expresse statuitur, *c. Inquisitores.* 16. *h. t. in* 6. et Extravag. *Matthaeus.* 3. *de fin. h. t.* inter communes.

447 Resp. II. Praeter Inquisitores e Sede Apostolica specialiter deputatos, quivis Episcopus in sua Dioecesi censetur esse, ac revera est Inquisitor *natus*, ita ut eandem cum dictis habeat potestatem in causa *haeresis*, ut bene observat Cardinalis de Luca *Relatio Curiae Romanae Discurs.* 14. *num.* 4. et patet ex dictis.

448 Resp. III. Inquisitores omnes tam *deputati* a Sede Apostolica, quam *nati*, id est, Episcopi et Capitulum Sede vacante, quivis in suo districtu possunt vel separatim, vel conjunctim contra *haereticos* procedere; ita tamen, ut si separatim procedant, sententiam condemnatoriam ferre non possint Inquisitores *deputati*, nisi prius Processum communicent Episcopo, vel Sede vacante Capitulo: Nec Episcopus, nisi suum Processum communicet Inquisitoribus, si in sua Dioecesi Officium Inquisitionis viget. Ita clare sancitum habetur tum *cit. c. Ut Officium.* 11. *h. t.* Tum *c. Per hoc.* 17. *eod. in* 6. ibi: *Ut Inquisitionis negotium efficacius, melius, utiliusque prodeat, concedimus, quod per Episcopos, et Inquisitores de facto eodem inquiri valeat communiter, vel divisim: et si divisim processerint, teneantur sibi invicem communicare Processus, ut per hoc possit melius veritas inveniri: et nisi hoc casu Inquisitores in Sententiae prolatione Dioecesanis, vel econtra duxerint deferendum.*

Pariter disponitur, et res ulterius declaratur *Clem.* 1. §. *Propter. h. t.* illis verbis: *Sic quod quilibet* (tam Episcopus nempe, quam Inquisitor) *de praedictis sine alio citare possit, et arrestare, sive capere, ac tutae custodiae mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum: super quo ipsius conscientiam oneramus, nec non inquirere contra illos, de quibus pro hujusmodi negotio secundum Deum, ut justitiam viderit expedire. Duro tamen tradere carceri, sive arcto, qui magis ad poenam, quam custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo Dioecesano, aut ejus Officiali, aut Episcopali Sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad invicem copiam habere valeant intra octo dierum spatium, postquam se invicem requisiverint, non valebit.*

Dicitur autem notanter in Conclusione *num.* 448. 449
Si in sua Dioecesi Officium Inquisitionis viget: Nam ubi hoc non viget, uti in Germania, Gallia, Polonia, possunt Episcopi totum Processum inchoare, et per sententiam etiam condemnatoriam soli finire, absque hoc, quod Processum suum transmittant ad alienam Dioecesin, vel Provinciam, ubi Officium Inquisitionis, et Inquisitores existunt; eo quod in praefatis locis, ubi Inquisitio non viget, munus Inquisitorum obeant, et eandem, quam illi in *haereticos*, potestatem habeant, ac privative exerceant Episcopi, uti post Azorium *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 2. bene observat Pirhing *h. t. num.* 130. receptusque probat usus, ac consuetudo.

Porro quandocunque Episcopi sive in loco, ubi 450
viget Officium Inquisitionis, sive in alio Processum contra aliquem in causa *haeresis* instituunt, possunt et debent eundem modum observare, quem observare in hac causa tenentur Inquisitores a Sede Apostolica deputati, *c. Per hoc.* 17. §. *fin. h. t.* ubi universaliter ita disponitur: *Sive autem ordinaria, sive delegata Episcopi potestate procedant, illum in procedendo modum observent, quem Inquisitores possunt, et debent per Jura communia, vel per speciales Constitutiones, seu Ordinationes Sedis Apostolicae observare.* Qualem autem modum et ordinem in formando Processu contra *haereticos* servare debeant Inquisitores, vide apud Farinacium de Haeresi *a q.* 185. Castro Palao *de Fide Tract.* 4. *Disp.* 8. *pun.* 13. Pirhing *h. t. a* §. 6. et alios, vide etiam Processum nostrum Criminalium *Tit.* 1. traditum.

Quaeritur III. Qualiter Principes, aliaeve Po- 451
testates, et Judices saeculares habere se debeant, ac possint *in causa haeresis*, praesertim in casu, quo ab Inquisitoribus, vel Episcopo intenditur, vel formatur Processus? Resp. I. Principes, et Potestates saeculares quicunque de crimine *haeresis* non solum nullo modo cognoscere, nulloque modo resistere possunt, sed potius si invocantur, assistere tenentur tam Episcopis, quam Inquisitoribus, si qui eorum contra *haereticos* procedere, eos inquirere, vel processare volunt: Teneantur insuper

poenam ab Ordinario, vel Inquisitore impositam *haeretico*, illico exequi: vel si *haeretici* eisdem puniendi tradantur, ordinaria Juris poena, etiam mortis afficere. Patet Conclusio ex c. *Ut Inquisitionis* 18. *h. t. in* 6. quod totum hic inserere placuit, et sic sonat:

Ut inquisitionis negotium contra haereticam pravitatem, ad Dei gloriam, et augmentum Fidei nostris temporibus prosperetur, leges quasdam per Fridericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanae persistentem Ecclesiae promulgatas, quatenus Dei, et Ecclesiae suae sanctae honorem promovent, et Haereticorum exterminium prosequuntur, et statutis canonicis non obsistunt approbantes, et observari volentes: universos Saeculi Potestates, et Dominos temporales, ac provinciarum, terrarum, civitatum, aliorumque locorum Rectores, quibuscunque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, requirimus, et monemus, ut sicut reputari cupiunt, et haberi fideles, ita pro defensione fidei Dioecesanis Episcopis, et Inquisitoribus haereticae pravitatis a Sede Apostolica deputatis, aut in posterum deputandis pareant, et intendant in haereticorum, credentium, fautorum, receptorum, et defensorum ipsorum investigatione, captione, ac custodia diligenti, cum ab eis fuerint requisiti: et ut praefatas personas pestiferas in potestatem, seu carcerem Episcoporum, aut Inquisitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipsi, vel aliqui ex eis mandaverint, infra eorundem Dominorum potestatem, vel Rectorum districtum ducant, vel duci faciant sine mora: ubi per viros Catholicos a praefatis Episcopis, seu Inquisitoribus, vel eorum aliquo deputatos, sub arcto, et diligenti custodia teneantur, donec eorum negotium per Ecclesiae judicium terminetur.

Utque de Haeresi a Dioecesano Episcopo, vel Inquisitore, seu Inquisitoribus condemnatos, praefati Potestates, Domini temporales, Rectores, vel eorum Officiales, seu Nuntii sibi relictos statim recipiant indilate animadversione debita puniendos: Non obstantibus appellationibus, seu proclamationibus praedictorum nequitiae filiorum: cum tam secundum legem Imperialem, appellationis, et proclamationis beneficium expresse sit haereticis, credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, et defensoribus interdictum.

Prohibemus quoque districtius Potestatibus, Dominis temporalibus, et Rectoribus eorundemque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine (cum mere sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel judicent: sive captos pro eodem crimine absque dictorum Episcoporum, sive Inquisitorum, aut saltem alterius eorundem licentia, vel mandato a carcere liberent: aut executionem sibi pro hujusmodi crimine a Dioecesano, vel Inquisitoribus, seu Inquisitore injunctam prompte (prout ad suum spectat officium) facere, seu adimplere detrectent: vel alias Dioecesanorum, aut Inquisitorum judicium, sententiam, seu processum directe, vel indirecte impedire praesumant.

Si quis vero de praedictis Potestatibus, Dominis temporalibus, Rectoribus, vel eorum Officialibus, seu Ballivis contra praedicta fecerit, aut praefato Fidei negotio saepe satis Dioecesano Episcopo, Inquisitoribus incumbenti se opponere forte praesumpserit, vel ipsum aliquatenus impedire, necnon et qui scienter in praedictis dederit auxilium, consilium, favorem, Excommunicationis se noverit mucrone percussum: quam si per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut Haereticus condemnetur.

452 Resp. II. Principes, Potestates, aut Judices saeculares non differre, aut recusare possunt executionem sententiae ab Inquisitore, aut Ordinario in causa *haeresis* latam, nec omittere, differre, vel negligere inferre poenam Jure debitam Reo *haeretico* illis tradito, sub praetextu, quod debeant prius videre Processum a Judice Ecclesiastico factum, an sit rite formatus, vel an sententia sit justa vel non. Nec ulla ratione possunt praetendere, videre, ac lustrare Processum, sed si petunt, potest et debet illum Judex Ecclesiasticus negare. Farinacius *de haeresi. q.* 186. *a n.* 165. Castro Palao *de Fide Tr.* 4. *Disp.* 8. *pun.* 14. *num* 5 *cum communissima*, et hodie certa aliorum, quos copiose ibidem allegat Farinacius dicens cum aliis, sententiam contrariam, communi Peritorum consensu, et usu explosam esse, atque rejectam, *arg. cit. c. Ut inquisitionis.* 18. *h. t. in* 6. ubi §. *Utque de haeresi* expresse excipit Papa, ut *Domini temporales sibi relictos* (Haereticos) *statim accipiant, indilate animadversione debita puniendos*, et § *Prohibemus*, *ne executionem sibi pro hujusmodi crimine a Dioecesano, vel Inquisitore injunctam, prompte facere, seu adimplere detrectent.* Accedit, et Conclusionem certam reddit Constitutio Innocentii VIII. *Dilectus*, estque decima inter Constitutiones dicti Pontificis *in Bullario Cherub* ubi Papa praecipit, ut Judices saeculares sine ulla visione Processus ab Inquisitore facti exequantur sententiam, et quidem sub poena Excommunicationis ipso facto incurrendae; uti patet ex tenore Bullae sic sonantis:

Dilectus filius frater Antonius de Brixia Ordinis Praedicatorum in partibus Lombardiae Inquisitor haereticae pravitatis, una cum Venerabili fratre Episcopo Brixiensi, seu ejus Vicario Generali, sicuti nobis nuper fecit exponi, contra nonnullos utriusque sexus haereticos, ut accepimus, quos culpabiles, ut haereticos impoenitentes repertos, poena debita Juris puniendos condemnavit ac Officiales Civitatis Brixiensis, ut injunctam executionem adimplerent, requisivit, qui Officiales justitiam ministrare, et dictas sententias exequi (nisi prius Processus per Episcopum, et Inquisitorem agitatos non viderent) in non parum Orthodoxae fidei scandalum, recusarunt.

At cum hujusmodi crimen haeresi sit mere Ecclesiasticum et delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore praesentium vobis committimus ac mandamus, ut si est ita, eisdem Officialibus saecularibus Civitatis Prixiensis sub Excommunicationis poena, et aliis censuris Ecclesiasticis, praecipiatis atque mandetis, ut infra sex dies, postquam legitime fuerint requisiti, sine aliqua dictorum Processuum, per vos agitatorum visione, sententias per vos latas contra hujusmodi haereticos prompte exequantur appellatione remota. Quam Excommunicationis poenam ipso facto volumus, et tenore praesentium declaramus, incurrisse, si, quod mandatum fuerit, infra dictum sex dierum spatium, cessante legitimo impedimento, cum effectu non impleverint.

Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, statutis Civitatis Brixiensis, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die trigesimo Septembris, Millesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Pontificatus nostri Anno tertia.

Ratio est; quia cum juxta *num.* 431. et *c.* 453 *Ut inquisitionis*: de crimine *haeresis* nullo modo cognoscere, et judicare valeant, frustra Processum super illo factum praetendunt.

Caeterum ad hoc ut *indilate* dicatur Judex 454 saecularis exequi, requiritur et sufficit, ut intra sex dies exequatur, prout patet ex dicta Bulla, et tenent communiter Doctores, ut videre est apud Farinacium *de haeresi. q.* 186. *n.* 162.

Resp. III. Quamvis Potestates saeculares de 455 crimine *haeresis nullo* modo cognoscere aut judicare, nec in Processu contra *haereticos* ulletenus se

immiscere valeant per dicta: possunt tamen etiam non requisiti suspectos de *haeresi* capere, et detinere ad hoc, ut illos competenti Judici Ecclesiastico tradant. Farinacius *l. cit. nu.* 158. Clarus *de Haeresi num.* 4. et alii. Ratio est; quia tali modo in judicaturam non se intromittunt, nec Judicem ullo modo impediunt, sed potius debite juvant in ordine ad coercendos, puniendos, et extirpandos *haereticos*.

456 Ex eadem ratione possunt etiam facere statuta, et leges, quibus Processus contra *haeresin* promovetur, Judicibus Ecclesiasticis assistitur, et poenae contra *haereticos* a SS. Canonibus inflictae exasperantur, licet non possint condere statuta, quibus negotium Inquisitionis contra *haereticos* directe vel indirecte impeditur, aut retardetur. *c. Statutum.* 9. *h. t. in* 6. Farinacius *loc. cit. num.* 157.

457 Denique notandum, quod, cum juxta dicta *a num.* 340. poenae temporales et corporales a Jure contra *haereticos* Augustanae Confessionis (et forsan etiam alios) in Germania per Pacem publicam videantur sublatae, frustra Judex Ecclesiasticus traderet *haereticum* Judici saeculari. Hinc vel ipse *haereticum* judicialiter confessum, aut convictum debita poena etiam temporali et corporali, v. g. perpetui carceris (non item mortis) afficere, vel quod consultius est, a poenis corporalibus, et temporalibus omnino abstrahere debet juxta dicta *num.* 345.

Et haec amore Religionis et Ecclesiae in odium vitii *omnium* perniciosissimi *haeresis* dicta sufficiant. Qui plura desiderat, legat Farinacium *de haeresi*, et alios de eadem integros Tractatus scribentes.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, et Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Schisma, et Schismatici quid?*
3 *Schisma aliud est purum, et proprie tale.*
4 *Aliud non purum, sed conjunctum cum haeresi.*
5 *Quinam censendi sint Schismatici? et qui non?*
6 *Separans se ab Episcopo suo, et Communitate Dioecesana non est Schismaticus proprie*
7 Schisma *quomodo differat ab haeresi?*
8 *Poenae* Schismatici non puri, *sunt poenae haereticorum*
9 *Poenae* Schismatici puri *sunt I. Excommunicatio.*
10 *II. Inhabilitas ad Beneficia Ecclesiastica.*
11 *Non item privatio Beneficiorum prius rite obtentorum*
12 *III. Est confiscatio omnium bonorum, ac privatio Officiorum, et bonorum etc.*
13 *IV. Est privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticae, et per consequens nullitas Actuum.*
14 Schismatici *tamen valide ordinant, quamvis ordinati ab eis sint suspensi.*
15 Schismatici *non sunt irregulares, nec infames, nisi Schisma ipsorum sit notorium*
16 *Si tempore* Schismatis *sunt duo Pontifices, et unus est certus, ei soli est ad haerendum.*
17 *Si ambo sunt dubii, nulli est adhaerendum. Et num. seq.*
19 *Quid interna faciendum? Et num. praeced.*

1 Haeresi, et Haereticis proxime accedunt, imo ordinarie cum ipsis coincidunt *Schisma*, et *Schismatici*, nec non *Apostasia*, et *Apostatae*; hinc post praecedentem Titulum de Haereticis, in praesenti de *Schismaticis*, et in statim sequenti de *Apostatis* recto ordine agitur. Itaque

Quaeritur I. Quid sit *Schisma*? Quid *Schismatici*? et quomodo differant ab Haeresi, et Haereticis? Resp. I. Quamvis *Schisma* generice, ut large loquendo, sit quaevis scissura, et divisio, seu diruptio Communionis, *arg. can. Schisma. c.* 24. *q.* 1. ibi: *Schisma quod graecum nomen est, scissuram significat*; proprie tamen et ad propositum loquendo: *Schisma* est scissura, seu disjunctio, ac divisio, qua quis se separat ab unitate universalis Ecclesiae, in quantum haec est *Corpus* quoddam Mysticum ex diversorum statuum Fidelibus tanquam Membris inter se, ac Romano Pontifice tanquam visibili *Capite* illius constans. Ita in re communis 2

3 *Schisma* sic definitum dividitur in *purum*, et *non purum*, et conjunctum cum Haeresi. *Purum* fit, et est, quando quis omnes Fidei Articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem, et primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia Pontifici qua tali, seu qua *Capiti* Ecclesiae et Christi in terris Vicario subesse et obedire, vel caeteris universalis Ecclesiae Membris uniri, vel unitus et conjunctus esse detrectat; ut si aliquod Regnum, aut Provincia, quod obedientiam Papae tanquam *Capiti* Ecclesiae negans, constitueret sibi proprium Episcopum, aut Patriarchum assumeret, eique in spiritualibus obediret, spretis, vel neglectis, et non attentis Papae mandatis; quamvis de caetero Papatum, et Articulos crederet. Et hujusmodi Regni et Provinciae Rex, Princeps, et Incolae *puri*, ut proprie dicti essent *Schismatici*.

4 *Schisma non purum*, sed conjunctum cum Haeresi est; quando praeter separationem ab unitate Ecclesiae negatur una, vel plures propositiones Fidei, v. g. si negatur, vel non creditur Pontificem esse in terris Vicarium Christi, et *Caput* Ecclesiae etc. Et quidem ordinarie et practice loquendo, vix unquam datur amplius *Schisma purum*, sed quodvis conjunctum est cum Haeresi, ut bene notatur *can. Haeresis. caus.* 24. *q.* 3. ibi: *Quod quidem, in principio aliqua ex parte intelligi potest: Caeterum nullum Schisma non aliquam sibi confingit Haeresin, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.*

5 Et ex his colliges, non omnes, qui Romano Pontifici obedire recusant, esse proprie *Schismaticos*, sed illos duntaxat, qui eidem tanquam universalis Ecclesiae *Capiti* subesse, et obedire detrectant. Hinc *Schismaticus* non est, qui primatum Ecclesiae credit, et Pontifici qua tali paratus est obedire, hic et nunc tamen ratione mandati non obedit, v. g. dum jubet, ut arma deponat vel ex odio erga personam etc. vel quia bellum cum ipso gerit etc. Pariter non est *Schismaticus*, qui Papam non agnoscit Dominum temporalem alicujus Provinciae, Regni etc. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 26. *num.* 3. Farinacius *q.* 184. *num.* 11. Pirhing *h. t. num.* 3. Ratio est; quia similes inobedientiae actus adhuc stant cum recognitione et obedientia erga eundem tanquam Ecclesiae *Caput*, nec separant ab Ecclesia, quatenus est *Corpus* mysticum, ut supra declaratum.

6 Pariter non censetur esse Schismaticus, nec *Schismaticorum* poenas incurrere, si ab Episcopo suo, etiam qua tali se quis separet, eique obedire detrectat; quia *Schisma proprie dictum* est separatio ab Ecclesia universali, et *Capite* ejus. Sanchez *loc. cit. num.* 6. Abbas *ad hunc Rubricam. num.* 1. *et* 2. Azorius *p.* 1. *lib.* 8. *q.* 20. *num.* 4. quantumvis

sit, et dici possit *Schisma improprie* tale, *arg. can. Salre. 7. cau. 7. q. 1. can. Loquitur.* 18. cau 24. *q.* 1.

7 Resp. II. *Schisma purum* (quod vix amplius datur) in hoc differt ab Haeresi, quod haec per se ac directe apponatur Fidei, negando, seu non credendo unum, aut plures Fidei Articulos; *Schisma* vero opponatur unitati, tollendo Ecclesiae unitatem, quae per charitatem habetur, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 39. *a* 1. bene advertit Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *n.* 7. cum Communi.

8 Quaeritur II. Quae sint poenae *Schismaticorum?* Resp. I. *Schismaticos non puros*, seu habentes adjunctam etiam Haeresin (quales sunt hodie plerique juxta dicta) easdem, quas Haeretici incurrunt poenas; quia vere Haeretici sunt. De quibus poenis vide *Tit. praeced.* § *V. et VI.*

9 Resp. III. *Schismatici puri*, seu nullam habentes Haeresin (quales sunt hodie pauci) sequentes incurrunt poenas I. Est Excommunicatio Major, *can. Nulli fas.* 5. *Dist.* 19. et *can. Ligoribus.* 43. *cau.* 23. *q.* 5. et *Bulla Coenae* §. 1. vi cujus haec Excommunicatio hodie est reservata Summo Pontifici, ut caeteri casus Bullae Coenae, ibi: *Excommunicomus Schismaticos, et eos, qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.*

10 II. Poena est inhabilitas ad Beneficia, et Dignitates Ecclesiasticas, praesertim Episcopalem. Farinacius *de Haeresi q.* 182. *n* 42. Pirhing *h. t. n.* 5. *arg. c. quia diligentia.* 5. *de Election. et c.* 1. *h. t. in* 6. quae poena probabilius locum habet etiam post peractam poenitentiam, et *Schisma* abjuratum. Farinacius *loc. cit. n.* 36. Azorius *p.* 1. *lib* 4. *cap.* 20. *n.* 8. Sanchez *lib.* 2. *Moral cap.* 36. *n.* 18. *arg. cit. c.* 5. *de Election.* ubi habetur, posse cum *Schismatico* post abjuratum *Schisma* in Episcopum electo dispensari, quod confirmari valeat: ergo sine dispensatione Electio non valet.

11 Volunt nonnulli *Schismaticos* etiam privandos esse Beneficiis ante *Schisma* rite obtentis Farinacius *de Haeresi. q.* 184 *num.* 42. Flamin. Parisien. *lib.* 3. *de Resignat. q.* 1. *num.* 36. *arg. c. un. h. t. in* 6. verum quia constitutio *cit. c. un h. t. in* 6. fuit revocata (sola excepta Confiscatione bonorum ibidem etiam statuta) a Benedicto XI *Extravag un. h. t. inter communes*, hinc cum Sanchez *loc cit. n.* 19 Garcias *p.* 11. *cap.* 10. *num.* 151 Pirhing *h. t. num* 7. recte negatur, poenam privationis Beneficiorum ante rite obtentorum incurri.

12 III Poena est *Confiscatio* bonorum, item *privatio* Officiorum, honorum, ac dignitatum, *cit. c. un. h. t. in* 6. ubi ulterius disponitur, *quod si Schismatici homines sunt privati, siquidem nobiles existunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur: si autem ignobiles, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo castigentur.*

13 IV. Poena est *privatio* jurisdictionis Ecclesiasticae, ita, ut quaecunque collatio Beneficii, alienatio rerum, Ecclesiasticarum, erectiones Ecclesiarum, sententiae Censurarum, Absolutiones etc. a *Schismaticos* factae ipso Jure sint irritae, *can. Novatianus* 6 *cau* 7. *q.* 1 *can Didicimus* 31 *cau.* 24. *q.* 1. ibi: *Didicimus Schismaticos nil habere Juris, et potestatis*: et *c.* 1. *h. t.*

14 Notandum illud, quod *cit. c.* 1. *h. t.* sicut etiam *can. Ordinationes. cau.* 9. *q* 1. dicitur: Ordinationes a Schismaticis factas, esse nullas et irritas, sic esse intelligendum, videlicet, ut Ordines a *Scismaticos* accipiens sit suspensus ab executione eorum: Ordo tamen valeat, et characterem imprimat, ut bene observat Glosse communiter recepta in *cit. c.* 1. *h. t.* § *Irritas.*

15 Non desunt docentes, *Schismaticos* incurrere etiam poenam *infamiae* et *irregularitatis*. Verum, quia nulla de his poenis reperitur dispositio in Jure, ideo benigniorem in poenis sequentes interpretationem *arg. c. In poenis. de Reg. Jur.* in 6. poenas illas incurri recte negamus, nisi *Schisma* sit notorium, indeque ob sui enormitatem dictae poenas inducens. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 36. *n.* 20. Farinacius *de Haeresi. q.* 184. *nu.* 42. *in fin.* Barbosa *in c.* 1. *h. t. num.* 5.

16 Quaeritur III. Quid faciendum, et cui adhaerendum tempore *Schismatis*, quo duo habentur Pontifices electi? Resp. I. Si unus est certus, vel quasi certus Papa, ita ut prudenter de illo dubitari non possit, ei soli est adhaerendum, et qui alteri favent, sunt *Schismatici*. Caret controversia.

17 Resp. II. Si vero in tali casu legitimus Papa sit dubius, ita ut non possit prudenter cognosci, nulli est adhaerendum. Ita Suarez *disp.* 12. *de Schismate. sect.* 1. *num.* 11. Cajetanus, Sylvester, et alii, quos citat et sequitur Bassaeus *Tom.* 2. §. *Schisma. num.* 5. Ratio est; quia revera tunc nemo ex istis duobus habet jus verum in Ecclesia acquisitum. Accedit quod temerarium sit, ac periculosum, dubia habere pro certis.

18 Itaque unusquisque gerat se tunc, ut unum Membrum Ecclesiae, et Christo *Capiti* adhaerens, dubios ejus Vicarios habens pro dubiis, paratus uni certo adhaerere, quando Ecclesiae provisum fuerit de certo; Quod si contrarium fiat, periculum est, ne *Schisma* foveatur, et peccatum committatur; Quamvis Sayrus *in Thesauro lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 22. Trullench. arbitrantur, quod quamdiu causa est dubia, et duo vel plures contendunt de Papatu, ac se pro SS. Pontificibus gerunt, nec per Concilium Generale res est determinata, tam ipsi, quam eorum sequaces a peccato excusentur; dummodo parati sint ad determinationem Concilii a Papatu se abdicare, et ejusdem Concilii determinationi atque decreto acquiescere. Caeterum prior Suarezii sententia *num. praeced.* allegata est tutior.

19 Caeterum Christiana plebs satisfaciet adhaerendo suis Episcopis, Parochis, et Doctoribus Catholicis, semper parata adhaerere illi, quam Ecclesia receperit.

TITULUS IX.

De Apostatis, et Reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1 *Apostasia in genere quid?*
2 *Quid Apostasia, et Apostata a Fide?*
3 *In quo differat ab Haeresi?*
4 *Apostata a Fide easdem, quas Haereticus incurrit poenas.*
5 *Imo majores: et quas?*
6 *Caret etiam impunitate Haereticis concessa per Pacem Religiosam*
7 *Apostasia, et Apostata a Religione qui? Et quae poenae?*
8 *Si Apostatans a statu Religioso ad Haereticos transit, horum poenis subjacet.*
9 *Etiam in Germania.*
10 *Potest tamen cum damnatis ad carceres dispensari.*
11 *Discedentes a Sacra Communione, quae approbata per S. Sedem non est, non sunt Apostatae, ut Virgines Anglicanae etc.*

22 *Propria auctoritate discedens a sua Religione, animo intrandi aliam, Apostata propria talis de Jure communi non est.*
23 *Etsi alii contrarium dicant.*
24 *Apostatarum a Religione poenae sunt de Jure communi, I. Excommunicatio.*
25 *II. Suspensio ab Ordine Sacro in Apostasia suscepto.*
26 *III. Amissio privilegii Religionis.*
27 *Quibus in quavis Religione accedunt speciales poenae.*
28 *In Religione nostra Seraphica quis sit, et dicatur Apostata? Et num. seq.*
29 *Ibidem alia Apostasia levis, alia levior, alia levissima.*
30 *Alia gravis, alia gravior, alia gravissima.*
31 *Quaevis dictarum ipso facto inducit Excommunicationem.*
32 *Carceris item, et inhabilitatem ad Officia.*
33 *Cum Apostatis post medietatem poenarum superatam dispensari poterit.*
Ordinarie loquendo post sententiam latam in poenis dispensare nequit Judex. Ibid.
34 *Apostatare ab obedientia quid?*
35 *Apostatare ab Ordine sacro quid?*
36 *Discedens in Minoribus constitutus ad Statum laicalem non est Apostata ab Ordine sacro.*
37 *Perdit tamen ipso facto Beneficium, si quod habet.*
38 *Poenae Apostatae ab Ordine sunt. I. Excommunicatio*
39 *II. Infamia.*
30 *III. Irregularitas.*
31 *IV. Amissio privilegii Canonis.*
32 *V. Resipiscere nolentes possunt incarcerari.*
33 *Reiterantes Baptisma, seu Anabaptistae qui? et qualiter delinquunt.*
34 *Poena Reiterantium Baptisma de Jure communi civili est ultimum supplicium.*
35 *De Jure Canonico autem est Irregularitas.*
36 *Quam contrahit etiam, qui Rebaptizanti ministrat, Acolythus v. g. Subdiaconus etc.*
37 *Poenas praefatas non incurrit, qui sub conditione.*
38 *Vel ignoranter rebaptizat.*
39 *Solvitur instantia.*
40 *Quis dispenset in Irregularitate ob reiteratum* Baptisma *contracta?*
41 *Iterantes* Confirmationem *non contrahunt Irregularitatem.*
42 *Solvitur instantia.*

1 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *apostasia?* Ante Responsionem nota, Apostasiam esse vocem Graecam, et idem significare ac *defectionem*, seu *recessum a Deo*, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 12. *a.* 1. Communiter notant Doctores. Hinc in genere definiendo *Apostasiam* Resp. *apostasia est recessus*, *vel defectio a Deo*, dum vel Fides Christiana, vel status Religiosus, vel sacer Ordo susceptus deseritur. Triplex siquidem *apostasia* est; *a Fide* videlicet, *a Religione*, seu statu *Religioso*, et *a Sacro Ordine*. Ita in re Communis, et magis patebit ex sequentibus Quaesitis, quibus singulas *apostasiae* species examinabimus. Hinc

2 Quaeritur II. Quid sit *apostasia*, et *apostata a Fide*, ac quibus subjaceat poenis? Resp. I. *apostasia a Fide* (quae propriissime *apostasia* est, et a Communi post Glossam in c. 1. *h. t.* ℣ *apostasia*, etiam *apostasia perfidiae* vocatur) est *totalis* discessus, seu defectio a Fide Christiana: Unde *apostata* a Fide ille dicitur, qui a Fide Christiana penitus recedit, eamque totaliter deserit, et si Christianus ad *Judaismus*, vel *Paganismum*, transit, et *Judaeus*, *Paganus*, vel *Turca* efficitur. Farinacius *de haeresi. q.* 183. *num.* 13. Sylvester ℣. *Apostasia. num.* 1. Pirhing *h. t. num.* 2. cum Communi, *arg. L.* 1. 2. *et* 4. *C. h. t.* juncto *can. Beatus.* 2. cau. 3. *q.* 4.

3 Differt ab *haeresi*; quod haec non ex toto, sed ex parte dumtaxat in uno, aut pluribus Articulis, *Apostasia* autem totaliter aberrat a Fide. Hinc licet illi, qui a vera Religione, et Fide Catholica ad Sectam aliquam haereticam, *Lutheranam* v. g. vel *Calvinisticam* transeunt, vulgo *Apostatae* dicantur, vere tamen, et proprie loquendo, *Apostatae a Fide* non sint, nec poenis contra *Apostatas* Jure communi specialiter statutis subjaceant; ut communiter adseruat Doctores.

4 Resp. II. *Apostatae a Fide* incurrunt imprimis omnes poenas, quibus *haeretici* sunt obnoxii. Abbas *in c.* 1. *h. t. num.* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 7. Farinacius *de haeresi. q.* 183. *num.* 19. cum communi, et certe aliorum, *c. Contra.* 13. *de haeret. in* 6. ibi: *Contra Christianos, qui ad ritum transierunt Judaeorum etc. tanquam contra haereticos si fuerint de hoc confessi, vel per Christianos, seu Judaeos convicti: Et sicut contra fautores, et defensores haereticorum: sic contra fautores, receptatores, et defensores talium est procedendum.* Ratio est; quia tales *apostatae* sunt vere *haeretici*, utpote deficientes *a* vera Fide, quam in Baptismo sunt professi. Hinc quamvis non omnis *haereticus* sit etiam verus *apostata a Fide*: tamen omnis *apostata a Fide* est vere *haereticus*; uti bene advertunt Doctores citati.

5 Imo, quia *apostasia a Fide* praeter *haeresim*, quam includit, ulterius in malitia se extendit, gravius adhuc quam *haeresis* punitur: dum videlicet quamdiu vivunt semper, post mortem vero usque ad quinquennium accusari, et in suis puniri valeant, *l. Si quis.* 2. et *l. apostatarum.* 4. *C. de apostatis.* Nec suffragatur eis poenitentia, uti *haereticis*, *l. Hi qui.* 3. *C. eodem* ibi: *Lapsis enim, et Poenitentibus subvenitur: perditis vero, hoc est, sanctum Baptisma profanantibus, nullo remedio succurritur.* Quod si alios seducant, praeter bonorum fortunae jacturam capite plectuntur. *l. Eum.* 5. *C. eodem*

6 Porro *apostatae a Fide* privantur etiam immunitatis, et libertatis privilegio, quod in Pace Religiose, Monasteriensi item, et Osnabrugensi *haereticis* concessum est; adeo ut sive Catholicus, sive Haereticus a Fide Christiana totaliter deficiens Sectam *Judaicam*, *Mahometicam*, vel *Gentilem* et *Paganam* aliam assumeret, omnibus poenis contra *apostatas*, et *haereticos* statutis subjaceret, uti liquet ex tenore dictorum Tractatuum *Pacis*.

7 Quaeritur III. Quid sit? Et quas poenas secum trahat *apostasia*, et *apostata* a Religione, seu statu Religioso? Resp. I. Ad utramque hujus Quaesiti partem plene patere *Lib. III. Tit. XXXI. de Regularibus, et Transeuntibus etc.* § *VIII. a nu.* 247. ubi etiam distinctionem *apostatarum* horum a *fugitivis* Religiosis attulimus, nec non obligationem eorumdem, et potestatem, ac obligationem Superiorum Regularium erga *apostatas*, poenas insuper quas incurrunt illi, qui *apostatam*, vel fugitivum Religiosum suscipiunt, hinc Benevolum Lectorem illuc remittimus, ne superflua fiat repetitio.

8 Resp. II. Si *apostatans* a statu Religioso ad Haereticos transit, et (ut saepe fit) Sectam illorum haereticam etiam quoad unam duntaxat Haeresim assumit, omnibus poenis contra Haereticos utcunque

Jure statim subjacet. Caret controversia. Ratio est; quia sic vere *haereticus* est, consequenter poenas *haereticorum* incurrit. Nec excusatur, si deprehensus, aut sponte rediens dicat, (ut plerumque dicere solent) se externe duntaxat, et simulate Sectam *Haereticorum* assumpsisse, vel unam alteramve *haeresin* professum esse, interea autem semper Catholicum remansisse. Nam contra est, quod Ecclesia judicet de externis, per *vulgaria*.

9 Nec liberat eos a poenis saltem spiritualibus, et Jure Ecclesiastico statutis; si dicant, se esse in loco et Provincia Germaniae, v. g. ubi vi *Pacis Religiosae*, et *Monasteriensis* Haeretici immunes sunt e poenis. Nam contra militant ea, quae diximus supra *Tit. VII. De haereticis a n.* 274.

10 Notandum tamen etiam, quod si, ut fieri potest, et debet, tales a Religione *Apostatae* deprehensi, vel sponte redeuntes ad perpetuos damnantur carceres, possit cum eis post aliquot annos dispensari, si cum emendationis, et verae poenitentiae signis poenam interea patienter sustinuere, uti cum Fariusaio diximus supra *cit. Tit. VII. §. VI. a num.* 331.

11 Illud etiam hic addendum, non esse *Apostatas* personas discedentes a pia Communitate, quae vere per Sedem Apostolicam approbata Religio non est; etiamsi justa Instituti sui statuta, Novitiatum habeant, et tria vota ex devotione emittant, prout sunt Anglicanae, et alii, ac aliae hujusmodi piae foeminae in Communitate viventes Tamburinus *de Jure Abbat Tom.* 3. *Disp.* 8. *q.* 1. *num.* 4. Sanchez *lib*. 6. *cap*. 8. *nu*. 7. et alii.

12 Controvertunt Doctores, num spectato Jure communi *Apostata* proprie talis sit, poenisque Juris subjaceat, qui absque Superiorum suorum licentia propriam Religionem deserit, animo tamen aliam ingrediendi Rodriques siquidem *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 30. *a.* 1. Abbas *in c. fin. h. t. num* 4. Sylvester *v. Apostasia q.* 4. *num* 9. Pirhing *h. t. nu.* 8. post Glossam Gualem *in c. fin h. t.* volunt, talem de Jure communi, *Apostatam* proprie non esse; quia, ajunt, licet talis illicite agat, *arg. c. Joannes*, et *c. Non est. de Regular.* tamen ab omni statu Religioso non recedit, et ideo *Apostata* proprie talis non est.

13 Castro Palao econtra *Tract.* 16. *Disp.* 4. *pun.* 16. *num.* 7. cum Suarez docent, talem etiam de Jure communi esse veram *Apostatam*, eo quod Religionem propriam, quam semel professus est, illicite et perpetuo deserat. quod ad *Apostatam* a Religione sufficere putant. Nobis videtur prior sententia probabilior, quia inhaerendo communi in odiosis et poenalibus strictior interpretatio est sequenda, *arg. c. Odia*, et *c. In poenis. de Reg. Jur.* in 6.

14 Resp. III. Poenae *Apostasiae* a sola Religione, seu statu Religioso de Jure communi sunt sequentes. I. Est *Excommunicatio*, quae ipso facto incurritur, si dimisso habitu conjugat *Apostasia*; secus, si habitu retento fiat. Sanchez *lib.* 4. *Moral. cap.* 8 *nu.* 10. Pirhing *h. t. nu.* 9 *arg. c. Ne Clerici, vel Monachi. in* 6.

15 II. Est *Suspensio* ab Ordinibus sacris (non item Minoribus) quos durante *Apostasia* suscepit: *Apostata*, quae *Apostasia* etiam post poenitentiam durat, donec a Papa dispensetur, ita expresse statuto habetur *c. fin. h. t.*

16 III. Est, quod durante *Apostasia* existat privatus privilegiis suae Religionis, Concilium Trident. *Sess.* 25. *de Regularibus. cap.* 19. ibi: *Interim vero nullo privilegio suae Religionis juvetur*. Vide etiam *Lib. III. Tit. XXXI a num.* 247.

17 Praeter has poenas Jure communi statuta sunt aliae, quas Religiones in particulari per propria Statuta habent. Notandum enim, quamlibet fere Religionem habere propria Statuta circa naturam *Apostasiae*, et *Apostatas a Religione*, et poenas eorum.

Et quidem in nostra Religione pro *Apostata* habetur, et ut talis punitur omnis ille, qui sine legitima facultate sive cum habitu et socio, sive sine illis etiam cum praetexta Superiores accedendi, at animo redeundi; vel aliam Religionem intrandi a Conventu recesserit, punitur autem secundum gradus *Apostasiae*, quam committit. 18

Enim vero in dicta nostra Religione, alia *Apostasia* dicitur, et est *levis*, alia *levior*, alia *levissima*; Item alia *gravis*, alia *gravior*, alia *gravissima*. *Apostasiam levem* committit, qui sine Superioris tacita, vel expressa licentia e Conventu egressus, per diem naturalem duntaxat extra illum moratur. *Leviorem* committit, qui sine licentia exiens, extra suum Conventum in alio loco, etiam Ordinis nostri pernoctaverit tantum. *Levissima* vero, qui sine licentia egrediens eadem die ad Conventum revertitur. 19

Gravem Apostasiam apud nos committit, qui sine licentia a Conventu discedens triduo extra illum moratur, etsi accessum a Superiorem Majorem praetendat. *Graviorem* committit, qui per octo dies extra Conventum moratur. *Gravissimam* tandem, qui dimissa etiam habitu intra duorum mensium spatium reversus non fuerit: vel qui retento etiam habitu ultra duos menses in *Apostasia* perseveraverit; prout videre est in nostris Statutis Generalibus pro familia Cismontana editis sub Rmo P. Generali, Michaele Angelo de Sambuca, *cap.* 2. §. 8. ubi etiam poenae pro quavis *Apostasia* apponuntur: Atque *n.* 17. *ibid* statuitur, etiam illum *gravis* vel *levis* Apostasiae pro diversitate morae, reum esse, qui cum licentia a Conventu egrediens, tamen sine necessitate alio, vel alia via vadit, quam sibi per facultatem licent, quique tempus in facultate praescriptum excedit, quique sine socio de loco ad locum proficiscitur. 20

Inter quas poenas est, quod quivis etiam *levissimae Apostasiae* Reus, ipso facto sit excommunicatus, uti patet ex Statutis *loc. cit. num.* 2. ubi in genere omnes et singuli *Apostatae*, nullo excepto, ipso facto excommunicantur, uti post Portell. *v. Apostasia. in Addit. num* 1. bene notat Kerchove *in Statuta. cap.* 6 §. 20 *num.* 2. Nec refert, quod aliquae *Apostasiae* dicantur *leves*, *leviores*, *levissimae*, aliae *graves*, *graviores*, *gravissimae*; quia tales non dicuntur respectu levis seu *venialis*, et gravis seu *mortalis* peccati: nam quaevis etiam *levissima* est peccatum Mortale, indeque sufficiens Excommunicationis causa: sed dicuntur tales respectu ipsius *Apostasiae*, quos suos gradus apud nos habet. 21

Porro sicut quaevis etiam *levissima Apostasia* Excommunicationem, ita etiam poenam carceris secum trahit, justa citatorum Statutorum tenorem, quae *loc. cit. num.* 34. de omnibus et singulis *Apostatis* universaliter etiam istud statuitur: *Tandem omnes Apostatas, etiam postquam redierint, et in quacunque Provincia reperiantur, ad aliquod Officium, nisi per decem annos post Apostasiam laudabiliter, et religiose vixerint, promoveri non posse.* 22

Notandum tamen etiam, quod postquam memorata Statuta nostra poenas satis graves pro quavis Apostasia praescripsere, ad finem *num* 35. addunt: *Possit tamen pro sua misericordia, in his poenarum generibus, ubi personae qualitas, et emendationis signa suadeant, medietate poenitentiae jam peracta, Capitulum Provinciale per suffragiorum secretum* 23

majorem partem (*si bene visum fuerit*) *dispensare.* Quae licentia est specialis sicut in poena Haeresis juxta dicta supra *Tit. VII.* §. *VI. num.* 331. cum ulias Superior in poena post latam sententiam dispensare non amplius valeat, ut alibi jam diximus, et magis adhuc dicemus infra *Tit.* 37 *de Poenis* de quo vide etiam Kerchove in *Statut. Generalib. cap* 6. §. 23. Caeterum haec specialia in Ordine nostro de *Apostatis* in gratiam eorum breviter dictae sint, quibus Statuta Generalia non sunt ad manum.

24 Ad *Apostasiam a Religione*, seu statu Religioso alii reducunt etiam *Apostasiam ab obedientia.* Alii vero ea illa distinctam *Apostasiae* speciem faciunt docendo, quod large, et generaliter loquendo, omne peccatum mortale dici possit *Apostasia ab obedientia*, unde *Eccles.* 10. dicitur: *Initium superbiae hominis, apostare a Deo.* Magis vero proprie illum *apostasiam ab obedientia* committere dicunt, qui formaliter ex superbiâ, vel ex contemptu resistit Superiori humano legitime praecipienti, vel SS. Canonibus, et justis Legibus obedire penitus recusat. *arg. can.* 1. *et* 2. *cau.* 3. *q.* 4. ibi: *Transgressores enim sponte legis suae violatores, et recedentes, Apostatae nominantur.*

25 Quaeritur III. Quid sit? ut quibus poenis subjaceat *Apostasia*, et *Apostata* ab Ordine Sacro? Resp. I. *Apostasia* ab Ordine committitur, et *apostata* ab illa dicitur: cum quis in Sacris Ordinibus (puta *Subdiaconatu*, *Diaconatu*, *vel Sacerdotio*) constitutus ad statum Laicalem, vel etiam conjugii, dimisso Clericali habito propria temeritate se transfert. Ita in re Communis. Patetque descriptio ex terminis.

26 Dicitur notanter *in Sacris Ordinibus constitutus*; licet enim aliqui, cum quibus sentit Gonzalez *in c.* 1. *h. t. num.* 5. velint, illos quoque *apostatas* esse, qui in *Minoribus* constituti, dimisso habitu Clericali ad statum Laicalem transeunt, *arg. cit. c.* 1. *h. t.* Tamen Covarruvias *de Sponsalib p.* 2. *cap.* 9. §. 3. num. 2. cum Glossa *in c. Tuae* 3. *h. t.* ℣. *Tolerandi.* probabilius docent, tales veros *apostatas*, et poenas *apostasiae ab Ordine* subjectos non esse; eo quod recedendo a statu Clericali per *Minores* Ordines assumpto, nullum saltem grave crimen committant, *arg. c.* 1. *de Clericis conjugat.* cum Concordantiis; nec a statu perfectiori, sed a via duntaxat illius discedant, nec cogi valeant, ut ad statum Clericalem iterum redeant: uti tunquam *apostatae* cogi possunt, et debent, recedentes ab Ordine aliquo *Sacro.* Confirmatur communi praxi, et consuetudine, quae est optima Legis interpres, *L.* 37. *ff. de Legib* cum passim videamus, aliquos in *Minoribus* jam constitutos, dimisso Clericali habito ad statum Laicalem transire, et tamen propterea poenis *apostasiae ab Ordine* non subjici, consequenter veros *apostatas ab Ordine* non esse.

27 Verum quamvis si in *Minoribus* constituti transeant ad statum Conjugii non sint veri *apostatae*, nec poenis *apostasiae ab Ordine* subjecti, tamen Beneficia, si quae habuere, ipso facto, ut ante omnem Judicis sententiam perdunt, prout amplius diximus *Lib. III. Tit. III. De Clericis conjugat. a num.* 9.

28 Resp. II. Poenae *apostasiae ab Ordine sacro* sunt sequentes. I. Est *Excommunicatio* non quidem latae, sed ferendae sententiae; nisi Clericus in *Sacris* constitutus Matrimonium contrahere praesumpserit. Abbas *in c.* 1. *h. t. num.* 3. Pirhing *h. t. num.* 5. Sanchez *de Matrimon. lib.* 7. *Disp.* 48. *num.* 1. *arg c.* 1. *h. t.* et *Clement. unic. de Consanguin. et affin.*

29 II. Tales *apostatae* ipso facto sunt *infames.* Pirhing *h. t. num.* 5. *arg. can Alumni.* 23. *cau.* 2. *q.* 7. *et can. Beatus.* 2. *cau.* 3. *q.* 4. consequenter etiam inhabiles ad actus, dignitates, et honores, a quibus excluduntur *infames*, v. g. ad ferendum testimonium, accusandum etc. Pirhing *h. t. n.* 5. Diaz *in Practic. crim. cap.* 115. *num.* 2.

30 III. Est *Irregularitas*, praesertim si Matrimonium contrahere attentat talis *apostata*: Tum quia sunt *Bigami* similitudinarii, prout diximus *Lib. I. Tit. XXI. de Bigamis non ordinand. a num.* 15.

31 IV. Est *amissio* privilegii Canonis, ita ut percutiens talem non incurrat Excommunicationem in Percussores Clericorum latam, *can. Si quis suadente.* 17. *q.* 4. Ita desumitur ex *c.* 1. *h. t.* et *c. Perpendimus.* 23. *de Sententia Excommun.* quae poena praecipue tunc locum habet, si talis *apostata*, ab Episcopo ter admonitus non resipiscat, *c. In audientia* 23. *eod.*

32 V. Possunt Episcopi tales *apostatas*, qui nec minis, nec blanditiis induci valent ad reassumendum habitum, duro mancipare carceri, *ita ut solummodo vita sibi miseris reservetur, donec a suae praesumptionis nequitia resipiscant.* prout expresse statutum habetur *c. A nobis.* 5. *h. t.*

33 Quaeritur IV. circa alteram Rubricae partem, quid intelligatur per *Reiterantes Baptisma*, seu *Anabaptistas*? qualiter delinquant? et quas poenas incurrant? Resp. I. *Reiterantes Baptisma*, seu *Anabaptistae* sunt, et dicuntur illi, qui alios absolute, et scienter rebaptizant, seu saepius, quam semel baptizant, vel qui se rebaptizari permittunt: Et hi gravissimum sacrilegium, immanissimum scelus, et inexplicabile facinus committunt, ut dicitur *can. Rebaptizare* 108. *can. Cum itaque* 112. *de Consecrat.* eo quod Baptisma rite collatum indelebilem imprimat Characterem, ac propterea irreiterabile sit, prout novissime etiam definitum habetur a Concilio Tridentino *Sess.* 7. *can.* 9. et *can.* 11. *et Sess.* 14. *cap* 2.

34 Resp II. Poenae *Anabaptistarum* sunt sequentes, videlicet, quod Jure Civili ultimo afficiantur supplicio tam illi, qui rebaptizant, quam qui se rebaptizari sinunt, *l Si quis.* 2. *C. Ne sanctum Baptisma*, ibi: *Si quis rebaptizare quempiam de Ministris Catholicae Sectae fuerit detectus, una cum eo, qui piaculare crimen commisit* (*si tamen criminis per aetatem capax sit*) *et hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.*

35 Jure Canonico vero contrahunt *Irregularitatem.* Navarrus in *Manuali. cap.* 27. *num.* 246. Barbosa *in c* 2. *h. t num.* 2. Pirhing *h t. num.* 13. *et* 15. *arg. c.* 2. *h. t can. Confirmandum.* 65. *dist.* 50. *can. Assos.* 3. *dist.* 98. *can Qui in qualibet.* 10. *cau.* 1. *q.* 7. *can. Eos.* 118 *dist* 4. *de Consecrat.* cum Concordantiis.

36 Imo non tantum *Rebaptizantes*, sed etiam bis ad rebaptizandum ministrantes, ut Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Irregularitatem saltem in tantum contrahunt, ut ad Ordines superiores ascendere non amplius valeant, si crimen sit publicum, *arg. c.* 2. *h. t.* ubi licet de solo Acolytho ministrante sermo sit, tamen etiam idem de aliis Ministris merito extendunt Barbosa *in cit c.* 2. *h t. num.* 8. Pirhing *h t. num.* 14. et alii Ratio est; quia non respectu solius Acolythi qua talis, sed ratione Ministerii ex Officio praestiti, Ministrans *Rebaptizanti*, Irregularitatem contrahit; quae ratio etiam in aliis militat.

37 Dicitur autem notanter in Conclusione, *qui absolute, et scienter*, qui enim non absolute sed sub conditione, *Si non es baptizatus, te baptizo*, qui

rebaptizat, aut rebaptizatur, Irregularitatem non incurrit; etiamsi temere, et sine praevia inquisitione, utrum jam baptizatus fuerit, id fiat. Barbosa *in c.* 2. *h. t. num* 2. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 2. *num.* 1. Navarrus *in Man. cap.* 17 *num.* 45. Pirhing *h. t. num.* 13. Bonacina, et alii. Ratio est; Tum quia leges poenales debent intelligi cum effectu, qualis in tali casu non haberetur hoc ipso, quod conditio apposita, si subest, et suspendat, et impediat actum, eumque cessare faciat: Tum quia sub conditione *Baptizans* non habet intentionem rebaptizandi jam prius baptizatum; actus *actus agentium non operentur ultra intentionem* illorum, *arg. l. Non omnis ff. Si certum petatur*

38 Pariter ab *Irregularitate* immunis est, qui ex ignorantia (dummodo crassa non sit) rebaptizat, aut rebaptizatur. Scotus *in* 4. *dist.* 6. *q.* 8. Layman *loc. cit. num.* 1. *et* 2. Covarruvias *Man. cap.* 27. *num.* 146 cum Communiori, et probabiliori aliorum Ratio est: Tum quia haec *Irregularitas* imponitur propter delictum; ergo ubi ob ignorantiam abest delictum; seu culpa, abest etiam *Irregularitas*: Tum quia proprie loquendo, non censetur *iteratum, quod nescitur esse factum, can. Solemnitates.* 16. *dist.* 1. *de Consecrat.*

39 Objiciunt Adversarii *can. Qui in qualibet.* 10. *can.* 1. *q.* 7. ubi dicitur: *Qui in qualibet aetate alibi, quam in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere.* Item *can. Qui bis.* 117. *dist.* 4. *de Consecrat.* ibi: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo poenitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.* Resp. Per hos Canones nil probari contra doctrinam *num. praeced.* positam. Nam primus textus intelligi debet de aetate discreta, et doli capace, ut bene ibi explicat Glossa ℣. *Ætate*, et colligitur ex verbis subsequentibus; atque concordat *can. Placuit.* 3. *can. Qui apud* 4. *can.* 1. *q.* 4. ubi expresse habetur, parvulos ab Haereticis baptizatos, postea si adulti ad Fidem, et Ecclesiam fuerint conversi, ad Ordines promovari posse: additur ratio, videlicet, *quia suo id non fecerunt judicio.* Ad *can. Qui bis*, respondetur, illum non habere vim Legis, cum nec a Papa, nec ab aliquo Concilio proveniat, sed desumptus sit ex *Poenitentiali* Theodori, ut bene advertit Covarruvias *loc. cit.*

40 Caeterum in *Irregularitate*, quae contrahitur ob iteratum *Baptisma* solus Papa dispensare potest, si delictum est publicum. Barbosa *in c.* 2. *h. t. num.* 7. Palao *Tract.* 27. *disp.* 6. *pun.* 16. *num.* 14. Pirhing *h. t. num.* 16. *arg. cit. c.* 2. *h. t.* Si vero delictum est occultum, dispensare valet Episcopus vigore Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6.

41 Quaeritur V. Num etiam ob iterationem Sacramenti *Confirmationis* contrahatur *Irregularitas.* Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi desumitur ex *can. Dictum.* 8. *dist.* 5. *de Consecrat.* ubi aequaliter prohibetur reiteratio *Baptismi*, et *Confirmationis.* Quo non obstante Resp. *Negative* Covarruvias *in cit. Clem. Si furiosus. p.* 1. *num.* 8. et alii. Ratio est; quia nulla in Jure reperitur statuta Irregularitas in reiterantes *Confirmationem*, ubi autem in Jure expressa non est, asseri non potest, *arg. c. Is qui.* 18. *de Sentent. Excommun. in* 6. ibi: *Irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in Jure) laqueum non incurrit.*

42 Ad *can. Is qui* respondetur, ibi quidem aequaliter prohiberi reiterationem utriusque Sacramenti, non tamen aequalem pro utriusque *reiteratione* poenam statui; consequenter cum poenae non sint extendendae de casu ad casum *per ea, quae diximus lib. I. Tit. II. de Constit. num.* 429. eas, quae contra *iterantes Baptisma* statutae sunt, ad iterantes Confirmationem extendere non debemus.

TITULUS X.

De His, qui filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Parricidium proprie dictum quid?*
3 *Lege humana olim habebant parens potestatem in liberos suos.*
4 *Parricidium improprie, et large tale quid?*
5 *Poena Parricidii proprie talis, quae olim fuerit de Jure Civili.*
6 *Et quae hodie sit?*
7 *Poena Parricidii improprie talis quae?*
8 *Quae poena Jure Canonico infligatur proli necanti parentem?*
9 *Et quae parenti necanti prolem? Et num. seq.*
10 *Clericus Parricida hodie debet degradari, et Curiae saeculari tradi.*
11 *Prohibitum est ordinarie, ne parentes in eodem lecto tenentes tenellam infantem, dormiant.*
12 *Poena contrarium facientium. Et num. praeced.*
13 *Quam poenam Jure Civili incurrat Mater procurans abortum foetus animati?*
14 *Et quam, si foetus adhuc inanimatus erat?*
15 *Jure Ecclesiastico praesertim per Bullam Sixti V. gravissimae statutae sunt poenae contra omnes directe, ac indirecte procurantes abortum, juvantes item, consulentes etc.*
16 *Refertur dicta Sixti V. Bulla per extensum.*
17 *Hanc Bullam Sixti V. moderavit Gregorius XIV. quoad poenas procurantium abortum foetus inanimati, non item animati.*
18 *Refertur Bulla Gregorii XIV. per extensum.*
19 *Referuntur in compendio gravissimae etiamnum vigentes poenae contra quovis modo procurantes abortum foetus animati, aut consulentes, vel juvantes ad illum.*
20 *Ex quibus aliquae obligant in Foro conscientiae ante omnem Judicis sententiam? Et quae?*
21 *Aliquae non nisi post sententiam criminis declaratoriam? Et quae?*
22 *Quid Juris circa dispensationem ab his poenis?*
23 *Non potest Episcopus dispensare in irregularitate, et inhabilitate ad Beneficia, ob procurationem abortus contracta: Et num. praeced.*
24 *Solvitur instantia ex Tridentino.*
25 *Doctrina practica, quam miseri sint Clerici, quovis modo abortum foetus animati, procurantes, vel ad eum juvantes, consulentes etc.*
26 *Plura de procuratione Abortus: Remissive.*

Post Crimina, quibus contra Deum, ejusque divinum cultum immediate, et principaliter delinquitur, recto ordine pergit Compilator ad delicta, quibus proximus laeditur in corpore et vita, utpote quae inter temporalia est summum hominis bonum. Hinc in praesenti, et nonnullis sequentibus Titulis de *Homicidio*, quo vita hominis tollitur, tractatur. Et quoniam inter *Homicidia* omnium gravissimum est *Parricidium*, de hoc ante omnia in praesenti Titulo agitur. 1

2 Quaeritur I. Quid sit *Parricidium*? et quae poenae ipsius? Resp. I. Parricidium proprie tale est homicidium, quo proles parentem, avum, aut aviam, vel parens prolem occidit. Communis. *l. un. C. De His, qui parentes aut filios occid. et L. 1, ff. et l. Poena parricidii. ff. Ad Legem Pompejam de Parricidio.* Nec refert, sive quis patrem, sive matrem, sive legitimum, sive naturalem duntaxat occidat, aut ob horam aliquo occidatur proles, aut si haec incestuosa, adulterina, aut sacrilega sit; quodvis enim hujusmodi homicidium, proprie dictum *Parricidium* est. Clarus § *Parricidium. n. 2.* Farinacius in *Praxi Criminal. p. 5. q. 120, sect. 5. num. 105.* Alexander *in l. Ex facto §. Si quis rogat. ff. ad S. C. Trebell.*

3 Nam licet olim Lege Civili parentum potestas etiam in vitam liberorum fuerit, ut asseritur *l. In suis. 11. ff. de Liber. et posthum. et l. fin. C. de Patria potestate.* ibi: *Patribus, quibus jus vitae in liberos, necisque potestas olim erat permissa:* tamen haec potestas eis etiam Lege humana fuit adempta, *l. Divus. 5. ff. Ad Legem Pompejam, de Parricidio,* et *L. un. C. de Emendat. Propinq.* ut proin necem, qua parens prolem occidit, *Parricidium esse, extra controversiam sit.*

4 . Dicitur autem notanter in Conclusione *num. 2.* posita, *Parricidium proprie tale*; quia improprie et large loquendo, *Parricidium* est et dicitur quodvis Homicidium cujusvis Consanguinei etiam collateralis, vel etiam Affinis, item et conjugis, *cit. L. 1. ff. Ad Legem Pompejam de Parricidio*: ibi: *Lege Pompeja de homicidio cavetur, ut si quis patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, avunculum, amitam consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum privignum etc. occiderit: sed et mater quae filium, filiamque occiderit etc. et avus qui nepotem occiderit etc.* Ad *Parricidium improprie tale* reducitur etiam homicidium Novercae, sponsi item, vel sponsae, *l. Sed sciendum. 3. ff. Ad Legem Pompejam de Parricidio*

5 Resp. II. Poena *Parricidii proprie talis* Jure Civili olim erat, ut sequitur: *Si quis parentis, aut filii, aut omnino affinitatis ejus quae nuncupatione parentum continentur, fata praeparaverit (sive clam sive palam id ausus fuerit) nec non is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius Criminis extitit, licet extraneus sit, poena Parricidii puniatur et neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni poenae subjiciatur sed insutus culeo cum cane et gallo gallinaceo, et vipera et simia, et inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod regionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, et ei coelum superstite, et terra mortuo auferatur.* Ita expresse statutum habetur §. 6. *Instit. de Publicis Judiciis* quod idem etiam statuitur *l. Poena parricidii. ff. Ad Legem Pompejam de Parricid.* et *l. un. C. De his, qui parentes, vel liber.*

6 Verum haec poena ob periculum desperationis non amplius est in usu (excepta Hispania, in qua teste Gomez *lib. 3. variar. resolut. cap. 3. n. 4.* adhuc viget) sed juxta *Constitutionem Criminal. Caroli V. a. 131.* mater (idem est de aliis *Parricidiis*) qui vivum infantem a se editum malitiose necidit, viva in terra defodi, et per ejus corpus stipes, seu palus transfigi, aut ad desperationem evitandam aqua suffocari debet. Verum et haec poena in usu esse desiit, ejusque loco aliae poenae pro diversitate circumstantiarum, arbitrio Judicis, et consuetudine locorum, vel Legum Municipalium exasperandae, vel mitigandae infliguntur: alicubi enim ad caudam equi ligati trahuntur, et postea rotae effiguntur: alibi membra cruciantur rota: alibi decapitantur, et capita sola rotae affiguntur: alibi strangulantur, et dolio inclusi in flumen projiciuntur, uti videre est apud Julium Clarum §. *Parricidium num. 5.* plures similes poenas referentem.

7 Resp. III. Poena *Parricidii improprie talis* Jure Civili est poena Legis Corneliae *de Sicariis*, id est ordinarium homicidii supplicium, *cit. §. 6. Institut. de Publicis Judiciis*: ibi: *Si quis autem alias cognatione, vel affinitate personas conjunctas necaverit, poenas legis Corneliae de Sicariis sustinebit.* Quod idem habetur *l. 1.* et *l. Poena Parricidii. 9. ff. Ad Legem Pompejam, de Parricid.* ibi: *Qui autem alias personas occiderit, praeter patrem, et matrem, avum, et aviam, capitis poena plectetur, aut ultimo supplicio mactetur.* Ita tamen ut etiam pro diversitate circumstantiarum ac consuetudinis locorum poena haec exasperetur. Et quidem juxta *Constitutionem Criminal. Caroli V. art. 137. in fine*, persona, quae conjugem, aut consanguineum proximiorem occidit, ante forcipibus ardentibus aduritur, vel trahea imposita ad locum supplicii rapitur.

8 Resp. IV. Jure Canonico, qui Matrem occidit (idem dic de alio *Parricida* patris) subjacet poenis, quae recensentur *can. Latorem. 15. caus. 33. q. 2.* illis verbis *Latorem praesentium Matricidum esse cognoscimus. Cui praecipimus, ut sub poenitentiae jugo permaneat ita ut per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante foras Basilicae orans, et deprecans Deum perseveret, qualiter tanto eripiatur piaculo. Completo vero anni circulo introeundi in Ecclesiam licentiam habeat: tamen inter audientes stet, sed nondum communicet. Completis autem trium annorum curriculis sacrae communionis ei gratia concedatur: oblationes vero non offerat, nisi prius aliorum septem annorum curricula expleantur.*

His autem omnibus annis, atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere praesumat, exceptis festis diebus, atque Dominicis, et a Pascha usque ad Pentecostes. Et quocunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur: sed pedibus proficiscatur, arma non sumat, nisi contra Paganos: jejunet autem tribus diebus per hebdomadam usque ad vesperam. A propria quidem, ac legitima conjuge non separetur, ne in fornicationis voraginem corruat: quod ne fiat, optamus. Si autem ante annorum trium cursum finis vitae illius appropinquaverit, corporis et sanguinis Domini nostri JESU Christi particeps fiat: sin autem, ut supra statuimus: efficiatur: tamen, si illius conversionem, et lacrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus, et optimis operibus pullulare, humanius circa eum vestra solicitudo pervigil appareat, missque omnibus demonstretur.

9 Parens vero vidua occidens prolem debet ad agendam poenitentiam in Monasterium detrudi, et si nullum est incontinentiae periculum, a secundis nuptiis arceri. *c. 1. h. t.*

Verum recensitae hae poenae per Canones statutae hodie non amplius sunt in usu: Unde in casu *Parricidii* id observare habet Judex Ecclesiasticus, ut Laicum *Parricidam* illico remittat Judici saeculari, poenis Legis puniendum: Clericum vero prius juxta praescriptum Canonis deponat, ac degradet, eumque degradatum Curiae saeculari tradat; cum enim propter simplex homicidium Clericus degradari, et in arctum Monasterium detrudi debeat, *c. Cum ab homine. 10. de Judiciis*, et *c. Tuae. 6. de Poenis*, pro qualificato homicidio utique gravius puniri debet; consequenter Curiae saeculari tradi; quia aliam graviorem poenam non habet, cum Excommunicatio locum non habeat nisi in Reum incorrigibilem, Pirhing *h. t. num. 5.*

11 Illud etiam ad propositum notandum, quod a Jure Canonico prohibeatur, ne parentes secundo secum in eodem lecto tenellos infantes dormiant, can. Consuluisti 20 cau. 2. q. 5: ibi: *Monendi atque protestandi parentes, ne tam tenellos secum in illo lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, aut opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur.* Quod si contra hanc prohibitionem agentibus parentibus infans mortuus reperiatur, et nesciatur, cujus culpa patris aut matris id contigerit, per tres annos, et quidem uno integro in pane et aqua transigere debent. *c. fin. h. t.* hoc ipso, quod licet mortem infantis non intenderint, nec praeviderint, mortis tamen periculo eundem exposuerint; Vallensis *h. t. num.* 2. Verum hanc quoque poenitentiam non amplius in usu esse, et poenam arbitrio Judicis injungendam esse, testantur Abbas *in c. fin. h. t. in fine*, Decianus *Praxi Criminal. lib.* 9. *cap.* 8. *n.* 20. Menochius *lib.* 2. *de Arbitr. Judic. q.* 356. *num* 61. Imo si talis *Cubatio* omni culpa caret, uti juxta Barbosam *in c. fin. h. t. num.* 2. contingere potest, si v. g. lectus est latus, et puer implacabilis, qui aliter a frigore defendi non possit, et mulier in somno suum retinere soleat situm ac locum, omnis poena cessabit. Pirhing *h. t. num* 8.

12 Econtra vero si parens aliquis hujusmodi homicidii ex memorata simultanea *Cubatione* in lecto culpabiliter reus probetur, aut talem se fateatur, jubente sacro Canone utique puniri debet; *arg. cit. can. Consuluisti.* 20. *cau.* 2. *q.* 5. ibi: *Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua nos castiget moderatio: quia si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est, quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit.*

13 Quaeritur II. Specialiter, quibus poenis subjaceant parentes, et alii Abortum procurantes? Resp. I. Mater, quae procurat Abortum foetus jam animati, eumque vel in utero necat, vel vivum expellit, ac interimit, verum *Parricidium* committit, poenarumque illius Jure Civili constitutarum rea est: de cujus Juris legibus et poenis, vide supra a num. 5. Quibus adde *l. Cicero.* 39. *ff. de Poenis*, et *Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 133. ubi poena Capitalis contra hujusmodi delinquentem specialiter statuitur.

14 Resp. II. Si vero foetus nondum fuit animatus, Jure Civili nec homicidii, nec ultimi supplicii rea, sed poena Judicis arbitraria, v. g. exilii, fustigationis punienda erit Mater *Abortum* procurans. Clarus *§. fin. q.* 68. *n.* 2. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 357. *arg. l. Si mulierem.* 8. *ff. Ad Legem Cornel.* sic et *l. Cicero.* 39. *ff. de Poenis Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 133.

15 Resp. III. Jure Ecclesiastico gravissimae statutae sunt poenae contra quoscunque sive directe, sive indirecte procurantes *Abortum*, praecipue vero per Constitutionem Sixti V. *Ad effraenatam*: quae est 87. inter Constitutiones dicti Pontificis in *Tomo II. Bullarii* Cherubini, digna, ut per extensum hic referatur.

16 *Effraenatam perditissimorum hominum contra divinae legis praeceptum de non occidendo, peccandi audaciam atque licentiam, sanctissimis legibus, variisque constitutionibus saepius repressam animadvertentes, cogimur nos quoque in supremo justitiae throno a Domino constituti, justissima ratione suadente, vetera jura partim innovando, partim ampliando, eorum etiam immanitatem pari poena proposita coercere, qui immaturos foetus intra materna viscera adhuc latentes crudelissime necare non verentur. Quis enim non detestetur tam execrandum facinus, per quod non tantum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, aeternae capacem beatitudinis, et ad consortium Angelorum destinatam, a beata Dei visione exclusit, reparationem coelestium sedium quantum in ipso fuit, impedivit, Deo servitium suae creaturae ademit? Qui liberos prius vita spoliavit, quam illi a natura propriam lucem acciperent, aut se materna custodia corporis ab efferata saevitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quae eo usque processit, ut etiam venena procuret, ad conceptos foetus intra viscera extinguendos et fundendos, etiam suam prolem prius interire quam vivere, aut si jam vivebat, occidi, antequam nasci nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, ac pariant, maleficiis medicamentis impediunt? Maleficos, inquit Dominus ad Moysen, non patieris vivere; nimis enim impudenter contra Dei voluntatem se opponunt, qui, ut S. Hieronymus ait, dum natura recipit semen, receptum confovet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit, dum inter ventris angustias DEI manus semper operatur, idemque corporis creator et animae est, impie despiciunt bonitatem Figuli, id est DEI, qui hominem plasmavit, fecit, et voluit. Siquidem ut Sanctus testatur Ambrosius, non mediocre munus est Dei dare liberos propagatores generis. Divinum donum est foecunditas parientis, eademque tempore diro hoc flagitio privantur liberis parentes, qui generaverunt, viri Filiis, qui generati sunt, matres conjugii praemiis, terra quae ab his coleretur, mundus qui ab eisdem cognosceretur, Ecclesia quae devotae numero plebis aucta gauderet. Unde non immerito sexta Synodo Constantinopolitana sancitum est, ut personae quae dant abortionem facientia medicamenta, et quae foetus necantia venena accipiunt, homicidae poenis subjiciantur, sed et veteri Concilio Ilerdensi cautum est, ut qui conceptos ex adulterio foetus necare non puduerint, vel qui in ventris matrum potionibus aliquibus colliserint, si postea poenitentes ad Ecclesiae mansuetudinem recurrant, omni tempore vitae suae fletibus, et humilitati insistant, si vero Clerici fuerint officium ministrandi eis recuperare non liceat, omnesque tam Ecclesiasticae quam prophanae Leges gravibus poenis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, sive ut conceptos foetus ejiciant, nefarie machinantur.*

§. 1. Nos igitur post repressam eorum temeritatem, qui matrimonii jura violare, et quantum in ipsis est vinculum indissolubile dissolvere praesumunt, quive turpioribus quibusdam incestis se inquinare non erubescunt, hoc quoque malum, quantum viribus nobis a Domino traditis contendere possumus, nostris potissimum temporibus exterminare volentes: Omnes, et quoscunque tam viros, quam mulieres cujuscunque status, gradus, ordinis, etiam Clericos saeculares, vel cujuscunque Ordinis, saeculares, quavis dignitate et praeeminentia Ecclesiastica mundana fulgentes, qui de caetero per se, aut interpositas personas abortum seu foetus immaturi, tam animati, quam inanimati, formati vel informis ejectionem procuraverint, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribus,

que mulieri praegnanti impositis, ac aliis etiam incognitis, vel maxime requisitis rationibus, ita ut re ipsa abortus inde secutus fuerit; ac etiam praegnantes ipsas mulieres, quae scienter praemissa fecerint, poenas tam divino quam humano jure, ac tam per Canonicas sanctiones, et Apostolicas constitutiones, quam Civilia jura adversus vero homicidas, qui homicidium voluntarium acta et re ipsa patraverint, propositas et inflictas (quorum omnium tenores his nostris literis pro expressis, et ad verbum insertis habemus) eo ipso incurrere, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus et ordinamus, ipsasque poenas, leges, et constitutiones ad casus praefatos extendimus.

§. 2. *Eos vero, qui Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, et beneficiis Ecclesiasticis, quae sic vacatura nostrae, et Sedis Apostolicae dispositioni perpetuo reservamus, ipso facto privamus, et in futurum inhabiles ad ea suscipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiserint, non secus atque ii, qui sua voluntate homicidium perpetraverint, juxta Concilii Tridentini decreto, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros Ordines promoveri, aut in susceptis Ordinibus ministrare nullo modo possint, nec istis aliquo Ecclesiastica beneficia, etiamsi Curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni Ordine ac Beneficio, et Officio perpetuo careant.*

§. 3. *Nec non et illos, qui Clerici non fuerint, et talia perpetraverint, non solum poenas incurrere supra narratas, sed etiam inhabiles ad Ordines et alia praedicta decernimus et declaramus.*

§. 4. *Volentes quod hi, qui foro Ecclesiastico subjecti, ut praefertur deliquisse comperti fuerint, per Judicem Ecclesiasticum depositi et degradati, Curiae et potestati saeculari tradantur, quae de eis illud capiat supplicium, quod contra laicos vere homicidas per divinas Leges, ac Civilia Jura est dispositum.*

§. 5. *Praeterea eisdem poenis teneri omnino statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena potionibus propinaverint, et quominus foetum concipiant, impedimentum praestiterint, ac ea facienda et exequenda curaverint, sive quocunque modo in his consuluerint, ac mulieres ipsas quae eadem poculo sponte ac scienter sumpserint.*

§. 6. *Quo circa mandamus universis et singulis Judicibus ordinariis et delegatis, tam Ecclesiasticis, quam saecularibus, quibus contra criminum reos etiam quoad causas hujusmodi de jure vel ratione delicti, aut personarum legitime competat jurisdictio, ita tamen ut inter eos praeventionis locus sit, ut in his delictis, quae ut plurimum in occulto perpetrantur, contra quoscunque, non solum per accusationem, et delationem, verum etiam per inquisitionem ac simplicem denuntiationem procedant, ac ad illa probanda testes alias de Jure inhabiles, eorundem tamen Judicum arbitrio, habita ratione personarum, causarum, et qualitatum illarum, ac circumstantiarum quarumcunque, admittant, ac in eos qui culpabiles fuerint, prout per nos sancitum est, demum animadvertant.*

§. 7. *Insuper ut immanitati hujus delicti gravitati non solum temporalibus, verum tamen spiritualibus poenis prospiciamus, ac provideamus, omnes et singulos cujuscunque status, gradus, ordinis, et conditionis existentes, tam Laicos, quam Clericos, saeculares et cujuscunque ordinis regulares, nec non mulieres saeculares, et quemcunque Ordinem professas, qui vel quae, vel uti principales, vel ut socii ac consortes ad tale facinus committendum, opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscunque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo literas privatas vel apochas, vel alias verbis aut signis juverint aut consuluerint, ultra supra dictas poenas, ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus, et pro excommunicatis declaramus.*

§. 8. *Decernentes ac declarantes, quod per quaecunque Jubilaea et Indulgentias, per nos et Successores nostros, etiam anno Jubilaei, aut alio quovis tempore, etiam Cruciatae sanctae, Jubilaei, vel quovis alio titulo concessas et concedendas, nec non per quascunque litteras Apostolicas quibusvis Principibus, seu ad eorum instantiam per nos et Successores nostros pariter concessas et concedendas, ac etiam vigore privilegiorum Mare magnum, vel alias quomodolibet nuncupatorum, quibusvis Congregationibus Regularium, aut Episcopis vigore Concilii Tridentini vel alios per nos et Praedecessores nostros quomodocunque concessorum, vel in futurum concedendorum, nec personae sic ut praefertur delinquentes et excommunicatae, praeterquam in mortis articulo absolvi valeant, nec cum iis Clericis qui hujusmodi delicta perpetraverint, etiamsi eorum Crimen occultum fuerit, super irregularitate praemissorum occasione contracta, nec per locorum Ordinarios, nec per alios quavis auctoritate fungentes, quam per nos et Rom. Pontific. nostros Successores et non nisi urgentissimis de causis dispensari possit. Ac tam absolvendi, quam dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientiae in casibus superius expressis, nobis et Successoribus nostris duntaxat reservamus.*

§. 9. *Statuentes sic in praemissis universis et singulis per quoscunque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia judicari et definiri debere irritumque et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 10. *Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aut aliis legibus aliter forsan circa praemissa disponentibus, aut in casibus praefatis distinguentibus, caeterisque contrariis quibuscunque.*

§. 11. *Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides in judicio et extra adhibeatur, quae originalibus literis exhibitis adhiberetur. Quodque eadem ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae, de more publicatae et affixae dimissis inibi earum exemplis, post quindecim dierum spatium a die hujusce publicationis numerandorum, quemcunque afficiant, ac si unicuique forent intimatae, cum non sit verisimile quemquam ea posse ignorare, quae palam ac publice fuerint evulgata.*

§. 12. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, statutorum, ordinationis, extensionis, decretorum etc. Si quis hoc attentare praesumpserit etc.*

Dat. Romae in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicae 1588. *Kalend. Novemb. Pontif. nostri Anno* 4.

Hanc rigidam Bullam *Sixti V.* moderavit quidem 17
postea *Gregorius XIV.* sed non nisi circa absolutionem ab Excommunicatione, et circa directe vel indirecte procurantes *Abortum* foetus adhuc inanimati, ut proin circa poenas contra directe, aut indirecte procurantes *Abortum* foetus animati Bulla *Sixti V.* adhuc in pleno suo vigore sit, prout teste Patritio Sporer *in Theologia Sacramentali. p.* 4. *cap* 4. *sect* . *n* 714. Tenent omnes, patetque ex ipsa Bulla *Gregorii XIV.* quae incipit *Sedes Apostolica*: estque ordine octava in *Tom II. Bullarii Cherubini*: inter Constitutiones dicti Pontificis

etiam digna, ut per extensum hic inferatur; sonat ergo, ut sequitur.

18 *Sedes Apostolica pia mater assidue sentiens ponderis sibi incumbentis in procuranda salute animarum, pretioso Christi Domini sanguine redemptarum, gravitatem et magnitudinem, ia re tanti momenti, ut par est, magis in dies solicita, eumdemque optimum finem semper ante oculos propositum habens, nihil unquam intentatum praetermittit eorum, quae ad fidelium animas in viam salutis dirigendae judicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, si interdum quidem contumaciam fidelium audaciam poenarum severitate deterret. Rursus eisdem, si ad cor redire velint, et peccati veniam humiliter exposcere, maternum aperit sinum, viamque ad poenitentiam eis sternit faciliorem, ac mansuetudine congruo rigorem temperat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.*

§. 1. *Dudum siquidem fel. record. Sixtus Papa V. praedecessor noster justitiae zelo accensus, contra procurantes abortum foetus tam animati, quam inanimis, ejusque gravissimi sceleris participes, et adjutores, nec non contra eos, qui mulierum foecunditatem impedirent, et sterilitatis potiones seu venena praeberent, constitutionem edidit, sub dato 4. Kal. Novembris, Pontificatus sui anno tertio, per quam ultra diversas spirituales et temporales poenas, etiam inter alia Excommunicationis sententiam contra eos promulgavit, sibique et Successoribus suis tantum absolvendi facultatem reservavit, prout in eadem constitutione plenius continetur.*

§. 2. *Cum igitur postmodum experientia docuerit, ex remedio hujusmodi, non quos sperabatur, utilitatem et fructum provenisse, verum potius multis satanae malitia ad peccandum inductis, difficiliori ob soli Sedi Apostolicae reservatam absolvendi facultatem, redditu ad poenitentiam aditu, eos a nefariis hujusmodi flagitiis perpetrandis non solum non retraxisse, sed etiam plurimorum Sacrilegiorum, gravissimorumque peccatorum et scelerum occasionem dedisse. Nos propterea animadvertentes gladium Ecclesiasticae disciplinae, praesertim quoad censuras et poenas spirituales, ita exercendum esse, ut ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum aeternumque Pastorem, cujus vices in terris gerimus, quantum (divino ejus gratia adjutrice) possumus, imitari volentes, qui venit animas hominum salvare non perdere, neminique quantumcunque graviter et enormiter deliquerit, viam salutis praeclusit, quin potius ad eam assequendam copiosa remedia adhibuit, ac nobis reliquit, et simul utilius censentes, ubi nec de homicidio, nec de animato foetu agitur poenas non imponere duriores illis, quae per sacros Canones, et leges prophanas sunt inflictae, habita super hoc cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, super negotiis et consultationibus Episcoporum deputatis, matura deliberatione, de eorum consilio, constitutionem praedictam sic duximus moderandam, ut a peccato, et excommunicatione contra personas ibi expressas lata, tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, quam quoad illos, qui post nostram constitutionem in eisdem casibus deliquerint, quilibet Presbyter, tam saecularis, quam cujusvis Ordinis regularis ad Christi fidelium confessiones audiendas, et ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam et liberam in foro conscientiae tantum, absolvendi habeat facultatem, eamdem prorsus quam idem Sixtus V. praedecessor noster, sibi ac suis successoribus reservavit.*

§. 3. *Quo vero ad poenas procurantium Abortum foetus inanimis, aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocunque modo auxilium vel consilium eis dantium, in praedicta constitutione contentas, constitutionem praefatam, in ea parte, ubi de his agit, ad terminos Juris communis, ac sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini dispositionem, auctoritate Apostolica tenore praesentium, tam quoad praeterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem constitutio in hujusmodi parte nunquam emanasset.*

§. 4. *Non obstantibus eadem Praedecessoris nostri constitutione, quam quoad reliqua omnia, praeter contenta in hac nostra constitutione in suo robore omnino permanere volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.*

§. 5. *Volumus autem, ut praesentium transumptis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo Praelati Ecclesiastici munitis eadem prorsus fides habeatur, in judicio et extra illud, quae eisdem originalibus haberetur exhibitis, vel ostensis.*

§. 6. *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum moderationis, reductionis, et voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

Datum Romae in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicae 1591. *prid. Kal. Junii Pontificatus nostri Anno* 1.

Ex his itaque Bullis cum unanimi Doctorum colliges, quod licet *Gregorius XIV.* poenas a *Sixti V.* fulminatas contra procurantes Abortum foetus inanimati, vel sterilitatem, et quocunque directe vel indirecte juvantes vel concurrentes ad id, reduxerit ad terminos Juris communis, tamen poenas contra directe vel indirecte procurantes Abortum foetus animati, omnes et singulos a *Sixto V.* statutas reliquerit in suo vigore. 19

Ut proin omnes, qui directe vel indirecte, per se, vel per alium, quocunque modo procurant Abortum foetus animati, vel ad id consilium vel auxilium praestant, aut favorem, imprimis incurrant omnes poenas ab utroque Jure contra *homicidas* voluntarios statutas.

2. Contrahant *Irregularitatem*.

3. Sint privati omni privilegio *Clericali*.

4. Sint *inhabiles* ad omnia Officia et Beneficia tam *simplicia*, quam *Curata*.

6. Si Beneficium vel Officium jam habent, sint ipso facto privati, et tam ad idem, quam quodvis aliud perpetuo *inhabiles*.

7. Insuper, si Clericus est, debet deponi et degradari, sicque degradatus tradi Curiae saeculari puniendus juxta Leges divinas, et humanas.

Et quidem, quod notandum, poenae *Irregularitatis, Excommunicationis, et inhabilitatis* ad Beneficia obligant in Foro conscientiae ante omnem Judicis sententiam, et quantumvis delictum sit occultum. 20

Poena vero *Privationis* Beneficii prius habiti, quia executionem externam requirit, ante sententiam Judicis saltem declaratoriam Criminis non obligat, juxta dicta *Lib. I. Tit. II. §. X. a num.* 207. ut proin haec, sicut et *Degradationis*, et *traditionis* poena ad Curiam saecularem, locum non habeat, quamdiu delictum manet occultum. 21

Circa *Dispensationem*, et *Absolutionem* ab his poenis id solum moderavit Gregorius XIV. quod ab *Excommunicatione* in Bulla prius strictissime reservata absolvere possit Episcopus, et quivis ab eo specialiter deputatus. Unde nec in *Irregularitate*, nec in *privatione* Beneficiorum, ac *inhabilitate* ad illa minime dispensare valet Episcopus, eo quod in lege Pontificis tanquam Superioris, ipse tanquam inferior dispensare non 22

possit; prout amplius dictum et probatum est *Lib. I. Tit. II. §. XVIII.* Hinc minime tuta est doctrina P. Patritii Sporer, quam *in Theolog. Sacrament. p. 4. cap. 4. n. 722. ad finem* tradit, dicendo, Episcopum posse dispensare in poena *privationis* Beneficiorum, et *inhabilitatis* ad illa; qui alias cit. *cap. 4.* materiam de Abortu peregregie pertractavit.

23 Nec in contrarium valet fundamentum a praedicto P. Sporer allatum, videlicet, Pontificem specialiter sibi non reservasse dictam *inhabilitatem*: Nam contra est; Tum quod in poenis a lege Pontificia impositis, solus Papa dispensare valeat, etiamsi earum dispensationem sibi specialiter non reservet, hoc ipso, quod in lege Pontificia tanquam superioris, nullus inferior dispensare possit; nisi id alicui specialiter, vel generaliter concedatur, quod non est in casu nostro. Tum quod *Sixtus V.* dispensationem super Bullam impositis sibi universaliter expresse reservaverit *ibid.* §. 8. illis verbis: *An tam absolvendi, quam dispensandi facultatem etiam quoad forum conscientiae in casibus superius expressis, nobis et Successoribus nostris reservamus*

24 Neque suffragatur in hoc Episcopis a Tridentinum *Sess. 24. de Reformat. cap.* 6. quia ibi solum conceditur illis facultas dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta quae provenit ex Homicidio) non item in aliis poenis lege Pontificia latis, ut patet legenti textum. Et quoniam *Procuratio* Abortus foetus animati est etiam *Homicidium* voluntarium, neque in Irregularitate ex illo proveniente dispensare poterit Episcopus.

25 Infertur, quam infelices sint praesertim Clerici *Abortum* foetus animati directe, vel indirecte procurantes, aut consilium vel auxilium quovis modo ad illum praebentes, *sive* sint *Curati*, *sive simplices*, sive Beneficium habeant, sive non: si enim nullum pro illo tempore adhuc habent Beneficium, nullum amplius acquirere valent, nisi dispensetur a Papa, quantumvis delictum sit occultum: si habent *Beneficium*, illud quidem ante sententiam criminis declaratoriam dimittere non tenentur, tamen ante eandem sententiam, et licet delictum sit occultum, sunt ipso facto *irregulares*; consequenter praeter alios *irregularitatis* effectus non amplius possent celebrare Missas, quod tamen plurima Beneficia requirunt, ut proin saltem ex hoc capite ante omnem sententiam in *Foro conscientiae* teneantur dimittere Beneficia: quia obligationi vigore Beneficii impositae satisfacere non amplius possunt, nisi a Papa dispensetur: quod difficillime, et non nisi *urgentissimis de causis* fieri potest, ut habet Bulla *Sixtina cit.* §. 8. *circa finem.*

26 Majorem et exactam discussionem de *Abortu* qui desiderat, legat citatum Patritium Sporer *in Theolog. Sacrament. p. 4. cap. 4. per totam.* ubi ex professo, et revera egregie hanc materiam pertractat, si excipis id, quod supra *num.* 22. impugnavimus.

TITULUS XI.

De Infantibus, et Languidis expositis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 *Expositio Infantium quid?*
Infans quis dicatur? Ibid.
3 *Expositio Infantium ordinarie est graviter peccaminosa.*
4 *Etsi non fiat animo necandi Infantem, sed exponendi illum misericordiae aliorum.*
5 *Et avertendi propriam infamiam, honoremque suum tenendi.*
Ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio. Ibidem.
6 *An ? et quando licitum sit exponere Infantem ?*
7 *Parens in sylva aut loco deserto exponens Infantem, poena mortis punitur, si Infans ibi perit.*
8 *Quae poena, si ibi non perit, aut in via publica exponitur, et perit ?*
9 *Quid si in via publica aut hospitali exponitur, et non perit ?*
10 *Subinde Expositio vacat culpa, et poena.*
11 *Parens exponens Infantem, perdit patriam potestatem.*
12 *In locis, ubi pro Expositis specialiter erecta et fundata extant Orphanotrophia, aut hospitalia, haec tenentur assumere et alere Infantem: ubi vero non extat, tenetur ad id Ecclesia, vel Rector illius.*
Ecclesia aurum habet non ut servet, sed ut eroget, et subveniat necessitatibus. Ibid.
13 *Deficientibus vero hujus redditibus tenetur Communitas, et tandem singuli in solidum.*
14 *Assumens, et educans* Expositum, *non acquirit jus in ejus personam.*
15 *Pia loca, aut Ecclesiae Rectores, si* Expositum *educant, non possunt amplius repetere expensas.*
16 *An, et quando alii* Expositos *assumentes et alentes repetere valeant expensas? Et numero seq.*
18 *Educantes* Expositum *succedunt ei ab intestato.*
19 *Parentes agnoscere, et assumere possunt filium, si ipsis invitis fuit ablatus, et expositus.*
20 *Expositi habentur pro legitimis, et capacibus Ordinum, Beneficiorum, Officiorum etc. non tamen Canonicatuum, et Dignitatum illarum, quae ex fundatione vel statuto requirunt Nobilitatem.*
21 *Quinam per* Languidos *intelligantur ?*
22 *Eorum* Expositio *est graviter peccaminosa.*
23 *Si ab exponentibus sustentari valent.*
24 *Parentes, et Domini prolem, vel servum exponentes privantur patria, ac Dominica potestate. Et num. seq.*
25 *Dominus non tenetur ad magnas expensas pro cura famuli quo talis.*
26 *Bene vero quo proximi.*
Pauper potest implorare Judicem Ecclesiasticum contra quemvis divitem, ut sibi subveniatur. Ibid
27 *De mercede famuli aegroti. Remissive.*

Quia *Parricidio* propinqua, adeoque simplici Homicidio pejor est *Expositio Infantium*, utpote qua vel mors Infantis per exponentem intenditur, vel per accidens non raro sequitur, adeo ut *l. Necare. 4. ff. de Agnoscend. et alend. liber.* expresse dicatur: *Necare videtur non tantum is, qui partum praefocat, sed et is, qui abjicit, et qui alimonium denegat, ut is qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet*: idea post praecedentem Titulum, de hac *Expositione* praesens recto ordine ponitur Rubrica. 1

Quaeritur I. Quid ad praesens intelligatur per *Expositionem Infantium*? An, et qualiter illicita? ac quibus sub poenis prohibita? Resp. I. *Expositio Infantium* ad praesens est, et dicitur illa, quae vel proles 2

recens nata; vel saltem septennio minor (infra hanc enim aetatem proles constituta, *Infans* dicitur, *l. Infanti.* 18. et §. 4. *C. de Jure deliberandi*, ibi: *Infanti*, *id est*, *minori septem annis*) exponitur, et derelinquitur ad hoc, ut vel omni alimento et auxilio destituta pereat, vel ab aliis alenda et educanda assumatur. Ita in re Communis, patebitque ex sequentibus.

3 Resp. II. *Expositio Infantium* ordinarie est graviter peccaminosa, non tantum si fit, ut Infans pereat, sed etiam si fit, ut ab aliis alenda et educanda assumatur. *Prima* pars caret omni controversia; quia talis facta *Expositio* vero homicidio aequiparetur. *arg. cit. l. Necare.* 4. *ff. De liber. agnoscend. et alend.* juncta *L.* 2. *C. h. t.* et *Novella* 153. *cap.* 3. prout etiam tanquam homicidium punitur, juxta dicenda infra *nu.* 7.

4 *Altera* pars docetur communi, et quasi unanimi Doctorum; quia etiam tali modo gravissime prohibita est *Expositio* ab utroque Jure *c. un. h. t. l. Necare.* 4. *ff. De agnoscend. et alend. liber.* item *L.* 2. et 3. *C. h. t.* juncta *Novella* 153. ubi *in princ. Expositio infantium* universaliter vocatur *crimen a sensu humano alienum*, at *c.* 1. *ibid. ad finem.* taliter *Exponentes*, pejores homicidis pronuntiantur illis verbis: *Qui omni inhumanitate et crudelitate referti sint, tanto deteriores homicidio pollutis, quanto calamitosioribus id inferunt.* Ratio est; quia licet mortem prolis non intendant, tamen, quantum in ipsis est, eam occidere videntur, hoc *ipso*, quod alimentis destitutam, periculo mortis exponant, ignari, num aliquis, qui prolem, antequam moriatur, assumat et alat, per Jura citata, *et can. Pasce.* 21. *dist.* 86. *et can. fin. dist.* 87.

5 Nec excusat a peccato parentem, si dicat, se non ex malevolentia erga prolem, sed ad declinandam infamiam exponere infantem; ad hanc autem declinandam, et propriam famam, aut honorem tuendum, praestat non modo prolis, sed et propriam vitam periculo exponere, *arg. l. Isti quidem.* 8. §. 2. *ff. Quod metus causa.* Nam contra est, quod fama et honor aequiparetur vitae, ac propterea ad tuendum illum liceat quidem propriam vel alienam vitam periculo exponere contra injustum violatorem, seu si ab alio injuste invadatur, vel auferatur; neutiquam tamen alium occidere, vel periculo vitae exponere potest, ob quem, aut intuitu cujus quis in fama et honore juste laeditur, aut patitur, juxta illud vulgatum: *Ubi justa est Offensio, ibi injusta est Defensio.* Consequenter, cum ad propositum nemo injuste violet famam, et honorem parentis, matris v. g. illicite impraegnatae, sed ipsamet una cum corpore famam et honorem suum sponte prostituerit, hoc ipso, quod prolem naturaliter nascituram, et inde infamiam suam orituram providere debuerit, ac propterea in fama merito et juste patiatur, non potest ad eam tuendam contra tot leges exponere innocentem infantem periculo vitae: Alias enim sequeretur, quod ad famam tuendam posset quis etiam *Abortum* foetus animati, sive inanimati procurare, et natum propriis manibus occidere; cum non referat, sive ferro, aut violenta manu, sive fame, sive alimentorum subtractione infans occidatur, *arg. cit. l. Necare.* 4. *ff. De agnoscend. et alend. liber.* et *L.* 2. *C. h. t. Novell.* 153. *cap.* 1.

6 Dicitur autem notanter in Conclusione *ordinarie loquendo*, nam dantur casus extraordinarii, in quibus *Expositio Infantium* colpa vacat, et poena; si nempe parens ob summam egestatem, vel aliam justam causam alere non valens prolem, exponit illam in tali tempore et loco, ubi certum est, prolem ab aliis statim assumendam, et educandam, nullumque interea mortis periculum fore; prout praecipue fieri potest in illis Civitatibus et locis, in quibus pro *Expositis* hujusmodi, specialiter erecta habentur Xenodochia, aut Orphanotrophia. Hujusmodi in casu *Expositionem* vacare culpa, cum aliis docet Gonzales *in c. un. h. t. num.* 10. *in fine*, Barbosa *de Officio*, *et potestat. Episc. Allegat.* 51. *numer.* 147.

Quaeritur II. Quibus poenis subjaceat Parens infantem *exponens*? Resp. I. Quamvis nonnulli cum Glossa *l. fin. C. de Patrib. qui filios distrax.* universaliter et indistincte velint Parentes, qui liberos exponunt, de Jure Civili poenae capitalis reos esse, tamen rectius cum distinctione dicitur, quod Parens, qui per se vel per alium exponit infantem, in sylva, vel deserto, aut tali loco, vel modo, ut mortem illius praevidere prudenter debuerit, etsi non intenderit (et multo magis si intenderit) ipsaque mors sequatur, Jure Civili punitur ultimo supplicio. Bartolus *in l. Necare.* 4. *ff. De Agnoscend. et alend. liber.* Bossaeus *Tit. de Homicidio. numer.* 7. Christoph. Blumbacher *Ad Constitut. Carolin. a.* 132. *num.* 1. *arg. cit. l. Necare.* 4. *ff. De agnoscend. et alend. liber. et Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 132. 7

Si autem Infans in praefato aliquo loco deserto exponitur quidem, sed vivus adhuc reperitur; vel si in loco, et via frequentata praetereuntium misericordiae ac charitati, aut in hospitali, vel Orphanotrophio in circumstantiis ex se periculo mortis carentibus exponitur, et tamen mortuus reperiatur *expositus Infans*, fustigatione, aut alia poena corporis afflictiva plectendus videtur parens directe, aut indirecte *exponens*. Carpzovius *Pract. Criminal. p.* 1. *q.* 10. *n.* 11. et desumitur ex *cit. Constitut. Crimin. Caroli V. art.* 132. 8

Si vero in via communi et publica, aut Ecclesia, vel Hospitali frequentata ita exponitur, ut nullum periculum mortis subeat, indeque vivus et incolumis reperiatur infans, relegatione, aut etiam mitiori alia poena arbitrio Judicis sufficienter puniri *Exponentem* censet Menochius *de Arbitrar. Judic. casu* 396. *n.* 5. et satis clare desumitur ex *cit. Constitut. Crimin. Caroli V. art.* 132. 9

Quod si praeter haec accedat etiam talis egestas parentis, ut prolem alere nequeat, a culpa et poena Civili immunis erit, praesertim in locis, ubi pro hujusmodi *Expositis* specialiter erecta habentur hospitalia, vel Orphanotrophia, juxta dicta *numer.* 6. 10

Resp. II. Parens directe, aut indirecte *exponens infantem*, aut *Expositioni* consentiens, vel factam ratihabens, ipso facto perdit patriam potestatem, nec jus nec nomen patris, vel matris amplius retinet, nisi in quantum infanti favorabile est, adeo ut *expositus* alimenta ab *exponentibus* parentibus semper praetendere, et iis succedere valeat, non autem hi vicissim, ita clare decisum habetur *c. un. h. t.* et *L.* 2. 3. *et* 4. *C. eod.* Ratio est: quia parens *expositum* filium censere habetur pro derelicto, *l. fin. ff. pro Derelicto*: *Nec enim suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempserit*, ut dicitur *cit. l.* 2. *C. h. t.* 11

Quaeritur III. Quis alimentare et educare debeat *Infantes expositos*, quorum parentes ignorantur? Et quid Juris aut oneris accrescat *Expositum* ex obligatione, vel charitate assumentibus, et educantibus? Resp. I. Si in aliquo loco extant Hospitalia, vel Orphanotrophia pro hujusmodi *Expositis* specialiter erecta, in his recipi, et ex redditibus illorum ali ac educari debent: Communis, et certa. Ratio patet; quia, uti sup- 12

ponitur, ita exigit Fundatoris pia intentio, quam adimplere utique oportet; *per Vulgaria Juris*: Si vero bujusmodi pia loca alicubi non extant, et nullus de populo gratis et sponte assumere velit educandum Infantem, Ecclesia aut Rector illius, vel si haec sufficientes redditus non habeat, Communitas, in qua tales *Expositi* inveniuntur, alimentare et educare debet *Expositum*. Barbosa *in c. un. h. t. nu.* 4. Surdus *de Aliment. Tit.* 1. *quaest.* 9. Abbas *in c. un. h. t. nu.* 3. Pirhing *h. t. nu. fin.* Ratio de Ecclesia est; quia cum redditus Ecclesiastici *sint patrimonium Christi et pauperum*, procul dubio Ecclesiarum Rectores tali *Exposito* pauperculo aliis mediis destituto prae aliis tenentur de praefatis redditibus succurrere. Servit huc, quod dicitur *can. Aurum.* 70. *caus.* 12. *q.* 2. ibi: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogat, ut subveniat in necessitatibus.*

13 Quoad Communitatem vero deficientibus Ecclesiae redditibus, ratio est; qui juxta Unanimem omnes et singuli tenentur succurrere cuivis in extreme necessitate constituto, *arg. can. Pasce.* 21. *dist.* 36. Et quoniam nullus ab hac obligatione immunis est, aequum et justum est, ut tota Communitas proportionaliter concurrat. Quod si Communitas ex negligentia vel malitia non faceret, quivis in solidum teneretur; quia quemlibet tenet gravis obligatio juvandi proximum in extrema necessitate constitutum; prout amplius Theologi.

14 Resp. II. Qui *expositum Infantem* assumunt et alunt, nullum propterea acquirunt jus, aut potestatem in ejus personam. Ita clare statuitur *c. un. h. t.* ibi: *Sane qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis jus aliquod vindicare.* Concordat *l. Sancimus.* 3. *C. eod.* ubi Conclusio magis declaratur et rationibus firmatur, praecipue vero ne infans: qui non peccavit, servituti subjiciatur, et privetur libertate, quae summe favorabilis est, §. 1. *Instit de Jure person.*

15 Resp. III. Si *Expositum* suscepit, ac sustentavit Ecclesia, aut Hospitale, Episcopus, ac alius Rector Ecclesiae, vel aliquis ad hunc finem erectus locus, non possunt expensae in alimenta et educationem *Expositi* factae repeti. Azorius *part.* 2. *Institut lib.* 2. *cap.* 26. *quaest.* 1. Pirhing *h. t.* cum Communi. Ratio est; quia ex pietate et misericordia, aut ex officio fieri debuere, et censetur factae, *arg. can. Sacrorum.* 15. *cau.* 12. *quaest.* 2.

16 Si vero ab extraneo aliquo *Expositus*, susceptus et educatus fuit, habet is jus repetendi expensas e parente *exponente*. Barbosa *in c. un. h. t. nu.* 8. Stephan. Gratian. *Discept. forens. cap.* 267. *nu.* 41. Pirhing *h. t. arg. L.* 1. *C. h. t.* et *l. Patrem.* 16. *C. de Nuptiis.* Ratio est; quia licet etiam talis suscipiens, eatum misericordiae erga *Expositum* exercere intenderit tamen non praesumitur nefario parenti beneficium praestare, aut in ejus gratiam infantem educare; consequenter alimentorum et educationis expenses repetere potest, quas parens Jure naturali et divino facere tenebatur.

17 Quod si tamen ex circumstantiis personae suscipientis *Expositum*, vel aliis conjecturis prudenter praesumi posset, illum ex mera charitate, misericordia, et liberalitate, sine ulla reflexione aliquando repetendi expensas, infantem assumpsisse (ut si sanguine junctus, vel valde dives, aut liberalis et virtuosus id facit) repetitioni locus non amplius foret; nisi ab initio protestatus esset, se velle sibi restitui. Pirhing *h. t.* Ratio est; quia quod mere gratis tribuitur, repeti amplius nequit. *arg. l. fin. De revocand. Donat.*

Resp. IV. Quicunque Expositum infantem assumunt, et educant, id Juris acquirunt, quod eidem (exclusis Fisco, parentibus consanguineis tanquam indignis) ab intestato succedant, si absque Descendentibus decedens bona temporalia reliquit. Surdus *de Aliment. Tit.* 16. *q.* 18. *n.* 19. Engel *h. t. n.* 4. *arg. Novell.* 115. *cap.* 3. 18

Resp. V. Quamvis parentes infantem *exponentes* illum repetere amplius nequeant, sed is statim fiat sui Juris, et liberetur a patria potestate, in quantum sibi favorabile, juxta dicta *numer.* 11. Si tamen ipsis ignorantibus, aut invitis infans ablatus, et expositus fuisset, eum pro suo agnoscere, et sibi iterum, ubicunque existat, assumere valent. Barbosa *in c. un. h. t. n.* 6. cum communi, et certe aliorum. Ratio est; quia cum in tali casu parentes omni culpa vacent, retinent jus et patriam potestatem ad filium. 19

Quaeritur IV. Utrum *Infantes expositi* habendi sint pro *legitimis*? Resp. *Affirmative.* Patet Conclusio ex dictis *Lib. IV. Tit. XVII. qui filii sint legitimi a numer.* 14. Quibus adde, quod licet propterea capaces sint Ordinum, Beneficiorum Dignitatum, Officiorum, artium etc. tamen capaces non sint Canonicatuum, Dignitatum, et Officiorum illorum, quae ex Fundatione, aut Statuto requirunt *Nobilitatem*: Tum quia licet praesumantur qualitates, quae sunt necessariae ad excludendum peccatum, vel communiter insunt: tamen non praesumuntur aliae qualitates, praesertim ex Fundatione, aut Statuto requisitae. Barbosa *h. t.* Gonzalez *eod n.* 8. et alii. 20

Quaeritur V. Quid intelligatur per *Languidos*? et quid Juris de *Languidis expositis* Resp. I. Per *Languidos* ad propositum intelliguntur omnes illi, qui gravi, et diuturna praesertim vero perpetua, et incurabili detinentur infirmitate per quam ad labores, et quaecunque negotia, aut res gerendas inhabiles existunt. Barbosa. *in c. un. h. t.* Pirhing *h. t. n.* 3. *arg. l. Morbus* 113. *ff. de V. S.* patetque ex illo Joannis *cap.* 5. ibi: *respondit ei languidus*, et Math. 4. *curavit languidos eorum.* 21

Resp. II. Sicut *Infantium*, ita et *Languidorum* quorumcunque, et cujuscunque aetatis existant, est graviter prohibita, indeque graviter peccaminosa, expositio, si ab exponentibus *Languidi* sustentari, et ali valent. Est communis, *arg. c. un. h. t. l. Sancimus* 3. et *l. fin. C. eod.* Ratio est; quia quantum in ipsis est, occidere videntur *Languidos*, *arg. can. Pasce* 21. *dist.* 86. 22

Dicitur autem notanter: *Si ab exponentibus languidi sustentari, et ali valent.* Nam si ob inopiam hoc praestare nequeunt, a culpa immunes sunt si aliorum pietati eos exponunt, sicut supra *n.* 6. de expositione *Infantium* diximus. 23

Resp. III. Si Domini servum *languidum*, aut parentes prolem septem annis majorem *languidam* culpabiliter exponunt, privantur patria, et dominica potestate, ita ut proles fiat sui Juris, et servus acquirat plenam libertatem. Omnes claris Juribus, *cit. c. un. h. t. l. Sancimus.* 3. et *l. fin C. eodem.* 24

Infertur: parentes duplici via ad propositum privari *patria* potestate, videlicet *primo*, si infantem sive sanum, sive languidum, et *secundo* si prolem septennio majorem, languidam tamen exponunt: Non item si prolem sanam septennio majorem exponunt, ut post Abbatem *h. t. nu.* 2. bene advertit Pirhing. *h. t. n.* 3.

Quaeritur VI. An? et qualiter teneatur Dominus de necessaria cura, et alimentis providere famulo aegrotanti? Resp. I. Dominum non teneri 25

ad magnas, sed tnnoes dootaxat expensas pro cura aegroti famuli, ratinne famulatus. Ita cum communi Bartolus in *l. si cum dotem*, §. *sui autem*, *ff. Soluto Matrim.* et in *l. in rebus comm.* Sylvester ✠. *Familia.* n §. et alii. Ratio est: quia enim ratione famulatus praestet ei competens salariom, eti supponitur, intentu ejusdem ad magnas expensas adstringendus non videtur. Quamvis valde laudabile sit, si Dominus bene habens pro cura famuli expensas subministret.

26 Dicitur notanter *ratione famulatus*: quia ut *proximo*, etiam per majores expensas succurrere debet, si habet, et famulus pauper est. Sylvester *loc. cit.* ubi addit, posse aegrotum famulum contra Dominum, item etiam contra quemvis alium divitem implorare officium Judicis saltem Ecclesiastici, ut sibi aegroto, et pauperi subveniatur, *arg. can. Sicut.* 8. *dist.* 47. et ibi Glossa ✠ *Esurientium*, id probans ex *c. Ad Apostolicam, de Simon.* Ratio patet; quia quivis tenetur pauperi in extrema, et gravi necessitate constituto subvenire de superfluis naturae, vel status, prout amplius Theologi.

27 Num autem, et qualiter teneatur Dominus famulo aegrotanti pro tempore infirmitatis salarium, seu mercedem dare, habens *Lib. III. Tit. XVIII. de Locato, et conducto*, §. *IV. num.* 99.

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, et Casuali.

1. *Ratio Ordinis.*

1 Quamvis alias prius de genere, quam de specie tractari soleat: tamen hic agitur de *homicidio* in genere, postquam propter criminis atrocitatem in praecedentibus Titulis jam actum fuit de quibusdam *homicidiis* in specie, *Parricidii* videlicet, et *Expositione infantium.*

§. I.

De natura, et Divisione Homicidii.

SUMMARIUM.

2 *Homicidium, et pauperies, quid?*
3 *Homicidium aliud est voluntarium, et quidem directe, vel indirecte.*
4 *Aliud Casuale.*
5 *Aliud justum et licitum (quod etiam necessarium dicitur) aliud illicitum, seu injustum, et dolosum.*
6 *Illicitum varie subdividitur.*
7 *Aliud namque est simplex.*
8 *Aliud qualificatum.*
9 *Idque aliud Proditorium, aliud Assassinum.*
10 *Aliud Sacrilegum.*
11 *Aliud Parricidium.*
12 *Aliud Veneficum.*
13 *Aliud ex insidiis.*
14 *Omne homicidium deliberatum, et praemeditatum est etiam homicidium qualificatum*
15 *Homicidium* Casuale *aliud est culpabile seu culposum, aliud mere* Casuale, *et inculposum*

2 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *homicidium*? Resp. I. *Homicidium* (sic dictum quasi caedes hominis, *l. Ita vulneratus*, 51. *ff. a Lege Aquil. can. si homicidium* 41. *caus.* 23 *q.* 5.) *est violenta exanimatio, seu occisio hominis ab homine facta.* Ita in re communis, *arg. cit. can. Si homicidium.* Dicitur autem notanter *ab homine*: quia si homo a fera vel bruto necatur, proprie *homicidium* non dicitur, sed *pauperies*, per Rubr. et Text. *Instit.* et *ff. Si quadrupes pauperiem etc.* Caeterum non refert, cujus aetatis, sexus, aut conditionis sit, qui occiditur; cujusvis enim occisio ab homine facta, verum est *homicidium*. *L.* 1. §. 2. *ff.* et *l. Si quis* 8. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* ita ut etiam partus animati in utero adhuc existentis occisio, *homicidium* dicatur, *l. Necare.* 4. *ff. de Agnosc. lib.* et poenis Homicidii subjaceat, *cit. l. Si quis* 8 *C. Ad Leg. Cornel. de Sicar.* ut dictum est supra.

Resp. II. *Homicidium* prima, et principali sua divisione communiter, praesertim a Canonistis dividitur in *Voluntarium*, et *Casuale*, uti patet ex Rubrica praesentis Tituli. *Voluntarium* aliud est *directe*, aut *indirecte* tale. *Homicidium directe Voluntarium* est, quod vere per se, ac directe intenditur, ut si quis animo et intentione occidendi hominem gladio transfigit, aut sclopeto trajicit illum. *Indirecte, seu in causa* voluntarium est, dum quis mortem alterius non intendit quidem, voluntarie tamen ponit talem causam, vel facit aliquid, ex quo mortem moraliter recte secuturam providet ut si quis graviter percutiat, aut pedibus calcet praegnantem foeminam et inde sequatur *abortus*; vel si in locum hominibus valde frequentatum exploditur sclopetum, et inde homo occiditur. Valeosis *h. t. n.* 2. cum communi. 3

Homicidium Casuale est, quod nec directe nec indirecte intenditur, sed praeter omnem intentionem casu et fortuito accidit. Nam *casus* est causa agens praeter intentionem secundum Aristotelem 2. *Physic.* ut si quis putans, sclopetum non esse oneratum, explodit ipsum, et explodendo praeter omnem intentionem aliud occidit. 4

Homicidium voluntarium subdividitur in *licitum seu justum*, et *illicitum* seu *injustum*. *Homicidium licitum* seu *justum* (quod etiam *homicidium necessarium* a Legistis communiter vocari solet) illud est, quod vel pro necessaria sui defensione servato moderamine inculpatae tutelae, vel ex voluntate, aut praecepto superioris jus gladii habentis, vel jubente lege, consequenter etiam necessario, et vel inde juste ac licite fit. *Homicidium* econtra *illicitum*, seu *injustum* (quod etiam *homicidium in specie*, et *homicidium dolosum* nuncupatur) est, quod contra divinam, vel naturalem, vel humanam aliquam Legem prohibentem animo et intentione occidendi malitiose fit. 5

Homicidium hoc *illicitum* et *dolosum* varias adhuc sub se species habet. Nam aliud est *simplex*, aliud *qualificatum*; et hoc aliud deliberatum, seu praemeditatum. Aliud ex *insidiis*; aliud *proditorium*: aliud *Assassinum*: aliud *Sacrilegium*: aliud *Parricidium*: aliud *Veneficum*. 6

Homicidium simplex est, quod contingit absque speciali aliqua mala qualitate et circumstantia, in rixa temere exorta, vel ex subito irae impetu cum advertentia tamen rationis. 7

Qualificatum est, quod circa modum occidendi locum, vel personam, specialem aliquam malam circumstantiam, vel qualitatem annexam habet: talia *homicidia* sunt 8

Homicidium proditorium, et *Homicidium Assassinum*, de quorum natura, et effectu fuse diximus supra *lib. III. Tit. XLIX de Immunitat. Ecclesiast.* § ✠ 9

Homicidium Sacrilegum est, cum quis personam Sacram, puta Sacerdotem, Religiosum, vel profanum in loco sacro occidit. 10

Homicidium Parricidium, si quis videlicet parentes, liberos, aut Sanguine junctos occidit, juxta dicta supra. *Tit. X. n.* 2. 11

12 *Homicidium Veneficum*, seu *Veneficium* est, si quis venenum causa occidendi dat, vel propinat, eoque occidit.

13 *Homicidium ex insidiis*, dum quis scilicet inimicum suum occulte in certo loco exspectat, et nil exspectantem, nil praevidentem subito ex improviso occidit.

14 Tandem tale seu qualificatum homicidium est, et dici potest omne homicidium *deliberatum* seu *praemeditatum*, quod videlicet sedato jam iracundiae calore, plena animi deliberatione praevia, seu vere praemeditate fit. De quibus omnibus amplius Criminalistae. Hic sufficiat naturam illorum breviter adduxisse, quia pro diversitate illorum, diversae sunt, atque exasperantur, et temperantur poenae, prout partim ex dictis jam constat, partim ex dicendis patebit.

15 Homicidium *Casuale* pariter subdivitur in *Culpabile*, seu *culposum*, et mere *casuale*, seu *inculposum*. Illud est, quod quidem praeter omnem voluntatem, aliqua tamen interveniente culpa fit: ut si quis dat operam rei illicitae, ex qua mors alterius sequitur; etsi ad eam evitandam, operans, omnem adhibuerit diligentiam: vel si quis det operam rei licitae tali cum negligentia, aut imperitia, ut mors exinde alterius proveniat. Vide Carps. *prax. Crim. q.* 27. *num* 8. Mere *Casuale*, seu *inculposum* (quod propriissime *Casuale* est) dicitur, quod prorsus inopinato et fortuito, penitus nulla culpa et nullo dolo interveniente contingit.

§. II.

De Homicidio Voluntario illicito, seu injusto, et poenis illius: ubi de injusta Vulneratione, et Mutilatione poenisque illius.

SUMMARIUM.

16 *Homicidii Voluntarii injusti poena est mors, tam de lege divina,*
17 *Quam Civili humana:*
18 *Et quidem gladio inferenda: si Homicidium est simplex: si autem est qualificatum, exasperatur ultimum supplicium.*
19 *De Jure Canonico homicida laicus excommunicatur.*
20 *Fit irregularis, et inhabilis ad Officia, et Beneficia Ecclesiastica.*
21 *Clerici homicidae injusti poenae sunt sequentes: Et quidem I. Est depositio ab Ordine, et Officio, ac in carceres, vel ad Triremes condemnatio.*
22 *II. Est irregularitas.*
23 *III. Est perpetua inhabilitas ad cuncta Beneficia, et Officia Ecclesiastica.*
24 *IV. Potest etiam, et debet homicida clericus privari Beneficiis prius rite obtentis.*
25 *Imo, si Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum exercitium Ordinis requirit, tenetur in scientia illud ultro dimittere.*
26 *V. Si iterat homicidium, non item ob unum simplex Homicidium degradari, et Curiae saeculari tradi debet.*
27 *Hactenus recensitas Juris poenas etiam incurrit, qui mandat injustum homicidium.*
28 *Etsi illud ante homicidium commissum revocet, casu, quod Mandatario revocatio in tempore non innotescit.*
29 *Incurrit quoque irregularitatem, si ipse mandatarius occidatur.*
30 *Vel si solam verberationem mandat, mandatarius fines mandati excedens, mutilet, aut occidat.*
31 *A poenis tamen homicidii immunis erit, si mors non sequatur, nisi homicidium Assassino modo mandaretur.*
32 *Easdem homicidii poenas insuper incurrit Consulens homicidium.*
33 *Etsi consilium in tempore revocet.*
34 *Nisi pro viribus illud refutare studeat.*
Consulens mutilationem ei, qui volebat occidere, non est irregularis. Ibid.
35 *Easdem poenas contrahit efficaciter Cooperans ad homicidium.*
36 *Si plures animo occidendi aliquem impugnant, omnes rei sunt poenarum homicidii, si ignoratur, quis illorum occiderit.*
37 *Si vero constat, cujus ictu mors fuerit secuta, ille solus ordinariam, reliqui vero extraordinariam poenam incurrunt de Jure Civili.*
38 *De Jure Canonico tamen in tali casu sunt omnes irregulares.*
39 *Quid Juris Civilis, si in rixa subito exorta quis occidatur?*
40 *Ac de Jure Canonico?*
41 *Ac in Foro conscientiae?*
42 *Etiam qui, dum potest, non impedit homicidium, est irregularis, si impedire ex justitia tenetur. Et duobus seqq. num.*
45 *Secus est, si ex sola charitate tenetur.*
46 *Solvitur objectio. Et num. seq.*
48 *Praecise approbans, seu ratum habens homicidium ab alio commissum non est irregularis.*
49 *Solvitur objectio.*
50 *Lethaliter vulnerans incurrit poenas ordinarias homicidii*
51 *Secus est de non lethaliter vulnerante.*
52 *Medicorum judicio statur, num vulnus sit lethale.*
53 *In dubio ultimum judicium non incurrit vulnerans.*
54 *Bene vero irregularitatem.*
55 *Mutilatio proprie dicta quid?*
56 *Inducit irregularitatem.*
57 *Etiam respectu consulentium, mandantium etc. uti in Homicidio.*
58 *Requiritur tamen, ut membrum penitus sit separatum a corpore.*
59. *Quid Juris, et quas poenas incurrat, qui se ipsum mutilat etiam in membro minus principali?*
60 *Homicidii* qualificati *poenae quae praeter ordinarias?*
61 *Homicidii* Proditorii *poena specialis.*
62 Assassini *poena specialis gravissima.*
63 *Poenae* Parricidii.
64 *Poenae homicidii* Sacrilegi.

Quaeritur I. Quae sint poenae *Homicidii Voluntarii injusti*? Resp. I. Quodvis *Voluntarium Homicidium injustum* lege Divina, et humana Civili poenam mortis secum trahit. Communis ac certa, et quidem de lege divina constat tam ex antiquo, quam novo Testamento: Nam *Genes. cap.* 9. ℣. 6. dicitur: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, effundetur sanguis illius*: et *Levit cap.* 24. ℣. 17. *qui percusserit, et occiderit hominem, morte moriatur.* Dein *Matth. cap.* 26. ℣. 52. *Omnes, qui gladium acceperint, eoque percusserint, gladio peribunt*: et *Apocalyps* c. 13. ℣ 10. *qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* 16

De Lege Civili patet ex §. *Item Lex Cornelia* 5. *Instit. de Public.* juncta *l. un.* ℣. *Et merito*, *C. de Raptu Virg* et *l. quoniam* 6. *C. de vi publica.* Et quamvis olim ab hac poena immunes fuerint homicidae Nobiles, quibus loco poenae *Capitalis*, poena *deportationis*, seu *proscriptionis* imponebatur, *L. ejusdem.* 3. §. 5. *ff. Ad Legem Cornel. de Sicar.* 17

videtur tamen haec Lex correcta, et poena *capitalis* cuivis homicidae indistincte imposita, *cit. l. quoniam* 6. *C. de vi publica.* ibi: *Placuit, si quis forte interemptus sit, in eum supplicium exerceri, qui vim facere tentaverit etc. et non jam relegatione, aut deportatione Insulae plectatur, sed supplicium Capitale excipiat.* Accedit Constitutio Criminalis *Caroli V. art.* 37. *et* 137. ubi omnes homicidae indistincte subjiciuntur *ultimo supplicio.* Clarus vers. *homicidium. num.* 18. allegans opinionem communem, et praxin receptam. Blumlacher ad *tit. Art.* 137. *nu.* 9.

18 Et quidem haec poena *ultimi supplicii* inferri solet gladio, si homicidium est *simplex* in rixa factum, *cit.* §. *item. Lex Cornelia* 5. *Instit. de public. judiciis* ibi: *Lex Cornelia de Sicariis, quae homicidas ultore ferro prosequitur.* Si vero homicidium est *qualificatum* aliquod ex enumeratis a nu 6. solet exasperari, ita ut gladius in rotam, furcam, vel rogum commutetur, vel adustione per ferrum candens, forcipibus, truncatione membrorum etc. augeatur, juxta *Constitutionem Carolinam.* Carpz. *Pra. Criminal. q.* 24. *n.* 16.

19 Resp. II. De Jure Canonico poena laici homicidae est excommunicatio non quidem ipso facto incurrenda, sed per Judicis sententiam infligenda; nisi poenitentiae satisfactione crimen commissum diluerit, *can. itaque* 20. *cau.* 24. *q.* 3. ibi: *Censuimus homicidas a communione Ecclesiastica submovendos, nisi poenitentiae satisfactione crimina admissa diluerint:* quam Juris dispositionem de solis laicis homicidis intelligi debere, desumitur ex *can. Presbyter.* 12. *distinct.* 81.

20 Deinde habet communem jam Clericus duplicem poenam *irregularitatis* videlicet, et *inhabilitatis* ad Officium, Beneficium Ecclesiasticum, de qua statim infra.

21 Resp. III. Poenae Clerici injusti homicidae voluntarii sunt sequentes. I. Est ab ordine et Officio deponendus, *can. si Episcopus* 7. *dist.* 50. et *can. Presbyter.* 21. *dist.* 81. *c. Inquisitio.* 21. *pr. de Accusat. c. sicut.* 6. §. *fin. h. t. c. Tunc.* 6. *de Poenis.* juncto Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.* Et in arctum Monasterium detrudendus, *cit. can. si Episcopus, etc.* Tametsi ejus tamen in Monasterium detrusioni poenae loco hodie successit, et in usu est poena perpetui carceris, aut condemnatio ad Triremes. Farinacius *Prax. criminal. q.* 119. *num.* 149. et 155.

22 II. Ipso facto incurrit *irregularitatem* (quam etiam laicus homicida contrahit) adeo, ut quantumvis occultum sit *homicidium*, ordines etiam post peractam poenitentiam suscipere, vel susceptos exercere sine dispensatione Pontificia non valeat, *can. Miror.* 4. *can. Clericum.* 5. *dist.* 50. *c. Sicut.* 6. *c. de caetero.* 7. *h. t. Clement. un. eodem* juncto *Concilio Tridentin. Sess.* 14. *cap.* 7. *et Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* De qua poena amplius infra.

23 III. Est perpetuo inhabilis ad omnia Beneficia et Officia Ecclesiastica. *Concilium Trident. cit. Sess.* 14. *de Reformat. cap* 7. ibi: *qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animorum, conferri liceat; sed omni ordine, ac Beneficio, et Officio Ecclesiastico perpetuo careat.*

24 IV. Privari etiamsi potest, et debet Beneficiis prius rite obtentis, illis tamen ipso Jure et facto privatus non est. Clarus vers. *Homicidium* 21. Garcias *p.* 11. *de Benefic. cap.* 10. *n.* 39. Farinacius *Prax. Crimin. q.* 119. *n.* 153. Pirhing *h. t. n.* 20. cum communi aliorum. Idque patet tum ex Juribus a *nu.* 21. allegatis: Tum ex *c. Clerici.* 5. *Ne Clerici, vel Monach.* et *c. Ex litteris* 10. *de Excess. Praelat.* Ratio posterioris est, quia cum in poenis benignior interpretatio sit facienda, *c. Odia* et *c. in poenis. de Reg. Jur. in* 6. privationem ipso facto ob crimen commissum asserere non debemus, nisi id in Jure exprimatur. Farinacius *cit. q.* 119. *nu.* 64. et post ipsum Pirhing *loc. cit.*

Ex quo infertur, Clericum homicidam occultum Beneficio ante prius rite obtento valide, et licite frui posse, nisi hujusmodi Beneficium praeter recitationem Horarum Canonicarum requirat personalem exercitium Ordinis Sacri, tunc enim, cum praeter *irregularitatem* (quam juxta dicta etiam occultus *homicida* ipso facto incurrit) ordinem aliquem exercere nequeat, debet vel illico pro dispensatione super irregularitate Romae laborare; vel si eam obtinere nolit, aut non possit, beneficium urgente conscientiae obligatione ultro dimittere. Covarruvias *in Clement. si furiosus p.* 2. §. 3. *n.* 7. Abbas *in c. Nisi jam pridem.* 10. *de Renunt. n.* 2. eo quod non possit satisfacere muneri et obligationi talis beneficii. 25

V. Si Clericus *Homicidium* iteret, gravius adhuc plectitur, et si incorrigibilis est, etiam anathematizandus, degradandus, et Curiae saeculari tradendus est. Ita expresse statuitur *c. Cum non ab homine* 10. *de Judiciis*, et ibi Doctores communiter. Caeterum ex hoc infertur, quod Clericus ob unum *simplex* Homicidium Curiae saeculari tradi non possit. 26

Quaeritur II. Num hactenus enarratas Juris poenas, praesertim vero *irregularitatem* incurrant, qui mandant, vel consulunt homicidium *injustum*? Resp. I. Qui mandat homicidium *injustum*, homicidii et omnium poenarum illius reus est. Communis ac certa *l. Nil interest* 15. *ff. Ad legem Cornel. de Sicar.* ibi: *Mandator caedis pro homicida habetur*, *can. Si quis viduam*, 8. *dist.* 50. cum Concordantiis. Ratio est; quia mandans est vere causa moralis *homicidii*, consequenter poenarum ipsius reus. Nam *qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*, *c. qui facit.* 72. *de Reg. Jur.* in 6. Et nihil interest, *occidat quis, an causam mortis praebeat*, *cit. l. Nihil. interest* 15. *ff. Ad legem Cornel. de Sicar.* 27

Ampliatur doctrina etiam ad casum, quo Mandans revocat mandatum, si istud ante mortem demandatam non innotescit Mandatario; quia hic quamdiu mandatum ignorat, agit nomine Mandatarii. Secus foret, et poenas Juris evaderet, si revocationem ante occisionem Mandatario sufficienter insinuaret; quia, cum in tali casu ex voluntate mandantis non amplius operetur, proprio, non mandantis nomine occidere censetur. Navarrus *Manual. cap.* 27. *numero* 237. Diana *part.* 2. *tract. Miscel. Resolut.* 17. Pirhing *h. t. numer.* 23. 28

Ampliatur ulterius, et *irregularitatem* incurrit mandans *homicidium*, si occasione hujus ipse occidatur Mandatarius. Sylvester *homicidium* 1. *q.* 7. *dicto.* 7. Avila *p.* 7. *dist.* 6. *sect.* 2. *dub.* 1. *conclus.* 4. Pirhing *h. t. nu.* 22. Ratio est; quia sicut qui se ipsum injuste et temerarie exponit propinquo mortis periculo, censetur sui *homicida*, ita etiam qui mandat et consulit, ut alter taliter se exponat, censetur esse causa homicidii. Nec refert, quod praeter intentionem, et directam illius voluntatem mors sequatur; quin cogitare poterat, et debebat, illam accidere posse, *arg. can. fin. h. t. in* 6. 29

30 Ex qua ratione etiam is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, *irregularis* efficitur, si *Mandatarius* fines mandati excedens mutilet, vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse, debuerit cogitare.

31 Limitatur autem conclusio, casu, quo *homicidium* non sequatur. Avila *loc. cit. dub. 3. princ.* Pirhing *h. t. numer.* n3. Covarruvias, Suarez, Barbosa, et alii. Ratio est; quia regulariter loquendo, *irregularitas*, vel alia juris poena propter *homicidium* non incurritur, nisi acto sequatur, vel nisi aliud in jure sit expressum, *arg. l. saepe.* 53. *ad finem. ff. de V. S.* cum concordantiis, nisi homicidium modo *assassino* mandaretur; tunc enim etiam non secuta morte gravissimas juris poenas incurreret tam mandans, quam mandatarius *assassinus*, texto expresso *c. 1. h. t. in* 6. ibi: *quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur.* Totum textum vide infra num. 62.

32 Resp. II. Sicut mandans, ita etiam Consulens homicidium, *irregularitatem*, aliasque homicidii poenas incurrit, si efficaciter influit, id est, si vi hujus consilii alter homicidium *injustum* committit, illud alias non commissurus. Communis, et certa, *arg. c. Perniciose* 23. *dist. 1. de Poenit. can. Si quis viduam* 8. *dist.* 50. ibi: *Praecepto, et consilio, c. sicut.* 6. §. *qui vero, et fin. h. t.* ibi: *Qui consilium dederunt,* juncta *l. 1. princ. et l.* 3. §. 4. *ff. Ad Legem Cornel. de Sicariis.* Ratio est; quia *homicidium* efficaciter suadens, etiam vera illius causa moralis est per Jura citata, et c. 2. *de Clerico pugnante in duello*, ubi habetur: *Homicidium tam facto, quam praecepto, sive consilio, aut defensione perpetrari, non est dubium.*

33 Ampliatur Conclusio et tam ad casum, quo *Consulens* ante homicidium consilium suum revocet. Suarez *distinct.* 44. *sect.* 3. *numer.* 10. Farinacius *quaest.* 129. *a num.* 13. late Pirhing *h. t.* 32. Ratio est; quia etiam in tali casu *Consulens* adhuc censetur esse moralis causa homicidii, si, uti supponitur, vi et rationibus praecedentis consilii persuasus quis nihilominus occidit, uti facile contingere potest, ubi rationes *Consulentis* ita movent, ut revocatio consilii non amplius attendatur. Secus est in *Mandante*; cum enim in tali casu sola voluntas *Mandantis* censeatur esse moralis causa *homicidii*, tota causa videtur sublata, si *Mandans* voluntatem suam in tempore adhuc, et serio revocet.

34 Putant tamen nonnulli, *Consulentem* evadere poenas, si pro possibili contrariis rationibus prius datum consilium refutare conetur, et ei nil se proficere advertit, occidendum moneat, ut sibi caveat etc. Pirhing *h. t. num.* 32. qui etiam post Avilam *p. 7. de Censur. disp.* 6. *sect.* 2. *dub.* 3. *Conclus.* 1. addit, immunem esse ab *irregularitate*, si quis consulit minus malum, v. g. percussionem duntaxat, aut mutilationem ei, qui alias se resolverat occidere.

35 Quaeritur III. Num iisdem poenis subjaceant etiam *Cooperantes* ad homicidium? Resp. I. Qui efficaciter ac propinque cooperatur ad *homicidium*, ita, ut absque hujus cooperatione *homicidium* non fuisset secutum, poenas ordinarias *homicidii* ab utroque Jure statutas incurrit. Clerus §. *fi. quaest.* 90. *numer.* 1. Mascardus *de Probat. conclus.* 159. Farinacius *Prax. Criminal. p.* 3. *quaest.* 131. Barbosa *in c. sicut.* 6. *h. t. numer.* 14. cum communi, *arg l. un. C. de Rapt. Virg. l. Si pignore.* §. *qui ferramenta. ff. de Furtis. l. Nihil.* 15. *ff. ad Legem Cornel. de Sicar. sciente. ff. ad Legem Pompei. de Parricid. c. fin. de Poenis. in* 6. Ratio est; quia universaliter auxilium efficax praestans ad delictum, punitur eadem poena, qua Delinquens, *per vulgata*.

Resp. II. Si plures communicato Consilio aut proposito ad occidendum exurgunt contra aliquem, isque ab uno duntaxat occidatur, ita tamen ut ignoretur, quis illorum occiderit, seu cujus ictu, percussione, aut vulnere occubuerit, omnes pro *Homicidis* habentur, et poena ordinaria *Homicidii* puniuntur, textu expresso, *l. Item Mela* 11. §. 2. *ff. ad Legem Aquil.* ibi: *quod si appareat* (quis in specie occiderit) *omnes quasi occiderint, teneri, Julianus dit:* suntque omnes irregulares, c. Significasti 18. §. *quod si. h. t.* juncto *can. fin. can.* 23. *q.* 8. Ratio est; quia etsi in tali casu unus tantum occiderit, tamen reliqui causam mortis praebuere, dum praesentia, et assistentia alter alterum, et praesertim *Homicidam* audaciorem, occisum vero timidorem reddiderunt; consequenter *homicidii* rei sunt, *l. Nihil.* 15. *ff. ad Legem Cornel. de Sicar.* ibi: *Nihil interest, occidat quis, an ansam mortis praebeat.* 36

Resp. III. Si praefato modo plures consurgant, sed unus tantum vulneravit, aut percusserit, vel plures quidem, sed unus duntaxat lethaliter alii non lethaliter, idque constet, de Jure Civili solus ille punitur poena ordinaria *homicidii*, reliqui vero poena extraordinariam incurrunt: textu claro *cit. l. si Mela* 11. §. 2. *ff. ad Legem Aquil.* 37

De Jure Canonico tamen omnes sunt *irregulares*, et si constet, unum duntaxat lethaliter, reliquos vero non lethaliter, imo nullatenus percussisse, dummodo animo occidendi impugnaverint, vel adfuerint; textu satis claro *can. fin. can.* 23. *q.* 8. ubi etiam illi, qui non vulnerabant, occidere tamen volebant, pariter poenitere, seu parem poenam sustinere coguntur, et illi soli a poena Canonica immunes declarantur, *qui nec vulnerabant, nec impugnabant, nec Consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt.* Ratio est, quae in priori Conclusione. 38

Resp. IV. Si in rixa subito exorta sine praevio deliberato animo occidendi, pluribus insurgentibus unus occiditur, et nescitur, a quo fuerit occisus, de Jure Civili omnes quidem extraordinarie, nullus tamen poena ordinaria, seu *ultimo supplicio* punitur. Menochius *de Arbitr. Judic lib.* 2. *casu* 362. *n.* 19. *arg. l.* 1. §. 3. *ff. ad Legem Cornel. de Sicar.* item *l fin. ff. cod.* 39

De Jure Canonico autem etiam in tali casu pro Foro externo omnes sunt *irregulares*. Barbosa *in c. Significasti.* 18. §. *quod si h. t. no.* 9. Glossa *in can. fin. cau.* 23. *q.* 8. vers. *quicunque.* cum Communi, *arg. cit. c. Significasti* 18. §. *quod si h. t.* Si vero constat, quis illorum occiderit, vel lethaliter percusserit, ille solus, caeteri autem minime sunt *irregulares*, *cit. c. significasti*, 18. §. *Nos in promisso h. t.* 40

Pro foro interno standum est conscientiae cujuscunque subito rixantis, ita, ut is, qui certo scit, se nec vulneresse, vel vulnerasse quidem, sed leviter tantum nec animo occidendi adfuisse pro *irregulari* se habere non teneatur. Barbosa *loc. cit. num.* 10. Avila *de Censur. p.* 7. *Disput.* 6. *sect.* 4. *dub.* 3. vers. *sed quid, quando plures.* 41

Quaeritur IV. An? et quando *Irregularitatem* contrahant illi, qui, dum possent, *homicidium* non impediunt? Resp. I. Quicunque ex justitia tenetur impedire *homicidium*, et non impedit, dum absque gravi suo damno potest, *irregularitatem* incurrit. Navarrus Man. *cap.* 24. *n.* 22. *et cap.* 27. *n.* 252. Sylvester vers. *homicidium* 3. *q.* 5. Barbosa *in c. sicut.* 6. *h. t. n.* 18. et 19. Pirhing. *h. t. n.* 45. cum communi, *arg. c. sicut.* 6. §. *Illi etiam h. t.* Ratio est; quia talis moraliter censetur occidere, peccatque contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. 42

43 Nec refert, quod *irregularitas*, quae in Jure non habetur expressa, qualis videtur praesens, non contrahatur: Nam contra est, quod etsi non exprimatur in Jure, dum ibidem universaliter statuitur, illos omnes, qui moraliter occidunt, *irregulares* esse per Jura supra citata, et *c. 2. de Clerico pugnante in duello.*

44 Inferior, Officiales, et Ministros, aliosque ex Officio constitutos, consequenter ex justitia obligatos ad defendendam vitam proximi, uti sunt etiam milites, servi respectu domini etc. incurrere *irregularitatem*, si dum possent, *homicidium* impedire omittunt.

45 Resp. II. Qui ex charitate duntaxat, non vero ex Officio, aut justitia tenetur impedire Homicidium injustum proximi, prout tenetur quivis respectu proximi sui, et si graviter peccet, tamen *irregularitatem* non contrahit, si, dum facile potest, *homicidium* alterius non impedit, Navar. *Man. c.* 24. *n.* 21. Barb. *in c. sicut.* 6. *h. t.* Pirhing *h. t. n.* 41. et alii communiter. Ratio est; quia talis nec physice, nec moraliter cooperatur ad *homicidium*; cum istud proprie dictum sit delictum contra justitiam, contra quam quia non peccat positus in conclusione, ad verum *homicidium* nullo modo cooperari videtur.

46 Nec obstat, quod Canones universaliter dicant, *qui potuit hominem liberare a morte, et non liberavit, eum occidit, c. sicut.* 6. *h. t.* cum Concordantiis, ac in specie, qui fame morienti non praebet panem, eum occidit, *c. Pasce* 21. *dist.* 86. Resp. enim Canones vel loqui de illis, qui ex Officio et justitia tenentur proximum liberare ab *homicidio*, vel non solum loquuntur de simpliciter non impedientibus, sed de auxilientibus opere, vel consilio, prout loqui videtur *cit. c. sicut.* 6. *h. t.* uti patet ex illis verbis, *ut percussoribus opem ferret*, et concordat *can. Facientis.* 3. *dist.* 86. vel tandem loquuntur de *homicidio* late, ac improprie tali.

47 Pariter non obstat c. *quantae* 47 *de Sentent. excommunic.* ubi etiam excommunicationi subjacet ille, qui, cum potuisset, percussionem Clerici non impedivit: ergo multo magis *Irregularitatis* utpote poena minoris reus erit. Nam contra est; quod in poenalibus, praesertim vero in Irregularitatibus non valeat argumentum a casu expresso ad non expressum, *per vulgarin*; neque argumentum a majori ad minus, vel econtra, Pirhing *h. t. n.* 41.

48 Quaeritur V. An? et quando approbantes, seu ratum habentes *injustum homicidium*, incurrant *Irregularitatem*? Resp. qui *homicidium* ab alio factum, postea praecise approbat, seu ratum habet nullo ad id prius praestito Consilio, vel auxilio, non incurrit *Irregularitatem*, etsi Nomine ipsius, ipso tamen inscio perpetratum sit. Covarruvias *in Clem. Furiosus. p.* 2. §. 1. *n.* 4. Avila de *Censur. p.* 7. *disp.* 6. sec. 2. *dub.* 6. Layman *lib.* 3. *tr.* 5. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 28. cum Glossa *in can. si quis viduam.* 5. vers. *Aut consilio*, dist. 50. communiter recepta, contra Navarram *Man. cap.* 27. *n.* 233. Felinum *in c. sicut.* 6. *h. t. n.* 14. et paucos alios. Ratio est; Tum quia *Irregularitas* non contrahitur nisi in casibus a Jure expressis, c. *is qui*, 18. *de sentent. excommun. in* 6. Tum quia *homicidium* jam factum praecise approbans, nullo modo est causa illius, nec aliqua ratione in illud efficaciter influit, ut considerandum patet; ergo. Et ob has rationes ab *Irregularitate* immunis etiam censetur ille, qui *homicidam* post crimen jam perpetratum recipit, occultat, defendit, remuneratur. Zoesius ad hanc Rubricam *num.* 22. Pirhing *eod. n.* 29. et alii.

49 Nec in contrarium militat, quod objiciunt Adversarii ex *c.* 10. *de Reg. Jur. in* 6. *Ratihabitionem retrahi, et mandato non est dubium comparari*; etiam in delictis *l.* 1. §. 14. *ff. de vi armata*, et *c. sicut* 33. *de Simonia*, ibi: *Nisi postea consenseris*; ac *c. Eum quis* 23. *de Sentent. Excomm. in* 6. ubi ille, qui percussionem Clerici suo Nomine, eo ipso inscio factam, postea approbet, et ratam habet, *Excommunicationis* reus declaratur ob allegatam Regulam *c.* 10. *de Reg. Jur. in* 6. R. enim, *Ratihabitionem* quidem mandato comparari quoad culpam, non vero semper quoad poenam, praesertim illam, quae specialem expressionem in Jure requirit, qualis est *irregularitas cit. c. Is qui, de sentent. excommu. in* 6. Ad reliqua allegata Jura respondetur: eorum dispositionem utpote poenalem, et odiosam, non esse extendendam ad casum non expressum, *c. Odia* 15. et *c. in poenis* 49. *de Reg. Jur. in* 6. praesertim ubi specialis Juris expressio requiritur, prout juxta dicta *n. praec.* contingit in Irregularitate.

50 Quaeritur VI. An etiam, et quando vulnerans, poenas ordinarias *homicidii* incurrat? Resp. I. Quandocunque constat, vulnus esse lethale, injuste vulnerans poenas ordinarias *homicidii* incurrit tam a Jure Civili, quam Canonico impositas, sive brevi, sive longo ex intervallo temporis mors subsequatur, nullaque habita ratione malae curae, vel aliarum circumstantiarum, quibus minus debite tractetur vulneratus, Gailus *lib.* 2. *observat.* 111. *nu.* 7. *et seqq.* Socinus *Consil.* 178. *vol.* 2. *arg. c. Significasti* 18. *h. t. et l. ait lex*, 21 *ff. de Leg. Aquil.* Ratio est; quia talis vere est causa mortis, consequenter *homicidii*, et poenarum illius reus.

51 Resp. II. Si liquido constat, vulnus non fuisse lethale, sed vulneratum, vel imperitia, negligentia Medici, aut Chirurgi, aut propria culpa, et incuria, vel accidente extrinseco obiisse, ordinarias *homicidii* poenas vulnerans non incurrit, consequenter nec ultimi supplicii, nec Excommunicationis, nec irregularitatis etc. reus erit. Socinus *loc. cit.* Baldus in *l. qui occidit* 30. § 4. *ff. ad l. Aquil.* Ratio patet; quia in tali casu vulnerans proprie non est causa mortis.

52 Num autem vulnus fuerit lethale vel non, peritorum Medicorum, aut Chirurgorum judicio jurato statur, *cit. c. Significasti.* 18. ibi: *h. t. Ut peritorum Medicorum judicio talis percussio asseveretur non lethalis*, juncta *Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 147. et 149.

53 In dubio, num vulnus fuerit lethale Medicis et Chirurgis ad manum non existentibus, aut non interrogatis, vel ipsismet dubitantibus, volunt quidem aliqui, vulnerantem esse reum *homicidii*, ac poenarum ordinariarum illius, eo quod in delictis praesumptio sit contra delinquentem, *l. si ex plaga* 52. *ff. ad Leg. Aquil.* tamen probabilius etiam defendit Carpz. *pr. Crim. p.* 1. *q.* 26. *n.* 28. talem a poena ordinaria per leges Civiles statuta, ultimo videlicet supplicio esse immunem ex eo, quod dubiae probationes ad poenam mortis inferendam non sufficiant, sed requiruntur certae, ac luce meridiana clariores, *l. fin. C. de probationibus*

54 Verum de Jure Canonico talis videtur *irregularis*, *arg. c. significasti.* 18. § *quod si h. t.* ubi Sacerdos in dubio, an ictus illius fuerit lethalis pronunciatur *irregularis*, addita ratione illis verbis: *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, etsi forte homicida non sit, et a sacerdotali officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare: pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum remaneat.* Ex quibus verbis satis liquido constare videtur, in dubio hujusmodi vulnerantem esse *irregularem*.

55 Quaeritur VII. An? et qualem poenam inducat *Mutilatio*? Ante responsionem nota: per *Mutilationem* proprie dictam intelligi abscissionem alicujus membri, seu partis principalis, quae peculiarem

in corpore humano operationem seu functionem habet, cujusmodi sunt manus, pes, oculus, auris etc. prout jam dictum est *Lib. I. Tit. XX. n. 5.* ut proin abscissio digiti, cartilaginis, excussio dentis etc. *Mutilatio* proprie non sit, ut habent Doctores *ibid.* citati, *arg. l. is de 10. ff. de aedilit.* et *c. exposuisti.* hoc notato,

56 Resp. I. Injusta *Mutilatio* membri alieni ipso facto inducit *irregularitatem*, *arg. c. fin. h.t. n. 6.* Ratio est; quia quoad effectum inducendi *irregularitatem* mutilatio aequiparatur *homicidio*, prout bene observat, et pro certa Regula tradit Glossa communiter recepta *in Clem. un. h. t. v. Mutilet*, *arg. cit. Clem.* juncto *can. fin. dist. 55. c. in Archiepiscopatu 4. de Rapt. c. Clericis 5. ne Clerici, vel Monachi.*

57 Hinc eadem ratione communiter etiam tenent Doctores, quod in illis casibus, in quibus contrahit *irregularitatem*, qui *homicidium* injustum consulit, mandat, cooperatur ad illud, vel id non impedit, aut ratum habet, juxta dicta a *n. 27. usque ad n.* 50. in hisdem eandem *irregularitatem* contrahat etiam *Consulens*, *mandans* etc. Mutilationem.

58 Illud tamen observandum, quod, etsi quis membrum alienum injuste laedat, ita ut totaliter inutile ad suam peculiarem functionem a natura sibi commissam reddat, tamen *irregularis* non fiat, si membrum tale non realiter et penitus separetur a corpore, uti contingit v. g. si oculi alicujus injuste laedantur quidem, tamen non eruantur. Ratio est, quia in poenalibus stricte facienda est interpretatio, *c. in poenis*, et *c. Odia. de Reg. Jur. in 6.* praesertim in *irregularitate*, quae non incurritur, nisi in Jure exprimatur, *c. is qui. De Sentent. Excommunicat. in 6.*

59 Dicitur autem notanter in Conclusione, *membri alieni*; quia, qui se ipsum mutilat, aut *Mutilationem* absque justa causa procurat, *irregularitatem* incurrit, non tantum si principale, sed etiam minus principale membrum v. g. digitum, aut articulum illius, aut aliam corporis partem mutilat, prout amplius diximus, atque ex Jure et ratione probavimus, *Lib. II. Tit. XX de Corpore vitiatis a num. 25.* ubi vide.

60 Quaeritur VIII. An majores, et quas poenas inducant *omicidia qualificata* a num. 9. recensita? Resp. I. *homicidia qualificata* cuncta, in primis illud speciale habent, quod juxta dicta *num. 14. et 18.* ordinarii *homicidii* poenae exasperentur pro diversitate atrocitatis, et malae qualitatis admistae: Item, quod executio poenarum utroque Jure statutarum sit certior, remissio difficilior, ac dispensatio in poenis Ecclesiasticis difficillima, teste utriusque Fori curiarum praxi ac consuetudine, quae est optima Legum interpres, *l. 37. ff de Legibus.*

61 Resp. *Homicidium proditorium* praeter poenarum ordinariarum exasperationem etiam illud habet, quod privet Jure *Asyli*, prout fuse probavimus, et naturam illius declaravimus *Lib. III Tit. XLIX. a n. 114.*

62 Eodem Jure *Asyli* praeter ordinarias poenas *homicidii* privat etiam *homicidium assassinum* juxta dicta *a num. 130.* et insuper inducit excommunicationem ac depositionem ab Officio, et Beneficio ipso facto, nec non diffidationem perpetuam a toto populo Christiano cum aliis poenis expressis *c. 1. h. t. in 6.* ibi: *Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicunque Princeps, Praelatus, seu quaevis alia Ecclesiastica, saecularisve persona quempiam Christianorum per praedictas Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur) aut eos receptaverit, seu defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, seu depositionis a dignitate, honore, ordine, et officio incurrat sententias ipso facto: et illa libere, aliis per illos, ad quos collatio eorum pertinet, conferantur. Sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus tanquam Christianae Religionis aemulus, a toto Christiano populo perpetuo diffidatus. Et postquam probabilibus argumentis constiterit, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, vel diffidationis adversus eum sententia requiratur.*

Parricidium, quod speciale quid circa poenas praedictas habeat, constat ex dictis supra *Tit. X.* 63

Homicidium Sacrilegum ratione personae occisae, praeter recensitas poenas ordinarias exasperatas, etiam *excommunicationis* poenam ipso facto inducere, aliunde satis patet ex *can. Si quis suadente.* 29. *can. 17. q. 4.* Sacrilegium vero ratione loci sacri, in quo fit, privationem *Asyli* secum trahere, dictum est *Lib. III. Tit. XLIX. de Immunit. a num. 99.* 64

§. III.

De Homicidio Voluntario juste, et licite commisso auctoritate publica, vel in bello justo: et Irregularitate inde proveniente.

SUMMARIUM.

65 *Licitum est Jure divino, et humano malefactores auctoritate publica occidere.*

66 *Probatur ratione.*

67 *Debet tamen adesse justa causa Legibus comprobata; sine qua etiam Principes occidentes committunt homicidium.*

68 *Potest Princeps supremus malefactorem ita proscribere et bannisare, ut bannisatum liceat cuivis privato occidere, si debitae conditiones concurrant, tam ex parte Principis proscribentis.*

69 *Quam ex parte privati bannisatum occidere volentis. Et quae?*

70 *Raro licet privato occidere hujusmodi bannisatum.*

71 *In bello justo licitum est directe occidere nocentes hostes.*

72 *Non item innocentes, quales sunt pueri, mulieres, Clerici, Religiosi, homines simplices, et rusticani.*

73 *Iniquae sunt minae belli ducis minitantis, quod nisi fortalitium se tradat etc. nulli, nec infanti parcere velit.*

74 *Indirecte, ac praeter intentionem etiam innocentes in bello justo occidere licet: Et quando?*

Multitudo peccans non tota est occidenda: Ibid.

75 *Omnes, qui auctoritate publica malefactorem occidunt, vel propinque concurrunt, irregulares sunt ex defectu lenitatis.*

Recensentur omnes isti in compendio. ibid.

76 *Quicunque sive Clericus, sive Laicus criminaliter aliquem coram Judice laico accusat de crimine poenam sanguinis promerente est irregularis; etsi contra poenam sanguinis protestetur.*

77 *Secus est, si criminaliter accusat coram judice Ecclesiastico.*

78 *Vel coram Laico quidem, sed nonnisi Civiliter ad suum interesse, cum apposita protestatione contra poenam sanguinis: etsi haec nihilominus sequatur, et providcatur.*

79 *Pariter irregularis non est, qui pro suo interesse recuperando malefactorem, v. g. furem capit, et tradit, vel incidat Judici, cum opposita protestatione expressa.*

80 *Qui vero pro interesse prorsus extraneo id facit, irregularis esset.*

81 *Accusans Civiliter liber est ab irregularitate, etsi interne intendat poenam sanguinis.*

82 *Protestatio contra poenam sanguinis quomodo, et quando fieri debeat?*

83 *Sufficit, si fiat ante sententiam judicis condemnatoriam.*

84 *Qui coram Judice Ecclesiastico etiam Criminaliter sine protestatione accusat, non est irregularis.*
85 *Nec ille, qui accusat Criminaliter de crimine levi; etsi per accidens inde sequatur poena sanguinis.*
86 *Neque qui accusat, vel denunciat de crimine pendente in futurum.*
87 *Doctrina practica.*
88 *Laicus Criminaliter accusans ad poenam sanguinis, est irregularis ex defectu lenitatis: Clericus vero ex delicto.*
Clericus licite neminem potest accusare criminaliter coram laico, bene tamen coram Ecclesiastico Judice. Ibid.
89 *Judex condemnans ad poenam sanguinis est irregularis.*
90 *Si effectus sequatur; secus est, si poena sanguinis in effectu non infligitur.*
91 *Papa tamen ad poenam sanguinis damnans non est irregularis.*
92 *Nec inquisitores contra haereticam pravitatem.*
93 *Neque Judaei Judices, aut Saraceni.*
94 *Nec Judices Ecclesiastici malefactorem tradentes Curiae saeculari.*
95 *Principes Romani Imperii an? et quomodo possint esse Judices in causa Criminali, vel cum aliis committere?*
96 *Principes Ecclesiastici, et saeculares non incurrunt irregularitatem contra malefactores statuendo poenam sanguinis.*
97 *Doctrina practica.*
98 *Si effectus non sequitur, vel si poena sanguinis in mitiorem mutatur, irregularitas non incurritur.*
99 *Confessarii, et Consiliarii Assessores suadentes in causa Criminali quando immunes sint ab irregularitate, vel non? et num. seq.*
101 *Confessarii, et Theologi interrogati possunt dicere, quid de Malefactoribus statuant Jura, etiam de occidendo etc.*
102 *Imo hoc consulere, et ut Confessarii mandare possunt.*
103 *Advocati, et Testes in causa Criminali irregulares sunt.*
104 *Non obstante protestatione.*
105 *Excipiuntur tamen Advocati, et testes Laici ad id coacti.*
107 *Clerici testimonium ferentes in causa Criminali contra reum coram judice laico non tantum irregulares sunt, sed etiam peccant*
107 *Notarii quoque, Tabelliones, Scribae, qui scribunt, dictant, vel authenticam reddunt sententiam sanguinis: item omnes Ministri justitiae ad executionem concurrentes, Custodes Rei auctoritate publica deputati etc. irregulares sunt effectu secuto*
108 *Non item, qui privata auctoritate, et remote tantum concurrunt, uti sunt Opifices conficientes furcam, funem, gladium, scalam etc. et num. seq.*
110 *Confessarii, et alii privati, qui reum monent, ut in via procedat, scalam ascendat, manus ligandas praebeat, Ministro justitiae se accommodet, equum, et citius pergat, pungunt etc. non sunt irregulares.*
111 *Doctrina practica, quid faciendum in his casibus, et quid faciendum Confessario assistenti Reis?*
112 *Spectatores etiam Clericos ultimi supplicii irregulares non esse.*
113 *Nec spectando graviter peccare.*
114 *Imo nec venialiter, si ex causa rationabili, et cum debita cautela spectatores agunt, probabile est.*
115 *Si in bello potenter injusto vel unus tantum occidatur, omnes totius Exercitus sunt irregulares.*
116 *Exceptis illis, qui praecise spiritualiter assistunt.*
117 *In bello justo offensivo omnes et soli sunt irregulares, qui proprio facto aliquem occiderunt.*
118 *Non vero illi, qui moraliter certi sunt, a se nullum esse occisum*
Sola vulneratio non inducit irregularitatem, ibid. et num. praec
119 *Solvuntur objectiones: et duobus num. seqq.*
121 *Etiam Clerici in bello justo pugnantes immunes sunt ab irregularitate, si proprio facto a se nullum occisum esse certi sunt*
122 *In dubio autem, num a se aliquis in bello sit occisus, pro irregulari se habere debet tam Laicos, quam Clericos.*
123 *In bello justo defensivo ab irregularitate immunes sunt tam Clerici, quam Laici, qui pro defensione propriae personae,*
124 *Vel Ecclesiae, aut Patriae proprio facto aliquem occidunt.*
125 *Si necessario in tali bello pugnant.*
126 *Secus est de illis, qui aliis militibus ad bellandum sufficienter existentibus, sponte et non necessario nomen militiae dant, vel ibi pugnant, et occidunt, praesertim Clerici et num. praec.*
127 *Quamvis etiam hos saltem laicos ab irregularitate excusent aliqui.*
128 *Doctrina practica pro favore illorum, qui sunt vel fuere milites, in causa irregularitatis Et n. seq.*

Quaeritur I. An? et qualiter licitum sit auctoritate 85
publica Principis, Judicis, seu Magistratus Malefactores, praesertim Bannitos, seu publice proscriptos occidere? ℟. I. Certa et Catholica veritas est, licitum esse ex causa legibus comprobata, auctoritate publica occidere Malefactores prius legitime convictos, aut confessos. Ita enim volunt Divina, et humana Lex. Divina quidem *Exodi cap.* 21. *et* 22. praesertim vero vers. 19. ibi: *Maleficos non patieris vivere:* ubi etiam plures poenae pro variis Maleficiis enumerantur. Consonat Lex gratiae *ad Roman.* 13. vers. 4. ibi: *Non sine causa gladium portat: Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui male agit.* Humana autem tam civilis per varias Leges in superiori §. citatas, quam Canonica, *can. quaesitum* 45. *cau.* 23. *q.* 4 *can. Prodest.* 4. *can. quali.* 44. *ead. caus. q.* 5. cum Concordantiis.

Ratio est; quia licet alias solus Deus sit Dominus 66
vitae et membrorum hominis juxta Sapient. 16. vers. 13. *Tu es enim Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*, et potestas, quam olim Domini habebant in vitam servorum propter *talium*, sit eis adempta *l.* 1. *ff de his, qui sunt sui, vel alieni Juris.* tamen in vitam Malefactorum dedit Deus potestatem legitimo Magistratui, quatenus sicut pro conservatione totius corporis humani, putrida et nociva resecantur membra, ita a Communitate tanquam a Corpore politico Malefactores tanquam noxia et putrida membra tollantur, ne caetera membra inficiantur.

Dicitur tamen *ex causa a Legibus comprobata*: non 67
enim pro libitu, aut ex vindicta privata, vel passione, sed duntaxat ex justa causa licitum est Magistratui, et supremis Dominis occidere; unde etiam supremi Domini, et Judices *homicidii injusti* rei sunt, qui potestate sua in occidendo ex dolo vel culpa abutuntur. *l.* 1. *prin.* §. 1 item *l. Lege Cornelia.* 4. *ff. Ad Leg. Cornel. de Sicar.*

Resp. II. Potest Magistratus, vel Princeps su- 68
premus non tantum Malefactores, quos in potestate praesentes habet, occidere, sed absentes ita bannisare, seu publice proscribere, ut cuivis etiam privato liceat talem occidere, si debitae concurrant conditiones, tam ex parte Principis, vel Magistratus proscribentis, quam ex parte privatorum Bannitum occidere volentium. Et quidem, ut Magistratus praedicto modo aliquem proscribat, requiritur 1. ut de Capitali proscriptione hujusmodi seu

bannisationem promerente delicto sufficienter constet. In Criminalibus siquidem de delictis luce meridiana clarius patere debet, per *vulgaria*. 2. Ut periculum grave ex malitia bannisandi immineat Reipublicae, ut si esset proditor, perduellis, praedo, insidiator vitae Principis, veneficus etc. 3. Ut ordinario procedendi modo contra praesentem reum executio fieri nequeat; alias enim in contrarium militat Juris regula: *Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. l. non est* 176. *ff. de Reg. Jur.*

69 Ex parte privatorum Bannisatum occidere volentium requiritur 1. Ut sententia Banni per appellationem legitime interpositam non sit suspensa; quia appellatio effectum suspensivum, et devolutivum habet per ea, quae diximus *Lib. II. Tit. XXVIII. de Appellat.* §. 7. *et* 8. 2. Ut occisio praecise fiat ex Zelo justitiae, et ob bonum publicum, non vero ex odio, aut passione privata, vel affectu vindictae, aut turpis lucri. 3. Ne occisio fiat extra Territorium proscribentis, sicut enim ipsi Magistratui, ita e fortiori privatis illicitum est, executionem contra reum facere extra Territorium. Farinac. in *Practic. Crimin p. 3. q.* 103. *n.* 213. *arg. l. fin. ff. de Jurisdict. omn. Judic.* 4. Ut persona bannisata non sit speciali Jure conjuncta privato volenti occidere, v. g. Pater, Filius, Conjux; hos enim occidere semper illicitum est, nisi ad delendam patriam venient, *arg. l. Minime* 35. *ff. de Relig. et sumpt. fun.* Ita conditiones recensitas merito requirit Clarus §. *homicidium*, *n.* 54. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 2. Sylvester, Ss ℣. *Bannitus*, et alii.

70 Recte tamen monet Molina *de I. et I. tr.* 2. *disp.* 7. raro, et non nisi ob gravem causam (qualis foret, si ex vita Malefactoris quotidianum immineret periculum Reipublicae) licere Magistratui ita bannisare aliquem, et ita Bannisatum libere occidere. Tum quia sequantur plerumque multa incommoda: Tum quia sic improvisi occisi pereunt in corpore, et anima, quod utique Charitati Christianae repugnat.

71 Quaeritur II. An? et qualiter in bello licitum sit occidere? Resp. I. Certum et indubitatum est apud omnes, licitum esse cunctis in bello sive *defensivo*, sive *offensivo* justo omnes hostes nocentes occidere. Ratio est; quia hoc ipso, quod ad justam vindictam, et satisfactionem injuriae, rerum, et damnorum reparationem bella licite assumuntur, licita etiam sunt media necessaria ad bellum gerendum, inter quae procul dubio est, occidere hostem.

72 Dicitur tamen notanter *nocentes*, id est injuriarum reos, et arma sumentes: innocentes enim, quales de Jure naturae sunt pueri, mulieres; et de Jure Ecclesiastico Religiosi, Clerici, peregrini, homines simplices et rusticani; idque secundum Juris praesumptionem, quamdiu contrarium de ipsis non constat, *arg. c. Innocentes, de Treuga, et Pace*, per se, et ex intentione etiam in bello justo occidere non licet, prout concors habet D. D. juxta illud Daniel. 13. ℣. 53. *Innocentem et justum non interficies.* Hinc merito a S. Ambrosio graviter reprehensus, et excommunicatus est Theodosius Imperator, quod ob rebellionem Civitatis Thessalonicae non cum nocentibus jusserit etiam occidere innocentes, *can. Cum apud Thessalonic.* 69. *can.* 11. *q.* 3.

73 Quare stultae simul et iniquae semper erunt illae belli Ducum Civitates obsidentium minae, quod nisi certo tempore Civitas se tradat, hoc vel illud faciat etc. Omnes sine distinctione trucidare; et nulli, nec infanti in utero materno parcere velint: quia, uti dictum, innocentes etiam in bello justo per se et ex intentione occidere non licet, bene tamen per accidens, vel praeter intentionem: ut si bellum geri, aut victoria obtineri nequit, nisi etiam innocentes cum nocentibus, quibus permixti sunt, simul occidantur, prout accidit in Arcium eversione, Civitatum expugnatione etc.

74 Imo ipsos etiam nocentes, postquam bello jam devicti et capti existunt, interficere fas non est; nisi atrox crimen morte dignum commiserint, aut trucidatio eorum ad criminis atrocis vindictam, aliorumque terrorem, vel ad acquirendam, firmandamve Reipublicae pacem, quietem, ac securitatem, necessarium, aut valde conducens videatur; eo quod horum trucidatio sit medium ad finem justum, ac licitum. Molina *de I. et I. tr.* 2. *disp.* 7. et alii, recte tamen monentes, parcendum nihilo minus esse Multitudini, adeo, ut licet secundum rigorem justitiae omnes occidi possent, tamen sublatis Auctoribus, et nocentioribus in reliquam multitudinem exardescere non sinat, sed rigori aliquid detrahendum suadeat charitas ac lenitas Christiana, *arg. c.* 1. *dist.* 44. ibi: *Sic enim agendum cum multitudine peccantium; severitas autem exercenda est in peccata paucorum, can. Ut constituerentur.* 25. *in fine. dist.* 50. et can. *Ordinationes.* 5. *in fine. can.* 9. *q.* 1. ibi: *Ubi multorum strages jacet, ibi subtrahendum est severitati, ut addatur amplius charitati.*

75 Quaeritur III. An? quinam? et quando contrahant irregularitatem, qui auctoritate publica ex justa causa per leges comprobata Malefactores licite occidunt, aut mulitant, vel ad id concurrunt? Resp. I. Quamvis juxta dicta Malefactores justissime, et licite occidantur, vel mutilentur auctoritate publica: Certum tamen et indubitatum est, omnes, qui publica auctoritate occidunt, vel mutilant, et qui propinque, aut notabiliter, vel non adeo notabiliter quidem, sed tamen auctoritate publica concurrunt, veluti sunt Accusatores, et Delatores, item Judices, ejusque Assessores, et Consultores, Advocati, Testes, Notarii, sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes; Ministri justitiae sententiam exequentes, esse irregulares. Ratio est; quod quamvis hi omnes nullum committant delictum, nihilo minus quia sanguinem alienum fundunt, vel ad fundendum concurrunt, carent perfecta mansuetudine, et lenitate Christiana, indeque ab Ecclesia merito inhabiles reputentur, ut in Altari incruentam et immaculatam Deo hostiam offerant, ac repraesentent personam Christi, qui ut Agnus mansuetissimus proprium pro nobis fudit sanguinem: praesertim cum etiam in lege veteri Deus ob multum sanguinem humanum, quem David Rex fudit, non ab illo, sed a filio ipsius Salomone templum sibi aedificari voluerit, 1. Paralip. cap. 22. ℣. 8. Verum quantumvis haec certa sint, quia tamen quoad aliquas ex praefatis personis difficultates controversiae existunt; hinc pro majori claritate de singulis singulares conclusiones ponemus. Quare

76 Resp. II. Quicunque sive Clericus, sive Laicus coram judice laico aliquem *criminaliter* accuset de delicto sanguinis, mortis nempe, vel mutilationis poenam secum trahente accusat, vel denuntiat, *irregularis* est, si praefata poena reo infligitur. Communis et certa *arg. can. Si quis.* 8. *dist.* 50. et supponitur *c. Postulasti.* 21. *h. t.* Nec immunis redditur ab *irregularitate*, etiamsi contra poenam mortis, aut mutilationis protestetur, prout cum communi et cum aliorum hoc advertit Covarruvias *in Clem. unic. de homicidio. p.* 2. §. 5. *n.* 1. Suarez *de Censur. disp* 47. *sect.* 2. *n.* 10. Avila *de Censur. p.* 2. *disp* 5. *sect.* 2. *n.* 10. Pirhing *h. t. n.* 101. Ratio est; quia talis protestatio videtur facto contraria; hoc ipso enim, quod quis *criminaliter* seu ad poenam, et vindictam publicam accusat, praesumitur velle poenam a Jure statutam; cum

regulariter loquendo Judex *criminaliter* accusatum debeat punire juxta praescriptum legis, juxta illud *can. Summopere.* 70. *cau.* 11. *q.* 3. ibi: *Secundum quod statutum est, definitiva proferatur sententia,* ut proin talis protestatio vana, et inutilis censeatur.

77 Dicitur autem notanter *coram Judice laico*, et *de delicto poenam sanguinis secum trahente*, ob dicenda *n.* 84. et 85.

78 Aliud foret, et ab *irregularitate* immunem faceret, si quis sive Clericus, sive Laicus *civiliter* duntaxat, id est, non ad vindictam publicam, sed praecise ad proprium suum interesse, petendo restitutionem, aut damni illati compensationem coram quocunque tandem Judice, et de quocunque crimine accusaret; etiamsi postea Judex poenam mortis, aut mutilationis infligat, idque praevideat Civiliter accusans, aut denuntians; dummodo expresse protestetur, se non ad vindictam, sed praecise ad justum suum interesse accusare; quia in tali casu per accidens tantum mors sequitur ex accusatione hujusmodi, uti bene docent Covarruvias *loc. cit.* Avila *de Censur. p.* 2. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 9. Barbosa *in c. Praelatis.* 2. *h. t. in* 6. et ibi Doctores communiter, *arg. cit. c. Postulasti* 21. *h. t.* et *c. Praelatis.* 2. *eod. in* 6. ubi haec doctrina expresse proponitur illis verbis: *Praelatis, vel Clericis quibuscunque, qui de laicis malefactoribus suis querelam apud judicem saecularem deponentes petunt emendam* (id est, satisfactionem injuriae, vel damni illati) *sibi fieri, et provideri, ne contra eos talia de caetero praesumant protestando expresso, quod ad vindictam, seu ad poenam sanguinis agere non intendant, imputari non debet: quamvis alias de Jure debeat poena sanguinis irrogari, si Judex mortem illis inferat justitia exigente*: Ratio subjungitur, *nam alioquin, si Praelati aut Clerici propter metum hujusmodi, quia judex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia seu occasio trucidandi eosdem, et illorum bona libere depraedandi.*

79 Imo Barbosa *loc. cit. n.* 4. post Bonacinam, Covarr. *in Clem. unic. h. t. p.* 2 §. 5. *n.* 3. *in fine* et alios, addit, immunem esse Clericum ab *irregularitate*, etiamsi capiat, aut detineat malefactorem deprehensum, illumque pro impetrando suo interesse judici tradat, vel si pro interesse judicet, ubi rapi possit, dummodo protestationem praefatam vel statim, vel saltem ante prolationem sententiae faciat *expresse*; quia tacita, vel interna protestatio non liberat ab irregularitate illum, qui malefacturem de *Crimine* poenam mortis, aut mutilationis inducente etiam *Civiliter* duntaxat accusat, vel denuntiat, *arg. cit. c.* 2. *h. t. in* 6. ibi: *Protestando expresse*, ubi enim *expressum* requiritur, non sufficit tacitum. Glossa ibidem ℣. *Protestando expresse*, *arg. c. Nullus.* et *c. Indemnitatis de Elect.* in 6.

80 Verum, quae in praesenti, et praec. num. dicta sunt, intellige, si quis reum *Civiliter* tantum cum apposita protestatione accuset in causa propria, vel suae Ecclesiae, et probabilius etiam parentum, fratrum, propinquorum, liberorum, et aliorum ita conjunctorum, ut damnum, vel injuriam in ipsum redundare videatur; in causa siquidem personarum extranearum, si quis etiam *Civiliter* tantum reum hujusmodi accusaret, aut caperet, reum sisteret, vel judicaret Judici, *irregularitatem* non evaderet, et bene advertunt Navarrus *Man. cap.* 27. *n.* 213. Covarr. *in Clem. unic. h. t. p.* 2. § 5. *n.* 1. ℣. *undecimo.* Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *c.* 7. *n.* 5. et alii, *arg. cit. c. h. t. Suis malefactoribus*: ergo non extraneis.

81 Porro accusans *Civiliter* expressa cum protestatione contra poenam sanguinis liber est ab *irregularitate*, etsi talis protestatio ficta tantum sit, et protestans interne desideret, vel intendat mortem denuntiati, uti contra Navarrum *cap.* 27. *nu.* 226. et alios per Barbosam citatos probabilius docet idem Barbosa *in cit. c.* 2. *h. t. in* 6. *n.* 9. Navarr. *loc. cit.* §. 3. *n.* 2. *not.* 2. Pirh. *h. t. nu.* 103. Molina *de I. et I. disp.* 8. *nu.* 4. Layman, Avila cum communi aliorum. Ratio est: quia cum Ecclesia judicet tantum secundum exteros, indeque apud judicem ficta protestatio idem valeat, ac vera; irregularitatem non contrahit, qui ficte promittit; praesertim quia non contrahitur in casibus a Jure expressis, *c. is cui de sentent. excomm. in* 6.

Protestatio autem sive vere, sive ficte fiat, ad avitandum *irregularitatem* sufficienter exprimitur, si sequenti, vel simili modo oretenus, vel scriptis, saltem ante prolationem sententiae proponatur: Domine etc. etc. *Titius furatus est mihi, vel ab Ecclesia mea, vel damnum etc. mihi intulit, vel parentem meum occidit; quare in debita Juris forma, testo, ut satisfactionem, vel restitutionem mihi procuret; protestor tamen, me nulla ratione intendere poenam sanguinis, mutilationem, vel mortem.* Barbosa *in cit. c.* 2. *h. t. in* 6. *n.* 7. 82

Dixi saltem *ante prolationem sententiae*; quia etsi melius, securius, usuque et praxi receptum sit, ut quis statim ac denuntiat, vel accusat malefactorem, praefatam protestationem adjungat; tamen si tunc forsan illius obliviscitur, vel ex alia causa omittit, ab *irregularitate* liber erit, si saltem ante prolationem sententiae illam faciat. Covarruvias *in Clem. unic. h. t. p.* 2. §. 5 *n.* 1. *et* 2. Pirh. *h. t. n.* 104. et alii. Ratio *est*: quia sufficienter adhuc, et in tempore intimatur intentio accusantis, quod non intendat poenam sanguinis. Unde sicut, qui ante executionem revocat mandatum homicidii, immunis est ab *irregularitate*, etsi homicidium nihilo minus sequatur: sic etiam immunis erit, qui ante sententiam protestatur; cum sic faciat, quod accusatio ipsius per se non sit, nec esse possit causa mortis, sed per accidens duntaxat. Nec aliud requiritur *in c.* 2. *h. t. in* 6. 83

Hactenus recensita protestatio necessaria non est, sed absque illa ab *irregularitate* immunis erit accusans, vel denuntians malefactorem in sequentibus casibus. *Primo*: si quis sive *Civiliter*, sive *Criminaliter* accusat etiam de Crimine poenam mortis inducente, coram judice Ecclesiastico. Barbosa *in c.* 2. *h. t. in* 6. *n.* 10. Pirh. *h. t. n.* 110. Ratio est: quia Judex Ecclesiasticus non potest procedere ad poenam sanguinis, per *Vulgaria*; et per accidens est, si reum dein tradat Judici saeculari puniendum. 84

Secundo: Si quis sive *Criminaliter*, sive *Civiliter* accusat, vel denuntiet malefactorem de Crimine levi, vel tali, quod poenam mortis aut mutilationis non meretur, etsi dein Judex limites justitiae excedens, reum occidi, aut mutilari faciat, *arg. c. Postulasti.* 21. *h. t.* Covarr. *loc. cit.* §. 3. *nu.* 3. *not.* 9. Navarrus *Man. cap.* 27. *n.* 205. et alii. Ratio est; quia malitia, vel inscitia judicis non debet nocere accusatoris, *Tertio.* Si de levi accusat, et Judex accusatum condemnet ad mortem ob alia delicta. Navarrus *loc. cit.* Pirhing *h. t. n.* 110. quia id ratione accusantis per accidens. 85

Quarto: Ab *irregularitate* immunis est, qui etiam sine protestatione accusat, vel denuntiat, vel *judicialiter* manifestat malefactorem non de injuria per crimen jam illata, sed inferenda, et de crimine pendente in futurum, sive in proprium, sive alienorum etiam extraneorum damnum redundatero, si alia ratione averti non possit, quam per hujusmodi denuntiationem, accusationem, et manifestationem. Covarruvias *loc. cit. n.* 4. *not.* 11. Pirhing *h. t. num.* 109. Molina *de I. et I. disp.* 3. *nu.* 9. et alii, *arg. c. Accusasti* 8. *de Accusat.* ibi: *Nisi pro pace feceris.* Ratio est; quia SS. Canones non imponunt *irregula-* 86

ritatis notam propter opus, ad quod quis lege naturali, et divina charitatis tenetur, cujusmodi opus est avertere grave malum a proximo.

87 Infertur: qui scit aliquem, vel aliquos sibi, vel alteri, cuicunque tandem insidiari, velleque vel occidare, vel aliud grave damnum in corpore, aut bonis fortunae etc. inferre, absque omni periculo *irregularitatis* eum apud judicem denuntiare, aut manifestare, vel accusare potest, ut vel vigilet, vel capiat eundem, vel alias malum avertat; et alia via, quam ista malum a se, vel ab alio avertere secure non valeat.

88 Caeterum quae a *nu.* 76. huc usque de *Criminaliter*, vel *Civiliter* accusantibus, denuntiantibus, detinentibus etc. dicta sunt, procedunt, sive Clericus, sive Laicus accuset, vel denuntiet, hoc solo cum discrimine, quod si Laicus *Criminaliter*, vel *Civiliter* sine protestatione accuset reum de Crimine poenam mortis, vel mutilationis secum contrahente, *irregularis* fiat quidem ex defectu lenitatis, per dicta supra, illicite tamen aget; quia nullibi prohibitum est Laico, accusare *Criminaliter*. Si vero Clericus praefato modo accusat, illicite agat, peccet, et fiat *irregularis* ex homicidio illicito. Navarrus *cit. cap.* 27. *nu.* 213. *in fine*. Avila *de Cens. disp.* 2. *sect.* 2. *dub.* 9. Ratio est, quia Clericis prohibitum est coram Judice laico (non vero coram Ecclesiastico) *Criminaliter* ad poenam sanguinis accusare, *arg. c. Postulasti.* 21. *h. t.* et c. 2. *eod. in* 6.

89 Resp. II. Omnis Judex sive Clericus, sive Laicus, qui fert, vel dictat sententiam mortis, aut mutilationis in malefactorem, effectu secuto, est *irregularis*. Unanimis et certa. *arg. can.* 1. *dist.* 51. *can. saepe* 29. *et seqq. can.* 23 *q.* 8. c. *Ex litteris.* 10. *de Excess. Praelat. c. Clericis. c. sententiam* 9. ibi: *Ne Clerici vel Monach.* Ratio est, quae supra *n.* 72.

90 Dicitur autem notanter *effectu secuto*: quia si effectus non sequitur, ut si Reo poena mortis, aut mutilationis condonetur, aut in aliam commutetur, v. g. in fustigationem, flagellationem, detrusionem ad carceres, triremes etc. multo magis, si ad hujusmodi poenam duntaxat, citra mortem, aut mutilationem reum condemnet Judex, *irregularis* non fit, Navarrus *cit. cap.* 27 *nu.* 211. Suarez *de Censuris. disp.* 47. *sect.* 1. *nu.* 3. Ratio est; quia universaliter nulla *irregularitas* in occidentes, et mutilantes, aut concurrentes, jure statuta incurritur, si effectus non sequatur, uti bene advertit Barbosa in *c. fin. h. t.* Covarruvias *in Clem. si furiosus. h. t. p.* 2. §. 2. *n.* 2. et alii.

91 Limitatur insuper Conclusio n. 89. posita. I. Quoad summum Pontificem, utpote qui est incapax *irregularitatis*, adeo, ut ab illa prius contracta fiat liber per avectionem ad Papatum, uti *c. licet vitanda, de Elect. c. Ubi periculum.* 3. *eod. in* 6. Bene desumit Mejolus *de Irregularitat. lib.* 2. *cap.* 4. *pr.* et observat Pirh. *h. t. n.* 69.

92 Limitatur II. Quoad Inquisitores haereticae pravitatis, eorumque Commissarios, Consultores, Assessores etc. utpote qui favore Fidei ex privilegio per *Paulum IV.* et *Pium V.* immunes sunt ab *irregularitate*, etsi haeresis reos ad poenas Jure statutas, etiam mortis condemnent, Palao *Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 1. citans Pegna *Direct. Inquisit. p.* 2. *Comment.* 30. et alii.

93 Limitatur III. Quoad Judaeos, Saracenos, aut alios infideles; quia hi legibus Ecclesiae, ut poenis non subsunt, c. *Gaudemus. de Divort.* cum Concordantiis: ut proin talis ad fidem conversus nulli effectui *irregularitatis* subesset, etsi prius ut Judex tulisset sententiam mortis, vel ipsemet etiam juste vel injuste occidisset. Suarez *de Cens. disp.* 40. *sect.* 7. *n.* 3. Pirhing *h. t. n.* 90. et alii.

Limitatur IV. Quoad alios Judices Ecclesiasticos, casu quo aliquem malefactorem confessum; aut convictum Judici saeculari tradunt, etsi sciant, et praevideant, eum poena mortis, aut mutilationis plectendum fore. Pirh. *h. t. n.* 99. Suarez *de Censur. disp.* 47. *sect.* 1. *n.* 11. Covarr. *loc. cit. num.* 6. Ratio est: quia, quod malefactores etiam Clericos, prius degradatos Curiae saeculari tradere possint, et nonnunquam debeant; disponitur a Jure *c. ad abolendam.* 9. §. *Praesenti de haeretic. c. Novimus* 27. *de V. S.* Suadet tamen merito Pirhing *h. t. num.* 100. ut Judices Ecclesiastici, si Malefactorem Curiae saeculari puniendum tradunt, protestentur, et efficaciter intercedant, ne Reo poena mortis, aut mutilationis inferatur; quamvis enim talis protestatio forte necessaria non sit, cum Jura in tali casu eam non praescribant, et eam necessariam non esse per plures rationes ostendat Suarez *loc. cit. nu.* 12. tamen facile omittenda non est; Tum propter majorem securitatem, ne *irregularitas* incurratur: Tum ad ostendendam mansuetudinem Christi: Tum quia communis et laudabilis probat, et habet consuetudo et praxis. 94

Limitatur V. Quoad Episcopos S. R. I. Principes, et alios Praelatos Jurisdictionem temporalem habentes, et ad causam sanguinis judicium constituentes: limitatur inquam quoad hos in tantum, ut licet ipsimet sententiam mortis, aut mutilationis ferre, ac in particulari concludere non possint, neque mandare, ut hic vel ille in specie occidatur, per ea, quae diximus *Lib. III. Tit. fin.* a *nu.* 12. possunt tamen aliis committere, jurisdictionem *Criminalem*, et causam sanguinis; idque non solum in genere, constituendo unum, vel plures Judices sanguinis, et mandando eis, ut casu emergente Malefactores poenis a Jure statutis afficiant; (uti solum fieri posse vult Glossa in c. 3. *Ne Clerici, vel Monach.* ℣. *Episcopus* quam etiam nos citavimus supra *loc. cit. nu.* 14.) sed etiam probabiliter in specie, committendo Judici quidem inferiori, ut Crimen alicujus in specie examinet, eum juxta praescriptum Juris judicet, ac puniat. Avila *de Censur. disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 4. Covarr. in *Clem. unic. h. t. p.* 2. Molina *de I. et I. Disp.* 74. *nu.* 9. Laymann *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 6. *nu.* 4. Palao *loc. cit. n.* 3. *arg. c. fin. Ne Clerici, vel Monach.* ubi id expresse concessum cernitur. Nec obstat Regula Juris, *quod quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per se ipsum*, c. 72. *de Reg. Jur.* in 6. quia haec Regula exceptionem patitur per dicta, *c. fin. Ne Clerici, vel Monach.* 95

Pariter ab *irregularitate* immunes sunt Principes et Domini praefatam Jurisdictionem habentes, tam Clerici quam Laici, si condant leges et statuta, per quae poena mortis, aut mutilationis Transgressoribus imponitur, Suarez *de Censur. disp.* 47. *sect.* 1. *n.* 7. Avila *loc. cit. dub.* 5. Sylvester ℣. *homicidium* 3. *q.* 7. *n.* 10. *dict.* 9. Ratio est; quia tales leges directe, et per se non ordinantur ad *homicidium*, sed ad bonam gubernationem Reipublicae, et ut Crimina evitentur. Accedit, quod tales generaliter tantum in Malefactores, non vero in certam personam decernant poenam sanguinis. 96

Caeterum ex dictis colliges: male agere, et *secuto effectu* irregularitatem procul dubio incurrere Principes, Episcopos, et Praelatos Ecclesiasticos supradictam Jurisdictionem habentes, si dicunt (et subinde a nonnullis audire est) *volo ut hic suspendatur, ille capite plectatur, vel auris ei abscindatur etc.* vel, *volo, ut diligenter de hoc, vel illo Malefactore inquiratis, et deprehensum suspendatis*: vel *quamprimum hunc deprehenderitis, volo, ut suspendatur.* 97

Dicitur autem notanter *secuto effectu*; si enim hic non sequatur, id est, quamdiu talis Malefactor 98

actualiter poena mortis, vel mutilationis non efficiter, *irregularitatem*, ita mandans, et minans non incurrit, per dicta supre n. 90. Ab eadem liber etiam est Principes tam Clericus quam laicus, si poenam mortis, aut mutilationis a Judice inferiori jam impositam mitigat, et adgratiando poenam v. g. rotae, aut patibuli in poenam gladii mutat, dicendo: *volo ut iste non rota, sed gladio occidatur.* Engel *h. t. n.* 63. Ratio est; quia non est condemnatio ad mortem, sed potius actus misericordiae, quo condemnatio ad mortem jam facta mitigatur.

99 Resp. II. Assessores quoque, et Consiliarii seu Consultatores, qui vel judici ad ferendam sententiam assistunt, vel suo suffragio, voto, aut Consilio, auctoritate, publice ac juridice promovent, omnes sunt *irregulares* Suarez *de Censur. disp.* 47. *sect.* 1. *n.* 4. Palao *loc. cit. Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 3. *n.* 7. et alibi: Pirhing *h. t. n.* 96. per dicta supra a *n.* 75. Ratio est; quia omnes hi vere propinque ad poenam sanguinis concurrunt.

100 Dicitur autem notanter, *auctoritate publica ad id constituti, seu juridice,* quia aliud est de illis, qui sive Clerici, sive Laici, v. g. Theologi, Canonistae, Jurisperiti, Confessarii a Judice vel aliis privatim interrogantur; et quidem hos ab *irregularitate* immunes esse, si tantum in genere respondeant, et explicent quid Juris sit, et quid de hujusmodi Malefactoribus Jura statuant, nisi suadendo circa Reum in particulari, docet Glossa communiter recepta in c. *ex litteris* 10. *de Excess. Praelat.* ℣. *Consuluit.* et jam diximus, et probavimus *Lib. III. Tit. fin. n.* 15.

101 Sed controversia est, num taliter interrogati possint absque nota *irregularitatis* circa Reum in particulari respondere, dicendo v. g. *spectando Jura iste Reus suspendendus,* vel *gladio perimendus,* aut *comburendus,* vel, *ego opinor, hunc vi legum esse capite plectendum:* Non enim desunt *negativam* tenentes: contra quos tamen satis probabiliter docet Palao *cit. Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 2. *n.* 7. citans Hurtado *de irregular. difficult.* 11. *n.* 40. et alii, etiam tales irregularitati non subjacere, *arg. can. Pessimam.* 32. *cau.* 33. *q. ult. in fine.* Rationem dant; quia tales non contrahunt *irregularitatem* ex delicto; cum non peccent: nec ex defectu lenitatis; quia in plectendis Malefactoribus illi tantum *irregularitatem* contrahunt, qui auctoritate publica ad causam sanguinis concurrunt. Accedit, verisimile non esse, Ecclesiam mediante irregularitate voluisse impedire, ne Confessarii, Theologi, jurisperiti suo munere et scientia salubriter fungi, aut id, ad quod Jure divino dicendum tenentur, dicere possint.

102 Confirmatur. Ex rationibus *num. praec.* adductis. Communiter docent Auctores, ut Layman *lib.* 3. *tr. p.* 3. *cap.* 7. *n.* 4. Suarez *de Censur disp* 47. *sect.* 1. *n.* 8. Molina *Tr.* 3. *disp.* 8. *n.* 8. Avila *de Censur. disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 7. Palao *loc. cit. n.* 8. Bonacina *disp.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *n.* 32. Pirhing *h. t. n.* 98. *ad finem,* et alii, Confessarium penitus nullam incurrere *irregularitatem,* si absolutionem Sacramentalem neget judici non volenti reum condemnare ad mortem, ad quod ex officio tenetur: vel si hortetur, cogat, aut obliget reum ad fatendum in judicio crimen, si legitime interrogetur; hoc ipso, quod confessarius praesertim interrogatus ad ita consulendum, et cogendum ex Officio, indeque Jure Divino teneatur, consequenter verisimile non sit, velle Ecclesiam per *irregularitatem* impedire, quo minus isti muneri suo satisfaciant. Ergo etiam Jurisperiti, Theologi, Confessarii privatim positive interrogati, quid de Jure faciendum cum reo, possunt dicere, qualiter de Jure puniendus veniat, cum responsum hujusmodi munus status et officii exigat.

103 Resp. IV. *Irregulares* insuper sunt Advocati, et testes contra reum in causa *Criminali* poenam sanguinis inducente. Palao *Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 3. *per totum,* ubi *n.* 5. de advocatis esse omnium sententiam asserit, *arg. can. Aliquantos. dist.* 51. De Testibus vera est communis ac certa sententia apud eundem; quam in specie etiam Covarruvias *in Clem. si furiosus. p.* 2. §. 5. *n.* 5. Molina *tr.* 3. *disp.* 47. *n.* 10. Suarez *de Censuris. disp.* 47. *sect.* 3. *in fine.* Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 5. et alii passim, *arg. can. Aliquantos. dist.* 51. *can. His, a quibus.* 3a. *cau.* 23. *q.* 8. *c. Sententiam,* 9. *Ne Clerici, vel Monach.* Ratio est; quia et hi ad mortem vere concurrunt.

104 Nec excusat eos ab *irregularitate,* si protestentur contra poenam sanguinis; eo quod, uti bene advertunt Doctores *num. praecud.* citati, protestatio illos solos ab *irregularitate* liberat, qui in judicio sanguinis causam propriam, non qui alienam prosequuntur.

105 Limitat tamen conclusionem et praecedentem doctrinam Palao *loc. cit. n.* 3. cum aliis ibidem citatis, in testibus, qui citati vel invite recusantes coguntur, et compelluntur a judice ad testificandum (quod in nonnullis casibus, non item ordinarie, facere potest Judex per dicta *Lib. II. Tit. XXI. a num.* 18.) talem enim, sicut et Advocatum, si non libere sed coacte contra reum causam assumere debet, immunem ab *irregularitate* probabiliter censet; cum verisimile non sit, tales fieri *irregulares* ex eo, quod coacti facere debent. Nec tamen exinde similiter argumentandum de judice et aliis Officialibus justitiae; quia voluntarie Officium assumpserunt, licet postea assumptum necessario administrent, et ad mortem rei concurrant.

106 Porro Clerici, si in causa *Criminali* coram judice laico contra Malefactorem agerent testes, non tantum irregulares fierent, sed etiam peccarent, eo quod eis in causa *Criminali* coram judice laico testimonium contra reum ferre, absolute sit prohibitum, prout amplius dictum est *Lib. III Tit XX a n.* 168. Quare etiam ad hujusmodi testimonium coram laico judice ferendum nunquam cogi possunt.

107 Resp. V. Notarii quoque, Tabelliones, Scribae, et alii, qui dictant, vel scribunt sententiam sanguinis; et qui ab alio scriptam signant, suoque sigillo authenticam faciunt; item qui eam legunt, et publicant; item qui torquent reum ad fatendum Crimen; et multo magis ipsi Executores sententiae et justitiae Ministri, veluti carnifices, lictores, satellites, qui custodiae causa comitantur reum ad supplicium, sive pedestres, sive equestres, hi omnes, inquam morte, vel mutilatione secuta sunt *irregulares.* Navarrus *Man. cap* 27. *n.* 217. Covarruvias *in Clem. si furiosus, p.* 2. §. 5. *a n.* 1. Sylvester ℣. *homicidium.* 3 *p* 2 *n.* 3. *dicto.* 2. Suarez *de Censuris. disp.* 47. *sect.* 4. *n.* 1. Avila *de Censuris. disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 1. Pirhing *h. t. n.* 96. Abbas, et Doctores *in c. sententiam Ne Clerici vel Monach. arg. can.* 1. *dist.* 51. *can. his, a quibus.* 30. *can. Si quis membrorum* 31. *cau.* 23. *q.* 8. Ratio est; quia hi omnes propinque, et notabiliter concurrunt; ergo.

108 Resp VI. illi, qui nulla auctoritate publica, sed privata duntaxat, non propinque et notabiliter, sed valde remote et *per accidens* concurrunt ad poenam sanguinis, *irregularitatem* non contrahunt. Layman *loc. cit. n.* 2. Pirhing *h. t. num.* 87. Palao *Tract.* 29. *Disp.* 6. *pun.* 14. §. 4. Glossa *in c. de Cautero.* 11. ℣. *Causam. h. t.* et Doctores communiter, *in c. tua nos. h. t.*

109 Infertur, non esse *irregulares* Opifices, qui conficiunt funes, furcam, scalam ad illam, gladium, quo reos occiditur Layman *loc. cit. cap.* 7. *n.* 2. Molina *de I.* et *I. tract.* 3. *disp.* 74. *n.* 2. Qui tamen putant,

eos *irregulares* esse, qui funem ad suspendendum, vel ligna ad comburendum asportant, eo quod, etsi hi forsan etiam privata duntaxat auctoritate, tamen valde propinque concurrent.

110 Infertur ulterius, *irregulares* non esse illos privatos, vel etiam Confessarium, qui equum, cui reus insidet, pungunt, aut incitant ad citius vadendum; vel qui reum monent, *ut* in via procedat, ut scalam ascendat, manus ligandas praebeat, caput etc. pili admoveat, Ministro justitiae se accommodet etc. Palao *loc. cit.* Layman *cit. lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. Molina *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Scotus *lib.* 5. *de Justit. q.* 1. *a.* 9. §. *His praehabitis.* Ratio est: Tum quia haec levia sunt, indeque quasi pro nihilo reputantur: Tum quia verisimile *non* est, Ecclesiam in hujusmodi casibus velle *irregularitatem* inducere, cum videretur irrationabile, uti bene advertunt Doctores citati, qui ob dictas rationes etiam Confessarium Rei ab *irregularitate* excusant, qui simile quid facit.

111 Quo non obstante pro majori cautela merito monet Suarez *de Censuris, disp.* 47. *sect.* 4. *num.* 10. Clericos, et Religiosos Reo, in ultimo supplicio pro cura animae assistentes, ut caveant, ne verbo aut facto aliquo accelerent, aut promoveant mortem, aut mutilationem illius. Et certe in specie cavendum, ne urgeant, aut moneant Ministros justitiae, ut brevi veniant; aliquando incipiant, citius incedant, vel se expediant, etsi id faciant ex causa, quod Reus jam sit dispositus: Imo, quando ipsi Ministri justitiae, an reus jam sit dispositus, forsan ignari, ex Confessario interrogent, an ad locum supplicii procedere, aut exequi possint, aut debeant, rectius agit Confessarius, si ad similes interrogationes non directe affirmando, sed indirecte respondeat, dicendo, *hoc nil ad me, vos sciveritis, quid vobis agendum, nos sumus ad omnem obedientiam parati ac dispositi etc.* Quamvis ab *irregularitate*, et a culpa immunis esset Confessarius; si directe affirmando responderet, ita jam posse eos procedere etc. Atque haec sunt satis certa.

112 At controversia aliqua est, de *Spectatoribus* ultimi supplicii, num illi sint *irregulares* nec ne, hos enim, saltem si Clerici sunt, *irregularitatem* incurrere, volunt aliqui, pauci tamen Doctores, *arg. c. sententiam.* 9. *Ne Clerici, vel Monachi.* ibi: *Aut ubi exerceatur, intersit.* Econtra Gonzalez *ad cit. c. Sententiam. n.* 1. Palao *Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 4. *n.* 2. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *cap.* 7. *n.* 2. Navarrus *cap.* 27. *n.* 114. cum Communiori aliorum recte docent, nullum sive Clericum, sive Laicum *spectatorem* ultimi supplicii fieri irregularem; *quia cit. c. Sententiam.* 9. *Ne Clerici, vel Monach.* (ut bene ad illud notat Gonzalez *n.* 1.) intelligendum est, de auctoritativa praesentia executioni sententiae aliquo modo cooperante.

113 Et quamvis nonnulli velint, Clericos, si ultimi supplicii *spectatores* agant, peccare, cum id saltem prohibitum videatur *cit. c. sententiam*, id tamen culpam venialem non excedere, etiamsi ex sola curiositate fiat, cum aliis bene docet Suarez *de Censuris. Disp.* 47. *sect.* 4. *in fine.* Castro Palao *loc. cit.*

114 Imo non desunt, inter quos etiam videtur Layman. *loc. cit.* qui docent, quod etsi non deceat Clericos in *Majoribus* constitutos, inter turbam reliquam spectare ultimum supplicium, ne curiositatis vitio notentur, tamen nec venialiter peccent, si ex causa rationabili, v. g. ut aliquid addiscant a Sacerdotibus reo pro cura animae assistentibus, aut pro aedificatione propria, vel consolatione Rei; praesertim si ita se collocent, ut non multum notentur a turba: vel si a longe ex domo prospiciant. Ratio est: quia si, ut cum aliis vult Gonzalez *cit. c. sententiam.* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, intelligendum duntaxat venit, de *auctoritativa* praesentia, aliud Jus privatam Clerici praesentiam prohibens allegari nequit. Accedit, quod si aliquod adesset, id per consuetudinem abrogatum esse, patet Palao *loc. cit.*

Quaeritur IV. An, et quando ob *homicidium* vel 115
mutilationem in bello commissam contrahatur *irregularitas*? Ante responsionem nota, aliter discurrendum esse de bello *injusto*, aliter de *justo*; aliter de *offensivo*, aliter *de defensivo*. Pro majori claritate de singulis speciales ponemus conclusiones. Itaque Resp. I. Si in bello patenter *injusto*, sive *defensivo*, sive *offensivo* vel unus occidatur, omnes tam Laici, quam Clerici in tali bello pugnantes, vel cooperantes ad illud, et qualecunque auxilium ferentes, sunt *irregulares*, etiam illi, qui propriis manibus nullum occiderunt, aut mutilaverunt. Covarruvias *in Clem. un. h. t. p.* 2. §. 3. *n.* 2. *in fine.* Sylvester §. *homicidium.* 3. *q.* 6. *dicto* 1. Navarrus *cap.* 27. *n.* 216. *et* 224. Suarez *de Censur. disp.* 47. *sect.* 5. *n.* 1. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 8. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 114. Castro Palao *Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 5. *n.* 1. cum Communi aliorum *arg. c. sicut dignum.* 6. §. *fin. h. t. c. quod in dubiis.* 5. *de Poenis*, et ibi Glossa ℣. *Incitant.* Ratio est; quia quandocunque plures communi auxilio, vel consilio ad *homicidium* concurrunt, censentur omnes una causa moralis: prout in simili jam diximus supra de *homicidio injusto* extra bellum *a n.* 35.

Excipiuntur tamen illi, qui in tali bello assistunt 116
militibus non ad hortandum in bello, sed ad adjuvandos illos in spiritualibus. Pirhing *loc. cit.* et alii.

Resp. II. Quicunque in bello etiam *justo*, sed 117
offensivo, seu *aggressivo*, aliquem per se, seu proprio facto occidit, vel mutilat, *irregularis* est. Abbas *in c. Petitio.* 24. *h. t. n.* 1. et Layman *loc. cit.* Palao *loc. cit. num.* 4. iisque testibus omnes, *arg. c. Petitio.* 24. *h. t.* item *can. Si quis.* 4. *dist.* 51. sola tamen vulneratio non sufficit ad inducendam *irregularitatem*, *arg. cit. c. Petitio. h. t.* ibi: *Pro eo, quod aliquos percussisti*: et Ratio est; quia ob vulnerationem in Jure *irregularis* statuta non reperitur; consequenter non contrahitur, *arg. c. is qui.* 18. *de Sentent. excomm. in* 6.

Dicitur notanter *proprio facto*, quia etsi plurimi 118
in bello etiam *offensivo justo* ab aliis occidantur, tamen ab *irregularitate* immunes sunt tam Clerici, quam Laici, qui moraliter, aut certe sufficienter certi sunt, per se, aut suis armis, vel manibus nullum fuisse occisum, aut mutilatum, licet unum, aut plures percusserint, vel vulneraverint non lethaliter. Suarez *de Censur. disp.* 47. *sect.* 6. *nu.* 5. Panormit. *in c. Placuit*, *at fin. de Clerico percuss.* Navarrus *c.* 27. *n.* 215. Covarruvias *in Clem. Si furiosus. p.* 2. §. 3. *num.* 2. Molina *tr.* 2. *disp.* 110. *Conclus.* 2. Palao *tr.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 5. *n.* 2. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *cap.* 8. *n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 117. cum Communi, argumentum e contrario sumentes ex c. *Petitio.* 24. *h. t.* ubi Sacerdoti pugnanti in bello, in quo in persona ipse aliquos percussit, vel vulneravit, et ab aliis multi fuere occisi, mandatur ob *irregularitatem* abstinere a celebratione tunc solummodo, quando remorsum conscientiae habeat, quod ab eo revera aliquis fuerit occisus; ergo a sensu contrario, quando ei sufficienter constat, a se nullum esse occisum, aut mutilatum, abstinere non debet. Ratio est: Tum quia ob solam adhortationem ad pugnandum in *justo* bello, vel ob pugnam in eodem sine homicidio, aut mutilatione nulla in Jure invenitur statuta *irregularitas*, consequenter nec nos eam adstruere debemus; cum *irregularitas* aliqua non

contrahatur, quae in Jure non reperitur expressa, c. *is qui.* 18 *de Sentent. excomm. in* 6. Tum qui alias multi involverentur *irregularitate*, et timore illius absterrerentur a pugna etiam in *justo* bello

119 Nec valet objicere, quod *c. Petitio h. t.* ex quo praecedens doctrina praecipue probatur, non loquatur de *offensivo*, sed *defensivo* bello justo. nam contra est, quod etsi hoc bellum ab initio fuerit *defensivum*, tamen postea transiit in *offensivum*, ex parte fidelium, utpote exenotes e castro persecuti sunt hostes, uti post Suarez *disp* 47. *sect.* 6. *n.* 5 bene advertit Pirhing *h. t. n.* 117. Accedit; praefatam doctrinam non solum ex *cit. c. Petitio*, sed etiam ex ratione Juris apposita sufficienter probari.

120 Pariter non obstant, quae ab Adversariis objiciuntur c. *sicut.* 6. §. *fin. h. t.* et c. *quod in dubiis* 3. *de Poenis*, ubi etiam non occidentes, sed hortantes praecise, et juvantes in bello, praesertim Clerici videntur *irregularitati* subjacere. Respondetur enim, utramque Capitulum loqui de bello *injusto*, uti patet ex textu prioris Capituli, et de posteriori bene ostendit Glossa ℣. *Incitant. ibid.*

121 Dices, Clericis absolute prohibitum est, manu propria in bello *offensivo* pugnare, uti teste Palao *Tract.* 29. *disp.* 6. *pun.* 14. §. 5. *nu.* 3. tradunt fere omnes Doctores cum Glossa *in c. Petitio* 24. *h. t.* ℣. *Remordet, arg can. Clerici.* 5. *can. Quicunque* 6. *cau.* 23 *q.* 8. *can. Clericum qui.* 5. *can. de his Clericis.* 36. *dist.* 50. juncto c. *Ex multo* 9. *ad finem, de Voto*, ergo saltem Clerici sunt *irregulares*, qui propriis manibus pugnant in bello *offensivo* justo, ubi aliquis habetur occisus. Resp. concesso *antaced.* negando *conseq.* quia ex eo, quod Clerici prohibeantur propria manu pugnare in bello justo, non bene contra illos infertur *irregularitas*, utpote quae non contrahitur, nisi in casibus a Jure expressis, *cit. c. is. qui.* 18. *de Sentent. Excomm. in* 6.

122 Illud tamen notandum, quod si quis sive Clericus, sive Laicus rationabiliter dubitat, an non proprio facto aliquem in bello *offensivo* justo occiderit, aut mutilaverit, pro *irregulari* se habere debeat, *arg. c. Petitio.* 24 *h. t.* ibi: *Cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam celebrare*: si vero dubium rationabile non est, sed leve, vel potius scrupulus, videtur melior esse conditio possidentis Jus accipiendi, vel administrandi Ordines. Engel *h. t. n.* 58.

123 Resp. III. Quantum ad bellum *defensivum* justum: Imprimis certum est, tam Clericum quam Laicum ab *irregularitate* immunem esse, qui etiam propria manu aliquem occidit, vel mutilat ad defensionem propriae suae personae, prout facile contingere potest Capellanis Castrensibus, qui exhortandi, vel spiritualiter assistendi causa praesentes, ab uno, vel pluribus inimici ita angustiantur, ut nisi occidant, ipsi in periculo vitae sint. Suarez *de Censur. disp* 47. *sect.* 5. *num* 1. Palao *Tr.* 29. *disp.* 6 *pun* 14. §. 5. *num* 4 Pirhing *h. t. num.* 115. cum communi, *arg.* c. 2. *de Immunitat. Ecclesiast.* Ratio est; quia hoc absque *irregularitate* fieri potest in rixa privata per dicta supra; *arg. Clem. Si furiosus. h. t.* ergo multo magis in publico justo bello *defensivo*.

124 Pariter ab *irregularitate* immunes sunt tam Clerici, quam Laici, qui in bello *defensivo* justo necessario pugnantes, ad defensionem Ecclesiae, vel Patriae aliquem etiam propria manu occidunt, vel mutilant. Suarez *loc. cit.* Palao *loc. cit.* Coninck *disp.* 18. *dub.* 10. *num.* 96. Abbas *in c. penult. h. t. num.* 2. et ibi Barbosa *num.* 2. Molina *de Justit. tr.* 3. *disp.* 118. Pirhing *h. t. n.* 115. cum Communi, *arg. cit.* c. 2. *de Immunitat. Ecclesiast.* Ratio est; quia defensio Ecclesiae, et Patriae non minus, sed magis favorabilis est, quam propriae, vel alterius vitae privatae, *l. utilitas.* 3. *C. de Principio*; ergo si ob hanc, multo magis ob illius necessariam defensionem absque irregularitate licet occidere, et mutilare.

Dicitur autem notanter *necessario pugnantes*, quia si Clericus ad pugnandum necessarius non est, et in casu, quo sufficientes ad pugnandum, et defendendam Ecclesiam, vel Patriam adsunt Laici, utique *irregularis* fieret, si propria manu etiam sub praetextu defendendi Ecclesiam, aut Patriam aliquem occideret, vel mutilaret, Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p* 3. *cap.* 9 *nu* 2. Abbas *in c. Petitio h. t.* Sylvester ℣. *Homicidium.* § *q.* 6. Pirhing *h. t. n.* 115. *arg. cit. c. Petitio* 24. *h. t.* 125

Imo Engel *h. t. n.* 58. universaliter et indistincte de cunctis, etiam laicis docere videtur, quod omnes, qui in aliquo bello quocunque tandem *justo*, v. g. ad defendendam Ecclesiam, vel Patriam vigente, non necessario vel coacte, sed libere pugnantes aliquem occidunt, vel mutilant, *irregulares* evadant, *arg. Clem. un. h. t.* ubi illi duntaxat occidentes, vel mutilantes ab *irregularitate* excusantur, qui mortem aliter evitare non valentes id faciunt, quod non verificatur in illis, qui ad defendendam Ecclesiam, vel Patriam sufficienter assistentibus aliis militibus, non necessario, sed libere et sponte, ac gratis seu pro stipendio pugnant, aut nomen militiae dant, sicque occidunt, vel mutilant. Idque confirmari potest a pari in publicis Ministris justitiae, utpote qui licet pro conservando bono publico Patriae malefactores occidant; tamen *irregulares* fiunt ex eo, quod Officium hujusmodi libere assumpserint, per dicta supra *n.* 105. 126

Secus foret, et ab *irregularitate* immunes Laici essent, qui pro defendenda Ecclesia, vel Patria necessario pugnantes, utpote ad id auctoritate publica adacti, vel in tali bello nomen militiae ideo dantes, aut pugnantes, quia vident, non adesse sufficientes milites, vel alios ad resistendum hosti, et defendendam Ecclesiam. Imo plures Doctores, uti videre est apud Layman *loc. cit.* absolute volunt, omnes Laicos etiam libere pugnantes in bello *defensivo* justo ad defensionem Ecclesiae, vel Patriae ab *irregularitate* excusari; non item Clericos, quia hos absque necessitate, proprie manu pugnare non convenit. 127

Caeterum ex hactenus dictis a *num.* 115. colligitur, non esse bonam consequentiam; *iste est, vel fuit miles; ergo est irregularis*; vel *ergo non potest ordinari*; vel *si jam ordinatus est, non potest celebrare*: Nam debet examinari, an etiam et in quali bello, justo vel injusto, offensivo, vel defensivo pugnaverit? an, et quomodo occiderit aliquem, vel mutilaverit? si enim fuit simpliciter miles, qui semper in praesidiis existens, aut alias nunquam in bello pugnavit, nec aliquem occidit, vel mutilavit, nequaquam *irregularis* est, cum nullo Jure inveniatur statuta aliqua *irregularitas* in aliquem, quod sit, vel fuerit miles. 128

Pariter irregularis non est, si in Castris quidem, et in Conflictu, ita tamen collocatus fuit, ut sclopetum, vel sagittam in hostem nunquam emiserit, vel gladium, aut aliud armorum genus contra aliquem adhibendi, cumque occidendi, vel mutilandi nullam occasionem habuerit. 129

§. IV.

De Homicidio, et Mutilatione ob necessariam sui defensionem facta: et Irregularitate in secuta.

SUMMARIUM.

130 *Ob defensionem propriae vitae, et membrorum licitum est occidere injustum aggressorem.*
131 *Servato moderamine inculpatae tutelae.*
132 *Ad quod servandum requiruntur tria I. Videlicet injusta aggressio ab altero facta.*
133 II. *Modus; in quo consistat?*
134 III. *Tempus, videlicet, ut in continenti fiat defensio, et non ex intervallo*
135 *Nisi certum periculum novae periculosae aggressionis foret.*
136 *Num tria haec observata sint, arbitrio Judicis multum relinquitur.*
137 *Etiam ob defensionem vitae, vel membrorum proximi innocentis licitum est occidere injustum aggressorem.*
138 *Imo etiam ob defensionem bonorum temporalium.*
139 *Si sunt magni momentie.*
140 *Non licet tamen occidere injustum Judicem, Advocatum, et Testem grave damnum temporale illaturos.*
141 *Nec pro acquirendis eis, quae nondum possidemus.*
142 *v. g. Haereditates, legata etc.*
143 *Num liceat pro necessaria defensione honoris et famae occidere.*
144 *Propositiones damnatae ad propositum afferuntur.*
145 *Qui pro defensione propriae vitae, aut membrorum injustum occidit invasorem, irregularis non est. Et n. seq.*
147 *Nisi excedat moderamen inculpatae tutelae.*
148 *Qui, dum fuga salvare se posset, occidit, irregularis est.*
149 *Si fuga eidem in fama, et honore graviter praejudiciosa non est.*
150 *Secus res se habet, si praejudiciosa est.*
Fama et honor aequiparantur vitae: imo subinde magis aestimatur. Ibid.
151 *Qui occidit aggressorem, quem prius injuria ad aggrediendum inique incitavit, non est irregularis.*
152 *Nisi fugiendo salvare se possit.*
153 *Vel nisi periculum homicidii ex sua injuria secuturum praevidit.*
154 *Etiam ille ab irregularitate immunis est, qui pro necessaria defensione vitae, vel membrorum proximi Innocentis, occidit injustum invasorem.*
155 *Solvuntur objectiones. Et n. seq*
157 *Qui pro necessaria defensione rerum temporalium etiam licite occidit, juxta communem DD. irregularis est.*
158 *Contrarium tamen etiam probabile, et in praxi tutum videtur.*
159 *Proponuntur, et solvuntur plures objectiones ex Jure et ratione contra hanc secundam doctrinam usque ad n. 171.*
167 *Fur tam diurnus, quam nocturnus servato moderamine inculpatae tutelae pro conservandis rebus temporalibus magni momenti occidi potest*
Explicantur Jura, quae contrarium velle videntur Ibid.
Teli *nomine, quid intelligatur? Ibid.*
171 *Defectus lenitatis ex solo homicidio, quod publica, non item quod privata auctoritate fit, committitur.*
172 *Sicut pro necessariis propriarum, sic etiam pro defensione alienarum rerum, absque culpa, et irregularitatis nota licet occidere injustum invasorem.*
173 *Non tantum Laici, sed etiam Clerici a culpa et poena irregularitatis immunes sunt, si servato moderamine inculpatae tutelae pro defensione vitae, membrorum, rerum propriarum, vel alienarum occidunt injustum invasorem.*
174 *Homicidium non necessaria defensione famae et honoris commissum an inducat irregularitatem?*

Quaeritur I. An, et quomodo liceat occidere 130
aliquem ob defensionem vitae, et membrorum? Resp. I. Cuivis licitum est, pro necessaria propriae vitae, et corporis, servato moderamine inculpatae tutelae injustum aggressorem occidere. Unanimis, et certa. Ratio est; quia Jure naturali, divino, et humano permissum est, injustam vim vi repellere, textu expresso c. *significasti*. 18. §. *fin. h. t.* cum Concordantiis, ibi: *Vim vi repellere omnes Leges, et omnia Jura permittunt.*

Dicitur autem notanter, *servato moderamine* 131
inculpatae tutelae; quia hoc nisi servetur, homicidium etiam ob sui defensionem factum, illicitum, esse, rursus omnes fatentur, *arg. c. Significasti*. 18. *h. t.* ibi: *Tamen id fieri debet cum moderamine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Censetur autem tunc adhiberi moderamen inculpatae tutelae, quando quis occidit solum, quia revera in conscientia, sine fraude et dolo putat se non posse evadere, sed periclitari in vita et corpore, nisi occidat injustum invasorem, prout jam diximus *in Theologia nostra Moral. Tract.* 9. *Dist.* 2. *q.* 2. *n.* 17.

Porro ad dignoscendum moderamen inculpatae 132
tutelae, Clarus §. *Homicidium. n.* 34. tria requirit, quod idem in re exigunt alii Doctores, videlicet I. *Causam* II. *Modum*. III. *Tempus. Primo* itaque requiritur, ut occasionem praecedat causa, injusta nempe invasio; quia si quis ante hanc occidit, jam non sui defensio, sed alterius aggressio erit: sufficit tamen certo praevisa; quia non est necesse exspectare, sed licet praevenire injuste aggredi volentem; praesertim si quis merito timet, quod, nisi praeveniat, adversario, mox vel certe aggressioni sufficienter resistere non possit; quia in tali casu praeventio, non aggressio, sed justa defensio contra certo imminentem injustam aggressionem est, ut bene advertit Navarrus *lib* 5. *Consil. h. t. Consil*. 31. et *in Man. cap.* 15. *num.* 2. *in fine.* Suarez *de Censur. disp.* 46. *sect.* 1. *n.* 7. Pirbing *h. t. n.* 92. Debet autem invasio praecedens, aut certe imminens esse *injusta*; hinc pro defensione vitae suae non licet occidere invadentes Ministros justitiae, quia hi *juste* invadunt, ut post Avilam *de Censur. p.* 3. *disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 3. *Conclus.* 1. et alios, bene observat Pirbing *loc. cit.*

Secundo requiritur debitus *modus* defensionis, 133
ita ut haec injustae invasioni, aut offensioni sit proportionata, et *necessariam* defensionem non excedens, *arg. c. ut famae* 35. *de Sent. Excomm.* ibi: *dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio exigit*, juncta l. scientiam. §. 4. ff. ad Legem Aquil. Hinc *modum*, et moderamen inculpatae tutelae *excedit*, qui illum, a quo quis pugnis ceditur, vel levem aggressionem patitur, armis repellit, mutilat, vel occidit: Item, qui occidit eum, quem vulnerando, vel mutilando repellere,

propriamque vitam, et membra tueri potest: Item si quis injustum aggressorem occidit, quem pugno, baculo, percussione non lethali, vel exarmando illum, abigere, et vincere potest, *Modum* excedit, moderamen inculpatae tutelae non servat, et occidendo illicite agit: sicut etiam ille, qui sine gravi suo incommodo aut periculo fugere, aut clamare, et auxilium implorando salvare se posset, et tamen occidit, per dicta. Sylvester ꝟ. *Homicidium*. 3. *q*. 4. *dict*. 1. Pirhing *h. t. n*. 92.

134 *Tertio* requiritur *Tempus*, ut videlicet occisio, ad sui defensionem in continenti fiat; quo quis injustam vim, vel aggressionem occisivam, aut mutilationem patitur, vel certo imminentem cognoscit; non vero postea et intervallo, postquam aggressor jam abiit, aut nocere et aggredi destitit, nullumque amplius periculum est; *arg. c. Si vero de Sentent. Excomm*. ibi: *Si in continenti vim vi repellat*. Concordat *l. quod est*. §. 9. *ff. de vi armata*. Ratio est; quia si ex intervallo adversarium quis occidit, postquam amplius nocere non vult, vel non potest, vel metuendus non est, jam non amplius ex necessaria sui defensione, sed ex vindicta, consequenter illicite egit; prout cum Communi aliorum late deducit Farinacius *in praxi Crimin. q*. 125. *a num*. 336.

135 Notant tamen merito Doctores, quod sicut nullus expectare, donec eum alter acto aggrediatur, sed sufficiat, si aggressionem injustam certo imminentem sciat, ad hoc, ut pro defensione vitae, et corporis illum occidere valet, ita etiam possit eundem occidere, postquam aggredi jam cessavit, et aufugit, si certum periculum sit novae invasionis; quia in tali casu praeventio nec vindicta, nec injusta aggressio, sed pura defensio foret, juxta jam dicta supra, Pirhing *h. t. n*. 92. Navarrus *Man. cap*. 15. *n*. 2. *in fine*, etiam diximus in Theologia nostra Morali *Tract*. 9. *dist*. 2. *q*. 1. *n*. 18.

136 Caeterum num *Tria* haec ad moderamen inculpatae tutelae requisita, rite sint observata, relinquendum est prudentiae et arbitrio Judicis. Farinacius *loc. cit*. Pirhing *h. t. loc. cit*. et Communis aliorum. Ratio est; quia de factis particularibus ob varias circumstantias certa Regula tradi non potest.

137 Resp. II. Etiam pro defensione vitae, et membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imo et extraneorum Innocentium licitum est, iniquum aggressorem servato moderamine inculpatae tutelae occidere. Farinac. *in praxi Crimin. q*. 124. *a n*. 267. Clarus ꝟ. *homicidium n*. 27. dicens esse ab omnibus Doctoribus approbatum, *arg. can. Fortitudo* 5. *can*. 23. *q*. 3. ibi: *Fortitudo, quae vel in bello tuetur a Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, planae justitiae est. can. Non inferenda* 7. *can. qui potest*. 8. *ead. cau. et q*. juncto *c. Dilecto*. §. 6. *Et quidem. de sentent. Excomm. in* 6. Ubi etiam injuriae, et criminis solius reus censetur, qui dum potest, innocentem non defendit: *qui enim non repellit a socio injuriam*, dicitur *cit. can. non inferenda, tam est, quam ille, qui facit*. Concordat *l*. 1. § 4. *ff. ad legem Cornel. de Sicar*. Et constitutio Carolina *art*. 150. §. Item so einer Ratio est; quia non tantum possumus, sed etiam jubemur diligere, consequenter etiam defendere proximum, sicut nos ipsos, juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Unde per Spiritum S. laudatur Moyses, quod Ægyptium injustum aggressorem Hebraei cujusdam occiderit, et absconderit in sabulo, *Exodi cap*. 2. ꝟ 11.

138 Quaeritur II. Num etiam licitum sit ob defensionem bonorum fortunae occidere injustum invasorem? Resp. *Affirmative*, si bona sunt magni momenti, et aliter defendi vel recuperari non possunt. Covarruvias *in Clement. si furiosus. p*. 3. §. *un. nu*. 6. *in fine*. Castro Palao *de Censuris. disp*. 6. *pun*. 15. *n*. 7. *et seqq*. Suarez *de Censuris. Disp*. 46. *sect*. 2. *n*. 10. Lessius *lib*. 2. *de Just. cap*. 9. *dub*. 11. Clarus ꝟ. *Homicidium, a n*. 25. Petrus Navarrus *lib*. 3. *de Restit. cap*. 4. *n*. 418. cum satis communi aliorum, *arg. L*. 1. *C. Unde vi*, ubi etiam universaliter concedi videtur illis verbis: *Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatae tutelae moderamine illatam vim propulsare licet*: consequenter etiam occidere, si occisio ad defensionem est necessaria; cum permisso fine permittantur etiam media ad illum consequendum necessaria, *arg. c. Praeterea* 5. *de Offic. et potest. Judic. delegati. l*. 2. *ff. de Jurisd*. cum Concordantiis: concordat *l. Furem*. 9. *ff. ad Legem Cornel. de Sicar*. Ratio est: Tum quia res et bona nostra utpote ad vitam conservandam necessaria, vitae quodammodo comparantur, *l. Advocati* 14. *C. de Advocatis diversor. judicior*. et ibi Glossa communiter recepta: Tum quia, si pro defensione bonorum necessaria non liceret occidere injustum invasorem, improbi multum moverentur ad diripienda bona nostra.

Dicitur autem notanter, *si bona sunt magni* 139
momenti, et aliter defendi, aut recuperari non valent; quia, quod ob res levis momenti occidere non liceat aggressorem, hodie certum videtur ex Decreto Innocentii XI. sequentem Doctrinam damnantis: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Pariter non licet occidere, si res alio modo defendi, aut iterum recuperari possunt, quia tunc non servaretur moderamen inculpatae tutelae, consequenter illicite ageretur, *arg. cit. l*. 1. *C. unde vi*. Hinc bene infert Clarus *loc. cit. num*. 47. non licere occidere invasorem bonorum, v. g. furem, si clamando, quia potest habere aliorum auxilium, et rem suam defendere, vel recuperare, vel si potest furem capere, vel si habet testes, quibus potest in Judicio, vel alio modo rem ab eo iterum recuperare.

Resp. II. Insuper interficere non licet iniquum 140
accusatorem, testem, vel Judicem, etsi ab eis grave damnum temporale immineat; quia ab Alexandro VII. absolute damnata est doctrina sequens: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, et falsum Judicem, a quo iniqua certe imminet sententia; si alia via non potest innocens damnum evitare*. Ratio est; quia admissa hac *propositione*, innumera sequerentur absurda, et mala: dum amore proprio multi excaecati se reputarent, et dicerent innocentes, etiamsi tales non essent, et occidere niterentur praefatas personas: Et ipsi quoque Judices, accusatores, et testes, ut securos se redderent, reum vel judicialiter, vel privatim occiderent, etiam non exigente justitia, aut occidi facerent, ut consideranti patet.

Resp. III. Non licet defendere defensione occisiva, 141
ea, ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus; quia hoc etiam damnatum est ab Innocentio XI. in sequenti Propositione, quae inter damnatas 32. est, ita sonans: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus*.

Resp. IV. Pariter condemnatum est dicere: *Licitum* 142
est tam Haeredi, quam Legatario contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur se taliter (id est defensione occisiva) *defendere: sicut et jus habenti in Cathedram, vel Praebendam contra earum possessionem injuste impedientem*. Rationem multiplicem, et fundamenta utriusque Conclusionis, justaeque damnationis harum *propositionum*, vide apud Theologos, praesertim

illos, qui in *propositiones damnatas* scripserunt.

143 Quaeritur III. Utrum liceat etiam pro necessaria defensione honoris, et famae occidere? Resp. Quamvis multi Doctores, inter quos est Tanner. *Tom.* 3. *Disp.* 4. *q.* 8. *n.* 73. Suarez *de Censuris. disp.* 46. *sect.* 1. *n.* 5. *et* 6. affirment, eo quod pro necessaria defensione bonorum fortunae id liceat, juxta dicta *a n.* 138. consequenter a minore ad Majus pro necessaria defensione bonorum famae, et honoris, utpote quae longe majoris et praestantioris sunt ordinis, quam bona fortunae, vitaeque magis aequiparentur, quam ista, adeo ut vir honestus plus metuat gravem jacturam famae et honoris, quam vitae, *l. isti.* 8. § *penult. ff. quod metus causa* ibi: *Cum viris bonis iste metus major, quam mortis esse debet*. Nihilo minus cautissime in uso hujus doctrinae procedendum: cum rarissime detur casus, in quo pro defensione famae et honoris liceat occidere, eo quod ordinarie loquendo vel fama et honor alia via salvari queat, sicque occisio non fiat servato moderamine inculpatae tutelae, vel hujusmodi occisio vindictam spiret: vel si passim concederetur, in perniciem Reipublicae redundaret, uti videre est apud Theologos scribentes in *propositiones damnatas*; Inter quas ad propositum etiam sunt sequentes, quarum damnatio id, quod hic dicimus, confirmat: Imprimis illa, quam allegavimus *n.* 140

144 Dein damnata ab Alexandro VII. ordine 17. sic sonans: *Est licitum Religioso, vel Clerico Calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus se defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, uti si Calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice vel coram gravissimis viris praedictum impingere, nisi occidatur.*

145 Item illa ordine 30. damnata ab Innocentio XI. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit: Idque quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fustis statim fugit.*

146 Quaeritur IV. An? et quando irregularitatem contrahat, qui pro justa defensione vitae, membrorum, vel bonorum famae, honoris, vel fortunae proximum occidit? Resp. I. Qui servato moderamine inculpatae tutela ob necessariam defensionem propriae vitae, aut membrorum injustum occidit invasorem, non tantum a culpa sed etiam ab *irregularitate*, omnique alia poena immunis est. Covarruvias in *Clement.* un *h. t. p.* 3. §. un. *n.* 1. Castro Palao *de Censuris. disp.* 6. *pun.* 8. *n.* 1. Suarez *de Censuris. disp.* 46. *sect.* 1 *n.* 4. Barbosa *in cit. Clem. un h. t.* n *n.* 11. Navarrus *in Man cap.* 27. *n* 207. *et* 212. Pirhing *h. t. n.* 77. Cum communi, et hodie certa aliorum *arg. cit. Clem. un. h t.* ubi dicitur, *illum non incurrere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem*. Ratio est; quia talis non incurrit *irregularitatem* ex delicto; cum tale homicidium careat omni culpa per dicta supra n 130. nec ex defectu lenitatis, quia hic non intervenit, ubi caedes ex necessaria defensione fit; ergo.

147 Dices *can de his.* 6. et *can. si quis.* 8. *dist.* 50. expresse statutum habetur, etiam illos, qui pro sui defensione alium occidunt, ab ordine repelli, consequenter *irregulares esse*; et *in Concil. Trident Sess.* 14 *de Reform. cap.* 7. Ordinario loci committitur dispensatio cum illo, qui etiam vim vi repellando, suum occidit invasorem; ergo Conclusio non subsistit. Resp Canones antiquos loqui de illis, qui non servato moderamine inculpatae tutelae occidunt, uti bene observat communiter recepta Glossa *fin. in cit. can de his, et in can. si quis.* ℣. *dispensatione*. Pariter Concilium Tridentinum loqui censetur de illis praecise, qui vim vi repellentes excedunt moderamen inculpatae tutelae, ut cum Communi aliorum bene observat Suarez *loc. cit. n.* 3. Barbosa *de Offic. et potest. Episc. Allegat.* 30. *n.* 54. Pirhing *h. t. n.* 77. allegans pro hoc Declarationem Cardinalium. Ratio etiam responsionis utriusque est: Tum quia, ut colligitur ex textu *Clem. un. h. t.* non inducitur Jus novum, sed potius declaratur antiquum: Tum quia P. P. Concilii Tridentini non videntur voluisse corrigere, et revocare Jus antiquum a Clemente V. declaratum, et novam *irregularitatem* inducere.

Dicitur tamen notanter, *qui servato moderamine inculpatae tutelae*; cum enim qui dicto moderamine non servato occidit, *irregularem* esse, omnes fatentur. Probatur tam ex Juribus *num. praeced.* citatis: tum ex *cit. Clem. un h. t.* ubi ab *irregularitate* solum excipitur, qui mortem aliter vitare non valens, consequenter qui servato moderamine inculpatae tutelae occidit; ergo a sensu contrario, qui aliter vitam servare valens, consequenter qui moderamen inculpatae tutelae excedens *irregularis* est. Porro quando quis censeatur servare, aut excedere moderamen inculpatae tutelae, habes supra a *n.* 132. 148

Ad Controversia non modica est inter Doctores, num moderamen inculpatae tutelae excedere, consequenter *irregularitatem* contrahere videatur, qui injustum invasorem occidit casu, quo fuga salvare se potest. Et quidem Abbas *in c. Olim. il. I. de Restitut. spoliat. n.* 28. Sylvester ℣. *Excommunicatio* 6. *q.* 9. Navarrus *cap.* 27. *num.* 211. Barbosa *in Clement. un h. t. n.* 23. cum Glossa *ibid.* ℣. *Non valens*, communiter recepta absolute volunt, talem esse *irregularem*, eo quod *cit. Clem.* solummodo illum excipit, qui *mortem aliter vitare non valens* occidit, qualis non est, qui fuga salvare se potest. 149

Covarruvias econtra *in cit. Clem. p.* 3. §. *un. n.* 1. *et* 4 Suarez *de Censuris. disp.* 46. *sect.* 1. *n.* 5. Bonacina *de Censuris. disp.* 7. *q.* 4. *pun.* 6. *n.* 4. Castro Palao *de Censuris disp.* 6. *pun.* 8. *n.* 5. Petrus Navarrus *lib.* 2. *de Restitut. cap.* 3. *n.* 418. et alii distinctione utuntur docendo, illos, qui sine gravi infamia, dedecore, aut honoris jactura fugere, fugiendoque vitam, et membra salvare possunt, uti Clerici, Religiosi, plebei, ignoti; item Nobiles, si aggressio de nocte, vel ita in occulto fit, ut fuga lateat, consequenter exinde etiam talis in fama et honore nullam patiatur gravem jacturam, omnino incurrere *irregularitatem* ob fundamentum supra *num. praeced* allegatum, 150

Illos vero, quibus fuga esset multum ignominiosa, famaeque et honori graviter praejudiciosa, uti sunt milites, praesertim Officiales, et belli Duces, item viri Nobiles saeculares, *irregularitatem* non incurrere, si injustum aggressorem occidunt, vel mutilent, etsi hujusmodi ignominiosa fuga vitam et membra sua salvare possent. Ratio est: Tum quia fama et honor aequiparantur vitae, *arg. l. Justa causa.* 9. *ff. de Manumiss. vindicta*; imo subinde praesertim apud viros Nobiles praefertur, *l. isti.* 8. *n* 2. *ff. Quod metus causa*, ibi: *Cum viris bonis iste metus major, quam mortis esse debet*. Tum quia hujusmodi homicidium non est absolute voluntarium, sed quodammodo necessarium, et inevitabile ad evertendam gravem ignominiam gravemque jacturam famae et honoris, vitae comparatae: consequenter ob paritatem rationis ab *irregularitate* vi *Clem. un. h. t.* immune; sicut ob rationis paritatem ab eadem *irregularitate* immunis est, qui servato moderamine occidit invasorem ebrium,. 151

etsi in dicta *Clemeat.* solus furiosus expressus sit. Palao *loc. cit.* Et per haec patet ad fundamentum contrarium n. 148. adductum; quia videlicet in tali casu quis mortem, vel morti aequivalens, eamque superans gravem nempe ignominiam, graviterque praejudiciosam famae, et honoris jacturam vitare non valet.

151 Alia Controversia ad propositum de casu, quo quis contumeliosis verbis, alapa, adulterio uxoris, vel alia injuria alium injuste afficit, indeque eum ita irritat, ut injuriantem occidere nitatur: Controversia, inquam, est, num talem necare intendentem occidens, sit *irregularis*? Ad quam Sylvester ℣ *homicidium.* 8. *q.* 8. Sotus *lib.* 5 *de Justit. q.* 1. *art.* 9. et alii *negative* respondent; nisi talis praecedente sua injuria inferenda, hujusmodi homicidii periculum praevideret. Ratio est, quia etsi quis male agat, si alium injuriosis verbis, alapa etc. ad iram et vindictam irritet, et culpabilis causa illius sit; tamen exinde nullum tribuitur jus alteri propria auctoritate lethaliter se vindicandi, et mortem intentandi. quare si eam nihilo minus attentat, injustus aggressor vitae est; consequenter servato moderamine inculpatae tutelae absque *irregularitatis* note occidi potest, per Jura supra *n.* 145. allegata.

152 Recte tamen post Palao notat Suarez, et Coninch, quod si in tali casu prius injurians fugere, et fugiendo vitam salvare potest, teneatur; quia ei tam ignominiosum non est, fugere iram illius, quem injuste prius irritavit.

153 Dicitur autem notanter n. 151. *Nisi talis ex praecedente sua injuria inferenda hujusmodi homicidii periculum praevideret*; quia in tali casu occidentem esse; *irregularem*, bene docet Gutierrez *Can. q. q. lib.* 2. *cap.* 6 n. 43. Molina *de I. et I. Tract.* 3. *disp.* 72. *n.* 5. Ratio est; quia licet tale homicidium non sit injustum directe ex ratione defensionis, est tamen injustum indirecte, et in causa, ac propterea *irregularitati* subjectum, sicut homicidium casuale illicitum in causa per dicenda infra.

154 Resp. II. Sicut qui ob propriae, ita etiam, qui ob alterius innocentis vitae, et membrorum necessariam defensionem servato moderamine inculpatae tutelae occidit injustum aggressorem, ab irregularitate immunis est Covarruvias *in cit. Clemeat. an. h. t. p.* 3. §. *un.* n. 5. Barbosa *in eandem* n. 19 Clarus ℣ *Homicidium n.* 27. *et* 28. Suarez *de Censuris. disp.* 46. *sect.* 3. n. 2. *et* 3. Garcias *de Beneficiis. p.* 7. *c.* 11. n 53. *in fine.* Pirhing *h. t. n.* 81. contra Sylvestrum, Abbatem, et alios. Ratio est; quia homicidium licitum non inducit *irregularitatem*, nisi ex defectu lenitatis et mansuetudinis: atque hic non intervenit in homicidio, quod committitur in defendendo innocentem proximum contra injustum aggressorem, cum non sit voluntarium, sed necessarium, utpote ex charitate, ac subinde etiam ex justitia debitum; ergo.

155 Dices: Etiam Judex, et reliqui Ministri justitiae necessario, utpote juxta praescriptum legis, et ex debito justitiae occidunt Malefactorem, et tamen defectum lenitatis, ac mansuetudinis Christi habere indeque *irregulares* esse censentur. Ergo etiam a defectu lenitatis, consequenter ab *irregularitate* non excusatur, qui pro defensione proximi, alium necessario occidit. Respondetur negando paritatem inter hunc, et Judices, aliosque Ministros justitiae: quia licet hi, postquam Officium, quo funguntur, assumpserunt, necessario occidant, tamen homicidium eorum dicitur adhuc voluntarium in causa, consequenter defectui lenitatis subjectum, quia tale Officium sponte, et voluntarie, vel saltem non ita coacte susceperunt, ut sine peccato mortali pro necessaria defensione innocentis moraliter ita necessario committitur, ut, qui sine suo periculo, et gravi incommodo defendere potest sine peccato declinare non valeat; consequenter ab omni defectu lenitatis immunis merito censeatur.

156 Urgebis *Clem. un. h. t.* illi tantum *homicidae* ab *irregularitate* excusantur, qui pro necessaria defensione propriae vitae injustum aggressorem occidunt, ibi: *Qui mortem aliter vitare non valens occidit etc.* Resp. Per hunc textum non excludi defensionem vitae alterius, eo quod Papa *ibid.* non condat Jus novum, sed praecise declaret antiquum circa casum saepius occurrentem, reliquos casus relinquens prudenti opinioni Doctorum. Avila *de Censuris, disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 5.

157 Quaeritur V. An *irregularitatem* contrahat, qui servato moderamine inculpatae tutelae occidit proximum pro defensione bonorum temporalium? ℟ Quamvis plures graves Doctores, ut Navarrus *Man. cap.* 27. *nu* 213. Sylvest. ℣ *Homicidium* 2. *q.* 56 n. 21. Abbas *in c* 2. *h. t n.* 2. et ibi Glossa communiter recepta (quam tanquam probabiliorem in hoc etiam secuti sumus in *Theologia nostra Morali Tract* 13. *dist.* 3. *q.* 4. *a n.* 65. Tum ob fundamenta ibid. allegata: Tum ob Jura, et rationes infra *a n.* 159 allegandas) velint, quod, etsi subinde liceat servato moderamine inculpatae tutelae pro conservandis magni momenti rebus temporalibus injustum invasorem occidere, tamen ita occidens semper *irregularis* sit per rationes, et Jura infra *a n.* 159. adducenda. Nihilo minus

158 Resp II. Probabilis quoque, et in praxi tuta videtur sententia dicens, quandocunque quis licite occidit proximum pro defensione bonorum temporalium juxta dicta *num.* 138. ab *irregularitate* immunis est. Ita Doctores supra *num.* 138. citati, cum quibus etiam sentit Barbosa *in Clem. un h. t. nu.* 20 *et in c* 2 *h. t. n.* 4 Pirhing *h. t. n.* 86. Sotus *lib.* 5. *de Justit. q.* 1. *art.* 8. Sayrus *lib* 6. *cap.* 17. *nu.* 22. et alii. Ratio Conclusionis est, quia taliter occidens, nec ex delicto, nec ex defectu lenitatis est *irregularis.* Non ex delicto, quia ut supponitur ex dictis, et fatentur plures hujus Conclusionis Adversarii, tale homicidium est licitum: Nec ex defectu lenitatis, tum quia defectus lenitatis in illis duntaxat esse censetur, qui ex auctoritate publica, non qui privata licite occidunt. Palao *de Censuris. disp.* 6. *pun.* 15. § 8. *n.* 7. Tum quia tale *homicidium* non omnino voluntarium, ac per se intentum est; cum solo rerum defensio principaliter intendatur, caedes vero per accidens sequi censeatur, quippe ad quam occisor moraliter cogitur pro rebus suis tuendis, ut proin non tam occisio voluntaria, quam necessaria defensio sit; ubi autem ita necessario, et non sponte *homicidium* privata auctoritate committitur, defectus lenitatis, et omnis poena *Canonica* abesse censetur, prout jam dictum est supra, ac etiam desumitur ex *can. quia te.* 28. *dist* 50. ubi ad casum, quo Episcopus pro tuenda sua libertate (non vita) aliquos occidit, respondet Papa: *Sed quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris, inde Canonice nullo modo judicaris*

159 Contra hanc Conclusionem objiciunt Adversarii varios Juris textus, et *imprimis* quidem *Clem. un. h. t* ubi ille duntaxat ab *irregularitate* immunis declaratur, ob defensionem vitae occidit.

160 *Secundo c.* 2. *h. t* ubi ab *irregularitate* excusatur, qui se, suaque defendit: ergo qui non se, seu propriam personam, ut vitam, sed sua tantum occidendo defendit, irregularis est.

161 *Tertio c. Perfodiens. eod.* ubi habetur furem nocturnum, non item diurnum (nisi telo se defendat) impune occidi posse; quia de die constare potest, furem praecise ad furandum, non ad occidendum

venisse; quibus verbis satis indicatur, pro sola defendenda vita, non item pro rebus licite occidi posse.

162 *Quarto. c. Suscepimus.* 10. *h. t.* ubi latronem furantem occidens *irregularis* declaratur, addita ratione contra Conclusionem militante. *Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus, et transitoriis tam acriter in illos exardescere etc. Constat eos contra mansuetudinem Ecclesiasticam interemptos.*

163 *Quinto c. Significasti.* 18. *h. t.* Ubi Clericus latronem pro defensione rerum Ecclesiae percutiens *irregularis* pronuntiatur, si vulnus fuit lethale.

164 Adduut insuper rationem Conclusioni nostrae adversam, videlicet; quia exigente lege, et ordine charitatis vita proximi praeferenda est rebus nostris temporalibus, adeo, ut etsi subinde sine delicto, nunquam tamen sine defectu lenitatis propter has conservandas injustus aggressor occidi valeat.

165 Verum nec textus allegati, nec ratio addita efficaciter militare videntur contra Conclusionem nostram *n.* 158. positam, uti ex singulorum solutione patebit. Nam ad *primum* respondetur, exinde quod *Clementina* solum excipiat occisionem alterius ob defensionem propriae vitae, non sequitur, occidentes pro necessaria bonorum defensione *irregulares* esse; uti patet ex dictis *num.* 154. Quibus accedit, quod hoc argumentum probaret nimium, videlicet, etiam illum esse *irregularem*, qui ad evitandam mutilationem alium occidit, vel servato moderamine inculpatae tutelae occidit ebrium aggressorem.

166 Ad *secundum* respondetur, dictionem *et* in *c. interfecisti h. t.* sumi pro dictione *vel*, ita ut sensus sit, qui ut se, *vel* sua defendat, occidit aggressorem, ab irregularitate immunis est; quia alias, qui se tantummodo, seu propriam personam atque vitam, et non simul bona occidendo defenderet, *irregularis* esset: Prout non raro in Jure dictio *et* pro *vel*, et copulativa pro disjunctiva, si materia exigat, accipiuntur, *arg. c. verum* 15. *de Jurejur. l. Saepe.* 53. *ff. de V. S.* ibi: *Saepe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, disjuncta pro conjunctis.*

167 Ad *tertium* respondetur, *c. Perfodiens. h. t.* plus pro, quam contra Conclusionem militare, hoc ipso enim, quod concedat, furem etiam *diurnum* occidi posse, si telo se defendat, seu efficaciter resistat, ne a furandis rebus impediatur, manifeste concedit, pro conservandis rebus suis occidi posse furem, si aliter conservari nequeunt; cur autem Papa ibidem allegando leges faciat distinctionem inter furem *nocturnum* et *diurnum*, illumque non item istum absolute et indistincte occidere permittat, ratio est; quia regulariter loquendo, seu *nocturnus* sine periculo arceri a furto nequit, nisi occidatur; cum non videatur, nec sciatur, qualiter instructus veniat: adeoque praesumptio est pro occidente, quod servato moderamine inculpatae tutelae pro conservatione rerum suarum occiderit. Econtra vero *diurnus* fur, cum regulariter loquendo facile videri et cognosci valeat, ac sine occisione a furto impediri, resque conservari, aut recuperari valeant, *interficiens* illum non praesumitur, sed probari debet, se aliter furtum impedire non potuisse; quod sufficienter praestatur, si probatur, aut alias constat, furem telo, id est, quocunque armorum genere, vel defensionis instrumento (nam ut bene advertit Glossa *in cit. c. Perfodiens. h. t.* ✠. *Telo. Telorum nomine etiam lapides et fustes intelligi*, *l. Si pignore* §. *Furem. ff. de Fur. ferrum*: item et omne quod arcu, vel manu mittitur, §. *Item. Lex Cornelia. Instit. de Public. Judic.*) se, ne a furto impediatur, defendat: Quamvis in Foro interno securus sit, si vere absque occisione res suas magni momenti conservare non poterit, etsi pro Foro externo id probare non valeat.

Ad *quartum* respondetur, Clericum illum *in c. Suscepimus. h. t.* irregularem fuisse declaratum, ob non servatum moderamen inculpatae tutelae, uti colligitur ex ✠. *Exardescere*, et reliquo textu, quo constat, quod Monachus ille occiderit latrones in custodia detentos, postquam res furtivae jam fuere recuperatae, et sine ullo periculo alio transferri, et conservari potuissent, antequam latrones solverentur, uti cum aliis bene advertit Covarruvias *loc. cit.* 168

Ad *quintum* respondetur, etiam illum Clericum *in cit. c. Significasti.* expressa excessisse moderamen inculpatae tutelae, uti patet tum ex fine hujus c. Tum ex eo, quod clamando, et implorando aliorum auxilium furtum impedire, et res Ecclesiae servare potuisset, cum Parochiani statim adfuerint, et succurrerint. 169

Ad argumentum ex ratione desumptum respondetur, ex lege et ordine charitatis tunc sollummodo nos teneri praeferre vitam proximi bonis nostris temporalibus, quando proximus versatur in extrema, et quasi extrema necessitate; minime vero quando proximus absque tali necessitate res nostras libere et malitiose auferre attentat. Nam si in tali casu vim vi repellere, et, ubi opus est, pro conservandis rebus nostris, servato moderamine inculpatae tutelae, injustum aggressorem occidere non liceret, furibus et latronibus ampla praeberetur ansa et occasio, quemlibet invadendi, et rebus suis spoliandi, prout supra jam dictum est. 170

Ex quibus omnibus patet, nec Canones, nec rationem adversari Conclusioni nostrae n. 158. positae. Quae etiam confirmatur ex doctrina adversariorum fatentium, eum, qui servato moderamine inculpatae tutelae pro defensione bonorum temporalium occidit iniquum aggressorem, nullum quidem peccatum, tamen defectum lenitatis committere, indeque *irregularitatem* incurrere. Nam contra est, quod secundum graves Doctores *homicidia* privata non nisi ex delicto *irregularitatem* inducunt, cum lenitatis defectus solis illis, qui auctoritate publica, Judices nempe, et Ministri justitiae, ac milites occidunt, imputetur; consequenter, si occidens iniquum aggressorem rerum nec peccat, et ex delicto *irregularis* non sit, multo minus ex defectu lenitatis talis evadet; prout post Covarruviam *in cit. Clem. au. h. t. p.* 3. §. *au. n* 5. et communem aliorum bene advertit Castro Palao *de Censur. Disp.* 6. *pun.* 15. *n* 9. tradens universalem; *Quicunque privata auctoritate licite occidit. irregularis non est.* 171

Resp. III. Sicut juxta dicta supra servato moderamine inculpatae tutelae licitum est non tantum pro defendendis propriis, sed etiam alienis rebus occidere iniquum aggressorem; sic etiam ab *irregularitate* immunis est, tam qui proximi, quam si suas res defendit, ut bene docent Doctores citati, ob rationes ibidem allegatas. Quibus accedit Regula universalis *num. praeced.* posita. 172

Et procedunt hactenus dicta non tantum de Laicis, sed etiam Clericis iniquum aggressorem vitae, vel membrorum, vel rerum sive suarum, sive proximi servato moderamine inculpatae tutelae occidentibus, ita ut ab *irregularitate* et omni alia poena immunes sint, ut cum aliis bene advertit Pirhing *h. t. n.* 91. patet ex *c. Olim.* 12. *de Restit spoliat.* et ex *c. Dilecto* 5. *Sentent. Excomm. in* 6. nec

nou ex responsione ad Canones *a n.* 159. allegatos, ex quibus quidam Doctores contrarium probare conantur. Accedit, quod vim vi repellere Jus naturae concedat, consequenter etiam Clericis competat.

174 Resp. IV. Quicunque in casu aliquo pro necessaria defensione famae et honoris licite occidit invasorem, in eodem immunis erit ab *irregularitate*. Patet Conclusio a pari, vel a majori ad minus, ex dictis *a num.* 158. *et seqq.* An autem, et quando liceat pro defensione famae et honoris occidere, vide dicta *n.* 143. et 144. ubi colliges, quod, sicut ordinarie loquendo illicitum, ita etiam ordinarie loquendo *irregularitati* subjectum sit *homicidium* pro praetensa defensione famae et honoris commissum, si excipias casum, de quo supra *n.* 150.

§. V.

De Homicidio Casuali; et Irregularitate inde proveniente: aliisque poenis illius.

SUMMARIUM.

175 *Homicidium* Casuale *quid? et quotuplex?*
176 *Ex homicidio mere* Casuali, *ex opere licito secuto, nulla incurritur irregularitas, nec alia Juris poena.*
177 *Adducuntur pro praxi varii casus.*
178 *Et assignatur ratio.*
179 *Furiosus quoque amens, et infans occidens aliquem ab irregularitate immunis est.*
180 *Quid de ebrio sentiendum? Remissive.*
181 *Homicidium* Casuale *ex opere licito qui committit, irregularis est, si ex culpa gravi omittit debitam diligentiam cavendi mortem, aut mutilationem.*
182 *Magistri in corrigendis Discipulis sunt irregulares, si ex gravi eorum excessu mors et mutilatio sequitur.*
Castigatio levis duntaxat, non excessive gravis permissa est Magistris. Ibid.
183 *Homicidium* Casuale *praefato modo commissum, quod inducat irregularitatem, probatur ulterius ex Jure.*
184 *Et ratione.*
185 *Inducit etiam de Jure Civili poenam, non quidem ordinariam, sed extraordinariam.*
186 *Secundum aliquos etiam levis culpa in vitanda morte alterius* Casuali *sufficit ad irregularitatem.*
187 *Sed probabilius requiritur culpa gravis.*
188 *Ratio hujus assignatur.*
189 *Et solvitur Objectio.*
190 *In actionibus licitis, in quibus prorsus nullum mortis periculum annexum habentibus, nulla est obligatio adhibendi specialem diligentiam de cavenda morte alterius.*
191 *Homicidium* Casuale *ex opere illicito secutum semper inducere irregularitatem volunt plures.*
192 *Idque probatur ratione.*
193 *Et Jure.*
194 *Alii vero volunt, ex illo nunquam oriri irregularitatem, si debita diligentia cavendi mortem adhibetur.*
195 *Probabilius cum distinctione docetur, videlicet tale homicidium inducere irregularitatem, si actio illicita ex se et natura sua inducens, et annexum habeat mortis, aut mutilationis periculum.*
196 *Si vero actio illicita, ex qua homicidium* Casuale *sequitur, tale periculum ex se non inducit, irregularitas non contrahatur.*
197 *Quod probatur etiam, remissive.*
198 *Et solvuntur objectiones contra hanc secundam partem distinctionis, usque ad n.* 200.
200 *Clerici Medicinam, et Chirurgiam exercentes sunt irregulares, si mors inde casualiter sequitur.*
201 *Non item si mere casualiter sequitur ex ipsorum venatione.*
202 *Homicidium* Casuale *ex opere illicito quando inducit irregularitatem, etiam alias saltem extraordinarias Juris poenas secum trahit.*
203 *Requiritur autem culpa gravis in omittenda diligentia cavendi mortem ex opere illicito nullam mortis periculum secum habente.*
204 *Homicidium, quod quis in ebrietate usum rationis non adimente committit, irregularitatem inducit.*
205 *Commissum autem in ebrietate usum rationis adimente irregularitatem non facit.*
206 *Etiamsi voluntarie et gravi cum culpa se quis inebriet.*
207 *Dummodo homicidium prius non intendat, nec praevideat, nec rationabiliter praevidere possit.*
208 *Sicut ab irregularitate, ita etiam ab aliis Juris poenis immunis est, homicidium in ebrietate usum rationis adimente committens.*
209 *Etsi voluntarie se inebriet.*
210 *Quamvis huic specialia statuta, et consuetudines locorum poenam saltem extraordinariam infligant.*
211 *Qui ab experientia scit, se in ebrietate homines periculose invadere, irregularis est.*
212 *Et alias, non tamen ordinariam, Juris poenas incurrit, morte vel mutilatione secuta.*
213 *Solvitur Objectio.*
Culpa lata an? et quando aequiparetur dolo? Ibid.

Quid et quotuplex sit Homicidium *Casuale*; patet ex dictis supra *n.* 4. *et* 15. Hic solum praenotandum, Homicidium *Casuale* contingere, indeque *irregularitatem* consurgere posse tam ex opere licito, quam illicito. Hinc pro majori claritate distinctas instituemus de his quaestiones. 175

Quaeritur I. An? et quando Homicidium *Casuale* ex opere, vel actione licita secutum inducat irregularitatem, vel alias Juris poenas? Resp. I. Ex Homicidio mere *Casuali*, quod ex opere licito absque ulla culpa, et dolo committitur, et ad quod evitandum debita diligentia fuit adhibita, ita ut mere casualiter, et fortuito contingat, nulla inducitur *irregularitas*, nullaque alia contrahitur poena sive Canonica, sive Civilis. Communis et certa, *arg. l. item Mela.* 9. §. 4. *l. Si putator, in fine, ff. ad Leg. Aquil. l.* 1. *et l. Eum qui* 5. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Quibus consonat *Constit. Carolin. art.* 146. Et extant pro hac Conclusione varii expressi Canones, uti c. *Lator.* 9. c. *Dilectus.* 13. c. *Ex litteris.* 14. c. *Ex litteris.* 15. c. *Significasti.* 16. c. *Exhibita.* 22. c. *Joannes.* 23. c. *Quidam h. t.* 24. Ubi ad varios hujusmodi casus, in quibus ex opere licito absque omni culpa homicidium *Casuale* contigisse, et exinde nullam *irregularitatem* contractam esse narratur. 176

177 Uti si v. g. quis debita cautela adhibita ex charitate, aut officio levet aegrotum, et is per hoc extinguitur: vel si quis ex praescripto Medici praebeat pharmacum, quod ei mortem affert: vel etiam si quis non Clericus, aliud est de Clerico juxta dicenda infra *n.* 200. (alicui praebet Medicinam aliis satis salubrem, et experientia comprobatam, quae tamen eum necat: vel si duo, aut plures, loco et tempore debito, pila, conis, jaculatione, aut alio honesto lusu se distrahunt, et unus eorum fortuito

percutitur, aut trajicitur: vel si, dum quis campanam pulsat, pistillum decidens praetereuntem interficit: vel si quis equitat, et equum forsan terrefactum, indeque ferocem effectum cohibere non valens, praetereuntem equo conculcat, et occidit: vel si quis ab alto trabem, vel lapidem projiciens praetereuntem enecat, postquam prius prospexit, et neminem vidit, aut prius satis clamavit, ut inferius existentes sibi caverent etc. Per Jura allegata.

178 Ratio est: Tum quia tale mere *Casuale* Homicidium nec directe, nec indirecte est voluntarium, consequenter penitus non imputandum; unde bene dicit Papa c. *Dilectus* 13. *h. t. in fine: Cum Capellanus* (qui equum cohibere non valens, occidit mulierem) *nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitae rei, non impedias, quo minus divina possit officia celebrare.*

179 Pariter si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex his *irregularitatem* incurret; *Clem. un. h. t.* Ratio est; quia hi omnes ratione, ac propterea etiam culpa carent in suis actionibus; consequenter ab omni Irregularitate immunes sunt.

180 Num autem ebrius quoque utpote usu rationis pariter carens ab *irregularitate* liber sit, si tempore ebrietatis aliquem occidat, dicetur infra *n.* 205.

181 Resp. II. Homicidium *Casuale* ex opere licito secutum *irregularitatem*, et alias saltem extraordinarias Juris poenas inducit, si tale opus exercens negligentiam, et culpam latam Theologicam commisit in vitando mortis seu homicidii periculo. Rursus communis et certa, *arg. c. Presbyterum. 7. h. t.* Ubi Presbyter ex eo, quod puerum intuitu disciplinae in capite percusserit, et is inde interierit, pro excommunicato habetur; Ratio est; quia licet intentio corrigendi, et ipsa correctio sit opus licitum, quia tamen Presbyter modum excessit, et percutiendo periculosam partem corporis, caput videlicet, debitam diligentiam cavendi mortem non adhibuit, merito *irregularis* censetur. Concordat c. *fin. h. t. in* 6.

182 Hinc universaliter inferunt Doctores, quod Magistri in castigandis discipulis nimium excedentes semper reputandi sint pro *irregularibus*, si mors, aut mutilatio inde sequatur; praesertim cum levis duntaxat castigatio sit permissa Magistris, *l. sed etsi.* 5. *§. ult. ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *Quia levis duntaxat castigatio concessa est docenti: sed Lege Aquila posse agi, non dubito.* et *l. sequenti ff. eod.* ibi: *Praeceptoris enim nimia saevitia culpae adsignatur.*

183 Confirmatur Conclusio ex c. *Continebatur* 8. *h. t.* ubi Clericus pronuntiatur *irregularis* ex eo, quod falcem non removerit a tergo, in quod alter more patriae insiliens lethaliter fuit vulneratus. Ratio est; quia dum Clericus ille sciret, victores in lusu, more regionis insilire in dorsum victi, utique culpabiliter egit, et debitam diligentiam cavendi mortis periculum non adhibuit, dum falcem a tergo suo non amovit, licet alias licitum sit a tergo suo habere. Hinc c. *Presbyterum. 7. h. t.* Summarium universaliter habet: *Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitae, si non adhibuit diligentiam, quam debuit*: quod idem repetitur in Summario c. *Continebatur.* 8. *eod.*

184 Ratio autem Conclusionis est; quia si quis in suis etiam licitis actionibus, ex quibus sequi potest proxima mors, pro ea praecavenda, et vitanda, debitam ex gravi culpa omittit diligentiam et cautelam, censetur mortem illius saltem indirecte velle, consequenter homicidii, et poenarum illius reus esse.

185 Hinc licet Homicidium *Casuale* etiam culpa lata ut supra commissum, non inducat poenam ordinariam ultimi supplicii, *l. quo actione. 7. ad Leg. Aquil. de Sicar.* tamen poena extraordinaria juxta facti et personarum qualitatem propterea infligitur, *arg. l.* 4. §. 1. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* et *l. Eum qui* 5. *C. eod.* juncta constitutione *Caroli V. art.* 146. et datur iis, quorum interest, hominem occisum esse, veluti conjugi, liberis, sociis etc. *Actio ex lege Aquilia* prout amplius in Tit. de injur. et damno dato.

Caeterum notanter dicitur in Conclusione *n.* 181. 186
posita, *saltem si commisit culpam Theologicam*, omittendo debitam diligentiam in vitanda proxima morte; et periculo illius. Quia num etiam *irregularitatem*, et alias Juris poenas inducat Homicidium *Casuale* ob *culpam levem* in illo vitando, ex opere alias licito secutum, controversia satis magna est inter Doctores, quorum aliqui, ut Navarrus *in Clem. un. h. t. p.* 2. §. 4. *n.* 9. Cajetanus ℣. *irregularitas*, *et* alii cum Glossa *in c. Significasti* 6. *h. t.* ℣. *Scivisset.* volunt sufficere etiam levem culpam, *arg. c. Presbyterum.* 7. *et c. Continebatur.* 8. *h. t.* Ubi non nisi levis culpa intervenisse videtur, et tamen eam committentes declarantur *irregulares.*

Econtra Castro Palao *de Censuris Disp.* 6. *pun.* 15. 187
§. 4. *n.* 1. Navarrus *cap.* 27. *n.* 251. Gonzalez *in c. de Caetero.* 11. *h. t. a n.* 1. Suarez *de Censuris. Disp.* 47. *sect.* 5. *n.* 8. Pirhing *h. t. n.* 63. cum communiori et probabiliori aliorum, quam et nos amplectimur, dicunt, requiri latam et gravem culpam saltem ad incurrendam *irregularitatem*, *arg. c. quaesitum. de Poenitent. et Remiss.* ubi pater suffocans filium secum in eodem lecto dormientem *irregularis* declaratur, si ipso voluntarie *procurante*, vel *studiosa negligente* suffocatio contingit, quod utique gravem culpam denotat: Et ex c. *Exhibita.* 22. *h. t.* ubi ab *irregularitate* Papa excusat Clericum ex eo, quod *laesam* non habuerit *conscientiam*, utique graviter; quia leviter ibidem deliquisse Clericum, in cavenda morte alterius, satis ex facto ibidem relato patet.

Ratio autem hujus doctrinae est; quia cum Jura 188
circa qualitatem culpae expresse nil statuerint, merito benignior sententia est amplectenda, *arg. c. in poenis. de Reg. Jur. in* 6. et *l. semper. ff. eod.* praesertim quia *irregularitas* ex Homicidio *Casuali* culpabili imponitur ob culpam, quae debet esse proportionata poena, quae utique est gravissima. Quare in foro conscientiae securissima est sententia, ita, ut qui in vitando aut praecavendo Homicidio *Casuali* moraliter se reum non esse agnoscit, *pro irregulari* se habere non teneatur.

Nec contrarium evincitur ex cit. c. 7. *et* 8. *h. t.* 189
quia ibidem graviter deliquisse ex facto, et textu bene deducunt Doctores *n.* 187. citati.

Caeterum dicta circa obligationem etiam in licitis 190
actionibus adhibendi debitam diligentiam vitandi mortem alterius, intellige de illis actionibus, quae annexum habent aliquod mortis periculum; Qui in actionibus, quae prorsus nullum secum habent mortis periculum, nulla specialis diligentia, vel cautela requiritur, hoc ipso, quod in tali actione nemo de periculo cogitet, consequenter *homicidium*, si quod casu inde contingit, mere casualiter et fortuito contigisse, merito semper praesumitur.

Quaeritur II. An? et quando Homicidium *Ca-* 191
suale ex opere illicito secutum inducat *irregularitatem*, et alias Juris poenas? Ante responsionem notandum, rursus magnam esse Controversiam inter Doctores. Aliqui enim, inter quos est D. Thomas 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. Innocentius *in c. Tua nos.* 19. *h. t.* Navarrus *Manu. cap.* 27. *n.* 220. *et seqq.* Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *n.* 4. Fagnanus *in c. ad audientiam.* 12. *h. t. n.* 9. et alii, praesertim antiquiores Canonistas absolute et universaliter volunt, omnem illum, ex cujus opere illicito sequitur homicidium *Casuale*,

esse *irregularem*, etiamsi de illo vitando omnem adhibuerit diligentiam et cautelam. Idque probant ex c. *Dilectus*. 13. c. *Joannes*. 23. *h. t.* ubi ab *irregularitate* excusatur Clericus, quod operam *dederit rei licitae*, et debitam adhibuerit diligentiam de Homicidio *Casuali* vitando: quod idem habetur in pluribus hujus Tituli capitibus: ergo a sensu contrario *irregularitatem* contrahit, qui rei illicitae, ex qua homicidium *Casuale* sequitur, operam dat, etiamsi omnem diligentiam de illo vitando adhibeat.

192 Rationem dant, videlicet, quia citius contrahitur *irregularitas* per Homicidium *Casuale* ex illicito, quam licito opere secutum, *arg. cit. c. Dilectus*. 13. et *c. Joannes*. 23. *h. t.* cum Concordantiis: quod verum non esset, si ex opere illicito secutum *irregularitatem* non induceret casu, quo illicite operans debitam diligentiam in eo cavendo adhiberet.

193 Confirmant suam doctrinam ex c. *Tua nos*. 19. *h. t.* et c. *Sententiam*. 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, ubi Clerici in sacris constituti, et Monachi *irregulares* declarentur, si medecinam, vel Chirurgiam exerceant, ex qua praeter omnem opinionem mors sequatur, etiamsi sint in arte periti, et omnem diligentiam de morte, et periculo illius vitando, idque nulla alia ex causa, quam quod dictis Clericis et Monachis sit illicitum extra casum necessitatis Medicinam, aut chirurgiam exercere. Glossa *in cit. c. Tua nos. h. t.* ✠. *Congruebat*.

194 Alii econtra, pauci tamen, apud Suarez *de Censuris. disp.* 45. *sect.* 6. *n.* 4. absolute contrarium volunt dicentes, eum, qui dat operam rei illicitae, ex qua homicidium *Casuale* sequitur, non fieri *irregularem*, si ad illud vitandum debitam adhibuit diligentiam. Rationem dant; quia tale *homicidium* non est voluntarium, consequenter eidem non imputandum. Tertiam sententiam, quam nos sequimur, dat conclusio sequens, qua.

195 Resp. I. Ad quaestionem nu. 191. positam, qui dat operam tali rei illicitae, quae ex se, aut natura sua inducit periculum mortis, vel mutilationis, mortisque facile inductiva est, et praesertim, si propterea etiam prohibita existit, *irregularis* efficitur, si ex ea Homicidium sequatur, etiamsi ad illud vitandum, omnem diligentiam, et cautelam adhibuerit. Econtra vero si res, seu opus illicitum quidem, tamen ex se ita constitutum est, ut mortis aut mutilationis periculum non inducat, exercens illud *irregularis* non est, etiamsi ex illo mors alterius *casualiter*, et fortuito sequatur, casu quo ad mortem evitandam, debitam diligentiam adhibuit, nisi in casibus a Jure specialiter expressis. Ita Covarruvias *in Clem. un. h. t. p.* 2. § 4. *n.* 10. Navarrus *cap.* 27. *n.* 121. Avila *de Censuris p.* 7. *Disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 1. ✠ *Sed est tertia opinio*. Castro Palao *de Censuris. Disp.* 6. *pun.* 15. §. 4. *nu.* 4. Suarez *de Censuris. Disp.* 45. *sect.* 6. *lib.* 9. Sanch. *de Matrimon. Disp.* 32. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 65. et alii. *Prima* pars probatur tum ex SS. Canonibus tum ex ratione a *n.* 191. allegata. Quibus accedit etiam haec ratio, videlicet, quod, qui exercet opus ex se periculosum, et mortis inductivum, ac praesertim si propterea prohibitum est, huic periculum, et mors seu homicidium censeatur indirecte saltem, et in causa voluntarium; consequenter merito eidem imputatur ad culpam, et poenam; nec excusat ipsum diligentia ad vitandam mortem adhibita; quia Jure praesumitur, quod in similibus operibus diligentia sufficiens ad vitandam mortem, vel non adhibeatur, vel etiam adhibita non sufficiat.

196 Ratio *secundae partis* est; quia Homicidium *Casuale* ex simili actione illicita nec directe, nec indirecte seu in causa sicque nullo modo voluntarium est operanti, si debitam pro illo vitando diligentiam adhibuit. Non est illi voluntarium directe, ut supponitur; nec indirecte, seu in sua causa; quia, uti pariter supponitur, talis actio ex se vel natura sua non est causativa periculi mortis, aut hanc facile inducens: Si autem *homicidium* ex tali actione sequens operanti, nullo modo est voluntarium, eidem ad culpam imputandum non est; consequenter nec ad poenam *irregularitatis*; cum haec in casu Homicidii *Casualis* non nisi propter culpam in Homicidio repertam imponatur.

Eandem hanc *secundam partem* Conclusionis habes *Lib. I. Tit. XX.* a *n.* 32. 197

Nec huic *secundae parti* Conclusionis obstant fundamenta a *n.* 191. adducta. Nam ad *primum* ex allegatis Canonibus adductum respondetur, in poenalibus non valere argumentum a sensu contrario; praesertim in materia *irregularitatis*, utpote quae non contrahitur nisi in casibus a Jure aperte expressis, c. *Is qui de Sentent. Excomm. in* 6. Quod si quis contendat, vi SS. Canonum omnes *homicidas* universaliter esse *irregulares*, solis exceptis casibus, quibus *homicidium* ex re licita sequitur, adhibita ad illud evitandum omni debita diligentia, respondetur, Canones illos universaliter loqui de *homicidiis* saltem aliqualiter seu aliquo modo voluntariis, non item de involuntariis, *arg Clem. un. h. t.* qualia sunt, de quibus agit *secunda pars* Conclusionis. 198

Ad *rationem* respondetur, irregularitatem nihilo minus facilius contrahi ob *homicidium* ex illicita, quam licita actione secutum; quia dans operam rei licitae praesumitur, debitam diligentiam adhibuisse ad vitandum *homicidium*; econtra vero dans operam rei illicitae, hanc praesumptionem pro se non habet, sed probare debet, diligentiam a se non fuisse adhibitam. Castro Palao *cit.* §. 4. n. 6. 199

Ad *confirmationem* respondetur, de *homicidiis* ex Chirurgia, vel Medicina a Clericis adhibita, esse specialem Juris dispositionem, vi cujus Clericis, in Sacris constitutis, et Monachis Chirurgiam exercere, et Medecinam aliis praebere non tantum, est prohibitum, sed etiam expresse statutum, quod transgressores sint *irregulares*, prout amplius diximus *Lib. III. Tit. fin. Ne Clerici, vel Monachi*, a *n.* 16. 200

Infertur, Clericum vacantem venationi, ex qua *Casuale* sequitur homicidium, non esse *irregularem*, si pro eo vitando debitam adhibuit diligentiam. Castro Palao *de Censuris disp.* 6. *pun.* 15. §. 4. *n.* 7. Covarruvias *in Clem. un. h. t. p.* 2. §. 4. *nu.* 10. et alii. Ratio est; quia licet venatio Clericis sit prohibita et illicita c. 1. et 2. *de Cleric. venat.* quia tamen venatio apud Peritos ex se non est periculosa, et mortis inductiva, homicidium ex ea fortuito secutum, *irregularitatem* non inducit. 201

Resp. II. Homicidium *Casuale*, ex opere illicito secutum, praeter *irregularitatem* etiam alias Juris poenas, non quidem ordinariam ultimi supplicii, sed extraordinariam inducit, si tale opus ex se, vel natura sua inducit periculum mortis. Patet Conclusio tum ex dictis *n.* 195. Tum ex dicendis infra. 202

Caeterum ad hoc ut quis incurrat *irregularitatem* ob *homicidium* proveniens ex actione illicita, quae ex se periculosa et mortis inductiva non est, requiritur, ut interveniat graviter peccaminosa omissio diligentiae debitae vitandi *homicidium* per fundamenta supra *n.* 187. allegata. 203

Quaeritur III. An? et quando *homicidium* in ebrietate commissum inducat *irregularitatem*, et alias Juris poenas? Ante responsionem notandum, non esse hic quaestionem de illa ebrietate, et intemperatiori potu, quo quis usu rationis non privatus, animosior duntaxat, et audacior effectus, vel ad insultam iram, et temeritatem excitatus occidit, vel 204

mutilat: tamen enim *irregularem* esse, et quidem ex homicidio voluntario, non *Casuali*, ac propterea etiam aliis poenis Juris subjacere, extra controversiam est: sed est quaestio de ebrietate usu rationis privante. Hoc notato

205 Resp. I. Homicidium *Casuale* ab ebrio, usu rationis privato commissum, *irregularitatem* non inducit, si ebrietas ex vino, vel alio potu, plus, quam aestimabatur, forti, et generoso, vel alias inopinato, et absque ulla accidit: Imo etiam quando ebrietas fuit voluntaria quidem, et graviter peccaminosa, *homicidium* tamen nullo modo fuit intentum, nec praevisum, nec rationabiliter praevideri potuit. Covarruvias *in Clem. un. p.* 3. *nu.* 3. Barbosa *in cit. Clem. n.* 10. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 230. Azorius *Instit. Moral. p.* 1. *lib.* 7. *c.* 33. *q.* 7. et alii contra Sylvestrum ✠. *homicidium.* 3. *q.* 4. *n.* 5. et nonnullos alios, *arg. cit. Clem. un h. t.* Ratio est; Tum quia sicut in dicta *Clem.* ob defectum usus rationis ab *irregularitate* immunis est *homicidium* committens furiosus, aut infans, aut dormiens, sic ob eadem immunis erit ebrius *homicidium* committens, cum, uti supponitur, et isto usu rationis tempore ebrietas careat: tum quia *homicidium* praefato modo in ebriatate commissum, penitus est *involuntarium*, et caret omni culpa, consequenter et poena praesertim *irregularis* carere debet; eo quod *homicidium* privata auctoritate sine culpa factum *irregularitatem* non inducat; cum nullibi in Jure reperiatur actui privato culpa vacanti *irregularitatem* esse annexam, consequenter subintret dispositio c. *Is qui de Sentent. Excomm. in* 6. ubi statuitur *irregularitatem* non incurri, nisi in casibus a Jure expressis.

206 Nec refert, si quis voluntarie, et gravi cum culpa se inebriavit; quia licet in tali casu ebrietas ad culpam imputetur, tamen factum in ea *homicidium*, vel alius actus culpa, consequenter et poena vacat, *arg. can. Inebriaverunt.* 9. et *seqq* cau. 15. *q.* 1. ubi Loth ob ebrietatem ex nimio vino sibi obvenientem culpabilis quidem, ob incestum tamen cum filiabus in ea commissum a culpa immunis declaratur.

207 Dicitur autem notanter in Conclusione nu. 205. posita, *si homicidium nullo modo fuit intentum, nec praevisum, nec rationabiliter praevideri potuit.* Nam si quis studiose eo animo se inebriat, ut in ebrietate alterum interficiat, consequenter *homicidium* intendat: vel si quis hoc quidem non intendit, scit tamen, quod in ebrietate homines periculose invadere, et propterea in periculo *homicidii* versari soleat, consequenter hoc praevideat, vel saltem rationabiliter praevidere debeat, *irregularis* utique efficitur, si *homicidium* in ebrietate quantumvis usus rationis privatus existit; uti cum communi aliorum bene docent Doctores *n.* 205. citati. Ratio patet; quia in tali casu *homicidium* saltem indirecte, *et in causa* est voluntarium, consequenter merito ad culpam imputatur, et poenam.

208 Resp. II. Sicut ab *irregularitate*, ita etiam ab omni alia poena in utroque foro tam *Civili*, quam *Canonico* immunis est, qui in ebriatate *homicidium* committit, casu, quo ebrietas inopinato, et ex improviso sine culpa bibentis contingit. Communis et certa, utriusque Juris Doctores et Theologi. Ratio est; quia, ubi prorsus nulla culpa est, nulla etiam poena esse debet: Nam juxta sacras Litteras, *Deut. cap.* 25. ✠. 3. *pro mensura peccati, erit plagarum modus.* Hinc *c. Felicis* 5 *de Poenis in* 6. ita statuitur: *Judex poenam metietur ex culpa*; siquidem *omnis poena*, ut S. Augustinus *lib.* 1. *Retract. cap.* 9 *Si justa est, peccati poena est.* Quare si *homicidium* ab infante, furioso, et amente commissum ob defectum culpae, nulli poenae subjacet, *l. Infans.* 12 *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* et *can. Aliquns. cau.* 15. *q.* 1. Sic idem dicendum erit ob paritatem rationis de Homicidio a praefato ebrio commissum: praesertim cum etiam pro hujusmodi ebriis militet ratio *in cit. can. aliquos* expressa illis verbis: *quomodo enim reus constituaretur, qui nescit, quid faciat.*

Et quoniam Jura et rationes *num. praeced.* pro inculpabiliter Inebriato militant etiam de illo, qui quidem culpabiliter se inebriavit, *homicidium* tamen nullo modo praevidit nec rationabiliter praevidere potuit, etiam talem sicut ab *irregularitate*, ita ab omni alia Juris poena (loquendo de Jure naturali) immunem declarant Molina *de I. et I. tract.* 3. *Disp.* 38. *n.* 8. Lessius *lib.* 4. *de I. et I. cap.* 3. *n.* 27. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. Gutierrez *lib.* 2. *can. qq. cap.* 4. *n.* 95. 209

Dicitur tamen notanter *loquendo de Jure naturali*; quia ex specialibus statutis, vel consuetudine allegatis *num. praeced. homicidium* committentes in ebriatate culpabili, puniuntur saltem poena extraordinaria, uti bene observat Layman *loc. cit. ad finem*, *arg. l. Aut facta.* 16. §. 8. *de Poenis.* 210

Resp. III. Qui sufficienti experientia edoctus scit, se in ebrietate solere homines periculose invadere, et tamen voluntarie, ac culpabiliter se inebriat, praeter *irregularitatem*, etiam Jure Civili statutam non quidem ordinariam, sed extraordinariam poenam Homicidii, contrahit. De *irregularitate* patet ex dictis supra *n.* 207. 211

De aliis non quidem ordinariis, sed extraordinariis duntaxat poenis, docet Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 325. *num.* 3. Claros §. *fin. q.* 60. *num.* 12. Covarruvias *in Clem. un. h. t. p.* 3. *num.* 4. ex alii. Ratio est; quia poena ordinaria ultimi supplicii iis duntaxat *homicidiis* vi legis Corneliae infligitur, qui *homicidium* ex proposito, et dolo perpetrant, *l.* 1. *prin. et* §. 1. *et* 3. *item l. in lege.* 7. *ff. Ad leg. Cornel. de Sicar.* dolo autem, vel ex proposito talis ebrius, ut supponitur, nec occidere praesumitur, *arg. l. perspiciendum.* 11. §. 2. *ff. de Poenis.* 212

Nec refert, quod tale *homicidium* censeatur saltem indirecte voluntarie commissum, et ex culpa lata, quae aequiparatur dolo, *l. quod Nerva.* 32. *ff. Depositi.* Respondetur enim, culpam latam aequiparari quidem dolo in contractibus, non vero in delictis poenam corporalem, vel infamiam inducentibus, *arg. cit. l. in lege* 7. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* juncto *c. Odia.* 15. et *c. in poenis* 49. *de Reg. Jur. in* 6. 213

§. VI.

De Dispensatione in Irregularitate orta ex Homicidio, vel Mutilatione.

SUMMARIUM.

214 *De tribus an dispensare valeant? est quaestio, Papa videlicet, Episcopo, et Regularibus.*
215 *Papa in quavis irregularitate potest dispensare.*
216 *Solvitur instantia.*
217 *Quamvis Episcopus possit dispensare in quavis irregularitate proveniente ex delicto occulto et n. seq.*
219 *Nequit tamen dispensare in irregularitate ex homicidio injuste directe intento, quantumvis occultum existat: et duobus n. praeced.*
220 *Neque in irregularitate ex defectu lenitatis ex homicidio auctoritate publica in Malefactores, vel in bello justo facto.*
221 *Bene vero in irregularitate orta ex homicidio ob sui, vel aliorum defensionem facto, non servato moderamine inculpatae tutelae.*

222 *Solvitur Objectio.*
223 *Pariter dispensare potest in irregularitate orta ex homicidio Casuali occulto.*
224 *Quandocunque homicidium qualecunque tandem jam est publicum, aut deductum ad forum contentiosum, nequit Episcopus in irregularitate inde orta dispensare et n. seq.*
226 *Potest insuper Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex Mutilatione occulta etiam directe, et malitiose intenta.*
227 *Solvitur Objectio.*
228 *Superiores Regulares possunt cum subditis suis dispensare in quavis irregularitate ex occulta mutilatione, vel homicidio etiam directe intento, proveniente.*
229 *Quodnam homicidium ad propositum dicatur. occultum ?*
230 *Quod probari nequit, occultum dicitur, et num. praeced.*
231 *Secundum plures Doctores etiam illud homicidium dicitur occultum, quod non pluribus, quam quinque notum est.*
232 *Homicidium ad forum contentiosum deductum dicitur, quando fit contestatio litis, et non antea, et n. seq.*
234 *Qua litis contestatione facta Episcopus adhuc dispensare posse saltem post litem finitam, volunt aliqui.*
235 *Sed contrarium probabilius est.*

214 Ante responsionem notandum de Tribus praecipue quaeri posse, an ? et in quibus *irregularitatibus* dispensare valeant ? de Papa videlicet, Episcopis, et Privilegiatis, praesertim Regularibus. De quibus singulis singula instituemus quaesita. Hinc

215 Quaeritur I. An ? et in quibus *irregularitatibus* ex *homicidio* provenientibus dispensare valeat Papa ? Resp. I. Papa, sicut in quasis alia, ita etiam in *irregularitate* ex Homicidio quocunque tandem proveniente dispensare potest. Unanimis et certa. Ratio est; quia omnis *irregularitas* non nisi Jure Ecclesiastico est introducta; in hoc autem Papam dispensare posse, explorati Juris est; *can. inferior.* 4. *dist.* 21. et *c. Proposuit.* 4. *De Concessione Praebend.* ibi. *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jura dispensare.*

216 Nec obstat, quod *irregularitas* ex *homicidio* praesertim injusto dicatur indispensabilis; quia hoc intelligi debet, non quasi in ea etiam Papa dispensare absolute non valeat, sed quod raro, et difficillime, et fere nonnisi cum Religiosis, vel qui Religionem in aliquo Ordine Mendicantium intrare vult, dispensare soleat, ut cum Communi bene advertit Covarruvias *in Clem. un. h. t. p.* 2. §. 3. *num.* 3. Abbas *in c. sicut.* 6. *num.* 12. *h. t.* et alii.

217 Quaeritur II. An ? et in quibus *irregularitatibus* ex *homicidio* provenientibus dispensare valeat Episcopus ? Resp. I. Quamvis Episcopus possit in omnibus *irregularitatibus* ex delicto occulto provenientibus dispensare, tamen circa *irregularitatem* ex *homicidio* ortam antiquis, quidquid dicant, Canonibus dimissis, hodie duplicem observare tenetur dispositionem *Concilii Trident.* quarum prima est *Sess.* 14. *de Reformat. cap.* 7. sic sonans. *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen illud occultum fuerit, nullo tempore ad Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Beneficia Ecclesiastica conferre liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio, ac Officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si vero homicidium non ex proposito, sed vim vi repellendo, ut si quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad SS. Ordinum, et Altaris Ministerium, et Beneficia quaecunque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, aut viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.*

218 Altera vero *Sess.* 24. *cap.* 6. ita sonat: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum dispensare etc.*

219 Resp. II. Nequit Episcopus dispensare in *irregularitate* proveniente ex *homicidio* voluntario injusto directe intento (de quo egimus supra §. *II.*) quantumvis sit occultum. Barbosa *in Concil. Trident. cit. Sess.* 24. *de Reform cap.* 6. *num.* 30. Navarrus *Manual cap.* 27. *num.* 240. Covarruvias *in Clem. Si furiosus h. t. p.* 2. *princ.* et §. 1. *num.* 2. Pirhing *h. t. n.* 125. cum Communi et certa aliorum. Ratio patet; quia quidquid sit de Jure antiquo, potestatem dispensandi in praefato *homicidio* Episcopis non competere a *Concilio Trident. cit. Sess.* 24. *cap.* 6. vel declaratum vel de novo statutum fuit, ubi per *homicidium voluntarium* intelligi *injustum* directe intentum, et volitum, bene observant Doctores supra citati.

220 Resp. III. Pariter non potest Episcopus dispensare in *irregularitate*, quam ex *homicidio justo* publica auctoritate facto in Judicio sanguinis, et in bello justo ob defectum lenitatis contrahunt Judices, et alii Officiales, ac Ministri ad mortem propinque concurrentes (de quibus supra § *III. a nu.* 75. egimus) item milites in bello etiam justo pugnantes (de quibus *cit.* § *III. a n* 115.) Suares *de Irregular. Disp.* 47. *sect.* 6. *in fine.* Castro Palao *de Censuris Disp.* 6. *pun.* 14 §. 7. *n.* 6. Avila *de Censuris disp.* 6. *sect.* 5 *dub* 1. *Concl.* 1. Gutierrez *can. qq. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 170 Garcias *de Benefic. p.* 7 *cap.* 11. *n.* 40. Navarrus *Manual. cap* 27 *nu.* 217. *et lib* 5. *Consil. consil.* 59. *h. t.* Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *par.* 5. *cap.* 10. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 129. cum Communiori et probabiliori aliorum. Ratio est; quia vi Concilii Tridentini *loc. cit.* Episcopis conceditur potestas dispensandi duntaxat in irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientibus, ut patet ex textu supra *n.* 218. relato; Atqui *homicidium* publica auctoritate juste factum, non est delictum, ergo. Accedit annotatio, et praxis, quae est *optima legum interpres*, *l. ff. de leg* constat enim Episcopos cum nullo ex praefatis ob defectum lenitatis *irregularibus* dispensare, sed illos ad Curiam Romanam dirigere solere, prout etiam stylus Curiae, qui pro lege habetur, *c. ex litteris de Constit.* idem tenet.

221 Resp. IV. Econtra vero potest Episcopus dispensare in *irregularitate* proveniente ex *homicidio occulto* causa defensionis facto, non servato moderamine inculpatae tutelae, (de qua supra §. *IV.* a n. 147.) Gutierrez *can qq lib.* 1. *cap.* 63. *nu.* 13. Barbosa in *Concil. Trident loc cit. n.* 32. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 239. Layman *loc. cit. n.* 2. Avila *de Censuris Disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. *Concl.* 1. Molina *de I. et I. disp* 79. *n.* 8 *et* 11. Pirhing *h. t. n.* 128. Ratio est; quia Concilium Tridentinum, dum *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. concedit Episcopis facultatem dispensandi in *irregularitate* ex *delicto occulto*, proveniente, solum excipit *homicidium* simpliciter *voluntarium injustum* directe intentum, et volitum juxta dicta supra *num.* 219. tale autem non est *homicidium* Conclusione positum: Quamvis enim ob excessum moderaminis inculpatae tutelae sit illicitum, et injustum; tamen quia ob necessariam sui, vel aliorum defensionem non sponte, sed quasi coacte, et

necessario, ac nonnisi quoad modum illicite fuit, simpliciter et directe voluntarium dici non potest.

222 Nec obstat, quod in Concilio Tridentino *Sess.* 14. *de Reform. cap.* 7. dicatur, dispensationem in irregularitate orta ex *homicidio* causa defensionis facto committendam esse Ordinario loci, ut causa cognita dispenset; ergo potestas dispensandi de Jure non competit, nec est commissa Episcopo, sed primum per Papam committenda. Respondetur enim, ibi esse sermonem de *homicidio publico* causa defensionis facto, et de *irregularitate* inde orta, in qua Episcopum dispensare non posse, ipsimet fatemur, juxta dicenda infra *n.* 224. Pirhing *h. t. n.* 128.

223 Resp. V. Pariter dispensare potest Episcopus in *irregularitate* orta ex *homicidio Casuali* occulto (de quo supra §. *praec. a n.* 181. Barbosa *de Offic. et potestat. Episcop. allegat.* 39. *num* 48. Gutierrez *loc. cit.* Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 219. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 12. *nu.* 2. Miranda *in Manual. Praelat. Tom.* 2. *q.* 8. *art.* 3. *Conclus.* 2. *et* 3. Pirhing *h. t. n.* 107. Ratio est; quia in priori Conclusione n. 221. posita, videlicet, quia tale *homicidium* non est directe, sed indirecte duntaxat, et in causa voluntarium, consequenter a Concilio Trident. non exceptum.

224 Dicitur autem notanter tam in praecedenti, quam in priori Conclusione n. 221. posita *ex homicidio occulto*. Nam

225 Resp. VI. Quandocunque *homicidium* causa defensionis factum, vel aliud casuale est notorium, et publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, dispensare in *irregularitate* inde orta minime potest Episcopus. Barbosa *in Concil. Trident. cit. Sess.* 24. *cap* 6. *n.* 37. Pirhing *h. t. n.* 128. Bonacina *de Censuris. Disp.* 1. *q.* 3. *pun.* 2. *nu.* 2. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disp.* 37. *n.* 12. Gutierrez *Can. qq. lib.* 1. *cap.* 3. *ad finem*, et alii. Patet Conclusio ex Concilio Tridentino tam *Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. ubi in priori loco dispensationem in *irregularitate* orta ex *homicidio* causa defensionis, vel casualiter facto committendam, non commissam Episcopis dicit, si est publicum *homicidium*, per dicta n. 217. et *num.* 220. In posteriori autem (ut videre est in textu *num.* 218. adducto) praecise in irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientibus potestatem dispensandi concedit eisdem: ergo non in illis, quae proveniunt ex delicto publico, vel deducto ad forum contentiosum.

226 Quaeritur III. An? et in quibus *irregularitatibus* ex *mutilatione* provenientibus dispensare valeat Episcopus? Resp. I. Potest Episcopus in quavis *irregularitate* ex *mutilatione* quacunque tandem injusta, et voluntarie ac directe intenta, occulta tamen dispensare. Garcias *p.* 7. *de Benefic. cap.* 11. *a n.* 3. Suarez *de Censuris. Disp.* 44. *Sect.* 1. *n.* 4. Navarrus *Manual. cap.* 23. *n.* 240. Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *n.* 2. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resolut.* 71. Barbosa *in Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. *n.* 36. cum communi aliorum contra Sanchez *lib.* 1. *Moral. cap.* 10. *n.* 40. Ratio est; quia Concilium Tridentinum *cit. cap.* 6. excipit solam irregularitatem ex *homicidio voluntario* provenientem: exceptio autem firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis, *arg. l. in iis, quae. ff. ad Leg.* Accedit, quod concessa a Tridentino facultas dispensandi in irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientibus sit late interpretanda, utpote beneficium Principis, et quidem Juri insertum, ac non tam personae, quam dignitati *arg. Cum dilecti.* 6. *de Donat.* ibi: *In beneficiis plenissima est interpretatio facienda*, et *l. Beneficium.* 3. *de Constitut. Princip.* Confirmatur etiam per Declarationem Cardinalium, de qua Doctores citati.

Nec obstat, quod *homicidium*, et *mutilatio* quoad irregularitatem aequiparentur, *arg. can. Si quis absciderit.* 4. *dist.* 55. Cum Concordantiis. Respondetur enim *homicidium*, et *Mutilationem* aequiparari quidem quoad contrahendam irregularitatem, jure sic disponente; non vero aequiparari quoad gravitatem culpae, et dispensationem. 227

Quaeritur IV. An? et in quibus *Irregularitatibus* ex *homicidio*, et *Mutilatione* provenientibus dispensare valeant Superiores Regulares? Resp. I. Superiores Regulares possunt dispensare cum subditis suis in *irregularitate* proveniente ex *homicidio*, et *Mutilatione* illicita, non tantum casuali, ex causa defensionis cum excessu moderaminis inculpatae tutelae perpetrata, sed etiam cum directe et voluntarie intenta, *occulto* tamen. Rodriquez *Tom.* 1. *q.* 64. *art.* 12. Miranda *in Manual. Tom.* 2. *q.* 8. *Concl.* 5. Portel *in dub. Regular. ℣. dispensare. n.* 8. Hyacinthus Donatus *Tom.* 2. *tr.* 11. *q.* ● *et seqq.* Pellis. *p.* 1. *tr.* 10. *cap.* 20. *q.* 24. *et seqq.* Castro Palao *de Censuris. disp.* 6. *pun.* 15. §. 3. *num.* 4. et alii. Ratio est; quia haec potestas eis competit ex specialibus privilegiis per varios Pontifices concessis, quos praefati allegant Doctores. Plura de his infra *Tit. XXXIII. de Privilegiis*, item *Tit. XXXVIII. de Poenitentiis, et Remissionibus.* Caeterum cum saepe fiat mentio, quod possint Episcopi, et Superiores Regulares dispensare in irregularitatibus ex *delicto occulto*, et *non deducto* ad forum contentiosum. 228

Quaeritur V. Quodnam dicatur *delictum occultum*? et quod non *deductum ad forum contentiosum*? Resp. I. Inprimis certum est, illud *homicidium* in ordine ad obtinendam dispensationem esse, et dici *occultum*, quod probari nequit. Ratio est; quia quod probari nequit, proprie *occultum* dicitur. Abbas *in c. Vestra.* 7. *de Cohabitat. Cleric. et mulier. n.* 7. et ibi Fagnanus *n.* 45. dicens, neminem discrepare, et jam diximus supra *Tit. I. n.* 241. 229

Infertur, esse et dici ad propositum *homicidium occultum*, etiamsi de illo quis sit diffamatus, vel suspectus, quando fit vel nemine praesente uno tantum (quia unus testis nil probat per *vulgaria*) vel etiam duobus aut pluribus, sed talibus praesentibus, qui vel a Jure, vel facto a ferendo contra delinquentem testimonio sunt impediti. 230

Resp. II. Multi graves Doctores probabile censent, etiam illud *homicidium* in ordine ad obtinendam dispensationem sufficienter dici *occultum*, quod licet coram pluribus factum sit, consequenter probari possit, tamen non pluribus, quam duobus, tribus, aut quinque notum est; consequenter *notoriam* non sit notorietate facti, nec Juris, quippe de quo delinquens nec confessus, nec convictus, nec per sententiam aliquam criminis declaratoriam judicatus est. Ita ad propositum docent Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *Disp.* 34. *nu.* 55. Navarrus *Manual. cap* 27. *n.* 255. Francisc. Leo *Praxi S. Poenitent. p.* 2. *cap.* 6. *n.* 6. Idem tenere videtur Barbosa *in Concil. Trident. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. *nu.* 26. allegans plurimos Doctores, *arg. c. Vestra. de Cohabitat. Cleric. et mulier.* Ratio est; quia etsi tale *homicidium* non sit proprie *occultum*, est tamen pene tale; cum non sit *notorium*: Imo a Glossa *in can. Manifesta. cau.* 2. *q.* 1. *occultum* absolute dicitur; ibi: *Occultum dicitur, quod quinque sciunt*: et alibi atque amplius diximus cit. *Tit. I. a n.* 241. ubi vide. 231

Resp. III. *Ad forum contentiosum deductum* dicitur omne et solum illud *homicidium*, vel aliud delictum, super quo ad Judicem jam delato facta est contestatio litis. Barbosa *de Offic. et potestat. Episcop. allegat.* 39. *a n.* 29. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *n.* 93. Castro Palao *Tr.* 3. *cap.* 6. *pun.* 15. §. 1. *n.* 10. Gavant. *Manual Praelator.* ℣. *Absolutio. n.* 12. Ratio est; quia forum 232

contentiosum dicitur ex eo, quod in illo contendatur, seu litigetur; atqui non contenditur in eo, donec inter partes litigantes detur contradictio, et contentio, quod fit per litis contestationem, *arg.* c. *Ex parte* in. *de V. S.* Farinac. *Prax. Criminal.* q. 10. *n.* 55. *in fine*, ex his

233 Infertur, posse Episcopum in irregularitate ex *homicidio Casuali*, vel causa defensionis orta, et Superiorem Regularem cum suis subditis in irregularitate ex *homicidio* etiam directe *voluntario* contracta dispensare, etiamsi Delinquens ratione illius jam sit judicialiter delatus, et citatus; si litis contestatio facta non est, et caeteroquin crimen adhuc non est *notorium*, sed *occultum* modo supra *a num.* 229. declarato.

234 Volunt quidem nonnulli; ut Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 11. *n.* 2. Laymann *lib.* 1. *tr.* 3. *p.* 5. *cap.* 9. *nu.* 5. Diana, et alii, posse Episcopum, et Regularem Superiorem, ut supra, dispensare etiam post litis contestationem, postquam nempe lis in judicio jam finita, et Delinquens ob delictum punitus est; eo quod finis, ob quem S. Synodus prohibuit Episcopis, ne *delicto ad forum contentiosum jam deducto* dispensent, jam sit obtentus, ne videlicet Curiae super delicto tamjam cognoscentis auctoritas minueretur, et satisfactio congrua impediretur.

235 Verum quia, si Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Reform.* cap. 6. non tantum prohibuit dispensationem, si *homicidium* ad forum contentiosum jam est deductum, sed etiamsi illud jam est *notorium* et publicum: *homicidium* autem, de quo in foro contentioso jam cognitum, et sententia lata fuit, sit, et maneat *publicum* ac *notorium* notorietate Juris etiam, post finitum judicium, hanc dispensandi potestatem merito negant Garcias *p.* 7. *de Benefic. cap.* 11. *n.* 50. Gutierrez can. *qq. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 10. Barbosa *loc. cit.* n. 35. Castro Palao *de Censuris. disp.* 6 *pun.* 7 *n.* 13. Bonacina *disp.* 7. *q.* 5. *pun.* 1. *n.* 6. pro qua opinione citatur etiam declaratio Cardinalium.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Torneamenta quid?*
3 *Fieri possunt cum*
4 *Et sine periculo vitae.*
5 *Priori modo sunt prohibita.*
6 *Et quidem sub poena* Homicidii *afficiente occidentem, et privationis sepulturae Ecclesiasticae afficiente occisum*
8 *Posteriori autem modo sunt licita, et consueta Laicis, et n. seq.*
9 *Non item Clericis.*

1 Ad vitanda *homicidia* prohibuit Ecclesia frequentiores eorum causas, hujusmodi sunt *Torneamenta, duella*, et *ars sagittaria*. De quibus proin post Titulum de Homicidio in praesenti, et duobus sequentibus Rubricis recto ordine agit Juris Compilator.

2 Quaeritur itaque ad propositum praesentis Rubricae quid? quotuplicia? quibus? et sub qua poena prohibita sint *Torneamenta*? Resp. I. *Torneamenta* (Germanice *Thornier*) sunt nundinae seu feriae, et hastiludia, seu pugnae solemnes *Equestres*, quibus milites, vel, uti praeteritis seculis frequentius fieri solebat, Nobiles *Equestres* ex condicto convenire, et ad ostensionem virium, aomositatisque et peritiae tractandorum armorum congredi solent. Ita in substantia describuntur c. 1. *h.* t. et notant ibidem Doctores.

Resp. II. Hujusmodi *Torneamenta* duplicia sunt, vel potius duplici modo fieri possunt. *Primo* temere, et cum ordinarie adjuncto mortis periculo, quando nempe ad invicem congredientes, hastis acutas cuspides praefixas habentibus, aliisque armis ad vulnerandum praeparatis utuntur. 3

Secundo modo sine temeritate, et mortis periculo; dum videlicet congredientes ad invicem debitam cautelam, vel *arma* hebetata, hastasque sine cuspide adhibent, vel loricis, et galeis secure sat muniti comparent, ut omne periculum vitae absit; vel denique hastis et armis non se invicem, sed suppositas figuras petunt. 4

Resp. III. Quamvis *Torneamenta* priori modo descripta veteri Jure Civili permissa videantur. *arg. l. qua actione.* 7. §. 4. *ff. ad Leg. Aquil.* et *l. Solent.* 2. *ff. de Aleat.* tamen Jure novo Codicis, et praecipue Jure Canonico gravissime sunt prohibita. Jure Civili quidem *l. un. C. de Gladiat.* Jure Canonico c. 1. *et* 2 *h. t.* Ratio adjungitur *cit.* c. 1. *h. t.* quia inde *mortes hominum, et animarum pericula saepe proveniunt*; unde etiam *detestabiles* ibidem vocantur. 5

Resp. IV. Poena in hujusmodi *Torneamentis* pugnantium est, quod, qui in illis aliquem occidit, veri homicidii et poenarum illius utroque Jure statutarum reus sit, prout post Hostiensem in *Summa h. t.* n. 3. bene observat Pirhing *h. t. nu.* 2. Ille vero, qui occiditur, licet ei ante obitum Sacramenta Ecclesiae non negentur, Ecclesiastica sepultura carere debent, texto expresso *cit.* c. 1. *h. t.* ibi: *Quod, si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti poenitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.* Intellige, si animo ibidem pugnandi accesserit. Illi enim, qui ex alia etiam curiositatis fine illic existunt, et spectatores agunt, Ecclesiastica sepultura non privantur, si casu ibidem interasint, textu claro c. 2. *h. t.* 6

Resp. V. Licet etiam posterior *Torneamentorum* modus *num.* 4. delatus, olim a Clemente V. in Concilio Viennensi per Constitutionem, quae incipit *Passiones*, sub Excommunicationis et aliis gravibus poenis fuerint prohibita ex eo, quod Nobiles ad illa se praeparantes immodicos pro splendore et apparatu fecerint sumptus, indeque a dando subsidio Terrae sanctae inhabiles fuerint redditi, uti observat Gonzalez in *cit.* c. 2. *h. t.* n. 7. Dictam tamen Constitutionem, poenasque in illa contentas, ad instantiam Regis Galliae, et Germaniae Principum, ac Magnatum revocavit Joannes XXII. *In Extravag. un. h. t.* 7

Hinc *Torneamenta*, et *Hastiludia* posteriori modo accepta, quae nostris temporibus in Principum Nativitate, inauguratione, nuptiis etc. passim fieri solent, nec culpae, nec poenae subjacent respectu Laicorum, etsi per accidens, ac praeter opinionem homicidium alicujus sequatur, ut colligitur ex textu cit. *Extravag. Joannis XXII. un. h. t.* et hanc observat Navarrus *Manual cap.* 15. *n.* 9. *et* 21. Abbas *in* c. 1. *h. t.* et ibi Barbosa *n.* 2. Gonzalez in c. 1. *h. t. n.* 6. et alii. Ratio est: quia haec *Torneamenta* ex se nullum vitae periculum adjunctum habent: et prorsus per accidens est, si mors ex eis sequatur. 8

Dicitur tamen notanter *respectu Laicorum*, quia Clericis utroque modo accepta prohibita sunt *Torneamenta*. Gonzalez *loc. cit. n.* 8. *et seqq.* Sylvester *v. Ludus*, et *Torneamenta*. Clarus §. *Ludus*. Tuschus *v. Ludus concl.* 435. et alii, id probantes ex 9

variis Conciliis, ut Herbipolensi celebrato tempore Honorii IV. ubi *can.* 4. ita statuitur. *Hastiludia, et Torneamenta Clericis, qui sunt in dignitatibus, personatibus, et sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdicta.* Similis prohibitio, et quidem sub anathemate facta est in Concilio Salisburgensi sub Martino IV.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

1 *Duellum quid?*
2 *Aliud est solemne.*
3 *Aliud privatum.*
4 *Utrumque est prohibitum.*
5 *Sub gravissimis poenis: et quibus?*
6 *Praeter Duellantes, etiam alii veluti Patrini, consilium, auxilium, favorem praebentes ad illud, item permittentes illud, ac Spectatores illius poenis subjacent, et num. seq.*
8 *Bulla Clementis VIII. contra Duellantes lectu dignissima, et necessaria.*
9 *Ut Duellum inducat poenas Juris, debet esse proprie tale, id est ex condicto deliberate, cum designatione certi loci, et temporis*
10 *Unde ex subito ira progredientes, et duellantes non incurrunt poenas.*
11 *Nec qui in loco ad Duellum inepta rixam inchoantes provocant foras, et sine morali intervallo, durante calore irae statim congrediantur.*
12 *Requiritur insuper, ut fiat armis, et modis per celum mortis inducentibus.*
13 *Unde certamen pugnis initum non subjacet poenis.*
14 *Et secundum Pignatelli nec illud Duellum, quod ex prarvia insinuatione, vel conventione caret omni periculo vitae: et duobus num. seqq.*
15 *Quae quidem doctrina controversiam patitur.*
16 *Cui respondetur.*
17 *Et ostenditur, doctrinam illam, si probabilis est, in praxi esse summe favorabilem pro militibus.*
18 *Spectatores Duelli quomodo immunes sint a poenis?*
19 *Licitum est offerre, et acceptare Duellum pro necessaria defensione vitae, et membrorum.*
20 *Et bonorum fortunae magni momenti.*
21 *Ponitur, et solvitur objectio.*
22 *Speculative loquendo etiam pro necessaria defensione famae et honoris licitum est duellare.*
23 *Practice vero loquendo ordinarie illicitum, et poenis subjectum est.*
24 *Quia nec acceptatio Duelli, nec oblatio illius necessarium medium est pro tuenda fama, et honore: et duobus num. seqq*
Praxis cum reputatione recusandi Duellum. Ibid.
25 *Ad evadendam notam timiditatis non licet acceptare Duellum.*
26 *Duellum offerre non est necessarium pro tuenda fama, et honore.*
27 *Nec utile, vel conducens.*
28 *Solvuntur objectiones usque ad n. 35.*
29 *Affertur praxis, vel corruptela Germaniae duellandi pro tuendo honore*
30 *Et respondetur, quando licitum sit, et quando non: et tribus num. seqq*
34 *Adferuntur duae aliae Objectiones pro Germaniae praxi circa Duella, et solvuntur: et num. seq.*
36 *Ad ostendendam animositatem, vel peritiam duellandi non licet duellare.*
37 *Minas ex vindicta licitum est provocare ad Duellum.*
38 *Vel illud adhibere pro indaganda veritate, innocentia, vel justitiae alicujus.*
39 *Ob bonum publicum, dirimendum v. g. Bellum, afferre, et acceptare licet Duellum.*
40 *Nisi per hoc magis redderetur dubia victoria quam per bellum ex parte Principis gerentis bellum justum*
41 *Constitutiones Pontificiae quoad poenas temporales contra Duellum statutas non videntur receptae in Germania.*
42 *Bene vero quoad poenas spirituales.*
43 *Vulneratus in Duello caret sepultura Ecclesiastica, etsi poenitens, et absolutus tam a peccatis, quam Censuris sit, si in loco Duelli, vel alibi sine morali intervallo moritur.*
44 *Secus, si in alio loco post unum, aut alterum diem primum moriatur.*
45 *De personis, quae occasione Duelli subjacent poenis. Remissive.*
46 *Spectatores Duelli quando sint immunes a poenis?*
47 *Quis possit absolvere ab Excommunicatione ob Duellum incursa?*

Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Duellum*? 1
Resp. I. *Duellum* sic dictum, quasi duorum bellum vel certamen in sensu hujus Rubricae recte definitur dicendo: *Duellum est singularis pugna duorum inter se ex condicto suscepta.* Ita in re Communis. Quod *Duellum* graece *Monomachia* vocatur, *can. Monomachiam.* 22. *caus.* 2. *q.* 5.

Resp. II. *Duellum* ita definitum principaliter 2
dividitur in solemne, et privatum. *Solemne* est, quod fit servata certa forma, et solemnitate circa tempus et locum securitatis privilegio praeditum (quod *Campum francum* communiter appellant) adhibitis etiam testibus, seu Patrinis, quos *Secundantes* vocant.

Privatum est, quod quidem etiam ex condicto, 3
statutoque tempore et loco absque aliis tamen solemnitatibus circa securitatem loci, et Patrinis adhibitis fit, uti cum aliis notat Desselius *ad hanc Rubricam.*

Quaeritur II. An? et sub quibus poenis prohibi- 4
tum sit *Duellum*? Resp. I. Regulariter loquendo *Duellum* utroque modo acceptum Jure Divino et humano tam Civili, quam Ecclesiastico sub poenis gravissimis est prohibitum. Communis et certa *L. un. C. de Gladiat. can. Monomachiam.* 22. *c.* 1. *q.* 5. et Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 19. ibi: *Detestabilis Duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta, corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur, Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio Civitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: et si Feudales sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, Excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant: et ut homicidae juxta Canones puniri debeant. Et si in conflictu decesserint, perpetuo careant sepultura Ecclesiastica. Illi autem, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint; aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur non obstante quocunque privilegio, aut prava, consuetudine, etiam immemoriali.*

Resp. II. Poenae *Duellantium* Jure Ecclesiastico statutae sunt sequentes. 1. Excommunicatio ipso facto incurrenda. 2. Perpetua infamia. 3. Proscriptio bonorum omnium. 4. Possunt etiam et debent puniri poenis contra homicidas latis. 5. Privatio sepulturae Ecclesiasticae decedentis *in Duello*.: uti videre est in textu Concilii Tridentini *num. praeced.* allegato. 6. *Duellantes* etiam privati sunt Beneficiis. Et 7. Inhabiles ad illa. Nec non 8. rei Criminis laesae Majestatis. 9. Et inhabiles ad concedendum Testamentum, et aliis adhuc poenis subjecti, quas videre est in Bulla Pii IV. et V. quae relative adducentur infra *num.* 8. *in* Bulla Clementis VIII.

6 Resp. III. Praefatas gravissimas poenas incurrunt non tantum *solemniter*, sed etiam *privatim* Duellantes, si ex condicto, statuto loco et tempore congrediantur, et quidem tam provocantes ad *Duellum*, quam acceptatores illud, etiam milites, et quicunque alii. Rursus Communis. Ratio est: Tum quia Jura indistincte loquuntur. Tum quia ita expresse declararunt, et de novo statuerunt Pontifices supra citati, poenasque omnes confirmaverunt Gregorius XIII. et Clemens VIII. in Bulla infra *n.* 8. per extensum ponenda.

7 Resp. IV. Praeter ipsos *Duellantes* memoratis poenis insuper subjacent etiam *Secundantes*, seu *Patrini*, item omnes dantes consilium, auxilium, et favorem ad illud: sicut et qui ex industria sunt *Spectatores Duelli*. Majores insuper poenas incurrunt Imperatores, Reges, Principes, belli Duces, et alii Superiores *Duellum* permittentes, prout videre est, tum in Concilio Tridentino citato: tum in Constitutione Clementis VIII. Quae incipit, *Illius vices*, et est undecima *in* 3. *Tomo Bullarii Cherubini*, digna, ut in odium *Duelli*, et amore animarum Christi sanguine redemptarum per extensum referatur.

Clemens Episcopus Servus Servorum DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

8 *Illius vices, licet immeriti gerentes, qui et animas suorum fidelium a peccato, et diaboli laqueis liberaret, de Coelo descendens, humana carne assumpta, ac proprio quidem suo pretiosissimo sanguini pepercit, sed se ipsum in Ara Crucis immaculatam hostiam aeterno Patri offerre voluit, in hanc praecipue curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inaestimabili pretio redemptas adversus Sathanae fraudes, quantum in nobis est, illaesas praeservemus, praesertim vero totis viribus nobis a Domino traditis exterminemus exitialia quaedam, atque enormia peccata, quibus divina Majestas gravius offenditur, quaeque eodem fabricante humani generis hoste, inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte animarum etiam simul interitus, ac pernicies sequatur.*

§. 1. *Recte siquidem, et salubriter fel. record. Pius Papa quartus praedecessor noster, post alios complures suos, nostrosque predecessores, qui detestandum divina, naturalique lege, ac Sacris Canonibus damnatam Duellorum abusum, suis etiam Constitutionibus severe prohibuerant, gravesque poenas contra quoscunque temporali ditioni S. R. E. mediate, vel immediate subjectos ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solum in terris praedictis, sed alias ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domicellos permittentes in suis Dominiis id patrari, ac etiam extra Terras, et Loca ditioni Ecclesiasticae subjecta, hujusmodi Duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque astantes, et interessentes, nec non chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos, Imperatore, ac Regibus inferiores, majoris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) ultra eam, etiam privationis omnium dignitatum, beneficiorum, et officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, et alia imposterum obtinenda, poenis, subjicere, easque incurrere voluit, a quibus non nisi a Romano Pontifice absolvi possint.*

§. 2. *Sed et postmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum, statuit, ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio Civitatis, Castri aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae, juxta sacros Canones, puniri debent. Et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, et perpetuae maledictionis vinculo teneantur.*

§. 3. *Quas poenas novissime piae mem. Gregorius Papa XIII. pariter praedecessor noster extendit adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim ex condicto, statuto tempore, et in loco convento Monomachiam commisissent, etiam Patrinis, sociisque non vocatis, et loci securitate non habita et provocatoriis litteris minime praecedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, caeterosque supra dictos criminis socios, et ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quo minus pugnarent.*

§. 4. *Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, praesertim Transalpinis, ac remotis Regionibus, et potissimum, ubi bella vigent, castrensi quadam, et militari licentia, seu verius audacia perniciosum hoc scelus inter Fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicae Fidei hostes tyrannidem exercent, seu haereses, et Schismata impune grassantur, sive inter signa, et castra militaria in caput suorum fratrum impios convertere mucrones, quod multo salubrius contra Christi adversarios stringi par esset. Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiae gladio ad continendos in officio fideles nobis praecipue ipsius Domini auctoritate tradita retundere, atque a cervicibus gregis Domini curae nostrae crediti, quantum (eodem Deo adjutore) eniti possumus propulsare cupientes, praedictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilii Tridentini cum omnibus, et singulis in eis contentis Censuris, et poenis, decretis, et declarationibus, quarum, et quarum omnium tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, et ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus, et innovamus.*

§. 5. *Ac insuper auctoritate et tenore praemissis decernimus, et declaramus, easdem Constitutiones, ac Decretum, locum habere ubique gentium, et terrarum, inter quascumque personas etiam armatas, et in Castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum et Sanctae Romanae Ecclesiae, aut Catholicae fidei hostium furor impune grassatur, in dominiis per eos occupatis et detentis. Idem quoque juris censendum esse, si publice ut forsan justo bello indicto, miles aliquis ul-*

terum in adversariorum exercitu militantem, sive alius in hostium Castris, praesidiis, aut Terris degentem, privatas simultates atque inimicitias publicae causae intermiscendo, etiam Ducum permissu, ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet. Nec non iisdem poenis, Decreto, et Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initae sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Praesides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, et Capitaneos in Castris vel extra ea, in alieno vel hostili suo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monomachiam in quocunque casu per praesentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post dimissum crimen, veniam et impunitatem concedentes.

§. 6. Praeterea pari ratione prohibemus omnia, et singula ejus generis scripta, manifesto, seu fides vulgo appellata, quae etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi praeparatoria quaedam ad chartulas, seu libellos provocatorios, et ad Duellum, illorumque veluti indices aut semina, ut plurimum lacessendi aliquem ad pugnam, et incitandae simultatis, atque inimicitiae materiam, et occasionem praebent. Dum scilicet in illis per modum Epistolae, libelli, ac publicae attestationis, et informationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographum, subscriptiones, aut relationes sub praetextu proprii, vel alieni honoris, et famae, more militari atque ut vulgo dicitur, Cavelleresco, tuendi, aut laedendi sive ad illatae, propulsataeve contumeliae, aut injuriae probationem seu tollendam ipsius suspicionem rei alicujus gestae ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series et ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit is sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effrenum ex militari etiam consuetudine quaeritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam ejusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum, dictumque sit. Vel denique offert se quisquam contra certam vel incertam personam, vel generatim contra quemcunque ad probandum armis, et verificandum etiam initia certamine, aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse. Nec non quoscunque etiam sine scripto factus talium rerum supra dicta quoquomodo concernentium, et ob hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciationes, narrationes, declarationes, et testificationes Volentes eos omnes, et singulos, qui suo, vel alieno nomine ad effectum, de qua superius dictum est, praedicta, vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, eorumque exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, attestati fuerint. Quive alius ad singulare certamen publice vel occulte ineundum vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quae Manifesta quaeque chartulae provocatoriae appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, vel favorem praestiterint, sive id suaserint, aut mandaverint, quive in praemissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, vel certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones praedictae, quae Manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatae extiterint, si per eos non steterit quo minus publicatio aut denunciatio fieret. Nihilominus censuris, et poenis omnibus in praesenti, et aliis praedictis Constitutionibus, et Decreto contentis subjacere, tam si superius enumeratis, quam si aliis etiam majoribus Ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, et praeeminentiis excellant.

§. 7. Quin imo de novo etiam per praesentes ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, excommunicamus, et anathematizamus, maledicimus, et execramur omnes, et quoscunque, publice, vel privatim, palam, vel occulte, in quibuscunque locis, modis, et formis, ac casibus sub praesenti nostra, et aliis praedictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntes, nec non id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem praestantes, equos, arma, et commeatus praebentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quaecunque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes hujusque delicti socios de industria, spectatores, patrinos, fautores, defensores, quacunque tam superius expressa, quam alia Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate. Ita ut singulares etiam personae cujuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicae, quae hujus criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supra dictos omnes eorumque singulos, ipso facto absque ulla monitione, Judicis decreto, aut ministerio, perpetui anathematis, excommunicationis majoris, et maledictionis aeternae mucrone percussos et damnatos harum serie declaramus, et si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus. Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, et loca, in quorum Territoriis id facientibus scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus Dominiis, aut Magistratibus, vel senatu, aut Populo admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus interdicto, cujus interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem, ab alio quam a nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice poenitentia, et satisfactione congrua peracta in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam praetextu quarumvis facultatum, et indultorum quibusvis personis tam Ecclesiasticis cujuscunque Ordinis, aut militiae status, aut gradus aut conditionis existentibus, quam Laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana praeeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quae omnia quoad praemissa, nolumus cuiquam in aliqua suffragari. Poenis aliis tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§. 8. Universos autem, et singulos charissimos in Christo Filios nostros Imperatorem, Reges, et dilectos filios Nobiles Duces Viros, etiam armorum et exercituum, Marchiones, caeterosque Principes Christianos, nec non Dominia, Potentatus, Communitates, et Universitates Civitatum, Oppidorum, et Castrorum, illorumque Domicellos, et Dominos temporales, ac etiam militum, et copiarum, tam equestrium, quam pedestrium Auctores, Tribunos, Praefectos, Capitaneos in quibuscunque etiam nobis, et S. Romanae Ecclesiae temporali jurisdictioni non subjectis locis constitutos, cujuscunque gradus, praeeminentiae, et nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, et obtestamur per viscera D. N. JESU CHRISTI, ut ejus divini nominis intuitu pro tua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, et a quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, et S. hanc Sedem reverentia, et devotione non modo nihil

tale in suis Dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant, sed hoc malum omni studio, diligentia, et auctoritate exterminare totis viribus procurent, contra quoscunque delinquentes, et ut praefertur quomodolibet complices, et participes etiam temporalibus poenis gravissimis animadvertant, et per suos Officiales, et Curiae Ministres procedi curent, scituri, se obsequium Deo pergratum, perque acceptum praestituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, et ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, et ad sumendas de hujusmodi criminis reis debitos poenas exercuerint, contra vero memores, si in re tam gravi male se gesserint, se in districto Dei judicio rationem in novissimo die reddituros.

§. 9. *Volumus autem, praesentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et personae in dignitate Ecclesiastica constitutae sigillo signatis, eadem prorsus fides ubique gentium et locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur exhibitis, et ostensis.*

§. 10. *Quodque eaedem praesentes in Lateranen. et Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, et Cancellariae Apostolicae, valvis de more publicentur, affixis ibi earum exemplis per aliquem ex Cursoribus nostris, et dimissis, quodque eadem publicatio eos qui in Urbe sunt, post triduum, qui vero extra eam, post quatuor menses, omnes quos concernunt, perinde arctet, et afficiat, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent.*

Nulli ergo omnino etc.

Dat. Romae in Monte Quirinali, Anno Incar. Dom. 1592. *Kalend. Sept. Pont. nostri Anno* 1.

9 Resp. IV. Ad hoc tamen, ut hactenus recensitae Juris poenae contrahantur, requiritur verum ac proprie dictum *Duellum* sequentes necessario requisitas conditiones habens, videlicet 1. Ut saltem fiat ab utraque parte deliberate, et ex condicto, seu ex pacto et convenientia *Duellantium*. Secundum requisitum est designatio *certi loci*, et *temporis*, adeo ut si solus condicatur locus, at non tempus, vel tempus et non locus, *Duellum* proprie dictum non sit, ac propterea nec poenis contra *Duellantes* statutis subjectum. Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 88. n. *num.* 89. id cum communi aliorum bene probans ex *Constitutione Gregorii XIII.* supra citata ubi non sint contra *Duellantes* praefato modo statuantur poenae, ibi: *Auctoritate Apostolica statuimus primo illos, qui ex condicto, statuto tempore, in loco convento Monomachiam commiserint.*

10 Hinc infertur primo, illicite quidem agi et peccari, non tamen *Duellum* proprie dictum committi, consequenter nec poenis *Duellantium* locum esse in casu, quo quis vel ob injuriam praesenti ira exardescens, vel vindicta, et rancore erga inimicum obvium, vel alia ex causa inordinate commotus alterum ad pugnam provocat, et arreptis armis statim congreditur cum illo. Ratio est; quia haec pugna non fit ex condicto, nec statuto, loco, et tempore: consequenter non est verum *Duellum*, sed potius rixa, et provocatio ad illam. Pignatelli *loc. cit.*

11 Infertur *secundo*, pariter non committi verum *Duellum*, nec poenas *Duellantium* contrahi ab illis, qui in loco ad pugnam minus apto, v. g. in Ecclesia, in Principis, aut Magnatis residentia, vel etiam in domo, aut domus hypocausto privato contendere, vel rixari inchoant, et unus alterum sine, vel cum determinatione certi loci, plateae v. g. vel prati provocat, dicendo v. g. *Veni foras*, vel *exeamus, et pugnemus gladio*; aut *egredere mecum in plateam, vel in pratum etc.* ita tamen, ut durante calore iracundiae aut vindictae, nullo morali intervallo interveniente statim ad locum pugnae progrediantur, et dimicent. Pignatelli *cit. Tom.* 9. *Consult.* 88. *n.* 87. Riccius *in Praxi Rer. For. Ecclesiast. Decis.* 634. Konig *h. t. nu.* 10. Ratio est; quia si provocatio, et pugna in uno continuo, ex subdito irae calore procedunt, non sunt duae, sed una moraliter actio, nec videtur pugna ex condicto, ut statuto tempore, consequenter nec *Duellum* proprie dictum, sed potius rixa.

Tertio ad *Duellum* proprie dictum requiritur, ut fiat, vel instituatur cum periculo vitae, seu tali pugnandi modo, et armorum genere, ut *Duellantibus* periculum vitae immineat. Pignatelli *loc. cit. nu.* 92. Diana *p.* 3. *tr.* 6. Miscell. 2. *resol.* 1. *et p.* 7. *tr.* 11. *Miscell.* 2. *resolut.* 44. *n.* 8. Filiuccius *tr.* 15. *cap.* 5. *q.* 5. *n.* 107. et alii. Ratio est; quia *Duellum* sub tam gravibus poenis prohibetur ob grave periculum mortis, mutilationis, aut vulneris, indeque subsequentis ruinae animarum, uti satis colligitur ex c. 1. *de Torneam.* et textu *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Reform. cap.* 19. ibi: *Detestabilis Duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.* et c. 1. *h. t.* ibi: *Unde mortes hominum, et animarum pericula saepe proveniunt.* 12

Infertur, non esse *Duellum* proprie dictum, et poenis subjectum, si fit provocatio ad certamen solis pugnis, virga, vel levi baculo ineundum, etsi mors per accidens sequatur. 13

Infertur ulterius Pignatelli *loc. cit.* etiam illos verum *Duellum* non committere, nec poenis *duellantium* subjacere, qui non animo offendendi, sed honoris defendendi provocant, vel provocati comparent, etiamsi ex condicto; et statuto tempore, ac loco ad pugnam veniant, morali tamen cum certitudine, quod nullus eorum aliquam offensam sit passurus, conventione, vel insinuatione mutua desuper prius facta. 14

Verum hanc Pignatelli Opinionem alii rejiciunt, eo quod videatur esse contra expressum textum Clementis VIII. *in cit.* Constitutione *Illius vices*, ubi §. 5. expresse statuitur: *Nec non iisdem poenis, decreto, et constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initae sunt de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit.* 15

Verum respondere potest Pignatelli, hoc textu tantum comprehendi illos, qui quidem similibus cum pactionibus animo tamen offendendi, vel saltem sine pacto vel intentione mutua de non laedendo invicem insinuata congrediuntur, consequenter incerti sunt, an non unus ex determinatis ictibus lethalis secuturus sit. Non vero comprehendere illos, qui de intentione invicem insinuata praecise honorem defendere, indeque aliquos ictus simulare, nullo modo autem invicem laedere volunt; de quibus solis ipse loquitur, indeque sententiam suam probabiliorem censet pro foro interno: Nam quod in foro externo etiam tales poenis *duellantium* subjaceant, ipsemet fatetur Pignatelli *loc. cit.* quia forus externus judicat secundum externa, quantumvis interne aliud intendatur: Num vero per hoc satis salvatur textus Clementis VIII. prudentiori judicio relinquitur. 16

Caeterum si haec Pignatelli sententia revera probabilis est, prout eam ipse judicat, imo pro probabiliori habet, in praxi multum servit, et militibus, eorumque Officialibus, et Ducibus valde favorabilis est, utpote qui non raro ad *Duellum* provocare, vel oblatum acceptare pro conservando suo honore necessario debent; cum (ut ajunt) alias tanquam timidi in exercitu despicerentur, vel nullam amplius paritionem haberent; his, inquam, favorabilis est, utpote qui saltem communicata mutua intentione non laedendi pro conservando honore *Duellum* acceptare, vel ad illud provocare possunt. 17

Quaeritur III. *An?* et ex quibus causis licitum, vel saltem a poenis immune sit *Duellum?* Ante respon- 18

cionem notandam, variis ex causis, potissimum vero ac sequentibus fieri *duella*. *Primo* pro defendenda vita. 2. Pro defendendis bonis fortunae. 3. Pro defendendo honore et fama. 4. Pro ostendenda audacia, viribus, animositate, arte duellandi etc. 5. Ex vindicta ob injuriam acceptam. 6. Ex odio et rancore. 7. pro dirimendo bello. 8. Pro indagenda veritate, vel innocentia. De quibus singulis ponemus Conclusiones. Hinc

19 Resp. I. Pro necessaria defensione vitae, seu si mors, vel periculum illius aliter vitari non potest, licitum est acceptare *duellum*, imo et provocare ad illud: v. g. Si quis ab inimico, vel adversario suo, vel alio quodam ita adigeretur, vel *duellum more consueto mecum ini, vel illico te occidam*; aut certe *per alios meos brevi te occidi faciam*; potest talis *duellum* utique acceptare, quin offerre illud, si aliter vitae periculum vitare nequit, uti vitare non posse videtur, si aut fugere non potest aut fugiens se salvare nequit, et accusatione apud Superiorem se nil efficere cognoscit etc. Mastrius *Disp.* 11. *n.* 113. Lessius *lib.* 2. *de I. et I. cap.* 9. *n.* 8. *et n.* 49. Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 88. *n.* 36. Cum Communi. Ratio est; quia in tali casu offerre, vel acceptare *duellum*, nil aliud est, quam necessaria defensio vitae, quae omni Jure licita est.

20 Resp. II. Pariter licitum est acceptare *duellum*, vel offerre illud pro defensione rerum fortunae magni momenti, si alia via conservari aut recuperari non possunt. Castro Palao *Tr.* 6. *disp.* 5. *pun.* 7. *num.* 9. Sanchez *lib.* 2. *Moral. disp.* 39. *n* 8 Lessius *de Jur. et Just. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 8. *n.* 49. Valent. 2. 2. *disp.* 3. *q.* 17. *pun.* 1. §. *Talis autem casus*. Ratio est; quia, si licet pro conservatione bonorum fortunae magni momenti servato moderamine inculpatae tutelae occidere iniquum aggressorem per dicta, et probata *Tit. XII. a n.* 138. Non apparet, cur non liceat, pro eadem necessaria conservatione cum iniquo Aggressore, vel aggressionem minitante duellare; praesertim cum rationes ibidem allegatae etiam hic militent.

21 Nec refert, quod *duellum* offerens, vel acceptans exponat se periculo vitae, quae utique tanquam majus bonum illicite postponitur jacturae temporalium. Nam contra est, quod talis absolute non postponat vitam bonis fortunae, neque propter haec absolute eliget periculum vitae, sed dubium duntaxat periculum vitae propriae tanquam minus malum eliget, ad evitandum certum periculum, vel certam jacturam bonorum temporalium magni momenti, quod etiam in multis aliis casibus licite fieri cernimus. Palao, ubi supra.

22 Resp. III. Quamvis speculative loquendo licitum videatur, pro defendenda fama, et honore acceptare, vel etiam offerre *duellum*, quando videlicet fama et honor aliter defendi non potest, tamen practice loquendo, ordinarie est illicitum, ac poenis Juris subjectum. *Prima* pars, videlicet, quod liceat, docetur a Castro Palao *Tr.* 6. *disp.* 5. *pun.* 7. *n.* 9. Sanchez *lib.* 2. *Moral Disp.* 39 *n.* 8. Lessio, Valentia et Diana. Ratio est; quia non videtur prohibitum ratione homicidii, vel injuriae alterius; nec ratione periculi vitae propriae, quae utpote majus bonum quam fama postponi alias non deberat; ergo. Non ratione alterius; quia licitum est, servato moderamine inculpatae tutelae, seu, si alia via defensionis non superest, pro defensione famae et honoris occidere injustum aggressorem, juxta plurimos Doctores *Tit. XII. de Homicidio a nu* 145. allegatos. Nec ratione periculi vitae propriae, quia (uti supra jam dictum) in simili casu offerens, vel acceptans *duellum* vitam non postponit famae, nec pro hoc conservanda periculum vitae absolute eligit, sed dubium duntaxat periculum vitae propriae, tanquam minus malum eligit, ad evitandam certam jacturam, vel saltem certum periculum famae; uti respondent Doctores citati.

Secunda pars, quod in praxi id ordinarie illicitum sit, novissime merito docet Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 88. *nu.* 38. et in re ipsa Omnes. Ratio est; quia ordinarie loquendo, in praxi acceptio, vel oblatio *duelli* vel non est necessarium, vel non est quadrans medium defendendi famam et honorem; quod tamen utrumque requiritur, ut sit licitum; cum Doctores communiter fateantur, illicitum esse offerre, vel acceptare *duellum* pro defendenda fama, quando ad hunc finem vel non servit, vel si serviret quidem, tamen necessarium non est, existentibus ad mentem aliis justis, et licitis mediis pro eodem fine sufficientibus. 23

Et quidem, quod ordinarie loquendo in praxi necessarium non sit pro tuenda fama et honore acceptare *duellum* oblatum, patet: Tum quia recusando illud, ordinarie nullus aliquam jacturam in fama et honore, nec dedecus patitur, etsi, ut fieri solet, his, aut similibus verbis provocetur: *Si es honestus vir*, vel *si egregius aut cordatus miles*, vel *genuinus Nobilis es*; vel *si non es talis vel talis etc. pugna mecum gladio, aut globo*; vel *tam diu es talis etc.* vel *habebo te pro tali etc. donec mecum duellum ineas etc.* Quia hujusmodi verba, et injuriae famam, et honorem honesti viri vel non laedunt, vel, si laedere videntur, facile everti possunt alia via, respondendo v. g. *Sum et manebo honestus vir, nobilis etc. etsi nullum tecum committam duellum; quod recuso, non quia te timeo, sed quia illud Jure divino et humano prohibitum scio: quod autem te non timeam, sed cordatus existam, in opere ostendam, quando tu, vel alius me, ubique tandem aggredi tentaveris*: vel, *injurias, quasi nisi duellum acceptem, mihi irrogas, vel irrogatas vis, rideo, quia eas mihi minime praejudicare scio*: idem enim est ac si diceres *si es honestus, cordatus vir, nobilis, egregius miles etc. Veni mecum ad rapinam, ad furandum, ad adulterandum, vel habebo te pro tali, et tali; vel eris talis, nisi mecum ad rapinam, furandum, fornicandum venias*: ac si dicas, *nisi mecum duellum ineas*; cum istud atque ac illud divino et humano Jure sit prohibitum. Cujusmodi responsiones a multis illustribus, et Militaribus magna cum gloria earumdem datae sunt. 24

Confirmatur: si esset necessarium acceptare *duellum*, pro tuenda fama et honore, ideo potissimum esset, ne recusans praesertim Equestris, Nobilis, vel Miles contrahat notam viri timidi, aut minus magnanimi, vel cordati, atqui ex hac causa non licet acceptare *duellum*; cum Alexander VII. inter alias etiam sequentem Propositionem damnerit: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Accedit, quod, uti ex dictis patet, talis recusans apud vulgares duntaxat, quorum aestimatio, vel vituperium non curandum, minime vero apud bonos et prudentes contrahat timiditatis notam, et bene etiam apud vulgares facile evertere possit respondendo, ut supra. 25

26 Probatur bene etiam, quod ordinarie loquendo necessarium non sit pro tuenda fama et honore offerre *duellum*; quia si hoc necessarium esset, potissimum esset ob injuriam ab altero acceptam: cum alia causa vix excogitari valeat, atqui propterea necessarium non est: Tum quia ordinarie loquendo alia via fieri potest injuriae reparatio; videlicet vel legitima accusatione apud Judicem, ad quem finem conceditur in Jure actio injuriarum §. *in summa*. §. *Instit. de Injur.* vel per medium retorsionis, quo diluitur omnis macula ex verbis injuriosis

illata; quo medium ipso Jure conceditur *l. Qui cum major.* 14. §. *Si libertas.* 6. *ff. de Bon. libert.* et *l. Quae omnia, de Procurat.* et datur etiam contra absentem, cum sufficienter adhibeatur, si fit, quamprimum fieri potest, *arg. l.* 2. §. *confestim autem. ff. ad S. C. Tertul.* et *l. Annus ff. de Calum.* cum Concordantiis. Accedit, quod propria auctoritate privata sumere vindictam, medium illicitum sit juxta dicenda infra *n.* 37.

27 Probatur alterius, quod nec quadrans seu utile medium sit pro tuenda fama et honore, offerre, vel acceptare *duellum.* Tam offerens, quam acceptans *duellum* contravit maculam perpetuae infamiae, juxta Constitutiones Pontificias, et Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 19. ergo non pro tuenda, sed perdenda fama servit.

28 Dices: Constitutiones Pontificias quoad poenam infamiae in his partibus non sunt receptae; ergo pro tuenda fama licite servire poterit *duellum.* Resp. transmissa antecedente, negando consequentiam; quia, etsi dato non concesso, *duellum* pro tuenda fama utile esset, tamen non necessarium, consequenter nec licitum foret, cum juxta dicta *a n.* 24. ordinarie loquendo semper alia media eandem tuendi adessent.

29 Instabis: Dantur plures casus, in quibus pro tuenda fama et honore oblatio, et acceptatio *Duelli* absolute necessaria est; ergo saltem in his casibus licitum erit illud offerre, vel acceptare. Probatur antecedens frequenti praxi Germaniae, ubi, uti refertur, si inter Milites, vel militares Officiales, aut belli Duces unus alterum verbis injuriosis afficit, vel facto injuriam infert, et offensus Offendentem ad *Duellum* non provocaret, talis ab aliis adeo despectus et abjectus haberetur, ut nullus cum eo amplius militaret, nec aliquis miles eidem, si Officialis esset, amplius pareret, etiamsi offensus alia via satisfactionem pro injuria habere posset. Idem fieret, parique cum despecto, et objectionis effecta haberetur, si quis ab alio ex quacunque causa ad *Duellum* provocatus non compareret, ipsis primariis belli ducibus. in his casibus non tantum non punientibus, sed etiam concedentibus, imo ut fiat Duellum, urgentibus etiam privatione Officii militaris.

30 Ad hanc instantiam respondetur, credibile non esse, rem se ita habere, uti casus referuntur; Si tamen pessima haec praxis seu corruptela in aliqua Regione revera existeret; Respondetur, gravissime inprimis peccare Reges, et Principes, atque belli Duces, qui, dum possunt, similem praxin, vel etiam privata hujusmodi *Duella* tolerant, et multo magis qui positive concedunt, vel, ut fiant, urgent, juxta dicta *n.* 7.

31 Illos vero, qui in hujusmodi casibus ad *Duellum* offerendum, vel acceptandum ita necessitantur, et coarctantur, ut nisi offerant, vel acceptent, tanquam formidolosi, timidi, abjecti, et ad Officia militaria inepti haberentur, indeque officio, quo acta fruuntur, seque, et suos sustentant, privarentur, vel promotionie, alias sibi debitae, ac promeritae spe perpetuo carere deberent: illos, inquam. in hujusmodi casu et culpa, et poene vacare, sive offerant, sive acceptent *Duellum.* Ratio est; quia in tali casu, uti supponitur, acceptatio et oblatio *Duelli* est absolute necessaria, sicque justa et licita defensio famae, vel bonorum fortunae, et aequivalenter etiam vitae (juxta dicta n. 43.) contra iniquum aggressorem, puta injuria afficientem; consequenter ad oblationem *Duelli* necessitatem, vel ad *Duellum* provocantem, adeoque verbis aggredientem etc. Hinc sicut pro necessaria defensione famae, bonorum fortunae magni momenti, licitum est cum moderamine inculpatae tutelae iniquum aggressorem occidere, ita etiam licebit *Duellum* offerre, et acceptare, in eoque alterum occidere.

32 Nec refert, quod in *Duello* quis se ipsum exponat mortis periculo; quia ad hoc jam patet ex dictis supra *n.* 21. et 22.

33 Nec videtur haec doctrina coincidere cum propositione damnata ab Alexandro VII. sequentis tenoris: *Vir equestris ad Duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quia aliud est, acceptare *Duellum* praecise ad evitandam timiditatis notam, quod illicitum, et merito condemnatum est; cum haec nota ordinarie non nisi apud vulgares incurratur, et apud hos etiam facile evitari possit aliqua ex supra dictis responsionibus *n.* 24. Aliud vero est, illud acceptare ad evitandam timiditatis notam ita circumstantiatam, ut nisi *Duellum* acceptetur, vel offeratur, gravissima jactura temporalis in Officio, Dignitate, honore, et bonis fortunae etc. certo sequatur, uti in casibus nostris *n.* 29. positis, in quibus proin plane extraordinariis casibus *Duellum* offerri, et acceptari posse, diximus. Et ideo in Conclusione *n.* 22. posita notanter diximus *ordinarie* loquendo, non esse licitum offerre, vel acceptare *Duellum.* Sed

34 Urgebis contra hanc ipsam Conclusionis *n.* 23. positam partem: Vi statutorum Ordinis equestris S. Jacobi indagatur de Candidato, an provocatus ad *Duellum* acceptarit illud, et recusasse compertus, tanquam ignavus et timidus ad Ordinem non admittitur; ergo etiam ordinarie loquendo, licitum erit acceptare *Duellum*, cum alias dicti Ordinis statuta acceptationem *Duelli* requirentia non fuissent approbata a Regibus Catholicis. Resp. Vigore allegatorum statutorum non requiri acceptationem *Duelli* oblati, sed tantum indagari, quomodo in casu oblati *Duelli* se habuerit Candidatus; ad hoc, ut si constet, eum ex ignavia et metu illud recusasse, vel declinasse, rejiciatur; recipiatur vero, si ex timore Dei, legisque divinae, et humanae allegatione, aliove simili modo ut responso supra *n.* 24. adducto illud recusavit. Mendo *de Jure Academico, l.* 3. *q.* 29. *Appendice de Duello.* §. 2. ℣. *Secundum.*

35 Instabis: Vir nobilis potest pro conservanda vita, et membris iniquum aggressorem occidere, etiamsi fugiendo posset salvare vitam; quia fuga eidem multum ignominiosa esset; ergo etiam pro tuenda fama et honore *ordinarie* licet acceptare *Duellum*; cum recusatio illius viro nobili aeque videatur ignominiosa, famaeque, et honori praejudiciosa, ac si iniquum aggressorem fugiat. Resp. negando consequentiam et paritatem. Disparitas est: Tum quia, qui ad *Duellum* provocatur aggressionem actualem in corpore nondum patitur: Tum quia per acceptationem *Duelli* fama, et honor ordinarie loquendo, non salvatur, sed perditur juxta dicta: Tum quia in casu oblati *Duelli* aliae viae, et media ad manum sunt salvandi famam, et honorem per dicta *n.* 25. Caeterum fatemur, quod sicut vir Nobilis, vel equestris ad evitandam ignominiam possit prò salvanda vita, et membris iniquum aggressorem occidere, etsi fugiendo salvare vitam valeret; ita etiam ad *Duellum* provocatus, et insuper actualem, vel jam jam imminentem aggressorem patiens se defendere, et aggressorem occidere queat, etsi fugiendo salvare se potuisset.

36 Resp. III. Ad solam ostendendam animositatem, vires, vel peritiam duellandi, aut digladiandi nequaquam licet offerre, vel acceptare *Duellum.* Valentia 2. 2. *Disp.* 3. *q.* 17. *p.* 1. *can.* 5. n. 6. Azorius *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 4. cum communi, et certa aliorum, *arg. c.* 1. *de Torneament.* ubi id expresse rejicitur. ibi: *Ad ostentationem virium suarum, et audaciae etc.* Ratio est: quia utique iniquum, et rectae rationi graviter adversum

est; pro tam vano fine medium tam atrox, et graviter periculosum, omnique Jure prohibitum assumere.

37 Resp. IV. Pariter omnino illicitum, poenisque subjectum est, offerre *Duellum* ex vindicta ob acceptam ab alio injuriam, vel ut per illud injuria illata tollatur, et *satisfactio*, uti vocant, ab injuriante praestetur. Rursus communis et certa. Ratio est; Tum quia non licet sumere vindictam auctoritate privata juxta illud Scripturae: *Mihi vindicta, et ego retribuam*. Et *l. Nullus*. 14. *C. de Judaeis*: Tum quia *Duellum* ob eventus incertitudinem non est medium proportionatum ad reparandam injuriam.

Limitatur tamen Conclusio in casibus extraordinariis, in quibus oblatio *Duelli* absolute est necessaria ad avertendum grave praejudicium famae et honoris etc. Juxta dicta *n.* 31.

38 Resp. V. Ulterius illicitum est, offerre vel acceptare *Duellum* tanquam medium indagandi veritatem, innocentiam, vel justitiam, alterutrius partis. D. Thomas 2. 2. *q.* 95. *a.* 8. *ad* 3. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 39. *n.* 3. eoque teste, omnes, *arg. can. Monomachiam.* 22. *cau.* 2. *q.* 6. *c.* 1. *et* 2. *de Purgat. Vulg.* Ratio est; quia superstitiosum, et periculosum, ac omnino improportionatum est medium indagandi, seu demonstrandi unius innocentiam, veritatem, vel justitiam, cum Deus innocenti, justo, vel veraci nullibi promiserit victoriam contra injustum, sed causas secundas ordinarie sinat motus suos agere, indeque facile eveniat, quod fortior, vel usu armorum exercitatior vincat, etsi causam malam foveat.

39 Resp. VI. Licitum est acceptare, vel offerre *Duellum* ob bonum publicum, ad dirimendum, v. g. bellum, finiendasque belli calamitates, ad decidendam controversiam Principum, et obtinendam pacem, adeo ut ad dictum finem aut duo belli Duces, aut duo milites, aut certus numerus ex utroque hostili exercitu verum *Duellum* inire valeant. Navarrus *in Summ. cap.* 11. *n.* 39. Zoesius *h. t. num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 19. *nu.* 15. Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 88. *n.* 48. cum communi aliorum. Ratio est; quia tali *Duello* evitantur plurimae, caedes, et gravissima damna ex utraque parte. Et ob hanc causam Eduardus III. Rex Angliae et Franciae ad *Duellum* provocavit Philippum VI. Valesium, Franciscus Galliae Rex Carolum V. Imperatorem, Carolus Rex Sueciae Christianum Regem Daniae, Carolus Ludovicus Elector ad Rhenum Comitem Turenium.

40 Notant tamen bene Doctores, Principem juste bellantem nec offerre, nec acceptare posse *Duellum*, si per illud spes victoriae redderetur magis dubia, quam per bellum; quia in tali casu graviter praejudicaret suae Reipublicae. Secus foret, si adversus, se ad resistendum imparem, vel certe quasi nullam pro se superesse spem victoriae bello obtinendae; tunc enim et offerre, et acceptare potest *Duellum* hujusmodi pro terminando bello, vel decidenda controversia. Doctores citati.

41 Quaeritur IV. An omnes poenae a Concilio Tridentino, et Constitutionibus Pontificiis supra allegatis contra *Duellantes* statutae locum habeant in Germania? Resp. Quamvis allegata Jura de se loquendo obligent universum Orbem Christianum, tamen quoad poenas temporales, puta, perpetuae infamiae, proscriptionis, privationis jurisdictionis etc. in pleno rigore usu non videntur recepta in Germania, et partibus Septentrionalibus. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *par.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. quem secuti sunt Pirhing *h. t. num.* 3. Konig *eod. num.* 19. Gobath, et alii id probantes multiplici experientia et praxi; qua patet, *Duellantes* in his partibus dictas poenas non sustinere.

Dicitur autem notanter *quoad poenas temporales*; 42
quia quoad poenas spirituales, puta, excommunicationis, privationis sepulturae, beneficiorum, item inhabilitatis ad illa etc. etiam in Germania esse receptas dictas Constitutiones, non est, qui dubitet; nisi quod Doctores praefati dicant, aliquos ob defectum ignorantiae excusari a Censura: quod pro Foro interno, non item externo admittimus.

Quaeritur V. Num vulneratus in *Duello* si ante 43
mortem signa poenitentiae dedit, et tam a peccatis, quam Censuris fuit absolutus in loco sacro sepeliri valeat? Resp. I. Si vulneratus in ipso loco *Duelli*, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post, eodem adhuc die aicque sine vero sufficienti intervallo moritur, caret sepultura Ecclesiastica, etsi poenitens, et a Censuris absolutus decedat. Sanchez *Select. disp.* 36. *num.* 9. Pignatelli *Consult.* 88. *num.* 66. Lezana *v. Duellum num.* 14. Diana *p.* 4. *tr.* 4. *Resolut.* 92. Konig *h. t. num.* 20. cum communiori aliorum. Ratio est: Tum quia Jura universaliter privant decedentes in *Duello*, sine distinctione inter decedentes cum, vel sine poenitentia: Tum quia ita expresse praecipit Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, in Rubrica *de Exequiis* in haec verba: *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in Duello, etiamsi ante obitum dederint signa poenitentiae*: Tum quia poenitentia et absolutio a Censuris ea peccatis non faciunt, quin adhuc vere dicatur decedere in *duello*; consequenter poenis contra hos statutis subjacere. Confirmatur a simili in decedentibus in *Torneamentis*, vel in ludo agitationis taurorum, qui carent sepultura sacra, etsi poenitentes moriantur, uti expresse habetur, *c.* 1. *de Torneamentis*, et *in Constitut. Pii V. de Salute*. Ergo idem dicendum de decedentibus in *duello*.

Resp. II. Si vulneratus in *duello* moritur primo 44
post notabile intervallum v. g. post unum vel alterum diem, sepultura sacra non caret. *Diana p.* 11. *tr.* 6. *Resolut.* 26. *v. duellum. n.* 14. Caraffa *de duello tr.* 2. *sect.* 3. *q.* 19. *n.* 9. Konig *loc. cit.* Portell. et alii. Ratio est; quia licet talis decedat ex *duello*, non tamen in ipso *duello*, seu conflictu, quod tamen ad incurrendam dictam poenam diserte requiri videtur tam in Concilio Tridentino, quam a Clemente VIII.

Quaeritur VI. Quaenam personae praeter *duellantes* 45
subjaceant poenis? et quibus? Resp. ad hoc jam constare ex dictis supra *n.* 7.

Specialiter tamen notandum circa Spectatores, 46
videlicet, quod illi, qui vel animo *duellantes* a pugna impediendi, eos comitantur, et spectant, vel qui subito ad locum *duelli* veniunt ibique etiam curiosi exspectantes manent; vel qui a fenestris januisque aedium congredientes spectant, excommunicationis, et alias poenas contra Spectatores latas non incurrant. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 39. *n.* 3. Mendo *in Appendice de duello n.* 312. Ratio est; quia Constitutio Pontificia loquitur de spectantibus ex proposito, sive data opera, et quasi approbantibus *duellum*.

Quaeritur VII. Quis possit absolvere ab Excom- 47
municatione ob *duellum* incursa? ℟. Quamvis Excommunicatio ob duellum incursa per Constitutionem Clementis VIII. sit reservata Summo Pontifici tamen ab illa vi privilegiorum absolvere possunt Mendicantes, tam *duellantes*, quam Fautores et Spectatores eorum, ut bene observant Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. Pirhing *h. t. n.* 3. et alii, eo quod etiam a Censuris Sedi Apostolicae reservatis absolvere valeant.

Qui plure de *duellis* desiderat, leget Pignatelli *Tom.* 9. *Consult.* 88. ubi materiam de *duellis* practice, et theorice peregregie tractat.

TITULUS XV.

De Sagittariis.

SUMMARIUM.

1 *Sagittariorum, et Balistariorum nomine qui veniant.*
2 *Qualiter? et contra quos prohibite sit ars et exercitium Sagittariorum, et Balistariorum.*

1 Quaeritur quid ad propositum intelligatur per *Sagittarios*? et quid statuatur de illis per Jura? Resp. I. *Sagittariorum*, et *Balistariorum* nomine veniunt, qui vel in jaculandis sagittis, aut saxis ex arcubus et Balistris (quarum usus olim frequens erat) vel (ut hodie usus est) in emittendis glandinibus, et majoris ponderis globis plumbeis, ex Tormentis bellicis peritiam habent, ut cum aliis notat Gonzalez *in c. un. h. t. n.* 3.

2 Resp. II. Quamvis *c. un. h. t.* artem *Sagittariorum*, seu *Balistariorum* contra Catholicos exercere universaliter videatur prohibitum; tamen probabilius est, vel prohiberi hic duntaxat artem hanc exercere pro infidelibus aut Haereticis contra Catholicos conformiter *c. ita quorundam* 6. *etc. Quod olim.* 12. *de Judaeis: et Extravag.* 1. *eod.* vel prohiberi eandem etiam pro Catholicis contra Catholicos in bello injusto, uti post Glossam *in cit. c. un. h. t.* ℣. *Artem.* ibidem bene docent Barbosa, Honorius, et alii: Ex illa ratione, quod nil refert ad justitiam, utrum justum bellum contra quemcunque gerens, aperte pugnet, an ex insidiis, *can. Dominus* 2. *cau.* 23. *quaest.* 2. ibi: *Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis veniat, nihil ad justitiam refert.* Dummodo *Sagittarii*, vel Balistarii in exercitu non adhibeant incantationes, superstitiones vel alias diabolicas artes ad certius, vel fortius, aut longius nocendum hosti etc. quod praecipue prohiberi putat Barbosa *h. t. n.* 2.

TITULUS XVI.

De Adulteriis, et Stupro.

1 *Ratio Ordinis.*

1 Post Crimina quinto praecepto Decalogi adversa, diversa videlicet homicidia, et alia, quibus vita, et corpus proximi laeditur, Compilator Canonum recto ordine pergit ad delicta sexto praecepto contraria, quibus pudicitia laeditur. Et quamvis Rubrica de duobus solummodo speciebus, *Adulterio* videlicet, et *Stupro* sonet; tamen occasione eorundem merito etiam de aliis speciebus delictorum earnis, *Fornicatione* videlicet, *Incestu*, *Sacrilegio*, *Raptu*, et vitio contra naturam, seu *Sodomia* hic agitur.

§. I.

De Adulteriis.

SUMMARIUM.

2 *Adulterium impropria, et propria dictum quid?*
3 *Aliud est simplex.*
4 *Aliud duplex.*
5 *Copula carnalis cum alterius sponsa de praesenti Adulterium est.*
6 *Non item cum sponsa de futuro.*
7 *Solvitur Objectio.*
8 *In lege divina antiqua Adulterium sub poena mortis, et quidem lapidationis fuit prohibitum.*
9 *De Jure Canonico poena Adulteri Laici in Adulterio persistentis.*
I. Est Excommunicatio.
10 *II. Poena foeminae adulterae est detrusio in arctum Monasterium.*
11 *III. Poena est divortium.*
12 *IV. Amissio dotis, et donationis propter nuptias.*
13 *Clerici adulteri poena quae? Et duobus num. seqq.*
16 *De Jure Civili poena Adulterii etiam est mors.*
17 *Quae tamen poena in plerisque Provinciis ob Adulterium prima vice non est in usu, sed alia: et quae?*
Principes Adulteria non punientes peccant.
18 *Adulterium conjugati cum soluta de Jure Civili non subjacet poenae ordinariae: et quare?*
19 *Poena Adulterii de Jure Bavarico.*
20 *Olim pater impune occidere poterat Adulterum cum filia in actu deprehensa.*
21 *Sicut Maritus Adulterum vilis conditionis cum uxore in actu deprehensam.*
22 *Hodie tamen nihil horum licet.*
23 *Adulterii poenas non incurrit, qui illud vel non scienter,*
24 *Vel non actualiter committit.*
25 *Adulterium uxoris ante omnes Criminaliter accusare potest maritus.*
26 *Et post ipsum pater Adulterae, et alii conjuncti.*
27 *His deficientibus etiam quivis extraneus, dummodo mas, et major 25. annis sit.*
28 *Civiliter quoad dotem et divortium uxor etiam accusare potest virum Adulterium; non item Criminaliter, loquendo de Jure Civili.*
29 *Secus est de Jure Canonico.*
30 *Quamvis de criminibus requiratur plena probatio; tamen in Adulterio sufficit habita probatio per praesumptiones.*
31 *Violentas.*
32 *Enumerantur similes praesumptiones violentae usque ad num.* 38.
39 *Quando contra Adulterium agitur Civiliter ad divortium seu separationem quoad cohabitationem et thorum, solus Ecclesiasticus est Judex.*
40 *Qui etiam de causa Dotis, et Donationis propter nuptias, atque alimentorum, si in causam Adulterii principaliter agitatam incidit, judicare potest.*
41 *Si contra Adulterium agitur Criminaliter ad poenam sanguinis, solus Laicus Judex est.*
42 *Si ad aliquam poenam Criminaliter agitur, mixti Fori est.*
Episcopus circa cuncta scelera Judex est. Ibid.

Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit *Adulterium*? 2
Resp. I. Quamvis *Adulterium* large loquendo sit omnis copula extra statum Conjugii habita, *can. Nemo.* 6. *cau.* 32. *q.* 4. ac propterea ibidem, sicut et *e* Lege Julia *Adulterium*, et *Stuprum* promiscue sumantur *l. Inter stuprum* 105. *ff. de V. S.* cum Concordantiis. Tamen propria, et ad propositum loquendo *Adulterium est alieni thori violatio*, ut dicitur *can. Lex illa* 2. *cau.* 36. *q.* 1. seu est *carnalis ad alteram personam vi conjugii non suam accessio, et conjunctio, qua fides et thorus conjugalis violatur.*

3 Resp. II. *Adulterium* proprie dictum dividitur in *simplex*, *duplex*. *Simplex* est, et dicitur, non solum, quando solutus cum conjugata, sed etiam quando conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, *can. Cum ergo. post can. Illae.* 14. *can.* 32. *q.* 5. et *can. Puto.* 16. *ead. can. et q. can. Non moechaberis. can.* 32. *q.* 6. Ratio est; quia vir aeque ac uxor ad fidem conjugalem astringitur *can. Nemo. can.* 32. *q.* 4. indeque vir meretrici adhaerens non minus fidem et thorum conjugalem violat, ac uxor peccans cum non suo; quamvis Jus Civile aliud velit, et quoad poenas illius etiamnum servandum sit, per dicenda infra *num.* 18.

4 *Adulterium duplex*, seu duplicatum, et bilaterale est, quando maritus cum uxore aliena carnaliter miscetur: quod germanice *ein doppelter Ehebruch* vocatur, sicuti *simplex ein einfacher*.

5 Resp. III. *Adulterium* quoque est commistio carnalis viri cum sponsa aliena de *praesenti*, non item cum sponsa de *futuro*. *Prima* pars communis est et certa ob rationem; quod sponsa de *praesenti* etiam ante Matrimonii consummationem sit vera uxor; cum *nuptias non concubitus, sed consensus faciat*, *l. Nuptias.* 30. *ff. de Reg. Jur.*

6 *Secundam* partem tenet Clarus ✠. *Adulterium n.* 9. Zoesius *in Comment. ff. ad leg. Jul. de adult.* Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 2. *n.* 8. Covarruvias *p.* 1. *de Spons. cap.* 1. *n.* 8. cum Communiori contra Glossam *in c. Quemadmodum* 25. ✠. *Sponsam. de Jurejur.* Abbatem *in c. discretionem, de eo, qui cognovit.* Ratio est; quia *adulterium* est violatio Thori alieni conjugalis; at vero per copulam cum sponsa de *futuro* non violatur Thorus alterius, hoc ipso, quod ante Matrimonium de *praesenti* contractum sponsus non habeat jus ad Thorum sponsae. Accedit Juris decisio *l. Inter.* 6. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de adulter.* ubi expresse dicitur: *Proprie adulterium in nupta committitur.* Nupta autem nondum est sponsa de *futuro*, ergo.

7 Nec obstat *l. si uxor.* 13. §. *divi. ff. eod.* ubi habetur: *Etiam in sponso hoc idem vindicandum, quia nec spem Matrimonii violare permittitur*, cum Concordantiis. Resp. enim, in praefatis, et similibus locis verba esse intelligenda de *adulterio* non proprie, sed large accepto: ob quod tamen, quia vera injuria illata est sponso jus ad sponsam ob praecedentia sponsalia habenti, datur eidem vera actio, *l. Etiam* 15. §. *Sponsam quoque ff. de Injuriis*

8 Quaeritur II. Qualiter? et sub quibus poenis prohibitum sit *adulterium*? Resp. I. *Adulterium* tanquam gravissimum crimen; et peccatum mortale Jure Divino et humano, eoque tam Civili, quam Ecclesiastico gravissime, gravissimisque poenis est prohibitum. Nam Jure divino veteris Testamenti poena *adulterii* fuit mors; uti patet ex *Levit. cap.* 20. ✠. 10. ibi: *Si moechatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriantur et Moechus, et adultera:* idem habetur *Deuteron. cap.* 22. ✠. 22. ibi: *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur*, id est, *tam adulter, quam adultera*, et *auferes malum de Israel:* Et quidem per lapidationem, prout constat *Joan cap.* 8. ✠. 5.

9 Resp. II. Jure humano Ecclesiastico diversae poenae sunt statutae contra *adulterantes*. Et quidem I. Laicorum in *adulterio* persistentium poena est excommunicatio non tamen latae, sed ferendae sententiae, *c. Intelleximus.* 6. *h. t.* et ibi Doctores.

10 II. Poena foeminae *adulterae* est detrusio in arctum Monasterium ad agendam ibi poenitentiam perpetuam, si maritus eam amplius recipere non vult, *c. Gaudeamus.* 19. *de Convers. conjug.* quae tamen poena hodie non amplius est in usu, et relinquuntur Laici criminaliter, et publice puniendi Curiae saeculari.

III. Civilis tamen, et privata *adulterorum* poena est divortium, seu separatio a thoro et cohabitatione, de qua late egimus *Lib. IV. Tit. XIX. de Divortiis.* §. *III.* ubi vide. 11

IV. Poena est amissio Dotis in *adultera*, et amissio donationis propter nuptias in *adultero*, de qua poena etiam late egimus *cit. Lib. IV. Tit. XX.* § *III. a num.* 95. ubi vide. 12

Clericorum *adulterorum* poena est, quod si quis de crimine *adulterii* confessus, vel convictus fuerit, ab Officio et Beneficio deponendus sit, et insuper in Monasterium ad agendam poenitentiam detrudendus, *can. Si quis.* 20. *dist.* 81. ibi: *Si quis Clericus adulterasse, aut confessus, aut convictus fuerit, depositus ab Officio in Monasterium toto vitae suae tempore detrudatur.* Concordat *can. Romanus.* 11. *ead. dist.* ibi: *Depositus a Clericatus ordine.* 13

Quod si vero nec confessus, nec convictus, sed tantum suspectus et diffamatus sit de *adulterio*, purgatio Canonica ei indicenda est, qua si deficit, ab Officio suspenditur, *arg. c. Significasti.* 5. *h. t.* et ibi Doctores, atque Farinac. *praxi Criminal. p.* 5. *q.* 40. 14

Notat insuper Molina *loc. cit.* Clarus ✠. *adulterium. n.* 7. Covarruvias *in* 4. *p.* 2. *cap.* 7. *n.* 19. Quod si Clericus non accusetur de *adulterio*, aliquid de rigore remittere possit. 15

Resp. III. Jure Civili primitus statuta erat poena deportationis vel exilii, *l. Si quis.* 5. *ff. de Quaestion.* postea vero per Constantinum conformiter legi Divinae supra *num.* 8. citatae, in *adulteros* decreta fuit poena gladii, *l. Quamvis.* 30. §. 1. *C. ad leg. Jul. de adulter.* quam poenam in foeminas et viros, sive *simplex*, sive *duplex* verum Adulterium committentes indistincte confirmavit Carolus V. *in Constitut. poenal. art.* 102. 16

Notant tamen Doctores, et docet experientia hic poenam mortis ob Adulterium *simplex*, imo etiam duplicatum saltem prima vice in plerisque Provinciis non amplius infligi, sed loco illius *adulteras* prima vice puniri vel relegatione, seu exilio, vel fustigatione, vel statione ante fores templi cum candela accensa per aliquos dies Festivos, in quibus est major concursus populi, vel poena pecuniaria, vel alia arbitraria. Clarus §. *adulterium. n.* 7. ubi ad finem docet, quod *adulteria* his temporibus debite non puniantur: et addit: *Ego semper fui in hac sententia, quod Principes hujus temporis, qui hoc gravissimum crimen severissimis legibus non coercent, illasque exequi non faciunt, gravissime peccent. Et judicio meo iste est unus ex casibus, in quibus Christiana Respublica indigeret reformatione.* Haec Clarus et merito. 17

Notandum insuper tamen, quod, etsi de Jure Civili juste dicta *n.* 3. etiam *adulterium* sit, si conjugatus cum soluta carnaliter commiscetur; tamen haec carnalis commixtio ordinariae poenae *adulterii* a Jure Civili statutae non subjaceat, eo quod, licet Jus Civile subjaceat correctioni Juris Canonici declarantis etiam copulam carnalem conjugati cum soluta esse *adulterium* contra tenorem *l. Inter Liberas* 6. §. 1. *ad leg. Jul. de adult.* tamen eidem Juri quoad poenas non praejudicet. Caeterum cur Jus Civile *adulterium* conjugati cum soluta pro Adulterio minus proprio habeat, indeque minus puniat; Ratio est: quia hoc Jus in *adulterio* principaliter respicit, et punit seminis commistionem, et inde subsequentem prolis legitimi haeredis incertitudinem, dum praeter virum legitimum alienus sive conjugatus, sive solutus cum uxore carnaliter commiscetur; 18

quae incertitudo non sequitur, dum conjugatus cum soluta congreditur. Econtra vero quia Jus Canonicum in *adulterio* principaliter attendit violationem thori et fidei conjugalis, quae etiam in conjugato rem carnalem cum soluta habente contingit, horum congressum pro vero *adulterio* habet, et in suo foro punit.

19 Statuta Bavariae circa *adulterium* id ordinant, ut *adulterium simplex* juxta diversitatem personarum, et proportionem, ac quantitatem mediorum prima vice certa mulcta pecuniaria puniatur: Si vero *duplex* seu duplicatum est Adulterium, quo videlicet conjugatus cum conjugata peccant, sistuntur delinquentes tribus diebus Dominicis luminaris ardentis, et virgas in brachiis denudatis gestantes ante foras Ecclesiae in conspectum et exemplum populi. Secundo commissum *adulterium* punitur relegatione perpetua. Tertio recidivum poena gladii, prout amplius videre est *Lib. 5. Tit. 9. art.* 1. 2. et *seqq.* (*Chur - Bayrische Lands - und Policey Ordnung.*)

20 Resp. IV. Quamvis olim inter poenas *adulterii* fuerit, quod parens filiamfamilias in *adulterio* domi suae generive deprehensam, cum una cum *adultero* occidere impune potuerit, textu expresso *L. Patri.* 20. *ff. ad leg. Jul. de Adult.* ibi: *Patri datur jus occidendi adulterium cum filia, quam in potestate habet.* et *L. Nec in ea.* 22. *ff. eod.* ibi: *Jus occidendi patri conceditur domi suae, licet ibi filia non habitet, vel in domo generi.*

21 Item quod maritus potuerit occidere *Adulterum*, non quidem quemlibet, sed vilis conditionis in ipso actu cum uxore sua domi suae deprehensum, textu claro *l. Maritus.* 24. *l. Si adulterium.* 38. §. 8. *ff. eod.* juncta *l.* 4. *C. eod.* Cujus utriusque ratio erat; quia in his casibus pater, et maritus publici ministri justitiae censebantur constituti; vel potius quia etsi leges praefatae hujusmodi homicidium tanquam licitum non approbarint, tamen a poenis immunes fuerint intuitu justi doloris, quo ad occidendum poterant moveri, uti plures volunt Theologi, *arg. cit. L. Si Adulterium.* 38. §. 8. *ff. ad leg. Jul. de adult.*

22 Nihilominus, quidquid fuerit de Jure Civili, hodie certum est, praefatas Leges a Jure Canonico in tantum esse correctas, ut Patri et marito memorato modo occidere in conscientia minime liceat, indeque caedes illorum poenas veri *homicidii* saltem Juris Canonici secum trahat. *can Inter haec.* 6. *et can. Si quod veriis.* 9. *cau.* 33. *quaest.* 2. Idque merito: Tum quia aequum non videtur, ut quis non auditus, et antequam de crimine legitime constet, condemnetur, et occidatur, contra *l fin C. de Malefic. et Mathem. l. Inauditum* 2. *ff et leg. Cornel. de Sicar.* Tum quia semper periclitabatur salus aeterna Reorum, hoc ipso, quod in flagranti fuerint occisi.

23 Resp. V. Ad hoc, ut quis *adulterii* poenas ordinarias sive a Civili, sive a Canonico Jure statutas incurrat, *duo* copulative requiruntur, videlicet *primo* dolus, seu malum propositum adulterandi. *Secundo* actualis copula carnalis. Hinc defectu *primi* a poenis *adulterii* libera est, quae ignoranter, nupsit viro alieno, ita tamen, ut illico adultera esse incipiat, quamprimum rescit, suum putativum, esse virum alienum. *can Si virgo.* 5. *cau.* 34. *quaest.* 1. Item uxor, quae vel per errorem ab alieno, quem suum putavit cognita, vel ab aliquo oppressa fuit, *can. Proposito.* 4. *cau.* 32. *q.* 5. *can. In lectum.* 6. *cau.* 35. *q.* 1. *l. Vim passa.* 39 *ff. ad leg. Jul. de adult.*

24 Defectu *secundi* requisiti poenas ordinarias *adulterii* evadit, qui solutam, quam uxoratam putat, carnaliter cognoscit: Item qui pro committendo *adulterio* omnem conatum adhibet, et ad actum proximum devenit, eum tamen re ipsa nondum exercet. Ratio est; Tum quia *adulterium* non ex solo animi proposito, sed ex actu intelligatur, in ordine ad poenas, *l. Fugitivus.* 225. *ff. de V. S.* Tum quia nullus propter solam opinionem, vel cogitationem, sed propter factum et delictum ipsum in foro externo punitur *per vulgaria.*

25 Quaeritur III. Quinam? et quando admittantur ad accusationem *adulterii*? Resp. I. *Adulterium* uxoris ante omnes etiam ante patrem accusare potest maritus, textu expresso *l. Ex lege.* 2. §. *Si simul. ff. ad leg. Jul. de adulter.* ubi ratio subjungitur illis verbis: *Nam et propensiore ira, et majore dolore executurum eum accusationem credendum est.* Additur tamen in subsequenti *l. 3. ff. eod.* Limitatio ita sonans: *Nisi pater maritum infamet aut arguat, aut doceat, colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare, postponatur marito.*

26 Resp. II. Post maritum accusare et agere vel nolentem, vel cessantem ad accusandum admittitur pater *Adulterae*, *cit. l.* 2. *et* 3. *ff. ad leg. Jul. de adult.* et post patrem reliqui cognati, scilicet frater, patruus, avunculus *adulterae*, et alii, quos justus dolor prae aliis ob commissum crimen premit, *l. Quamvis.* 30. *C. ad leg. Jul. de adult.*

27 Resp. III. Negligentibus, vel cessantibus accusare propinquis etiam extranei admittuntur ad accusandum *adulterium*, *l. Maritus.* 13. §. *lex Julia.* 6 *et l.* 1. *C. ad Leg. Jul. de adult.* juncta *l. Palam.* 43. §. *Senatus. ff. de Ritu Nupt.* cum Concordantiis. Non quidem Jure mariti *l. Si veritas.* 4. §. 1. *et l. Jure.* 6. *C. ad leg. Jul. de adult.* sed Jure extranei; et quia *adulterium* inter delicta publica numeratur *l.* 1. *ff. de Public. Judic.* et § *Item lex.* 4. *Institut. eod.* dummodo extraneus mas sit et major 25. annis, *cit. l. Si maritus*, 15. §. *lex Julia*, *ff. ad leg. Jul. de adult.*

28 Resp. IV. Quamvis explorati Juris et certa sententiae sit, quod etiam uxor *adulterium* viri accusare possit *Civiliter* in ordine ad divortium, et acquirendam donationem propter nuptias etc. tamen de Jure Civili virum de Adulterio *Criminaliter* accusare non valet, sive cum soluta, sive cum conjugata rem habeat carnalem *l.* 1. *C. ad leg. Jul. de adult.* et ibi Glossa ∜. *Violatio.* Sanch. *de Matrim. lib.* 10. *disp.* 8. *n.* 33. Covarr. *de Sponsal. p.* 2. *cap.* 7. §. 6. *n.* 5. Pirbing *h. t. n.* 6. et alii. Ratio est; Tum quia uxor marito tanquam Capiti majorem debet reverentiam et honorem, quam maritus uxori: Tum quia *adulterium* uxoris ob incertitudinem aut suppositionem prolis semper majus est, et gravius punitur de Jure Civili, quam *adulterium* viri.

29 Dicitur autem notanter *de Jure Civili*, quia de Jure Canonico etiam Criminaliter accusare potest uxor maritum *adulterum*, *can. penult. et ultim. cau.* 32. *q.* 5. Glossa communiter recepta *in can. Si quis.* 4. *cau.* 32. *q.* 1. ubi ∜. *Imperio*, ait: *Similiter ad imperio non judicantur quoad debitum reddendum, quoad divortium, quoad accusationem.* Quam Juris dispositionem amplexus est Carolus V. *in Constitut. poenali*, *art.* 120. etiam uxori accusationem viri *adulterii* expresse admittens.

30 Quaeritur IV. Qualis requiratur? et sufficiat probatio ad condemnandum reum *adulterii*? Resp. I. Quamvis alias in criminibus ad condemnandum Reum requiratur, ut sit vel confessus, vel per probationes luce meridiana clariores convictus, *can. Judex.* 2. *cau.* 2. *q.* 1. ibi: *Judex criminosum discutiens, non ante sententiam proferat capitalem, quam aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes testes convin-*

catur, concordat *can. Malti.* 18. §. *Nos vero. ead. cau.* et ℣. et *L. fin. C. de Probationib.* ibi: *Sciant cuncti accusatores, eam rem se deferre in publicam notionem debere, quae munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, et Luce clarioribus expedita*: tamen in *Adulterio* tanta probatio non est necessaria, sed sufficit et requiritur talis probatio, quae contra Reum facit suspicionem, vel praesumptionem non qualemcunque, sed violentam et vehementissime urgentem, Sanchez *lib.* 10. *disp.* 12. *n.* 41. et 42. Mascardus *de Probat. Concl.* 57 *n.* 3. Menochius *de Praesumpt lib.* 1. *Praesumpt.* 58. *n.* 3. Sylvester ℣. *Adulterium. n.* 9. et alii communiter, *arg. c. Maritus. h. t.* Ratio est, quia cum *Adulterium* in occulto, remotis arbitris, et testibus, ita caute fieri solet, ut per testes documenta plene probari nequeat, necessario haberi, et admitti debent alia probationis media, ne grande hoc crimen, quod satis frequenter committitur, maneat impunitum, quae alia esse non possunt, quam praesumptiones et conjecturae, per quas proin, sicut alia delicta, difficilis probationis, ita etiam *Adulterium* sufficienter probatur c. c. *et c. Litteris* 12. *de Praesumpt.*

31 Non sufficit autem quaecunque suspicio aut praesumptio, sed juxta jam dicta debet esse violenta, et talis, quae reddat certitudinem moralem, ex qua vir prudens vehementer urgeatur ad judicandum *Adulterium* a Reo esse perpetratum, Glosse *in c. Maritus* 4. *h. t.* ℣. *Suspicione.* et Doctores citati: hujusmodi praesumptiones violentas plures enumerat Mascardus *de Probation Concl.* 5. *et seq.* Sanchez *lib.* 10. *de Matrim. Disp.* 12. *n.* 41. Menochius *de Praesumpt. lib.* 5. *Praesumpt.* 41. inter has etiam sunt sequentes.

32 *Prima* est, quam refert Alexander *c. Litteris.* 12. *de Praesumpt.* videlicet, si quis solus nudus cum nuda in eodem lecto deprehendatur, *Adulterii* reus praesumitur.

33 *Secunda* est, si qui de *Adulterio* accusati se defendunt praetextu consanguinitatis inter eos vigentis, et tamen postea alterius conjuge mortua Matrimonium inter se contrahant. Contra hos siquidem violenta est praesumptio Juris, et de Jure, quod prius accusatum commiserint *Adulterium*, *l. Si qui.* 34 *C. ad Leg. Jul. de Adulter.* poteatque vi hujus praesumptionis etiam ultimum supplicium inferri. Menochius *de Praesumpt. lib.* 5 *Praesumpt.* 41 *num.* 7. et 8. Speculator *de Praesumpt.* § 2. *num.* 4.

34 *Tertia* De *Adulterio* si quis suspectus a Marito coram tribus testibus fide dignis, in scriptis ter fuit denuntiatus, ne cum uxore talis Mariti amplius conversationem habeat, et tam postea adhuc cum ea in loco ad *Adulterium* apto deprehendatur, *Adulterii* reus praesumitur, *Authen. Si quis* ei. *C. ad Leg. Jul de Adulter.*

35 *Quarta.* Ex ipsa rei natura datur, si absente viro uxor impraegnata invenitur, Omnes.

36 Ulterius *Adulterium* praesumitur, si uxor inscio, et invito viro clam accedat ad domum viri suspecti, ibique pernoctet: Item quando domus mulieris diu noctuque ab adolescentibus praesertim Scholasticis frequentatur: Item si reperiantur litterae amatoriae concubitum confitentes: vel si quis de *Adulterio* commisso extrajudicialiter se jactet.

37 Verum licet istae *in num praeced.* recensitae praesumptiones magnae sint, tamen sine aliis adminiculis ad infligendam poenam ordinariam sufficere non videntur, bene tamen ad extraordinariam. Menochius *loc. cit Praesumpt.* 41. *num.* 21. *et seqq.* Wesenbec *in ff. ad Leg Jul. de Adult n* 17. Brunneman *in cit Authent n.* 5.

Porro licet confessio judicialis plene probet contra confitentem *c. Intelleximus.* 6. *h. t.* tamen non plene probat contra Complicem reum; quia confessio unius non convincit complicem, *c. Nescicus. de Testib.* et *c.* 1. *de Confess.* 38

Quaeritur, quis sit Judex in causa *Adulterii*? Resp. I. Quando de *Adulterio* agitur Civiliter ad Divortium, et separationem quoad thorum, et cohabitationem conjugum, solus Ecclesiasticus, legitimus Judex est. Communis et certa, communique praxi comprobata. Clarus §. *fin. q.* 37. *numer.* 3. Covarruvias *p.* 2. *de Sponsa. Lib. cap.* 7. *numer.* 8. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 8. *n.* 13. *arg. c.* 1. *Ut lite non contestata. c. Porro.* 3. *et c. Significasti*, 4. *de Divortiis*, juncto *c. Tuae.* 5. §. *Si vero. de Procurator.* Ratio est; quia cum Matrimonium sit unum ex septem Sacramentis, et res vere spiritualis, de obligatione inde orta quoad thorum et cohabitationem solius Judicis Ecclesiastici est cognoscere. *c. Decernimus.* 2. *de Judiciis. c. Tuam.* 3. *de Ordine cognit.* cum Concordantiis. 39

Resp. II. Si coram Judice Ecclesiastico contra *Adulterium* ex causa divortii agitur, potest etiam is cognoscere de incidente causa dotis, donationis propter nuptias, et alimentorum. Sanchez *cit. lib.* 10. *disp.* 8 *nu.* 15. Alexander de Nevo *in c. Plerumque.* 2. *de Donation. inter virum et mulier* ubi pro conclusione expresse decisum habetur. Ratio est: quia quando legitimus Judex agit de causa principali, agere etiam potest de accessorio, et causa in principalem incidente, etsi alias respectu hujus Judex competens non sit, *l. Quoties* 3. *C. de Judic.* et *l.* 1. *C. de Ordin. cognit.* juncto *cit. c. de prudentia* 3. *de Donation inter virum et mulier.* Dummodo Judex Jurisdictionis, quam causa seu materia incidens exigit, incapax non sit; uti respectu causae Spiritualis incapax est Laicus, quae proin ad Judicem Ecclesiasticum remitti debet, quando incidit in causam principalem coram Laico agitatam. *c. Tuam.* 3. *de Ordine cognit.* 40

Resp. III. Si de *Adulterio* agitur *Criminaliter* ad poenam sanguinis, solus Laicus, non item Ecclesiasticus, Judex legitimus est. Omnes. Ratio est; quia Judex Ecclesiasticus causam sanguinis tractare, et de ea sententiam condemnatoriam ferre non potest, textu expresso *c. Clericis.* 5. *et c. penult Ne Clerici, vel Monachi.* 41

Resp. IV. Quando de *Adulterio* agitur *Criminaliter* quidem, et ad vindictam publicam, non tamen ad poenam sanguinis, sed ad aliam ea mitiorem, misti Fori est, ita ut tam Ecclesiasticus, quam Laicus, Judex esse possit, daturque locus praeventioni. Sanchez *lo. cit. n.* 16. Abbas in *c. Tuae.* 2. *de Procurat n* 6. et ibi Imola *n.* 10. Clarus § *fin q.* 37. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 10 Et quidem de Judice Ecclesiastico textus expressus habetur *c. de Offic. Jud Ordin.* ibi: *Habeant igitur Episcopi singularium urbium in suis Dioecesibus liberam potestatem adulteria, et scelera inquirere, ulcisci, et judicare.* De Laico autem patet ex *cit. c. Tuae* 2. *de Procuratorib.* De utroque autem *c. Cum sit.* 8. *de Foro competent.* ubi in Sacrilegos utrique tam Laico, quam Ecclesiastico datur jurisdictio: *Adulterium* autem utpote injuriam inferens Sacramento Sacrilegium est, et dicitur, *l. quamvis.* 30. *in fine. C. ad Leg Jul. de Adulter.* 42

§. II.

De Stupro.

SUMMARIUM.

43 *Stuprum aliud est improprie.*
44 *Aliud proprie tale.*

45 *Aliud violentum, aliud voluntarium.*
46 *Stuprum violentum, ricut et dolo, aut metu injasto obtentum, etiom Justitiae adversatur.*
47 *Poeno Stepri non vielenti.*
48 *Poena Stupri violenti : Et num. seq.*
50 *Vi stuprata nec poenam, nec maculam contrahit.*
51 *Posna Stupri Jure Canonico determinata : Remissive.*
52 *Poena Clerici Stuprum committentis.*
53 *Praesertim violentum.*

43 Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit *Stuprum*? Aote responsionem notandum, *stuprum* late et improprie sumptum, esse et dici omnem illicitam copulam, seu concubitum sive cum masculo, sive cum foemina, sive cum virgine, sive cum vidua, sive cum soluta, sive conjugata, *L. Stuprum. ff. Ad Leg. Jul. de Adult. L. Stuprum* 101. *prin. ff. de V. S. Item lex.* 4. *Institut. de public. Judic.* Verum in hoc sensu non agimus hic de *Stupro*, sed de illo proprie tali. Hine

44 Resp. I. *Stuprum* proprie et stricte acceptum, est virginis oondum corruptae illicite defloratio seu corruptio. Ita in re communis *arg. can. Lex illa.* a. §. *Cum ergo cau.* 36. *q.* 1.

45 Resp. II. *Stuprum* proprie acceptum aliud est *violentum*, aliud *non violentum* Illud est, quo virgo invita per vim opprimitur et defloratur; quod propriissime *Stuprum* est. Illud vero est, quo virgo volens, aut consentiens illicite defloratur; idque dupliciter, ita ut vel plane libere ad illud consentiat, vel per dolum et fraudem, aut metum injuste incussum ad illud inducatur.

46 *Stuprum violentum*, sicut et illud, quod per dolum et fraudem, vel metum injuste incussum, illatum *est*, praeter malitiam Castitati contrariam, continet etiam malitiam injustitiae, in Confessione specialiter exprimendam. Illud vero, quod virgini sine dolo et fraude, aut injusto metu, libere consentienti infertur, soli castitati, non item Justitiae adversatur, adeoque unicum tantum simplex peccatum continet, prout cum Lessio *lib.* 2. *de I. et I. cap.* 10. *dub.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 14. *a n.* 5. communiter tenent, et deducunt Theologi, apud quos vide.

47 Quaeritur II. Quas poenas tam de Jure Civili, quam Canonico inducat *Stuprum*? Resp. I. Si quis vilioris conditionis existens, *Stuprum* sine vi committit, fustigatione una cum relegatione: *Stuprator* vero melioris conditionis existens publicatione dimidiae partis bonorum punitur, §. *Item lex.* 4. ℣. *Poenam Instit. de Public. Judic.*

48 *Stuprum* autem *violentum* non tantum virginis, sed etiam honestae viduae, aut maritatae, poena capitis plectitur Clarus §. *Stuprum. n.* 3. *ad finem.* Farinacius *Prax. Criminal. q.* 147. *n.* 6. Glossa *in c.* 2. *h. t.* ℣ *Plectendus.* et ibi Abbas *n.* 5. *l.* 1. §. *fin. ff. de Extraordi. Crimin.* et *Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 119. ubi *Stuprator* violentus poenae capitis subjicitur, si *Stuprata* fuerit *ein unverleimbdte Ehe Frau, Wittib, oder Jungfrau*, id est, bonae famae conjugata, vel vidua, vel virgo.

49 Ex quo nonnulli inferunt, poenae *mortis* non subjacere, qui meretricem opprimit.

50 Porro per vim *Stuprum* passa nec poenam, nec ullam infamiae maculam incurrit, *l. Si uxor.* 13. §. *Si quis.* 7. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* et *l. Foedissimam.* 20. *C. eod.*

51 Resp. II. De Jure Canonico poena *Stupratoris* Laici est, quod debeat dotare, vel ducere *Stupratam*, et alimentare prolem inde secutam: ubi tamen differentia est de *Stupratore* cum et sine promissione Matrimonii, prout de hac *Stupratoris* poena Jure Canonico statuta late diximus *Lib. IV. Tit. I.* §. *IV a n.* 70. ubi vide, ne fiat superflua repetitio.

52 Resp. III. Clericus *Stuprator* praeter dotationem c. 1. *et* 2. *h. t.* debitam, jubetur deponi, Clarus ℣. *Adulterium n.* 3. Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 4. *et in c. At si Clerici.* 4. *de Judic. num.* 35. Farinac. *Prax. Criminal. q.* 147. *n.* 62. Pirhing *h. t. nu.* 43. et teste Claro Communis omnium, *arg. can. Presbyter, aut Diaconus.* 12. et *can. Si quis Episcopus.* 13. *dist.* 81. cum concordantiis. Menochius tamen *de Arbitr. Judic. casu* 288. *n.* 6. Farinac. *loc. cit. n.* 65. Vallensis *h. t.* §. 2. *n.* 2. et alii putant, poenam *Stupratori* Clerico esse arbitrio Judicis imponendam, ita ut quandoque poena pecuniaria, vel carceris, quandoque poena Suspensionis, depositionis, vel privationis Beneficii puniri possit, prout circumstantiae personarum, et delicti suaserint; ita tamen, ut semper etiam praestetur *Dos* puellae vitiatae. Concordant ea, quae diximus *lib. III. Tit. II. de Cohabitat. Cleric.* et *mulier. a. n.* 48. quae omnino vide.

53 Quod si Clericus per vim stupret virginem, praeter praefatas poenas etiam ad carceres perpetuos, qui succedunt poenae *mortis*, contra Laicos violentos *Stupratores* Jure Civili statutae, condemnari potest.

§. III.

De aliis vitiis Carnis, Fornicatione videlicet, Concubinatu, Incestu, Sacrilegio carnali, et Sodomia.

SUMMARIUM.

54 Fornicatio *improprie, et proprie talis quid?*
55 *Est coitus cum soluta ab omni vinculo.*
56 *Est gravissimum peccatum etiam contra naturam.*
57 *Poena Fornicationis Laici.*
58 *Poenae Clericorum fornicantium, inter quas etiam est privatio Beneficii.*
59 *Solvitur objectio ex Concilio Tridentino.*
Diversitas poenarum a Jure statuta dat optionem Episcopo. Ibid.
60 Concubinatus *improprie.*
61 *Et proprie talis quid?*
62 *Poena* Concubinatus *de Jure Civili.*
63 *Et de Jure Canonico.*
64 *Praesertim contra Clericos Concubinarios, aut suspectas mulieres habentes in domo, vel extra.*
65 *Incestus quid?*
66 *Infertur, quinam* Incestum *committant?*
67 *Et qui non?*
68 Incestus *est gravius peccatum Adulterio.*
69 *Poena* Incestus *de Jure Civili quae?*
70 *In aliquibus casibus subjacet poenae Capitis: et quibus?*
71 Incestuosas *contrahentis nuptias poena de Jure Civili.*
72 *Poena Jure Canonico statuta contra incestum sine,*
73 *Et cum Matrimonio commissum a Laicis.*
74 *Clericus* Incestum *committens deponitur.*
75 *Sicut et si peccat cum cognata spirituali, vel filia Confessionis.*
76 Sacrilegium *improprie quid?*
77 *Proprie loquendo in ordine ad Forum externum est Coitus cum Moniali.*
78 *Poena* Sacrilegium *committentis de Jure Civili: Et num. seq.*
80 *Poena contra* Sacrilegium *Jure Canonico statuta. Et num seq.*

82 Sodomis *unde dicta?*
83 *Proprie sumpta quid?*
83 *Exquisitis poenis puniri jubetur.*
85 *Et quidem etiam poena mortis, ac concrematione.*
86 *Trahit insuper secum poenam infamiae.*
87 *Et privationem bonorum.*
88 *Quas poenas non incurrit* Sodomiam *improprie dictam committens, peccando cum muliere in vase praepostero.*
89 *Poena a Jure Canonico statuta contra* Sodomitam *Laicum.*
90 *Poena contra* Sodomitam *Clericum. Et num. seq.*
91 *Bulla Pii V. contra* Sodomiam *exercentes.*
92 *Conditiones quaedam requisitae ad ejus obligationem.*

54 Quaeritur I. quid? quotuplex? et quantae malitiae sit *Fornicatio*? Ante responsionem nota, hic non esse sermonem de *Fornicatione* late, et improprie tali, in quo sensu quivis illicitus Concubitus carnalis dicitur etiam *Fornicatio*, sed de *Fornicatione* proprie dicta: in quo sensu ad quaestionem Resp. I. *Fornicatio* est copula carnalis soluti cum soluta jam prius deflorata seu corrupta. Ita in re *Communis*, et certa, *arg. can. Lex illa.* 2. *cau.* 36 *q.* 1. ibi: *Fornicatio autem licet videatur esse cujuslibet illiciti Coitus etc. tamen specialiter in usu viduarum, vel meretricem vel concubinarum.* Hinc per verba *jam prius deflorata* differt a *Stupro* proprie dicto.

55 Intelliguntur autem per *solutum*, et *solutam* illi, qui non tantum a vinculo Matrimonii, sed etiam consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Religionis, voti, et alterius impedimenti matrimonialis sunt liberi; ita ut absque dispensatione Matrimonium inire possent. Farinacius *Praxi Criminal. q.* 137. *nu.* 7. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 289. *n.* 1. et 2. Sylvester ℣. *Luxuria. q.* 1.

56 Caeterum quod *Fornicatio* gravissimum sit peccatum mortale definitum habetur in Concilio Viennensi *Clement. ad nostrum. 3. de Haeretic.* ubi tanquam erronea damnatur sequens Propositio: *Actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.* Et quidem dictam *Fornicationem* non tantum contra Jus divinum, et humanum positivum, sed etiam contra Jus naturale esse, torrens defendit Theologorum, contra nonnullos volentes, eam tantum esse contra Jus Divinum positivum, non item naturale, quorum tamen doctrina damnata est ab Innocentio XI. in sequenti propositione: *Tam clarum videtur Fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Vide de hoc amplius apud Theologos.

57 Quaeritur II. Quae sint poenae *Fornicationis*? Resp. I. Quamvis olim de Jure Civili a poena immunis fuerit *simplex Fornicatio, l. Si uxor.* 13. §. 2. *ad Leg. Jul de Adulter.* et *l. quae adulterium.* 29. *C. eod.* tamen de Jure Canonico laici *Fornicatores* puniuntur arbitrio Judicis. Quod idem etiam hodie fit in Foro Civili pro diversitate personarum, delictorum praxi, consuetudine, et particularibus Statutis locorum.

58 Resp. II. Poenae Clerici *fornicantis* variae sunt, inter quas pro arbitrio suo aliquem assumere, et etiam ad privationem Beneficii propter unam *simplicem fornicationem* procedere potest Judex Ecclesiasticus, praesertim si delictum *notorium* et scandalosum est, prout amplius diximus et probavimus *Lib. III. Tit. II.* a *num.* 48. ubi vide.

59 Nec obstat Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 14. ubi bina, vel trina monitio requiri videtur, antequam ad privationem Beneficii deveniatur. Respondetur enim, praefatam repetitam monitionem praeviam ibidem requiri, antequam quis privetur Beneficio, ex eo, quod suspectam mulierem monitus dimittere nolit. Non item si de lapsu carnali seu *Fornicatione* actualiter praesertim vero notorie jam reus invenitur: Tunc enim monitio praevia necessaria non est, quamvis pro arbitrio Judicis praemitti possit ante privationem Beneficii; quia ubi non amplius sola suspicio est, sed jam constat de *Fornicatione*, Concilium Tridentinum ad SS. Canones se remittere videtur: qui cum inter diversas poenas *Fornicationis* etiam privationem Beneficii ponat, hanc quoque arbitrio suo eligere potest Judex; quia diversitas poenarum a Jure statutarum dat optionem Episcopo *c. De causis* 4. *de Offic. delegat.* juncta Glossa ℣. *Carta* Abbas *in c. At si Clerici, de Judic. n.* 35. et 36. Farinac. *de Delictis Carnis. q.* 137. *n.* 17. e. alii.

Quaeritur III. Quid? et quotuplex? Quibusque poenis subjectus sit *Concubinatus*? *Concubinatus* improprie, et proprie accipitur. *Improprie* loquendo est conjunctio maris et foeminae, inter quos quidem est verum Matrimonium de *praesenti*, tamen sine instrumentis dotalibus, et aliis solemnitatibus olim ad honestam sustentationem Matrimonii requisitis, *can. Aliter. cau.* 30. *q.* 5. quo sensu Agar, etsi vera uxor fuerit Abrahae, tamen quia minori solemnitate quam principalis uxor ducta fuit, concubina vocabatur; prout etiam ex ea ratione *Concubinae* vocabantur mulieres, quas praeter principalem uxorem habebant veteres Patriarchae ex dispensatione divina, *c. Gaudemus.* 8. *de Divort.* ut bene advertit S. Augustinus *lib. de bono conjugii. cap.* 9. 13. et 15. Ambrosius, et alii. In eodem sensu de *Concubinis* intelligendi sunt textus, *can. Is qui, et seqq. cau.* 30. *q.* 5. ubi Christianis uxor aut *Concubina* permissa dicitur. Verum de *Concubinatu* in hoc sensu hic non est sermo, sed de illo proprie tali. Hinc ad Quaestionem 60

Resp. I. *Concubinatus* est, cum quis mulierem solutam domi suae loco uxoris detinet, et cum ea carnale commercium habet. Ita in re communis definit ex *L.* 1. §. 1 *et seqq ff de Concubinis*. Solum notandum, quod de Jure Canonico *Concubinarius* sit, non tantum qui domi suae, sed etiam qui extra illam in alio loco retinet hujusmodi solutam mulierem ad commercium carnale, uti cum communi aliorum bene observat Farinacius *in Praxi Criminali. q.* 138. *nu.* 3. at 12. Azorius *p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. §. 4. et desumitur ex Concilio Trident *Sess.* 25. *de Ref.* Differt *Concubinatus* a simplici Fornicatione, quod haec per unicum, ille vero per repetitum actum carnalem cum eadem soluta ad hoc retenta fiat. Diaz *in Practic. Canon.* ℣. *Concubinarii. n.* 1. Farinacius *loc. cit. n.* 9. 61

Resp. II. Quamvis olim de Jure Civili *Concubinatus* a poena immunis fuerit, *l. in Concubinatu.* 3. §. 1. *ff. de Concubinis.* et *l. un. C. eod.* tamen hodie etiam in Foro saeculari, et quidem gravius quam *simplex Fornicatio*, arbitrio tamen Judicis punitur Engel *h. t. n.* 22. Et merito, quia perseverantia in crimine utique est circumstantia et poenam, et culpam aggravans: *Cum tanto graviora sint peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, c. fin. de Consuetud.* 62

Resp. III. De Jure Canonico *Concubinatus* tanquam Juri naturali, et Divino adversus semper reprobatus, et poenis subjectus fuit tam respectu Laicorum, quam Clericorum. *can. Audito.* 6. *dist.* 34. *can. Nemo.* 4. *et can dicat.* 9. *cau* 32. *q.* 4. Et specialiter novissime in Concilio Trident. *Sess.* 24. *de Reform Matrim cap.* 8. ubi contra *Concubinarios* laicos ita statuitur: *Grave peccatum est, homines solutos Concubinas habere; gravissimum vero, et in hujus magni Sacra-* 63

menti singularem contemptum admissum, uxoratus quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, et retinere, Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit, hujusmodi Concubinarios tum solutos, quam uxoratus, cujuscunque status, dignitatis, et conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex Officio ter admoniti ea de re fuerint, Concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, Excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factae paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis, permanserint, contra eos per Ordinarius severe pro qualitate criminis procedatur, mulieres, sive conjugatae, sive solutae, quae cum Adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab Ordinariis locorum nullo etiam requirente, ex Officio graviter pro modo culpae puniantur, et extra oppidum, vel Dioecesin, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio saeculari, ejiciantur: aliis poenis, contra Adulteros, et Concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

64 Resp. IV. Specialissime autem, specialibusque sub poenis prohibitus est Clericis *Concubinatus*, et omnis alia suspecta conversatio cum altero sexu; de quibus poenis, uti et de modo procedendi contra Clericos *Concubinarios*, et suspectas mulieres habentes, ex professo late diximus *Lib. III. Tit. II §. II. per totum*, ubi vide.

65 Quaeritur IV. Quid? quibusque poenis subjectus sit *Incestus*? Resp. I. *Incestus* est copula carnalis inter personas consanguineas, vel affines in eo gradu, in quo vi Juris Divini, vel humani non valent inter se Matrimonium contrahere, *can. Lex illa.* 2. §. *Cum ergo cau.* 35. *q.* 1. ibi: *Incestuosi dicuntur, qui consanguineis, et affinibus abutuntur.*

66 Infertur *primo*: Inter ascendentes, et descendentes omnes in linea recta semper committi *Incestum*. Inter laterale autem consanguineos usque ad quartum gradum. Inter affines ex copula licita, seu matrimoniali pariter usque ad quartum gradum. Inter affines vero ex copula illicita usque ad secundum duntaxat gradum. quia inter hos solummodo, non autem inter remotiores consanguineos et affines versatur impedimentum Matrimonii; prout patet ex *Lib. IV. Decretalium.*

67 Infertur *secundo* Non committere *Incestum primo*. qui peccat cum consanguinea, vel affine ex Matrimonio in quinto gradu *Secundo*. qui fornicatur cum duabus consanguineis tertio gradu conjunctis. *Tertio*, qui peccat cum consanguinea sponsae de *praesenti* nondum carnaliter cognitae, quia nondum contraxit affinitatem cum tali consanguinea *Quarto*, qui peccat cum cognata legali, vel spirituali, quia inter solos consanguineos vel affines, non item conjunctos per adoptionem, confirmationem, vel Baptismum *Incestus* proprie dictus oritur. Clarus *Incestus n.* 4. Farin. *Praxi Criminal q* 149. *nu* 5u. *arg. cit. can. Lex illa* 1 *cau* 35. *q.* 1.

68 Resp. II *Incestus* (qui vel sine Matrimonio, vel cum Matrimonio, incestuosas videlicet contrahendo nuptias fieri potest) non est minus, sed gravius crimen Adulterio, *can. Adulterii* 11 *ceu* 32. *q* 7. ibi *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab Incestu. Pejus enim est cum matre, quam cum aliena uxore concumbere*, juncta *l. Adulterium* 38. §. 3 *ff adLeg. Jul. de Adulter.* Praesertim si inter ascendentes et descendentes in linea recta committitur, quod ipsa etiam bruta animalia adversantur, teste Plinio *Histor. natur. lib.* 8. *cap.* 42

69 Resp. III. Quamvis de Jure Civili pro *Incestu simplici*, et sine Matrimonio, commisso nulla certa poena reperiatur determinata, sed vel eadem, qua Adulterium, jubeatur castigari, *l. Miles.* 11. §. 1. et *l. Si adulterium.* 38. *ff. adulterium.* 38. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* vel committatur arbitrio Judicis pro varietate circumstantiarum, si *Incestus* committatur inter eos consanguineos vel affines, qui sola Jure humano habent impedimentum Matrimonii, ut post Zoesium *ff. ad cit. Leg. Jul. de Adulter.* advertit Pirhing *h. t. n.* 65.

70 Nihilo minus in Foro saeculari *Incestuosi* sine Matrimonio poenam *mortis* incurrunt in sequentibus casibus. *Primo*, si committitur *Incestus* inter ascendentes et descendentes, quorum coitus etiam nefarius dici solet, *arg. l. Si Adulterii.* 38. §. 2. *ff ad Leg. Jul. de Adulter.* et ibi Glossa ✠ *Gentium.* Farin. *cit. q.* 149. *n.* 14. *et* 16. Menochius *de Arbitr. jud.* casu 501. *a n.* 1. Bajard. *ad Clarum* §. *Incestus n.* 3. Hostiensis *in Summa, h. t. n.* 12. Pirhing *h. t. n* 65. *Secundo*, si committitur inter collaterales in primo gradu, Fratrem v. g. et sororem. Menochius *loc. cit. a* 14. Hunnoldus *de I. et I. Tom.* 6. *tr.* 2. *n.* 347. et habet praxis plurium Provinciarum; quamvis nonnullae Provinciae tales virgis, caesos, perpetua relegatione puniant teste Carpzovio *Pract. Criminal. q.* 73. *a n.* 11. Berlich. *Pract. p.* 4. *concl.* 33 *numer.* 5. *et* 12. *Tertio*, quando cum *Incestu* conjunctum est adulterium. Clarus §. *Incestus. n.* 2. Hunnoldus *loc. cit. n.* 345.

71 Resp. IV. *Incestuosi* cum Matrimonio, seu scienter incestuosum contrahentes Matrimonium, poenas incurrunt statutas, *Authen. Incestas C. ad leg. Jul. de Incest. Nupt.* ibi: *Incestas nuptias contrahentis poena est confiscatio bonorum tam caeterorum, quam dotis: Exilium etiam. et cinguli (si quo utitur) spoliatio, verberatio quoque, si vilis est; foemina quoque talia scienter peccante, simili poena subjuganda etc.*

72 Resp. V. De Jure Canonico Laici *Incestum simplicem* sine Matrimonio committentes jubentur excommunicari, *can. de iis, qui incesti. cau.* 35. *q.* 2. Conjux insuper *Incestum* committens cum consanguinea conjugis privatur jure petendi debitum conjugale, *c.* 1. *et c. Transmissa. de eo, qui cognovit consang. uxor.* et post mortem conjugis prohibetur ulterius nubere, *cit. c.* 1. *cod.* quae tamen ultima poena consuetudine abrogata videtur.

73 Si vero *incestus* cum Matrimonio, seu *incestuosas* contrahendo nuptias committitur *incestuosi* ipso facto sunt excommunicati, *Clem un. de Consang. et Affinitat* et non possunt amplius cum alia persona Matrimonium licite contrahere, nisi ignoranter contraxerint, *can si propinquam* §. *cau.* 35. *q.* 2.

74 Resp. VI. Clericus *Incestum* committens deponitur, et Beneficio privatur Farinacius *Prax. Criminal. q.* 149. *nu.* 35. Clarus §. *incestus* Dias *Pract. Crimin. can.* ✠. *Incestus cap.* 88. *n.* 3. Pirhing *h. t. nu* 66. *arg. can. Si quis* 10. *et seqq. dist.* 81. ubi Clericus adulterium committens deponi jubetur; ergo etiam *Incestum* committens: Tum quia *Incestus* majus est delictum, quam Adulterium, *cit. can. Si Adulterium* 11 *cau.* 32. *q.* 7. Tum quia *Incestus* saltem tanta, si non majori poena castigatur, quam Adulterium, per Jura *num* 69 citata.

75 Porro licet juxta dicta *num.* 67. peccatum carnale cum cognata spirituali commissum, verus *Incestus* non sit, nec poenas illius inducat; tamen si Sacerdos peccat cum filia spirituali, quam a Baptismo levavit, vel quam tenuit in confirmatione, vel si commatrem, sive illius matrem cognoscit, deponendus est: Sicuti et qui filiam spiritualem Confessionis carnaliter cognoscit. Menochius *de Arbitr.* casu 501 *nu.* 27. et *seqq.* Farinacius *loc. cit. nu* 53. *et seqq.* Dias *loc. cit. cap* 86. *n.* 2. *et* 4. *arg. can*

Omnes 8. et eoa. *Si quis*. 9. *cau*. 30. *quaest*. 1. ibi: *Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se grave adulterium commisisse etc. Idcirco qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur etc. et ad Monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitae suae Deo serviat.* item *can. Non debet*. 10. *ead. can. et quaest*. ibi: *Non debet Episcopus aut Presbyter commisceri cum mulieribus, quae ei sua fuerint confessa peccata: si forte (quod absit) hoc contigerit, sic poeniteat, quomodo de filia spirituali: de qua statim supra.*

76 Quaeritur V. Quid sit? et quibus poenis subjacest *Sacrilegium*? Resp. I. Loqeendo pro Foro interno, et Sacramentali, est omnis coitus cum persona Deo dicata per votum continentiae sive *simplex*, sive *solemne* vi Professionis Religiosae, aut Sacri Ordinis factum, adeo, ut non tantum Clericus, vel Religiosus, sed etiam *Laicus* voto simplici castitatis obstrictus, carnaliter peccans committat *Sacrilegium*; sicut et Laicus a voto liber peccans cum soluta aliqua *voto simplici* castitatis obstricta, ut proin haec circumstantia, tanquam speciem mutans, necessario explicari debeat in Confessionali. Prout habet communis Theologorum, apud quos vide.

77 Resp. II. Loqeendo pro Foro externo et contentioso, ac in ordine ad poenas inferendas *Sacrilegium* est copula carnalis a Clerico, vel Laico commissa cum Moniali. Clarus §. *Fornicatio*, Farinacius *Pract. Crimin. q*. 146. *num*. 5. Pirhing *h. t. n*. 68. et plures alii a Farinacio relati, per Jura *eam. sequent*. citanda.

78 Resp. III. De Jure Civili si quis *Sacrilegium* cum Moniali committit, vel Matrimonium cum ea contrahere attentaverit, poena *mortis* punitur, et bona delinquentis jubentur applicari Monasterio, in quo Monialis degebat. Menoch. *de Arbitr. Jud. casu* 389. *n*. 27. Barbosa *in c. sicut*. 2. *de Privileg. n*. 3 *Novell*. 123. *cap*. 43. ut *l. Si quis*. 5. *C. de Episc. et Cleric* concordat *can. Si quis rapuerit*. 30. *cau*. 27. *q*. 1. et *can Si quis non dicat*. 3. *cau*. 39. *q*. 2.

79 Notat tamen Farinacius *cit. q*. 146. *n*. 11. quod, etsi poena *capitis* adhuc procedat contra *Sacrilegium* cum Moniali, tamen bona illius non Monasterio Monialis, sed delinquentis haeredibus applicari consueverint, juncta *Authent. Bona damnatorum. C. de bonis proscript.* nisi raptus, aut violentia in Monialem intervenisset.

80 Resp. IV. De Jure Canonico *Sacrilegium* cum Moniali committens Laicus excommunicatur: Clericus vero non solum Beneficio privatur, sed etiam ab Ordine depositus in Monasterium ad poenitentiam ibidem agendam detrudi jubetur. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 289. *n*. 24. Farinacius *loc. cit. n*. 4. et 26 *can. Si quis Episcopus* 6. *et can. Si quae Monacharum*. 28. *caus*. 27. *q*. 1.

81 Monialis vero, quae ad *Sacrilegium* libere consensit, ad agendam poenitentiam in arctius Monasterium detrudi jubetur, *cit. can. Si quae Monacharum*. 28. *et can. Si quis rapuerit*. 30. *caus*. 27. *q*. 1. juncta *Novell*. 123. *cap*. 43. vel quod magis convenit, ad perpetuos carceres sui Monasterii detrudenda est, *c. Impudicas*. 11. *ead. can. et q*. Menochius *loc. cit. n*. 26. Farinacius *loc. cit. n*. 12.

82 Quaeritur VI. Quid sit? et quibus poenis subjaceat *Sodomia*? Ante responsionem notandum, *Sodomiam* a *Sodoma* Civitate nomen habere, utpote in qua nefandum hoc vitium multum grassabatur, adeo, ut propter illud praecipue tota Civitas *Sodoma* igne caelitus delapso fuerit concremata. *Gen. cap*. 19. ℣. 4. *H. N.*

83 Resp. I. *Sodomia* proprie est coitus carnalis non servata debita diversitate sexus, dum nempe masculus cum masculo, aut foemina cum foemina coit; prout cum D. Thoma 2. 2. *quaest*. 154. *art*. 1. tradit communis Theologorum, *arg. c. Usus*. 14. *caus*. 32. *q*. 7.

Resp. II. Sicut olim de Jure Divino *Sodomia* poenam mortis secum trahebat, *Levitici cap*. 20. ℣. 13. ibi: *Qui dormierit cum masculo, coitu foemineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur*; ita etiam de Jure Civili *Sodomia* proprie talis ultimo supplicio punitur, §. *Item lex Julia* 4. *Institut. De publicis Judiciis*. Imo Imperatores Constantinus et Constans jubent, *insurgere Leges, armari Jura, gladio ultore, qui sunt, vel futuri sunt rei*, et *l. cum vir*. 31. *C. ad Leg. Jul. de Adulter.* 84

Hinc consuetudo obtinuit, ut *Sodomiae* rei, vel vivi, vel poena mortis jam punitorum cadavera igne concrementur. Farinacius *quaest*. 148. *num*. 7. Clarus §. *Sodomia n*. 4. quam comburendi consuetudinem observari mandavit Carolus V. *Ordinat. Criminal. art*. 116. 85.

Praeterea *Sodomitae* Ipso Jure sunt infames etiam ante accusationem, et condemnationem, *cit. l. Cum vir*. 31. *C. ad Leg. Jul. de Adulter*. juncta Glossa ibidem ℣. *Infames*. 86

Insuper ipso Jure privantur dominio rerum suarum, quae *Fisco* addicuntur *c. Cum secundum*. 19. *de Haeret. in* 6. et Glossa ibidem ℣. *Perdunt*. Clarus §. *Sodomia n*. 6. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 286. *nu*. 19. quam tamen poenam non ubique receptam esse, testatur Clarus *loc. cit.* 87

Dicitur autem notanter in Conclusione *num*. 84. posita *Sodomia proprie talis*; quamvis enim etiam *improprie* talem, qua vir cum foemina congreditur in vase praepostero, seu ano, praefatis poenis subjacere velint, et variis in locis practicari testentur Clarus §. *Sodomia n*. 2. Menochius *de Arbit. Judic. casu* 286. 33. *et seqq*. tamen Sylvester ℣. *Luxuria. q*. 1. Azorius *p*. 3. *lib*. 3 *cap*. 20. *q*. 4. et alii probabilius docent, hanc *imperfectam Sodomia* non ordinariis, sed extraordinariis, ac mitioribus subjacere poenis, *arg. L*. 1. §. 2. *ff. de Extraord. Crim.* ibi: *Perfecto flagitio puniuntur capite*. Ratio est; Quia etsi ad peccatum *Sodomiae* merito reducatur, indeque tanquam species distincta in Confessionali necessario explicari debeat; tamen, quia saltem adest adhuc debita diversitas sexus, perfecta *Sodomia* non est, ac praeterea poenis ordinariis Sodomiae non subjecta. Praesertim cum in poenis benigniora amplecti deceat, *per vulgario*. 88

Resp. III. Poenae Criminis *Sodomiae* de Jure Canonico sunt sequentes. Et quidem *primo* Laicus *Sodomiam* committens imprimis jubetur excommunicari *c. Clerici*. 4. *de Excess. Praelat*. ibi: *Si Laici excommunicationi subdantur, et a coetu fidelium penitus fiant alieni*. *Secundo* Laicus *Sodomita* est infamis, *can. Infamis*. 3. *q*. 7. *Tertio* potest ab eo uxor discedere sicut ab *Adultero*, *arg. can. Omnes. cau*. 32. *q*. 7. 89

Clerici vero *Sodomiam* committentis poena de Jure communi Canonica est, ut non tantum privetur Beneficio, sed etiam a statu, et Ordine Clericali abjiciatur, *cit. c. Clerici*. 4. *de Excess. Praelat.* et ibi Doctores. 90

Insuper contra nefandum Crimen *Sodomiae* rigidam emanavit Bullam Pius V. quae incipit *Horrendum*, estque 70 inter Constitutiones dicti Pontificis, *in Tom*. 2. *Bullarii Cherub*: sequentis tenoris. 91

Pius Episcopus,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Horrendum illud scelus, quo pollutae foedataeque

Civitates a tremendo Dei judicio conflagrarunt, acerbissimum nobis dolorem incatit, graviterque animum nostrum commovet, atad illud quantum potest comprimendam, studia nostra conferamus

§. 1 *Sane Lateranensi Concilio dignoscitur constitutum, ut quicumque Clerici, illa incontinentia, quae contra naturam est, propter quam ira Dei venit in filios diffidentiae, deprehensi fuerint laborare, a Clero dejiciantur, vel ad agendam in Monasteriis poenitentiam detrudantur*

§. 2. *Verum ne tanti flagitii contagium impunitatis spe, quae maxima peccandi illecebra est, fidentius invalescat, Clericos hujus nefarii Criminis reos, gravius ulciscendos deliberavimus, ut qui animae interitum non horrescant, hos certe, deterreat civilium legum vindex gladius saecularis.*

§. 3. *Itaque quod nos jam in ipso Pontificatus nostri principio hac de re decrevimus, plenius nunc fortiusque persequi intendentes, omnes et quoscunque Presbyteros, et alios Clericos saeculares, et regulares cujuscunque gradus, et dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate et beneficio Ecclesiastico praesentis Canonis auctoritate privamus. Ita ut per judicem Ecclesiasticum degradati, potestati saeculari tradantur, qui de eis illud item capiant supplicium, quod in Laicos hoc in exitio devolutos, legitimis reperitur Sanctionibus constitutum.*

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1568. tertio Calendas Septemb. Pont. nostri anno 3.

Notat tamen circa hanc Bullam Barbosa *in c. Clerici. 4 de Excess. Prael.* ad incurrendas poenas praesertim *Degradationis* requiri *primo*, ut Clericus saepius exercuerit *Sodomiam*. *Secundo* ut sit perfecta *Sodomia Tertio.* ut praecedat sententia condemnatoria, vel saltem declaratoria Criminis. De quibus amplius vide apud Barbosam *loc. cit.*

Caeterum quantae malitiae, et turpitudinis sit *Sodomia*, vide amplius apud Theologos.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, et Violatoribus Ecclesiarum.

1 *Ratio Ordinis.*

2 Post Crimina sexto Praecepto adversa, pergit Compilator Juris Canonici ad Crimina septimo praecepto prohibita, quibus proximus laeditur in bonis fortunae, quod inter alios faciunt *raptores. incendiarii, violatores Ecclesiarum. Fures, Usurarii etc.* de quibus in praesenti, et subsequentibus Rubricis agitur. Et quamvis in praesenti Rubrica sit etiam sermo de *rapta mulierum*, prout est species luxuriae, nihilominus tamen, quia hic idem *raptus* etiam injustitiam, et injuriam tertii in se continet, de eodem non incongrue cum aliis peccatis septimo Praecepto adversis hic tractatur. Hinc ponitur

§. I.

De Raptu, ac Rapina, et Raptoribus, tam personarum, quam rerum.

SUMMARIUM.

2 Raptus personae, *prout est species luxuriae quid?*
3 *Debet fieri cum violentia. Et num. seq.*
5 *Circa virginem, vel aliam honestam foeminam.*
6 *De loco in locum moraliter diversum.*
7 *Libidinis exercendae gratia.*
8 *Poenae* Raptus *de Jure Civili.*
9 *Et de Jure Canonico statutae.*
10 *De* Rapta *personae in ordine ad contrahendum Matrimonium, remissive.*
11 *Rapina rerum quid?*
12 *Debet fieri circa rem alienam,*
13 *Mobilem.*
14 *Fieri potest circa rem etiam minimam.*
15 *Debet autem fieri injuste.*
16 *Et per vim*
17 *Cum, vel sine armis.*
18 *Poena Rapinae, si contra eam Civiliter agatur.*
19 *In Foro interno* Raptor *ante sententiam Judicis plus restituere non tenetur, quam quod rapuit.*
20 *Poena Criminalis, si* Rapina *committatur cum armis.*
21 *Et sine armis.*
22 *Poenae* Raptorum *Jure Canonico statutae.*
23 *Poena* Spoliantium *bona naufragantium.*
24 Latrones, *et* Grassatores *privantur insuper Asylo.*

Quaeritur I. Quid? et quibus poenis sit subjectus *raptus personae*, prout est species luxuriae, et quid distinctum a *raptu* constituente impedimentum Matrimonii? Resp. I. *Raptus est violenta abductio virginis, vel alterius honestae foeminae solutae vel ligatae libidinis exercendae gratia de loco in locum moraliter diversum.* Ita in re communis *arg. l. un. C. de rapta virg.* Explicatur definitio. 2

Dicitur primo *violenta abductio*: quia si puella sui juris, seu sub nullius amplius potestate, constituta libere consentiat, *raptus* non est, uti cum D. Thoma 2. 2. *q.* 154. *art.* 7. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 12. *n.* 6. communiter tenent tam Theologi, quam Canonistae, *arg. l. Quo naufragium.* 3. §. 5. ibi: *Rapi autem sine vi non potest*, et *c. Cum causa.* 6. *h. t.* ubi Summarium sic habet: *Raptus non dicitur, ubi volens abducitur.* 3

Nec obstat, quod dicitur *cit. l. un. de raptu virg. Hunc poenae subjaceat, qui sive volentibus, sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum*; quia textus hic supponit foeminam abductioni consentientem esse inductam vel minis, vel importunis et dolosis precibus, aut promissionibus vim quandam importantibus *l.* 1. §. 3. *ff. de servo corrupt.* Gutierez *Can. qq. lib.* 1. *cap.* 37. *nu.* 21. et alii. Quare, nisi puella ipsamet fateatur, se absque dolo, minis, aut importunis precibus libere consensisse abductioni, onus probandi incumbit *raptori*, prout eum Mascardus probat Gonzalez *in c. fin h. t. arg. cit. l. unic.* ibi §. 2. *Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur; nisi etenim eam solicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle, in tantum dedecus sese prodere* 4

Dicitur secundo *virginis, vel alterius honestae foeminae*, quia abductio etiam violenta foeminae minus honeste viventis, v. g. meretricis notoriae, *raptus* proprie et stricte loquendo non est, ac propterea nec ordinariae, sed extraordinariae dumtaxat poenae, arbitrio judicis infligendae subjacet. Clarus §. *raptus n.* 5. Farinacius *q.* 14. *n.* 15. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. Disp.* 12. *n.* 13 Covarruvias *Variar. resolut lib.* 3. *cap.* 14. *n.* 2. *in fine arg. l. un. C. de raptu virg* 5

Dicitur tertio *de loco in locum moraliter diversum*: quia si honesta puella vel foemina non saltem ab una domo, v. g. paterna ad aliam, sed ab uno duntaxat cubiculo ad aliud ejusdem domus, vel a 6

locum patenti ad secretum, occultandae libidinis causa rapiunt, proprie *Raptus* non est, sed *Stuprum* praesertim praesentim, si ita abducta violenter opprimitur. Farinacius *Prax. Crim. cit. q.* 145. n. 74. Sanchez *loc. cit.* n. 20. Clarus §. *Raptus nu.* 1. dicens esse omnium, *can. Lex illa.* 3. *cau.* 36. *q.* 1.

7 Dicitur quarto *Libidinis exercendae gratia*; Nam si ex alia, quacunque causa fiat, *Raptus* proprie loquendo non est, nec ordinariae poenae illius subjectus, ut cum Claro §. *Raptus* n. 1. bene docet Sanchez *lib.* 7 *de Matrim.* nu. 17. Decius *Consil.* 284. n. 8. et alii. Notandum tamen cum Sanchez, et Claro *loc. cit.* quod si quis foeminam libidinis causa rapiat, poenae ordinariae subjaceat, etsi postea ab explenda libidine impediatur.

8 Resp. II. Poenae *Raptus proprie dicti* a Jure Civili sunt sequentes, videlicet poena *Mortis*, adeo ut *Raptor*, ut omnes ad *Raptum* opem aliquam ferentes in ipso *Raptu* deprehensi, a parente, marito, cognatis aut propinquis *Raptae* impune possint occidi: postea vero legitime convicti *ultimo supplicio* affici, non obstante quacunque Reorum Appellatione. Ulterius omnia bona tam mobilia, quam immobilia *Raptoris*, et praebentium eidem opem ad *Raptum*, amittuntur, et *Raptae* addicuntur. Ita expresse statutum habetur saepe *cit. l. unic. C. de Raptu Virg.* ad quam utpote valde longam, brevitatis causa Lectorem remittimus.

9 Resp. III. *Raptus proprie dicti*, prout est species luxuriae admixtam injustitiam habens, poenae Jure Canonico statutae sunt, quod si Laicus sit *Raptor*, excommunicetur: si vero Clericus a gradu, et ordine Clericali dejiciatur. *can.* 1. *et seqq. cau.* 36. *q.* 1. et c. *Si quis.* 4. *de Purgat. Canon.*

10 Referunt hoc aliqui etiam poenas a Concilio Tridentino *Sess.* 24 *de Reformat. Matrim. cap.* 6. statutas contra *Raptores*. Verum has poenas non contra hunc solius libidinis causa, factum *Raptum* videntur statutas, sed contra illum, qui fit fine et intentione *Raptam* ducendi in Matrimonium, ut cum aliis probabilius docet Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. Disp.* 13. n. 3. Layman, Guttierez, et alii; quod idem etiam nos docuimus *Lib. IV. Tit. I.* §. *X* n. 377. in quo §. etiam reliqua de *Raptu* ad contrahendum Matrimonium facto tradidimus, ubi proin vide.

11 Quaeritur II. Quid sit? et quibus poenis subjaceat *Rapina*, et *Raptor rerum*? Resp. I. Quamvis *Rapina* large loquendo sumatur pro omni illicita usurpatione rei alienae sive occulte, sive manifeste facta, *arg. can. Si quis.* 10. *can.* 14. *q.* 4. ibi: *Si quis usuram acceperit. Raptum fecit.* et *can. Si quid.* 15. *ead. cau. q.* 5. ibi: *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti.* Proprie tamen loquendo, *Rapina est rei alienae mobilis injusta ablatio, per vim facta*. Ita in re communis, ut patebit declarando Definitionis verba.

12 Dicitur primo: *Rei alienae*; quia qui rem suam propriam, vel quam saltem putat esse suam, ab alio possessam aufert, *Rapinam* proprie non committit, nec poenas illius incurrit, sed illas, quas *l. Si quis* 7. *C. Unde vi.* decretae sunt in illos, qui propria auctoritate violenter auferant res ab alio possessas.

13 Dicitur secundo: *mobilis*; quia res immobiles non auferri vel rapi, sed invadi dicuntur §. 2. *in fine Institut. de vi bonorum raptorum.* Hinc invasionem patiens in bonis immobilibus non habet actionem vi bonorum Raptorum positam *cit.* §. 1. *Instit. de vi bonorum Raptor.* Sed succurritur illi per *Interdictum unde vi*, *l.* 1. *ff. de Vi, et vi armata*; vel per *publicum judicium legis Juliae*, *l. In eadem causa.* 3. *ff. ad leg. Jul. de vi publica.*

14 Caeterum *Rapina* circa rem mobilem committi potest in quavis re cujuscunque etiam minimi pretii; cum delicta non aestimentur ex objecto, et parvitate materiae, sed pravitate affectus, et scelerato animo *princ. Institut. de vi bonorum raptorum.* ibi: *Etiamsi quis unam rem licet minimam rapuerit.*

Dicitur tertio *injusta* (alii ponunt dolosa). *ablatio*; quia qui rem alienam juste et legitime violenter aufert, uti hostis in bello justo, officialis, vel alius auctoritate Magistratus, constitutus in extrema necessitate Crimen *Rapinae* utique non contrahit. Molina *de J. et J. Tr.* 2. *disp.* 683. *n.* 7. et alii communiter *per vulgaria*. 15

Dicitur quarto *per vim facta*; quia si vis non adhibetur, sed res clam, et dolose auffertur, non *Rapina*, sed *Furtum est.* Nam per vim *Rapina*, distinguitur a *Furto*, *princ. Instit. de Vi bonorum raptor.* Ob quam injustam vim, seu violentiam *Rapina* etiam gravius peccatum est, quam simplex *Furtum*, *can. Poenale.* 13. *cau.* 14. *q.* 5. ibi: *Poenale est, occultum occulte auferre, multa majoris poenae est, visibiliter eripere.* Unde etiam *Fur* improbius vocatur, *l. Praetor ait.* 2. §. 10. *ff. De prin. Instit. de vi bonorum raptor.* eo quod per *Rapinam* duplex injuria infertur proximo, una in rebus, altera in persona et honore, dum rem eidem extorquendo violentia adhibetur. 16

Caeterum non refert, an vis armis, vel sine armis inferatur *l. Praetor. ait.* 2. §. 1. *ff. eod.* Imo etsi nulla vis actu inferatur, dummodo *Raptores* rem mobilem palam aufferrant, parati vim inferre, si eis resisteretur, *Rapina est l.* 1. §. 9. *ff. eod.* Farinac *Prax. Crim. q.* 166. n. 31. Carpz. *p.* 2. *Prax. Crimin. q.* 9. *n.* 68. 17

Resp. II. Poenae de Jure Civili contra *Rapinam*, et *Raptores* statutae, si agatur Civiliter intra annum, est restitutio in quadruplum, ita ut praeter rem ablatam eandem in triplo adhuc pretii, vel aestimationis compensare: post annum vero, non nisi ipsam rem *Rapina* ablatam, vel aestimationem illius una cum refusione lucri cessantis, et damni emergentis restituere debeat, *princ. Instit. de vi bonorum raptor.* ibi: *Est intra annum quadrupli, post annum simplici*, concordat *l.* 1. et *l.* 2. §. 13. *ff. eod.* ac *l.* 2. datur etiam actio contra raptorem furti. 18

In Foro conscientiae tamen *Raptor* ante sententiam Judicis plus, quam rapuit, restituere non tenetur, uti cum D. Thoma 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *in corpore.* habet communis Theologorum; post sententiam tamen tenetur eidem acquiescere. 19

Resp. III. Si agatur *Criminaliter* contra *Raptorem rerum*, distinguendum est, an cum vel sine armis *Rapinam* commiserit; si cum armis rapuit, poenam *Capitalem* incurrit *L. penult. ad Leg. Jul. de vi publ.* et *ordinat. Caroli V. art.* 126. quae poena vel maxime procedit in *Grassatoribus*, et *Spoliatoribus* itinerantium, qui, si praeter *Rapinam* etiam vulnerant, torqueant, vel occidant, *Rotae* supplicio; si simpliciter rapiunt, solo capite plectuntur, uti habet citata Constitutio Carolina *art.* 126. 130. et 137. 20

Si vero sine armis *Rapina* committitur, poena illius est amissio tertiae partis bonorum, dignitatis item et honoris, una cum infamia, §. *Item Lex Julia.* 8. *Instit. de publ. Judic.* *l.* 1. *princ. ff. de vi privata* Juncta *l.* 2. *C. eod.* Ordinatio tamen Carolina *Raptores* indistincte gladii, vel alia mortis poena juxta loci consuetudinem affici jubet *art.* 126. 21

Resp IV. De Jure Canonico poena *Raptorum* est Excommunicatio inferenda ab Episcopo loci, ubi *Rapina* committitur, etsi *Raptor* sit alterius Dioecesis, a qua absolvi etiam a proprio Episcopo non potest, nec recipi ab eo, sed Episcopum excommunicationem remitti debet, nisi plene satisfecerit, c. 1. *h. t.* Quod si *Raptor* in ipsa *Rapina* moriatur, vel satisfacere nolens decedat, 22

tanquam in peccato mortali defunctus caret sepultura Ecclesiastica, *c. Super eo.* 2. *h. t.* et *c. Fures.* 2. *de Furt.*

23 Illi vero, qui spoliant naufragos Catholicos in mari, ipso facto incurrunt Excommunicationem *Bullae Coenae*, *casu* 4. Pariter Excommunicationem *Bullae Coenae* ipso facto incurrunt Latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Romanae Ecclesiae pertinentes, *casu* 3. Illi insuper, *qui Christianos naufragium patientes (quibus secundum regulam Fidei auxilio esse tenentur) damnata cupiditate spoliant rebus suis; nisi ablata reddiderint, Excommunicationi se noverint subjacere*, uti statuitur *in Concilio Lateran.* relato *c. Excommunicationi.* 3. *h. t.* qua tamen Excommunicatione non teneri eos, qui bona naufragantium Haereticorum, Judaeorum, Saracenorum, aut aliorum Infidelium spoliant; nam licet et hi male agant ita spoliando, et ad restitutionem teneantur, tamen verisimile non est concilium per poenam Excommunicationis specialiter protegere voluisse bona hostium Ecclesiae. Castro Palao *Tract.* 29. *disp.* 3. *p.* 5. *n.* 8. Bonacina *de Censuris. disp.* 1. *q.* 5. *pun.* 3.

24 Porro *Latrones* publici, et viarum *Grassatores*, praeter jam allegatas Canonicas poenas, etiam illam incurrunt, quod priventur Jure *Asyli*, adeo ut fugientes ad loca sacra etiam vi extrahi inde possint. De quibus amplius vide *Lib. III.* §. *IV.* a *numer.* 90.

§. II.

De Incendiariis, et Violatoribus Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

25 Incendiarius *proprie loquendo quis?*
26 *Talis non est, ex cujus negligentia, vel imprudentia, et non data opera incendium oritur.*
27 *Poena* Incendiarii *proprie talis.*
28 *Poena illius, qui sine dolo ex negligentia, vel imprudentia aliqua lata, levi, levissima culpa incendium causavit.*
Nulla culpa aequiparatur dolo. Ibid.
29 *Ubi poena in Jure non determinatur, arbitrio Judicis imponitur.*
30 *Qui sua negligentia, vel incuria incendium causavit, in Foro interno ad nihil tenetur, nisi culpa gravis Theologica intervenerit.*
31 *Incendium mere fortuito sine ullius culpa factum, nullam poenam inducit.*
32 *Poena* Incendiarii *de Jure Canonico: Et numer. seq.*
34 *Illius qui loca sacra incendit.*
35 *Quis absolvat* Incendiarium *ab Excommunicatione?*
36 *Dolus nunquam praesumitur.*
37 *Si nescitur, unde incendium sit exortum, praesumitur culpa inhabitantium esse exortum.*
Incendia ordinarie culpa inhabitantium oriuntur. Ibid.
38 *Ex qua tamen praesumptione nullus, nec Paterfamilias puniri potest, nisi de aliquo in specie culpa praesumatur.*
39 *Solvitur Objectio.*
An? et quando Paterfamilias teneatur ad damna, culpa domesticorum causata? Ibid. Et num. seq.
41 *Culpa, ex qua incendium fuit ortum, per conjecturas et praesumptiones sufficienter probatur.*
42 *Ecclesiarum* Violatores *qui? Sunt ipso Jure excommunicati; nec absolvi possunt, donec satisfaciant, aut cautionem praestent.*
43 *Ecclesiae* Violator *non est, sed tantum Invasor, aut fur sacrilegus, indeque non ipso Jure excommunicatus, sed excommunicandus, qui ab Ecclesia aufert duntaxat, sed eam non effringit; vel econtra.*
44 *Poena* Violatorum *Ecclesiae de Jure Civili.*
45 *Poena contra hos, et Sacrilegos fures juxta novam Ordinationem Carolinam.*

Quaeritur I. Quid sit *Incendiarius*? et quibus poenis subjaceat? Resp. I. *Incendiarius* proprie, et ad propositum loquendo, germanice *Brenner*, item *Mordtbrenner* est, qui dolo malo, ex odio, vel vindicta, vel alicujus commodi aut lucri consequendi gratia, Civitatem, oppidum, pagum, praedium, aedes, vel alia bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, foeni, lignorum, sylvam etc. supposito igne incendunt, vel ad hoc scienter praestant consilium, aut auxilium. Ita in re Communis. *arg. can. Pessimam.* 32. *cau.* 23. *q.* 8. et *l. Qui aedes.* 9. *ff. de Incendio, et ruina.* ibi: *Appellatione aedium omnes species aedificii continentur.* Cum Concordantiis. 25

Dicitur notanter, *qui dolo malo, data opera etc.* quia, si incendium non ex dolo malo, et data opera, sed casu tantum, vel ex negligentia, et imprudentia, etsi cum culpa aliqua etiam lata, vel levi, vel levissima contingit, *Incendiarius* proprie talis non est, nec poenae ordinariae illius subest, qui sua culpa est causa talis incendii, uti dicetur infra *n.* 28. Multo minus *Incendiarius* dici potest, qui auctoritate legitima, vel ex mandato illius, qui potestatem habet, incendit aes etc. 26

Resp. II. Quoad poenam *Incendiarii* dolo malo, data opera incendium causantis de Jure Civili ita statutum habetur, *l. qui aedes.* 9. *ff. de Incendio, et Ruina.* ibi: *Qui aedes, acervumve frumenti juxta domum positum combusserit, vinctus, verberatus igne necari jubetur*, et *l. fin. ff. de Incendio, et Ruina* ita statutum habetur: *Qui data opera in Civitate incendium fecerint, si humiliori loco sint, bestiis objici solent; si aliquo gradu id fecerint, Capite puniuntur, aut certe in Insulam deportantur:* ubi Glossa *fin.* addit, *ut igne crementur.* Item *l. Capitalium.* 28. §. 12. *ff. de Poenis*, ita statuitur: *Incendiarii Capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel praedae causa incenderunt quid intra Oppidum, et plerumque vivi exuruntur: qui vero casam aut villam, aliquo levius.* Jam vero per Constitutionem Caroli V. *art.* 125. *Incendiarii dolosi* omnes indistincte vivi concremandi veniunt. 27

Resp. III. Qui incendium sine dolo, ex sola negligentia, vel imprudentia cum culpa tamen sive lata, sive levi, sive levissima causarunt, ad poenam ordinariam nullo Jure tenentur, bene vero de Jure Civili ad reparationem damnorum inde secutorum, et aliam ordinaria mitiorem poenam arbitrio Judicis imponendam, *arg. l. qui aedes.* 9. *ff. de Incendio*, et *Ruina*, *l. Capitalium.* 28. §. 12. *de Poenis*. Ratio autem, cur etiam ex causa lata non teneatur ad poenam ordinariam, est, quia haec non nisi ob incendium ex dolo malo commissum Incurritur, *per Jura citata.* Dolo autem nulla culpa aequiparatur, *l. in lege Cornel.* 7. juncta Glossa *v. Culpa lata. ff. ad Leg. Corneliam de Sicar.* Clarus §. *fin. quaest.* 84. *num.* 1. citans communem, Jason *in l. in actionibus. ff. de in litem Jur. num.* 23. *et* 26. 28

Et quoniam praeter restitutionem damnorum poena specifice non determinatur in Jure contra eum, qui sua culpa sine dolo causat incendium, arbitrio Judicis pro varietate culpae, incendii, et 29

personarum, semper tamen citra mortem, vel mutilationem imponi consuevit vel per mulctam pecuniariam, vel per carceres, relegationem, fustigationem etc. Farinacius *in Prax. Crim. q. 110. nu. 10. arg. l. 1. §. 1. ff. de Effractor.* ibi: *Quibus nulla speciali poena rescriptis principalibus imposita est, idcirco causa cognita liberum erit arbitrium statuendi, qui cognoscit.*

30 Porro, quae in praecedentibus duobus numeris dicta sunt, pro Foro externo intelligenda veniunt; quia in Foro interno ante sententiam Judicis ad nullam restitutionem damnorum tenetur, ex cujus negligentia, incuria, imprudentia, vel alia culpa levi incendium ortum, vel causatum est, nisi culpa lata Theologica graviter peccaminosa intervenerit: cum levis, vel levissima culpa ad reparationem damni in Foro non obliget, per dicenda infra *Tit. XXXVI. de Injuriis, et damno dato.*

31 Resp. IV. Quando incendium casu fortuito sine ullius culpa contingit, quivis sicut a culpa, sic etiam ab omni poena, et onere restitutionis in omni Foro immunis est. Omnes, *l. Si fortuito. 11. ff. de Incendio, et Ruina. l. Si quis 9. §. 3. ff. Locat.* ibi: *Si quidem fortuitus casus causam incendii dederit, non praestabit periculum locator,* et *l. Ex conducto. 15. §. 2. et 3. ff. eod.*

32 Resp. V. De Jure Canonico Laici *Incendiarii* rerum profanarum, sicut et *Incendiariis* praebentes Consilium, et auxilium praeter poenitentiam tribus annis peragendam, *c. si quis domum 6. de Injur. et damn.* sunt excommunicandi, nec absolvi possunt, donec damna causata resarciant, et, si impoenitentes decedunt, carent sacra sepultura, *can. Si quis. 31. et can. Pessimam. 32. cau. 23. q. 8.* ibi: *Si quis etc. Sive pro odio, sive pro vindicta ignem tribuerit vel apponi fecerit, aut appositoribus consilium, vel auxilium scienter apposuerit, excommunicetur: Et si mortuus fuerit Incendiarius, Christianorum careat sepultura: nec absolvatur, nisi prius damno, cui intulit, secundum facultatem suam, resarcito.*

33 Si vero ante mortem poenitens a Censura fuerit absolutus, in loco sacro sepeliri potest, ita tamen, ut haeredes illius ad reparationem damnorum ex incendio secutorum teneantur, et compellantur, si ab *Incendiario* prius facta non est, texto expresso, *c. In litteris. 5. h. t.*

34 Dicitur notanter in Conclusione *num. 37.* posita, *rerum profanarum*; quia si Laici Coemeteria, Ecclesias, vel alia loca sacra, vel his ad triginta passus contigua loca, juxta *can. Definivit. 35. cau. 17. q. 4.* dolo malo incendunt, ipso facto sunt excommunicati, *arg. can. Si quis. 31. cau. 33. quaest. 8. can. Canonica. 107. cau. 11. quaest. 3. can. Omnes Ecclesiae. 5. cau. 17. q. 4.*

35 Porro licet *Incendiarii* ab Excommunicatione ab homine, vel a Jure lata absolvi possint per Episcopum, ut bene observat Hostiensis in *Summa h. t. n. 9.* Sylvest. *V. Incendiarius. q. 1. n. 2.* tamen postquam per Ecclesiam publice denuntiatur, soli Summo Pontifici reservata manet absolutio, texto expresso *c. Tua nos. 19. de Sentent. Excommun.* ibi: *Incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiae sententiam publicati, pro absolutionis Beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.*

36 Quaeritur II. Quid Juris de *Incendio* alicubi ita exorto, ut de auctore, et causa illius non constat, an nempe alicujus? et cujus culpa vel dolo praesumatur factum? et an aliquis praesertim pater familias vel alii inhabitantes teneantur ad reparationem damni, aliquibus v. g. vicinis inde secuti? Ante responsionem nota, certum esse, non praesumi dolo alicujus certi factum tale incendium, quia dolus nunquam praesumitur *l. Merito. 51. ff. Pro socio,* sed claris indiciis probari debet, *l. Dolum. 6. C. de Dolo malo,* ibi: *Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit. H. N.*

37 Resp. I. Quamvis *Incendium* hujusmodi ordinarie loquendo culpa inhabitantium potius, quam fortuito contigisse praesumatur, tamen pater familias, vel alii inhabitantes, ad damna inde secuta resarcienda etiam in Foro externo non obligantur, nisi culpa alicujus in specie, et determinate rationabiliter praesumatur. *Prima* pars Conclusionis caret controversia. Ratio est: quia in dubio id praesumitur, quod plerumque fit, aedium autem *Incendia* in quaestione posita, plerumque aliqua saltem, si non lata, saltem levi, vel levissima culpa et negligentia inhabitantium oritur, *l. Nam salutem. 3. §. 1. ff. de Offic. Praefect. Vigil.* ibi: *Plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium,* et *l. Vendita. 11. ff. de periculo, et commodo rei vendit.* ibi: *Cum incendium sine culpa fieri non possit:* intellige ordinaria.

38 *Secunda* pars docetur a Farinacio *in Prax. Crim. q. 110. n. 95.* citans plures alios in specie, et Communem aliorum Ratio est: quia etsi *Incendium* praesumatur culpa inhabitantium, et quidem omnium, quando de uno certo nil constat, ut cum aliis bene observat Farinacius *loc. cit. num. 46.* tamen haec praesumptio non sufficit ad condemnandum omnes, vel unum certum, v. g. Patrem familias, sed omnes absolvi debent, si post inquisitionem, quae utique fieri debet, contra aliquem in specie culpa praesumi non potest. Farinacius *loc. cit. num. 93. q. 6. et 98.* Alexander *Consil. 50. n. 9.* Gailus *Pract. Observat. lib. 2. Observat. 21. n. 3.* Ratio est: Tum quia *Incendium* non probata culpa certi hominis inter casus fortuitos numeratur. Gailus *loc. cit. arg. l. Incendium. C. Si certum petatur.* Tum quia probatio debet esse certa, alias nil valet, *c. in praesentia de Probation.*

39 Dices: Pater familias tenetur ad resarciendum damnum culpa domesticorum causatum; ergo cum juxta dicta *Incendium* ordinarie praesumatur culpa inhabitantium factum, ad damna inde secuta tenebitur Dominus, nisi culpam suam, et domesticorum abfuisse probet; uti argumentatur Fachin. *Controvers. lib. 1. cap. 87.* Haunoldus, et alii. Sed respondetur distinguendo: Pater familias tenetur ad damnum causatum culpa domesticorum, si de culpa alicujus, vel plurium in specie constat; transeat antecedens; si de nullius certi culpa constat, negatur per Jura, et rationes *numer. praeced.* allegatas.

40 Imo etiam *casu,* quo constat de culpa certi servi, non tenebitur ad damna *Incendii* pater familias, si talis servus alias pro fideli, et diligenti habitus, et inventus est, uti cum Mascardo *Concl. 894. n. 19.* et aliis bene observat Farinacius *cit. q. 110. n. 115.* Qui ibidem etiam *num. 111.* Universaliter docet, quod regulariter loquendo, Dominus, seu Paterfamilias non teneatur pro *Incendio* culpa famulorum exorto, *arg. cit. l. Si vendita. 11. ff. de periculo, et commodo.*

41 Dicitur tamen notanter in Conclusione, *nisi culpa alicujus in specie rationabiliter praesumatur*; quia ad probandam culpam, ex qua *Incendium* oritur, sufficiunt praesumptiones, et conjecturae. Farinacius *cit. q. 110. n. 94.* Gabriel *Consil. 159. num. 7. et seqq.* quae proin si sufficienti praesumptione, vel conjectura contra certum, sive servum probata habetur, ad condemnandum sufficit. Cujusmodi praesumptiones, et conjecturas de culpa aliquorum, sicut et totam hanc materiam late discussam vide apud Farinacium *cit. q. 110.*

42 Quaeritur III. Quid ad propositum sint? et qui-

bus poenis subjeceant *Violatores Ecclesiarum*? Resp. I. *Violatores Ecclesiarum* proprie, et stricte loquendo sunt, qui Ecclesias, aliave loca sacra, aut Religiosa violenter effringunt, et spoliant. Et hi de Jure Canonico incurrunt poenam Excommunicationis, etiam ipso facto, can. *Canonica* 107. can. 11. quaest. 3. ibi: *Ecclesiarum violatores auctoritate DEI, et judicio S. Spiritus a gremio Matris Ecclesiae, et consortio totius Christianitatis eliminamus, quoad usque resipiscant, et Ecclesiae DEI satisfaciant.* can. *Omnes.* 5. can. 17. quaest. 4. et c. *Conquesti.* 22. *de Sentent. Excomm.* juncta Glossa *ibid. Excommunicatos*, ibique DD. communiter. A qua Excommunicatione absolvi non possunt, nec ad remedium poenitentiae admittantur, si, dum possunt, satisfacere, vel sufficientem cautionem praestare nolunt: si vero poenitentes volunt, dum non amplius possunt, absolutio eis quidem datur, sepulturae tamen eorum Clerici interesse prohibeantur, textu expresso c. *super eo* 2. h. t.

43 Requiritur autem ad *Violationem Ecclesiae*, ut fiat effractio violenta, et spoliatio simul, adeo ut si quis solum violenter effringat locum sacrum, ex illo autem nil auferat, vel spoliet quidem, vel furetur quid ab Ecclesia, illam tamen non effringat, proprie *Violator Ecclesiae* non sit, sed invasor potius illius, aut fur Sacrilegus, adeoque Excommunicationem ipso facto non incurrat, sed primum excommunicari debeat, ut observat Glossa communiter recepta in cit. c. *Conquesti.* 22. *de Sentent. Excommun.* §. *Excommunicatos*, arg. c. *Conquestus* 16. *de Foro competenti.* Ubi hujusmodi Sacrilegi rerum sacrarum invasores usque ad satisfactionem congruam anathemati supponi jubentur, utpote saltem veri Sacrilegi invasores, aut fures rerum sacrarum, vel ad loca sacra pertinentium, de quibus Sacrilegis, et poenis eorum *Tit. seq.* §. *II.* a n. 55.

44 Resp. II. De Jure Civili *Violatores Ecclesiarum*, utpote gravissimi Sacrilegi, pro diversitate delicti, et delinquentium, aliarumque circumstantiarum vel ad bestias, vel in perpetuum exilium, vel ad Metalla damnabantur, vel *Capite* plectebantur, vel suspendebantur, vel vivi concremabantur, textu expresso *l. Sacrilegii.* 6. *ff. ad Leg. Jul. peculat.* ibi: *Sacrilegii poenam dabit Proconsul pro qualitate personae, proque rei conditione, et temporis, et aetatis, et sexus, severius vel clementius statuere: et scio multos ad bestias damnasse Sacrilegos, nonnullos etiam vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse.* Concordant *l. Sacrilegii.* 9. *Hac lege.* 10. *ff. eod.* et *l. Si quis.* 10. *Authen. de Episcop. et Cleric.*

45 Hodierno autem Jure per *Ordinat. crim. Carolinam* poenae sunt determinatae, ita, ut qui aufert vas, in quo Sanctissimum asservatur, vivus comburatur *art.* 172. qui vero aliud vas aureum, vel argenteum, cum vel sine reliquiis, vel calicem, vel patenam abstulerit: vel qui Sacristiam, templum, aut gazophylacium, seu cippum, vel capsam eleemosynariam animo furandi effregerit, aut dolosis instrumentis aperuerit, poena corporali, vel capitali, exasperata, vel mitigata pro diversitate circumstantiarum supplicio afficiatur. *art.* 172. et 173.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

Quamvis, ut supra jam diximus, septimo Praecepto, quo prohibetur *Furtum*, prohibeantur omnia, per quae in bonis fortunae proximus injuste laeditur, in quo sensu etiam *Rapina* comprehenditur, tamen praesens Rubrica specialiter agit de *Furto*, tanquam Crimine a *Rapina*, ab aliis distincto. Hinc ponitur 1

§. I.

De Natura, et variis modis Furti.

SUMMARIUM.

2 Furtum proprie tale definitur.
3 *Debet esse actualis acceptio rei alienae.*
4 *Et quidem fraudulenta, seu animo furandi.*
5 *Ac lucri faciendi causa.*
6 *Rei alienae: Nam rei propriae* Furtum *non datur.*
7 *Nec rei, quae habetur pro derelicta.*
Quae pro derelicta habentur, fiunt primo occupantis. Ibid
8 *Nec datur* Furtum *rei incorporalis.*
9 *Nec immobilis.*
10 *Bene vero datur* Furtum *ususfructus, et possessionis, ut in Commodato, Deposito, et Pignore.*
11 Furti *etiam rei sunt, qui ad illud consulunt, juvant.*
12 *Item, qui rem furtivam scienter emunt, vel alias recipiunt*
13 *Qui Furem scit, et non indicat,* Furti *reus non est, bene vero qui illum positive occultat.*
14 *Si res furtiva aliunde recuperari potest, nullus privatus Furem indicare tenetur, nisi legitime interrogetur, aut jubeatur.*
15 *Etsi Filius Familias rem fraudulenter a Patre auferens,*
16 *Et uxor a marito, verum* Furtum *committant, tamen nec haec, nec ille actione* Furti *tenetur.*
17 *Bene vero illi, qui ope, aut consilio* Furtum *illorum secundarunt.*
18 *Qui rem alicubi inventam accipit animo retinendi* Fur *est: non item, si accipit, ut Domino cognito restituat*
19 *Tenetur tamen de Domino debite indagare, alias* Furti *reus est*
20 *Si post diligentem indagationem non apparet spes comperiendi domini, potest quis rem inventam pro libitu distrahere; et non tenetur eam erogare ad causas pias: Et num. seq*
21 *Res, quae pro derelicta habentur, fiunt primo occupantis.*
22 *Solvitur objectio contra Inventorem, res inventas retinentem.*
23 *Quanto tempore Inventor exspectare debeat, num Dominus compareat?*
24 *Licitum est in extrema necessitate surripere alienum; si Dominus non sit in pari necessitate: Et num. seq.*
Necessitas extrema facit rem alienam communem. Ibid.
26 *In quavis necessitate alienum accipere non licet absque peccato* Furti
27 *Creditor rem sibi creditam a Debitore clam auferre in Foro externo prohibetur.*
28 *Non item in Foro interno, saltem casu, quo alia via sine magno incommodo rem suam acquirere nequit.*

Quaeritur I. Quid sit? quo modo? et a quibus fiat *Furtum*? Resp. I. *Furtum a furvo*, id est, nigro dictum, eo quod clam, et in obscuro fiat, et 2

1 *Ratio Ordinis.*

pleremque nocte, a ferendo, vel aeffrrendo, ut dicitur *l. 1. prin ff. h. t.* proprie loquendo, *est contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve.* Ita in terminis *l. 1. §. fin. ff. h. t.* vel ut communiter Theologi definiunt: *Est occulta acceptatio rei alienae, domino rationabiliter invito.*

3 Explicatur Definitio per Legem data. Dicitur imprimis *Contrectatio*, seu acceptio, qua res de loco ad locum actu movetur. *l. Possideri 3. §ff. De acquirend. possession.* quia in Foro externo solo animo, seu desiderio, vel etiam externo furandi conatu Furtum non committitur, nisi actu contrectetur, et de loco in locum transferatur. Hinc *qui Furti faciendi causa conclave intravit, nondum Fur est l. 1. §. 7. ff. h. t.* Additur autem notanter *in Foro externo*: Nam in Foro interno coram Domino Deo *Furti* jam reus est, qui furari solum intendit, etsi actu non furetur, *Exodi cap. 20.* ℣ 17. et *can. Si propterea. 29 dist. 1. de Poenit.* ibi: *Intus fecisti, in corde fecisti, furti teneris, nihil telisti.*

4 Dicitur secundo, *fraudulosa*, id est, injusta cum fraude et dolo, voluntate, et affectu furandi facta; quia *furtum sine affectu furandi non committitur*, §. *Placuit 7. instit. de Obligat. quae ex delicto* Hinc qui rem alienam bona fide accepit, rationabiliter existimans, Dominum consensurum, vel, si sciret, non fore invitum, in nullo Foro reus est *Furti*, *l. Inter omnes. 46. §. 7 ff. h. t.* ibi: *Recte dictum est, qui putavit, se Domini voluntate rem attingere, non esse Furem* et *l. Qui re. 76 prin ff eod.* ibi: *Qui existimavit se non invito Domino id facere, furti non tenetur.* In dubio autem, an Dominus sit invitus, nec ne, *eum dissentire* praesumitur, praesertim si res contrectatur insueto modo, *arg. l. Qui vas. 48. § 3. ff h. t.*

5 Dicitur tertio *lucri faciendi causa*, quia qui rem aufert injuriae causa, vel eam destruit, in ignem, vel flumen projicit, non *Furti*, sed injuriae, ni damni dati reus est, et conveniri potest, *l. qui injuriae. 53. princ.* ubi ratio additur: *Non malefica voluntas, at propositum distinguit:* quia voluntas, cum in tali casu non sit lucri causa ad *Furtum* requisita, *Furtum* non est

6 Dicitur quarto *rei ipsius*, alienae videlicet, et quidem corporalis, ac mobilis, quia cum rei propriae quisque moderator, et arbiter sit, *l. In re mandata C. Mandati*, at ea uti vel abuti possit, *l. Sed etsi. 25. §. 11 ff. De petit. haered.* rei propriae Furtum non datur. Hinc etiam a *Furto* immunis erit, qui aufert rem alienam, bona fide putans esse suam, *arg. § 1. Instit. de vi bonor. rapt.* praesertim, cum in tali contrectatione etiam desit fraus et dolus, seu furandi animus, sine quo non datur *Furtum*, *cit. §. Placuit. 7. Instit. de oblig. ex delicto.*

7 Sic etiam ex defectu *rei alienae*. Furtum non committit, qui accipit rem, quae nullius est Domini, vel a Domino pro derelicta habetur, textu expresso, *l. Falsus. 43. §. 5. h. t.* Siquidem hujusmodi res fiunt primo occupantis, *l. Pro derelicto. 2.* et *l. Si id. 5. ff. Pro derelicto.*

8 Praeter *Furtum* non est contrectatio *rei incorporalis*, quia cum res incorporalis contrectari et tangi non possit, § *Incorporales 2. Instit. de rebus corporal. et incorporal.* *Furtum* proprie dictum respectu illius non datur. Sylvester ℣ *Furtum n. 1.*

9 Insuper *Furtum* in re immobili non datur, *l. Verum 25 ff. h. t* § *Quod autem. Instit. de usucap.* et *l. quam rem. 38. ff eod.* quia proprie occultari, et de loco in locum moveri non possunt. *l. Possideri 3. §. 18. ff de acquir. possess.*

10 Dicitur quinto, *vel etiam usus ejus, possessionisve*, quia verum *Furtum* committit, non tantum, qui rem alienam fraudulenter aufert, sed etiam qui usum, vel usum fructum, possessionem alieni de Jure competentem inique aufert, vel habentem illo privat. Hinc *Furti* reus est Dominus, qui rem alicui, pignori datam, inique aufert, §. *Unde 14. Instit. de obligat. ex delicto*, et *l. Itaque 12. §. 2. ff. h. t.* Item qui rem alicui accommodatam, locatam, depositam clam fraudulenter aufert, *Fur est*, *§. 15. et seqq. Instit. de Obligat. ex Delicto l. Cujus interest. 10. l. Tam is. 11 l. Itaque. 16. l. Inter omnes 46. §. 1. ff. h. t.* Prout econtra *Furtum* committit Commodatarius, usufructuarius etc. qui re commodata, vel ad usum fructum concessa, diutius, vel aliter, quam Dominus concessit, fraudulenter utitur: item qui rem in depositum, aut pignus datam, ea taliter utitur, §. 6. *instit. de obligat. ex delicto l. Qui jumenta 40 l. Si pignore 54. princ ff. h. t.*

Resp. II. *Furtum* vero committunt, et actione *Furti* conveniri possunt, non solum illi, qui per se ipsos rem alienam fraudulenter auferunt, sed etiam qui id mandant, item qui consilium, aut auxilium ad id praestant. Farinacius *Prax. Crimin. q. 168. n. 12. et seqq.* Tuschus ℣ *Furtum Concl. 562 n. et 2.* Cum Communi et certa aliorum, §. *Interdum 11. Instit. de Obligat. ex delicto*, ibi: *Interdum quoque furti tenetur, qui ipse furtum non fecit, qualis est is; cujus ope, et consilio furtum factum est.* juncta *l. In furti 50. ff. h. t.* Ratio est, quia hi saltem moraliter contrectant rem alienam fraudulenter. Ea qua ratione etiam *Furti* reus est, qui *Furem* cum re furtiva scienter recipit, et occultat. Doctores citati *per Jura allegata*, juncta *l. Qui vas 48. §. 1. ff. h. t.* ibi: *Furem qui celat, furti tenetur.* 11

Resp. III. *Furtum* insuper committere censetur, qui rem furtiva scienter a *Fure* emit; uti et ille, qui rem furtivam in solutum, vel alias scienter recipit. Harpprecht *in §. fin. instit. de Obligat. ex delicto n. 14.* Haunoldus *de Jure et just. Tom. 6. tr. 2. n. 454. in fine*, *arg §. 4. in fin. instit. de Obligat. ex delict. l. In civilem 2* et *l. Civile 5. C h. t.* juncto *c. Qui cum fure 4 h. t.* et ibi Glossa. Notant tamen Doctores citati, et Carpz. *in Prax. Crimin. q. 87. n. 51.* Quantum ad receptores rerum furtivam mitius agi, quam cum illis, qui ipsi rem alienam aufferunt, nisi et illi auxilium, vel consilium praestiterint. 12

Resp. IV. Quamvis nonnulli absolute asserant, etiam illum *Furti* teneri, qui *furem*, aut rem furtivam scit, et non indicat, *arg. c. Qui cum 4. h. t.* ibi: *Non fur solum, sed ille reus tenetur, qui furti conscius, quaerente possessore non indicat.* Tamen hoc dictum cum distinctione accipiendum est, videlicet, quod qui sciunt *furem*, et occultant, rei sint *furti* per dicta supra *num.* 11. Ille vero qui simpliciter scit *furem*, eum tamen non celat, non indicat: reus *furti* non sit, textu expresso, *l. qui vas 48. §. 1 ff. h. t.* ibi: *Qui furem novit, sive indicet, eum, sive non indicet, fur non est: cum multum intersit, furem quis celet, an non indicet: qui novit furti non tenetur, qui celat, hoc ipso tenetur* 13

Nec in contrarium militat cit. *c. Qui cum 4. h. t.* quia textus illius vel loquitur de non indicante, et simul participe rei furtivae, ut vult Abbas *ibid. n.* 3. qui utique *furti* reus est per dicta supra: vel loquitur de *non* indicante ipsam rem furtivam; hanc enim, qui quaesitus non indicat, *furti concepti*, aut non exhibiti reus censetur, §. *Conceptum 4. Instit. de Obligat. ex delicto* Minime vero ille, qui ipsam personam *furis* non indicat: utpote quam potius occultare, quam manifestare regulariter convenit, si absque manifestatione res furtiva recuperari possit, *arg. can. Ne quis cau 22 q. 2.* Nisi forsan urgeret praeceptum Superioris, v. g. Episcopi manifestationem *furis* praecipientis, aut legitime interrogantis; tunc enim utilitas et auctoritas publica exigens, ne delictum maneat impuni- 14

tum, praevalere debet, uti bene observat Gonzalez *in cit. c. 4. h. t. n.* 5. et 6.

15 Resp. VI. Filius familias quoque a patre, et servus a domino fraudulose quid auferens, vere ac proprium *furtum* quidem committunt, tamen quia pater filium, et servus dominum proprie auctoritate corripere potest, actio *furti* contra eos non datur, §. *Hi qui.* 12. *Instit. de Obligat. ex delicto l. Ne cum* 16. et *l. Servi, et filii.* 17. *princ. ff. h. t.* ibi: *Servi, et filii nostri furtum quidem nobis faciunt, ipsi autem furti non tenentur: usque enim, qui potest in furem statuere, necesse habet, adversus furem litigare: idcirca nec actio ei a veteribus prodita est.*

16 Pariter etsi uxor res mariti fraudulenter aufferens, verum *furtum* committat, ob reverentiam tamen, et honorem Matrimonii turpis actio *furti* contra eam non datur, sed tantum actio rerum amotarum, *l. Si quis* 52. *ff. h. t.* et *l. Manifestissimi* 22. §. 4. *C. eod.* ubi ulterior ratio additur illis verbis *Quia lex ita atrocem actionem dare in personam ita sibi conjunctam erubuit.*

17 Notandum tamen, quod etsi contra filium, et uxorem actio *furti* non detur; tamen illi, qui ope aut consilio ad horum *furtum* juvarunt actione *furti* omnino teneantur, et poenis *furti* subjacent, prout circa furtum filiorum expresse statutum habetur cit. §. 12. *Instit. de Obligat. ex delicto*, ibi: *Si vero ope et consilio alterius furtum factum fuerit, qui utique furtum committit, convenienter illi furti teneatur, quia verum est, ope et consilio ejus furtum factum fuisse.* De juvantibus autem *furtum* uxoris, cit. *l. Si quis* 52 *princ. ff. h. t.* ibi: *Si quis uxori res mariti subtrahenti, opem, consiliumve accommodaverit, furti tenebitur: sed etsi furtum cum ea fecit, tenebitur furti, cum ipso non teneatur.*

18 Resp. VII. Qui rem alienam alicubi jacentem inveniens accipit animo retinendi, et Domino comparenti non restituendi, vere *furtum* facit, et actione *furti* tenetur, textu expresso, *l. falsus* 43. §. 4. *ff h. t.* ibi: *Qui alienum quid jacens, lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scivit, cujus sit, sive ignoravit; nihil enim ad furtum minuendum facit, quod, cujus sit, ignoret.* Si vero hujusmodi rem quis accipit, non lucri faciendi causa, seu, quod idem est, non ut fraudulenter retineat, sed ut ei, cujus est, reddat, a *furto* immunis est, cit. *l. falsus* 43. §. 7. *ff. h. t.* ibi: *Si tulit, ut non lucretur, sed redditurus ei, cujus fuit, non tenetur furti.*

19 Porro, si quis rem jacentem inveniit ignorans, cujus sit, tenetur de Rei Domino debite, et sufficienter indagare, v. g. per promulgationem ex Cathedra, vel per Praeconem, vel schedulam publico loco affixam. juxta qualitatem, et aestimationem rei inventae: quam indagationem qui omittit, et rem retinet, Furti tenetur, uti bene docent Doctores statim citandi, *arg. l. falsus.* 43. §. 4. et 7. *ff. h. t.* quia animo retinendi fraudulenter eam accepisse censetur.

20 Si vero postquam dictam vel similem indagationem Domini sufficienter fecit paratus restituere, ubi eum resciverit, nulla amplius spes de Domino comparitura apparet, eam distrahere, vel consumere licite potest, prout cum communi aliorum satis probabiliter docet Castro Palao *Tract.* 31. *disp. un. nu.* 4 *et seqq.* Sa v. *Thesaurus. n.* 4. Zoesius *h. t. n.* 13. Petrus Navarrus *lib.* 4. *cap.* 2. n. 59. contra D. Thomam 2. 2. *q.* 66. *a* 5. *ad* 2. Coverruviam *Regula peccatum*, *p.* 3. §. 1. *n.* 2. Navarr. *Manual. cap.* 17. *n.* 171. Molinam *de I. et I. tract. disp.* 476. et alios volentes, inventores rerum, si post diligentem indagationem spes non apparet, Dominum comparituram, teneri res hujusmodi inventas pauperibus, vel ad causas pias erogare; cum haec credatur voluntas Domini.

21 Ratio autem nostrae doctrinae est: Tum quia, si post debitam indagationem spes comparituri Domini non amplius apparet, res Dominum non amplius habere sed derelicta, naturalemque libertatem nacta censetur, cujusmodi res derelictas, sicuti et quae pro derelictis bona fide existimantur, si quis accipit, et retinet ab omni *furto* non tantum alienus est, *l. falsus* 43. §. 7. *ff. h. t.* sed etiam si bona fide distrahat, vel absumit a restitutione immunis erit, ut bene observat Castro Palao *loc. cit. n.* 7. eo quod tales res derelictae primo occupantis fiant. *L.* 1. *et* 2. *ff. de Derelicta* Tum quia nullo Jure naturali aut positivo probari potest, res ita inventas erogari debere pauperibus, si post diligentem inquisitionem Domini comparituri spes non amplius appareat.

22 Nec enim in contrarium probant, quos Adversarii objiciunt *can. Si quid.* 6. *cau.* 14. *q.* 5. ubi dicitur: *Si quid invenisti, et non reddidisti, rapuisti*, et *can. Multi.* 8. *ead. cau. et q.* ibi: *Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, et dicant, Deus mihi dedit; cui debeo reddere. discant ergo peccatum hoc esse simile rapinae, si quis inventa non reddat.* Respondetur enim, hos Canones loqui de illis, qui vel de Dominis indagare nolunt, vel si eos sciunt, res inventas illis non restituunt, minime vero de illis, qui cognito Domino rem suam restituere parati de illo indagant, et sufficienti indagatione facta, bona fide existimant, eum non amplius compariturum

23 Quantum autem tempus requiratur, et quamdiu *Inventor* notitiam Domini expectare debeat, item quanta diligentia indagandi requiratur, certa Regula tradi non potest, sed arbitrio prudentis juxta circumstantias judicandum est. Castro Palao *loc. cit. nu.* 5.

24 Resp. VIII. Quamvis in extrema necessitate constitutus rem alienam ad sublevandam dictam necessitatem absque culpa et poena *furti* subripere quis possit, furti tamen reus est, qui ob gravem necessitatem id facit. *Prima* pars de necessitate extrema, communis est et certa. Ratio est; quia extrema necessitas rem alienam facit communem, *arg. l. Si laboranta.* 2. §. 2. *in fine. ff ad L. Rhod. de Jactu. c. Exiit.* §. *Nec quidquam de V. S. in* 6. ibi: *Nec Jure poli in extremae necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturae via omnibus extrema necessitate detentis concessa praecluditur; cum lege extrema necessitas sit exempta*

25 Dummodo Dominus rei non sit in pari necessitate, quia tunc propter aequalem necessitatem, et propter possessionem duplici, majorique Jure ad illum, quam ad alium res talis pertinet, cum *in pari conditione sit conditio possidentis*, c. *in pari. de Reg. Jur. in* 6. prout amplius Theologi.

26 *Altera* pars, quamvis olim multos, eosque Classicos adversarios habuerit, qui docuere etiam in gravi necessitate absque culpa et poena *furti* posse quem subripere, imo et rapere rem alienam; tamen hodie etiam caret controversia ob contrariam Propositionem ab Innocentio XI. damnatam in sequentibus terminis: *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* De qua materia vide amplius apud Theologos.

27 Resp. IX. Etsi in Foro externo concessum non sit, ut Debitor a Creditore clam aufferat rem sibi debitam, saltem quando solutio alia ratione, v. g. Judicis auctoritate haberi potest, *l. Extat.* 13. *ff. quod metus causa*, cum prohibitum sit, ut quis in propria causa sua suus Judex sit *l. un. C. Ne quis in sua causa.*

28 Tamen in Foro interno ab omni *furto* immunis

est, qui rem sibi certe debitam clam aoffert, saltem si eam alio modo sine magno incommodo habere non potest. Sylvester ℣. *furtum*. *q*. 13. Molina *de I. et I. Dis*. 601. *no*. 1. Ratio est; quia talis rem non aoffert animo lucrandi, aut furandi, sed se iodemnem reddendi, et quod sibi debetur, acquirendi.

§. II.

De Poenis Furti, et Restitutione Furto ablatorum: Nec non de Remediis illa iterum recuperandi: ubi etiam de nonnullis Furtis in specie, et poenis eorum.

SUMMARIUM.

29 *Poena Furti manifesti, et non manifesti in ordine ad solvendum quae?*
30 *Domino, et cujus interest, competit Actio* Furti.
31 *Datur etiam contra* Forem *impuberem, non item contra haeredes illius, nisi prius cum* Fure *jam fuerit contestata;*
Datur contra eos, qui consilio, vel auxilio Furtum *secundarent: non item contra* Furtum *uxoris, aut filii familias.*
32 Furtum *manifestum, et non manifestum quid?*
33 *Praeter actionem* Furti *(vi cujus Fur duplum, vel quadruplum solvere debet) competit insuper Domino vindicatio rei contra quemvis possessorem, qui rem ablatam restituere debet, etiam pretio sibi non refuso.*
34 *Item* Condictio furtiva: *in quo consistat? cui? et contra quem competat?*
35 *Inter Criminales poenas* Furti, *est etiam infamia.*
36 *Jure antiquo diversae fuere poenae Furti pro diversitate circumstantiarum: Nunquam tamen poena mortis, aut mutilationis.*
37 *Bene vero de Jure novo, praesertim Caroli V. et Friderici I Et quando?*
38 Furtum *simplex et non simplex*: Furtum *magnum et parvum quid? et quae poenae eorum, prima vice.*
39 *Furti secundi, seu secunda vice commissi poenae quae?*
40 Furti *etiam parvi tertio vice commissi poena est Mors.*
41 Furtum *violentum quid? et quae poena illius?*
42 *Utrum possit quis ob Furtum prima vice commissum ad mortem condemnari, pro et contra disputant Doctores.*
43 *Affirmativa Juri novo videtur conformior.*
44 *Res furtivae inventae apud furem a Judice apprehensum non Fisco, nec Judici, nec Officialibus ejus, sed Domino restitui debent, non obstante, consuetudine, aut statuto contrariis.*
45 *Solvitur objectio.*
Judex tenetur ex Officio Malefactores inquirere, et punire: Ibid.
46 *De Jure Divino, et Canonico Fur tenetur ad restitutionem: et qualem?*
47 *Ad quam faciendam potest Episcopus, non item alius furem compellere, et scientes rem furtivam, ut revelent.*
48 *Nonnulli autem a revelandò excusantur, et qui?*
49 *Fures sunt etiam infames.*
50 *Et irregulares.*
51 *Si sint notorii.*
52 *Princeps saecularis potest abolere infamiam furis, non item irregularitatem.*
53 *Clerici Furis praeter infamiam, et irregularitatem est Depositio.*
54 *Sacrilegium prout est species furti, quid?*
55 *Poena Sacrilegii, quando cum violentia vel effractione.*
56 *Et quando cum effractione committitur.*
57 *Crimen* Plagii *quid?*
58 *Et quae poena illius?*
59 Abigeatus, et Abigeus *qui?*
60 *Et quae poena illius?*
61 *Crimen* Peculatus *quid?*
62 *Et quae poena illius?*
63 *Quid sit Crimen* de Residuis?
64 *Et quae poena illius?*
65 *Quid Crimen* expilatae Haereditatis? et quae poena illius?
66 *Quid* Sepulchri violatio?
67 *Et quae poena illius?*
68 Amotio termini *quid? et quae poena illius?*

Quaeritur I. Quae sint poenae *furti* de Jure communi Caesareo constitutae? Resp. I. *Prima* poena *Furti* est, ut res *furto manifesto* ablata vite instituenti *Actionem furti* restituatur, seu solvatur quadruplum; *furto* autem *non manifesto* ablata, solvatur duplex, textu expresso §. 18. *Instit. de Act.* et §. *Poenam*. 5. *Instit. de Obligat. ex delicto*, ibi: *Poena manifesti furti quadrupli est, non manifesti dupli.* 29

Ad quem finem datur *Actio furti*, quae tamen mere poenalis est, §. *fin Instit. de Obligat. ex delicto*, quae actio competit Domino, et cujus interest, *furtum* non esse factum, *l. Cujus interfuit*. 10. *ff. h. t.* ibi: *Cujus interfuit non subripi, is actionem furti habet*, et *l. Tam*. 11. *ff. eod.* ibi: *Is cujus interest, furti habet actionem, si honesta causa interest.* Censetur autem illius duntaxat interesse, qui ob rem, quae culpa illius periit, a Domino conveniri potest, vel ad restitutionem, vel ad aestimationem, §. *Eum qui*. 14. §. 9. et *l. Interdum*. 49. *ff. h. t.* 30

Datur autem haec Actio contra Forem, etsi rem jam petierit, *l. Inter omnes*. 46. *princ. ff. h. t.* ibi: *Inter omnes constat, etiam si extincta sit res furtiva, attamen furti remanere actionem contra furem*: Etiam *impuberem* doli capacem, *l. impuberem*. 23. *ff. h. t.* non tamen contra haeredes *furis*, nisi forte lis cum defuncto prius jam fuerit contestata, *l.* 1. *ff. De privatis delict.* §. 1. *Instit. de perpet. et tempor. action.* juncta *l. Poenalia*. 164. *ff. de Reg. Jur.* ibi: *Poenalia judicia semel incepta etiam in haeredes transmitti possunt.* Datur insuper contra eos, qui ad Furtum dederunt consilium et auxilium, aut rem furtivam receperunt, per dicta *n*. 17. et *l. Eos qui*. 14. *ff. h. t.* Non item contra filium familias, uxorem, vel servum per dicta supra *n*. 15. 31

Est autem *Furtum manifestum*, quando *Fur a* Domino, vel ab alio in ipso actu *Furti*, aut post commissum *Furtum* cum re furtiva deprehenditur in loco *Furti*; vel antequam cum re furtiva eo pervenerit, quo eam deferre, et cum ea, illa die permanere destinavit. *Non manifestum* autem est, si *Fur* ita non deprehenditur, § 3 *Instit. de Obligat. ex delict. l. Fur est.* 2. *l. quo destinaverit*. 4. *l. Sive igitur*. 5. *ff. h. t.* Cur autem *Furtum manifestum* gravius punitur, quam *non manifestum*, inter alias rationes, quas refert Schneidewin *in* §. *fin. Instit. de Obligat. ex delict. n*. 4 Harprecht *in* §. *Poenam. Instit. eod. n*. 2. et 3. est, quod *Furtum manifestum* praeter laesionem proximi praebeat etiam scandalum publice perniciosum, majoremque impudentiam prae se ferre, nec omni suspicione violentiae carere censeatur; consequenter majori poena dignum, *can. Nemo*. 4. §. *Tolerabilior. caus.* 32. *q*. 4. et *c. Ex tenore*. 4. *de Tempor. Ordinat.* 32

Resp. II. Praeter poenalem actionem *Furti*, qua non ipsa res ablata, sed quadruplum, vel duplum ipsius petitur, dantur adhuc aliae duae actiones et rei persecutoriae, rei Vindicatio videlicet, et Con- 33

dictio furtivae. *Vindicatio rei* furto ablatae, est actio realis competens Domino non tantum contra *Furem*, sed etiam contra quemcumque possessorem talis rei furtivae, § 1. *Institut. de action.* § *fin. Instit. de Obligat. ex delict.* ibi: *Rei vindicatio adversus possessorem est, sive fur ipse possidet, sive alius quilibet*, sive bona, sive mala fide, justo vel injusto titulo rem furtivam possideat, *l. In civilem.* 2. *et l. Civile* 5. *C. h. t.* Tenetur etiam talis possessor rem furtivam Domino restituere, etiamsi hic illi pretium pro re furtiva expensum non refundat, *cit. l. In civilem.* 2. *C. h. t.* ibi: *In civilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a Domino.* Datur etiam post actionem Furti, et jam acceptum quadruplum a Fure, *l. Si pignore.* 54. §. 3 *ff. h. t.* ibi: *Post solutam dupli, aut quadrupli poenam, salva est vindicatio, et Condictio.*

34 *Condictio furtiva* est actio personalis, qua rei *Furto* ablatae restitutio, si extat, vel non amplius extet ejus aestimatio, omneque interesse petitur, *L. Si condicatur.* 3. *et l. In re furtiva* 8. *ff. de Condict. furtiva.* Competit autem soli Domino. *l.* 1. *ff. eod.* ibi: *In furtiva re soli Domino Condictio competit*, *l. Eum qui* 14. § 16. *ff. h. t.* contra furem, ubi sunt plures, contra omnes in solidum, ita tamen, ut si unus plene satisfecit, caeteri sint liberi, *L.* 1. *C. de condict. Furti.* Datur insuper non tantum contra *Furem*, sed etiam contra quoscunque haeredes illius, non solum ob id, quod de re furtiva ad illos pervenit, sed etiam in solidum, quamvis nil ad eos pervenerit; quod est singulare in odium *furum*, ne facile fures habeant haeredes, §. *fin. Instit. de Obligat. ex delict.* ibi: *Condictio autem adversus furem ipsum, haeredemve ejus, licet non possideat, competit l. Ex re furtiva.* 5 *l. Si pro fure.* 7 §. 1 *l. in condictione.* 9. *ff. de condict. furtiva*: Adeo quidem, ut si *fur* ultimo supplicio sit affectus, haeres nihilo minus ad restitutionem rerum *furto* ablatarum, vel aestimationem illarum Actione hac *Condictionis* conveniri possit vi *Constitut. Criminal. Caroli V. art.* 51. 207. *et* 213.

35 Resp. III. Poenae Criminales *furti* praeter solutionem *quadrupli*, vel *dupli* supra *num.* 29 allegatam sunt, quod imprimis notabiliter *furti* condemnatus, sit infamis, §. 2. *Instit. de Poena temere litigant.* et *l. Athletas.* 4. § *fin. ff. de His qui infamia notantur.*

36 Dein si *Criminaliter* agitur contra *fures*, vi Juris antiqui puniuntur pro diversitate delicti, personarum, et aliarum qualitatum vel poena pecuniaria *fisco* applicanda, vel carceris, vel relegationis, vel damnatione ad Metalla, vel alia corporali, *l. fin. ff. h. t. l.* 1. *et seqq. ff. de fur. balnear. l.* 1. *et seqq. ff. de Effract. et Expil.* ita tamen, ut poena mortis, aut mutilationis ob *simplex furtum* aliquem puniri fuerit prohibitum, *Auth. sed novo C. de servis fugitivis*, ibi: *sed pro furto non, nec aliquod membrum abscindetur, sed aliter castigabitur*, et *Novell.* 134 *cap.* 13. § *Pro furto*, ibi: *Pro furto autem nolumus omnino, quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eum castigari. Fures autem vocamus, qui occulte, et sine armis hujusmodi delinquunt: eos vero qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari, poenis eos legibus subjici mandamus.*

37 Jure autem novo Caesareo Friderici I. et Caroli V. praeter antiquam poenam *quadrupli*, vel *dupli* Domino solvendi vigore *Actionis furti* per dicta supra *num.* 29. ob furta in damnum Reipublicae invalescentia graviores poenae etiam mortis, ac mutilationis fuere statutae, et fere ubique, praesertim Carolinae, usu receptae. Sic enim laudatus Fridericus I. *Lib. II. Feud. cap.* 27. *fin.* statuit: *Si quis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus laqueo suspendatur; si minus forcipe, et scopis excorietur, et tondatur*; ubi per *solidum* aureus, seu ducatus intelligitur juxta jam dicta *Lib. III. Tit. XXIV. n.* 15.

Dein Carolus V de Poenis *Furti* ita statuit, ut 38
videlicet *Furtum primum*, seu prima vice commissum, si sit parvum (id est quinque solidos non attingens) et simplex (id est tale, quod in solo furandi actu sine concurrentia alterius delicti consistit) et non manifestum puniatur poena *dupli*, si Fur est solvendo; si non, poena carceris, debetque rem ablatam restituere cum *Urpheda*, *art.* 157. Si vero hujusmodi primum simplex, et parvum Furtum sit *manifestum*, et Fur honestae conditionis existat, spesque emendationis appareat, punitur poena *quadrupli*, si est solvendo, si minus, poena carceris corporalis: Si vero *Fur* vilis conditionis est, ad numellas virgis damnetur, et relegatur, ita tamen tam hic, quam honestae conditionis *Fur* existens prius restituat rem ablatam, vel aestimationem ejus. *art.* 158. Si autem *Furtum* primum simplex et magnum est (id est quinque solidos adaequans, vel excedens) arbitrio Judicis puniendum relinquitur. *art.* 160.

Furtum secundum, seu secunda vice perpetratum, 39
si utrinque valor quinque solidos non adaequat, hanc poenam secum trahit, videlicet, positionem pro numellis, relegationem, et confinationem: Si vero dictos quinque solidos excedat, poena Judicis arbitrio imponitur. *art.* 161.

Tertium, seu tertia vice commissum *Furtum*, 40
etiam *simplex* nulla attenta quantitate et valore rei ablatae poenam *Capitalem* habet, ita ut mas laqueo, foemina autem suffocatione aquae, vel alia simili mortis poena, gladii v. g. perimatur. *art.* 162.

Furtum violentum vero (id est, quod cum aedium 41
effractione, vel cum telo et armis fit, quod etiam *Furtum periculosum* vocatur) poena Capitali, vel si circumstantiae aliud suadeant, non Capitali punitur. *art.* 159.

Caeterum controvertitur inter Doctores, num vigore 42
allegatorum Jurium novorum possit *Fur* propter unum *simplex Furtum magnum*, poena Mortis affici? Covarruvias siquidem *lib.* 2. *Var. resol. cap.* 9. *n.* 7. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 295. *n.* 9. *affirmativam* tenent ob Constitutionem Friderici I. supra allegatam. Clarus vero § *Furtum n.* 9. Farinacius *Prax. Criminal. q.* 167. *n.* 47. Fachin. *lib.* 9. *Contr. cap.* 91. et alii *negativam* tuentur ex illa ratione, quod, ut ajunt, nullo Jure reperiatur poena Mortis pro *primo Furto* statuta, Judex autem non debet esse rigidior in puniendo quam Lex ipsa, *l. Perspiciendum.* 11. *ff. de Poenis.* Nec obstare putant Constitutionem Friderici I. utpote quae ipsorum opinione non loquitur de *simplici Furto*, sed de *violento* aut seditioso, uti ex Rubrica colligitur, quae sonat *de Pace tenenda, et ejus violatoribus.*

Verum etsi hujus posterioris doctrinae Auctores 43
pie faciant mitiorem eligendo sententiam; tamen spectando recentiore Jure, sententia Covarr. et Sequacium videtur probabilior tum ex Constitutione Friderici I. quam Carolina, ut pote quae etiam pro uno *simplici Furto magno* poenam arbitrio Judicis relinquit, et hoc ipso statuit, quod si *Furtum* tam magnum est, ut arbitrio Judicis poenam mortis mereatur, eam imponere valeat. Sed de his amplius Criminalistae. Incidentaliter tamen

Quaeritur II. Num res furtivae apud *Furem* a 44
judice apprehensum inventae Fisco, aut Judici, vel Officialibus, ac Ministris Justitiae adjudicari, vel potius veris Dominis, e quibus fuere ablatae, restitui debeant? Resp. Certum et indubitatum est, tales res

furtivas vero Domino, si de eo certo constat, restitui debere. Ita enim expresse declaravit Carolus V. *in Constitut. Criminal. art.* 207 et Fridericus I. *In Recessu.* 1529. §. *Und nachdem an etlichen,* qui ambo etiam statuta et consuetudines contrarias tanquam veros abusus et corruptelas Juri divino et naturali contrarias reprobarunt: Utique enim iniquum et Juri naturali contrarium est, quod quis cum jactura, et damno alterius locupletetur, et Domini res suae facto illius in alium transferatur. *L. Nam hoc* 14 *ff. de Condiction. indebiti,* ibi: *Nam hoc natura aequum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem* juncto *c. locupletiores.* 48. *de Reg. Jur. in* 6. Prout etiam omnino iniquum, et rationi naturali adversum est, ex facto unius alterum praegravari, ut delictum unius in alterius perniciem trahi; *L.* 1 *ff. de Alienat. Judic. mut. cau.* ibi: *Omnibus modis Proconsul. id agit, ne cujus deterior causa fiat ex facto alterius. l. factum* 155 *ff. de Regulis Jur.* ibi *factum cuique suum, non adversario nocere debet,* cum peccata, et pro his debitae poenae suos tantum Auctores et delinquentes tenere debeant, *l. Crimen.* 26. *ff. de Poenis,* et *l. Sancimus.* 22. *C. eod.*

45 Nec quidquam in contrarium valet, quod iniqui, et avari quidam sub palliato praetexto opponunt Judices, videlicet, capturam, custodiam, torturam, alimentationem, et executionem *furis* magnas requirere expensas; simulque labores Judicis et officialium mereri aliquam mercedem, consequenter res furtivas apud *furem* apprehensum inventas, in refusionem dictarum expensarum Fisco, vel pro mercede laboris Officialibus justius merito applicari. Nam contra est; quod his non obstantibus res furtivas Domino sine diminutione restitui debeant, expresse statuerit Carolus V. *cit. Constit. Criminal.* Et merito, quia Praesidi, et cuivis Judici, ac Magistratui ex Officio incumbit et congruit, ut a peccatis, et malis hominibus Provinciam purget; indeque *Sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet,* et *prout* quisque deliquerit in eum animadvertere, *l. Congruit* 13 *ff. de Officio Praesidis.* Quae autem Judici et Magistratui ex Officio incumbunt, hoc absque alterius privati damno, aut praejudicio praestare debet, *arg. l. Ut puta* 2. §. *ff. de Condiction. ob turpem causam* Berlich *Pract. p.* 5. *Concl.* 54 n. 34. praesertim cum Officiales ob haec aliunde jam sufficiens suum censeantur habere salarium.

46 Quaeritur III. Quae sint poenae contra *furem* Jure Canonico statutae? Resp. I. Sicut Jure Divino, sic etiam humano Ecclesiastico *fures* tenentur ad restitutionem furto ablatorum, *c. Peccatum* 4. *de Reg. Jur. in* 6. ibi: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum*: ita tamen, ut ante sententiam Judicis plus restituere non teneantur, quam quod abstulerunt, bene vero post illam, cum teneantur parere justae Judicis sententiae eos ad solutionem *dupli,* vel *quadrupli,* et *interesse* damnantis: uti alibi dictum.

47 Caeterum, ut res furtivae Domino suo restituantur, potest Episcopus, non item Praelatus illo inferior, multo minus Potestas saecularis, contra injustum detentorem sicut etiam eum, qui rem furtivam ab alio detentam scit, et non revelat, edere Decretum generale, in eoque debitis monitionibus praemissis statuere, ut qui intra certum terminum rem furtivam magni momenti non restituit, vel eam sciens non revelat, ipso facto sit excommunicatus. Concilium Tridentinum ibi: *Sess.* 25 *de Reform. c.* 3. ibi *Excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis, aut subtractis rebus fieri solent a nemine prorsus praeterquam ab Episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, et magna maturitate per Episcopum examinata, quae ejus animum moveat: nec ad eas concedendas cujusvis saecularis etiam magistratus auctoritate adducatur, sed totum hoc in ejus arbitrio, et conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore, eas decernendas esse judicaverit.*

Circa quod tamen Decretum recte observat Engel *de Sentent. Excommunicat. num.* 24. quod vi illius ad revelandum, vel denuntiandum non obligentur illi, qui id absque sua, vel suorum, contra quos testimonium dicere non coguntur, (de quibus *Lib. III. Tit. XX. de Testibus*) infamia, aut gravi praejudicio facere non possunt; nec illi, qui rem certo non sciunt, et saltem per unum testem probare nequeunt: De qua materia amplius vide apud Barbosam de Officio et potestat. Episcop. *Allegat.* 98. Engel *loc. cit. a n.* 25. 48

Resp. II. Non tantum de Jure Civili juxta dicta, sed etiam Canonico *Fur notorius* sive Laicus, sive Clericus est infamis, praesertim postquam *furti* condemnatus est *can. Infames* 17. *cau.* 6. *q.* 1. ibi: *Similiter Fures*: Accedit, quod omnes, qui secundum leges Civiles sunt infames, tales etiam sint secundum Canones, *can. Eophemium.* 7. §. *Hinc colligitur. cau.* 1. *q.* 3. 49

Colligitur, quod *fur notorius,* aut *furti* condemnatus sit etiam irregularis, consequenter ad sacros Ordines promoveri, vel in jam susceptis ministrare non valeat. Navarrus *Manual. cap.* 17. *n.* 204. Abbas *in c. fin. h. t. n.* 3. *et* 14. Suarez *de Censuris. disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 27. *arg. can. Qui in aliquo.* 5. *dist.* 51. 50

Dicitur tamen notanter in Conclusione: *fur notorius, aut furti condemnatus*; quia *furtum occultum* infamiam Juris non inducit, et per consequens nec irregularitatem, ut proin *furem occultum* Episcopus ad Ordinum susceptionem, et administrationem eorum admittere valeat, etsi crimen Furti ultro fateatur, dummodo poeniteat, et restituat, per textum *c. fin. h. t.* et ibi DD. communiter. 51

Caeterum licet Princeps saecularis a *fure* auferre valet maculam infamiae, auferre tamen nequit irregularitatem, nec ipso facto haec cessat per abolitionem infamiae a Principe saeculari factam, sed necessaria est dispensatio Papae, *arg. c. Cum te.* 23. *de Sentent. Excommun.* Ratio est; quia Princeps saecularis poenas spirituales tollere nequit. *Per vulgaria.* 52

Resp. III. Praeter poenam infamiae, et irregularitatis, Clericus *fur notorius* ab Officio et Ordine Clericali deponi debet, *can. Presbyter.* 12. *dist.* 81. *et c. Cum non ab homine.* 10. *de Judiciis.* et ibi Doctores communiter. Qui si non resipiscat, etiam excommunicari; et si incorrigibilis evadat, Curiae saeculari tradi debet, *textu expresso cit. cap. Cum non homine.* 10. *de Judiciis.* 53

Quaeritur IV. Quid sit, et quas poenas secum trahat Crimen *Sacrilegii*? Resp. I. *Sacrilegium,* prout sumitur pro specie *furti,* est furtum, quo res sacra e loco sive sacro, sive profano, vel res profana e loco sacro injuste aufertur. Ita in re Communis. *arg. can. Quisquis.* 21. *cau.* 17. *q.* 4. ibi: *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Et quamvis olim de Jure Civili nec verum *Sacrilegium* nec ordinariis illius poenis subjectum fuerit Furtum rei sacrae e loco profano, vel rei profanae e loco sacro, sed debuerit esse rei sacrae, et loco sacro, *l. Severus.* 5. *et l. Sacrilegi.* 9. §. 1. *ff. ad Leg. Jul. de Peculat.* tamen hodie etiam in Foro Civili vi *Constitutionis Criminalis Caroli V. art.* 172. *Sacrilegium* accipitur juxta sensum Canonicum. 54

55 Resp. II. Poena Criminis *Sacrilegii* alia est, quando cum alia siue violentia committitur, si cum violentia et effractione loci sacri committitur verum *Violatorem* Ecclesiae constituit, et poenam illius secum trahit, de qua vide supra *Tit. XVII. a num.* 42.

56 Resp. III. Si absque effractione committitur, de Jure Canonico poenam Excommunicationis, non quidem ipso facto, sed ferendam incurrit, a qua tamen *Sacrilegus* absolvi nequit, donec plene satisfaciat, *arg. c. fin. h. t.* et *c. Conquestus.* 16. *de foro competent.* ibi: *Cum autem valde sit iniquum, ut ea, quae collata sunt, pro remedio peccatorum venerabilibus Ecclesiis, vel relicta, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari, propter quod merito invasores ipsarum rerum tanquam Sacrilegi sunt Anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi.*

57 De Jure Civili autem poena *Sacrilegii* est, quam supra *tit. XVII. nu.* 44. et 45. allegavimus: praeterquam, quod cunctis etiam poenis *furti h. t.* enumeratis subjaceat.

58 Quaeritur V. Quid sit, et quibus poenis subjaceat *Plagium*? Resp. I. *Plagium* est Crimen publicum, quo quis dolose surripit hominem sui Juris existentem, vel servum alienum, sive detineat illum, vel vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo dominium rerum transfertur, alii tradat, *L. 1. et seqq. ff. ad Leg. Fabiam de Plagiariis* Quod Crimen, si homo sui Juris subripitur, non est proprie *furtum*, quia libera persona sub nullius dominio, §. *Item Juris Institut. de Inut. Stipulat.* Si vero proles sub patria potestate constituta ita subripitur, verum *furtum* est, §. *Interdum. Instit. de Obligat. quae ex delict.* Indeque patri actio furti competit, *l. Eum qui.* 14. §. *si Filius Familias. ff. h. t.* Non item Matri utpote potestate in prolem carenti, *l. Mater.* 38. *ff. eod.*

59 Resp. II. Poena *Plagii* olim erat poena pecuniaria *l. fin. ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiar.* Hodierno autem Jure est poena mortis, *c. 1. h. t.* ibi: *Qui furatur hominem et vendiderit, morte moriatur.* juncta *l. Quoniam.* 7. et *l. fin. C. ad Leg. Fabiam. de Plagiar.* quae tamen interdum in mitiorem, puta, poenam metalli, et exilii mutatur *cit. l. fin. ff. eod.* et §. *Est et in.* ibi: *Est et inter publica judicia ex lege Flavia de Plagiariis, quae interdum capitis poenam ex sacris Constitutionibus irrogat, interdum autem mitiorem.*

Quaeritur VI. Quid? et quibus poenis subjectum sit *Abigeatus*? Resp. I. Crimen *Abigeatus* est quaedam species *furti*, vel quasi *furti*, quod committunt *Abigei*, id est illi, qui *pecora ex pascuis, vel armentis subtrahunt, et quodammodo depraedantur, et abigendi studium quasi artem exercent equos de gregibus, vel oves de armentis abducentes.* Ita in terminis habetur *l. 1. ff. de Abigeis* Porro licet abductio unius equi aut bovis *Abigeatum* constituat, tamen *Abigeus* non est, sed simplex *Fur*, qui de grege ovium minus quam decem, et de grege porcorum minus, quam quinque abducit, textu expresso *l. fin. ff. h. t.*

60 Resp. II. Poena *Abigeatus* de Jure communi varia est, pro varietate circumstantiarum delicti, et personae, ita ut subinde ad gladium, subinde ad metallum, subinde ad bestias damnentur, subinde relegentur *l. 1. et 2. ff. de Abigeis*, hodierna tamen consuetudine puniuntur ut *Fures*, prout ad dictas Leges magis declarant Doctores.

61 Quaeritur VII. Quid sit? et quas poenas secum trahat *Peculatus*? Resp. I. *Peculatus* est species *furti*, quo pecunia, seu ad aerarium publicum, aut Fiscum Principis pertinens, vel pecunia sacra, aut Religiosa subripitur ab eo, cujus fidei non est commissa, *L. 1. L. Lege 4. princ. et §. fin. l. Sacrilegi. §. Labeo ff. ad Leg. Juliam. Peculat. et §. 9. Instit. de Public. Judic.*

Resp. II. Poena *Peculatus* est vel pecuniaria, et quidem quadruplum *l. Sacrilegii poenam. 6. in fine*, *et l. Is qui.* 13. *ff. eod.* vel alia praesertim Deportatio, *l. Peculatus. 3. ff. eod.* vel etiam ultimum supplicium, si hujus Criminis rei sunt Judices, et Magistratus: qua poena etiam afficiuntur, qui his ministerium ad Crimen exhibent, vel subtractas pecunias ab illis scienter acceperint. §. *Item Lex Julia Peculatus. 11. Instit. de Public. Judic. et L. un. C. de Crimine Peculatus.* Hodie etiam poena *furti* puniuntur. 62

Quaeritur VIII. Quid sit? et quas poenas habeat Crimen de *Residuis*? Resp. I. Est delictum publicum, quo pecunia ad certum usum non erogatur, sed vel retinetur, vel in alium usum convertitur *l. 2. et l. Lege Julia, 4. §. 3. ff. ad Leg. Jul. Peculatus.* 63

Resp. II. Poena Criminis de *Residuis* est, quod praeter infamiam cunctis Criminibus publicis debitam *l. Infamem. 7. ff. de public. Judic.* debeat restituere amplius tertiam partem rei iniquae detentae, vel non debite erogatae, ita, ut qui 90. florenos male erogavit, 120. florenos restituere debeat, *l. Lege Julia. 4. ff. ad Leg. Jul. Peculatus,* ibi: *Qua lege damnatus amplius tertia parte, quam debet, punitur.* 64

Quaeritur IX. Quid sit Crimen *expilatae Haereditatis*? et quae poena illius? Resp. I. Esse Crimen, quo quis ante vel post aditam, sed nondum possessam haereditatem, rem haereditariam mobilem surripit; quia talis censetur reus Furti, *L. His enim. 70. ff. h. t.* Poena illius est arbitraria pro diversitate circumstantiarum infligenda, *L. 1. l. Divus. 3. ff. Expilatae haereditatis.* 65

Quaeritur X. Quid sit sepulchri violatio? et qualiter punietur? Resp. Est Crimen, quo quis sepulchrum non tantum violat, sed etiam inde monumenta, vel alia aufert, vel cadavera effodit, et spoliat, *l. Si sepulchrum. 2. et l. Praetor ait. 3. ff. De sepulchro violato.* 66

Resp. II. Poena hujus Criminis praeter infamiam, *l. 1. ff. eod.* statuta est arbitraria, et subinde etiam Capitalis, praesertim, si corpora, vel ossa eruantur *l. Praetor ait. 3. l. fin. ff. eod.* ibi: *Rei sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humiliores quidem fortuna ultimo supplicio afficiantur, honestiores in Insulam deportantur: alias autem relegantur, aut ad metallum damnantur.* 67

Quaeritur XI. Quid sit? et qua poena afficiatur *Amotio termini*? Resp. Est Crimen, quo quis terminos vel lapides finales *Granitzstein, oder Marcksaulen, oder Stocken* dolose eruit, aufert, aut mutat, vel ut praecise noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, et suo adjiciat: cujus criminis poena est vel pecuniaria 50. aureorum *l. Leg. Agraria. ff. Termino amoto* vel etiam relegatio, aut fustigatio illorum, *qui occupandorum aliorum finium causa id admiserint*, *l. Divus Hadrianus. ff. eod.* 68

TITULUS XIX.

De Usuris.

1 *Ratio Continuationis.*

Usura vitium est affine rapinae, et Furto: nam ut dicitur *can. Si quis. can. 14. q. 4. si quis usuram acceperit, rapinam facit, vita non vivit.* Quod tamen cum Glossa intellige de rapina large accepta, et prout sumitur pro qualibet injusta usurpatione, *arg. can. Meretrices. cau. 32. quaest. 4.* 1

Igitur post Titulos de *Raptoribus*, *et Furtis*, recte agitur de *usuris*: quae materia cum proprie sit Canonica, et non nihil prolixior, recte in quosdam Paragraphos dividitur.

§. I.

De Natura et Divisione Usurae.

SUMMARIUM.

1 Usura *varie accipitur.*
3 *Proprie accepta definitur.*
4 *Est lucrum vi solius mutui proveniens.*
6 *Ubi nomine Lucri intelligitur omne, quidquid est pretio aestimabile etiam obsequio, obligationes, remissiones harum* etc.
6 Usura *alia est* mentalis, *alia* realis.
7 Realis *alia* expressa, *alia* palliata.
8 Usurae *aliae sunt* centesimae, *aliae* bessales, *aliae* semissae, quintunces, quadrantes, trientes: *Et num. seq.*
10 *Aliae* simplices, *aliae* usurae *usurarum.*
11 *Aliae* compensatoriae, seu restauratoriae, *aliae* poenitoriae, *seu* moratoriae, *aliae* lucrativae.
12 *De* compensatoriis, *et* punitoriis, *Remissive.*

1 *Usura* juxta nominis Etymologiam dicitur ab *usu*, sicuti *cultura* a *cultu*; ideoque in genere significat alicujus rei. Sic homo dicitur accepisse *usuram* praesentis vitae etc. Deinde accipitur *usura* pro commodo, seu fructu ex usu rei proveniente, prout Cicero Libro de Senectute ait: *Terra nunquam sine usura reddit, quod accipit.* Tertio, et magis ad propositum *usura* sumitur vel pro lucro ex mutuo, indeque *lucratoria usura* vocatur: et alio nomine etiam *Foenus* dicitur, vel pro ipsamet conventione seu contractu *usurario*, et sic loquendo de *usura* proprie dicta, seu lucratione.

3 Quaeritur I. Quid sit *usura*? Resp. cum Communi, dicendo: *usura est lucrum immediate ex mutuo proveniens*, dum videlicet Creditor ultra sortem vi solius mutui alteri dati aliquid exigit, et quasi ex justitia debitum accipit, *arg. can. Plerique. 3. et can. fin. cau. 14. q. 3.* Vel accipitur eam pro contractu; *usura* est mutuatio cum pacto expresso vel tacito accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ratione mutui.

4 Dicitur notanter, *ratione mutui*; sive ut alii loquuntur, *ex vi et causa mutui principaliter*. Quia *mutuum* est unica velut sedes usurae, per textum *in can. 1. et seqq. cau. q. 3.* et Doctores communiter: sicuti et textus S. Scripturae *nn.* 14. referendi, de solo *mutuo* loquuntur. Unde si quis lucrum acquirit ex locatione, conductione, liberalitate, seu gratitudine mutuatarii, *usura* non committitur

5 Porro sub nomine *Lucri* intelligitur quodlibet temporale, seu pretio aestimabile, quod ultra sortem mutuo datam accipitur, quasi ratione mutui ex justitia debitum; sive deinde illud sit pecunia, sive frumentum, vel alia res pretio aestimabilis, ut pluribus dicitur, *can. si foeneraveris, et seqq. can. 14. q. 3.* ubi dicitur, *usuram esse, quidquid ultra sortem recipit, sive sit pecunia, sive triticum, sive merces, sive quodcunque aliud.* Et hoc communiter etiam extendunt Doctores ad obligationem Civilem quidpiam ex debito seu pacto sibi praestandi *ratione mutui* v. g. apud se emendi merces, sibi vendendi, aut operas suas locandi, vel ut *Mutuatarius* Creditori praestet obsequium aliunde indebitum. Layman *Lib. 3. Tr. 4. cap. 16. numer. 2.* Palao *Tract. 32. Disp. 4. pun. 11. n. 2.* Ratio est; quia hujusmodi onera, et obligationes sunt pretio aestimabilia, adeoque vi solius mutui absque *usura* exigi non possunt.

Quaeritur II. Quotuplex sit *usura*? Resp. Eam varie dividi, et *primo* quidem in *mentalem*, et *realem*. *Usura mentalis* est, quando quis eo animo ac intentione dat *mutuum*, ut acquirat lucrum ex *mutuo* tanquam ex justitia debitum in compensationem illius, quamvis nullo interveniente pacto expresso vel tacito de *Lucro*. Quare *usura mentalis* non sumitur hic pro sola voluntate committendi *usuram*, prout praescindit ab omni actu externo (tale enim propositum potius est, et dicitur *usura interna*, quam usura mentalis) sed accipitur pro actu externo, quo *mutuum* datur cum spe et intentione accipiendi *lucrum* ex *mutuo*, quamvis sine ullo pacto externo, *arg. c. Consuluit h. t.* atque in simili explicavimus supra *Tit. III. n. 15. et 16. Simoniam mentalem.* *Usura Realis* econtra est, quando quis mutuat cum pacto expresso, vel tacito accipiendi ultra sortem *lucrum* ex *mutuo*. Navarrus *de usuris. nu. 10.* et Doctores communiter. 6

Deinde *usura realis* dividitur in *expressam*, et *tacitam*, seu palliatam. *Expressa* seu formalis et manifesta *usura* est, quando expresse exigitur pretium pro *mutuo* v. g. mutuo tibi centum florenos, eo pacto, ut post annum reddas mihi centum, et tot vel tot ultra. *Usura palliata* seu virtualis est, quae non committitur vi contractus *mutui* formalis ac expressi, sed alterius contractus nomine ac specie veluti pallio occultati: ut si Mercator ob solam dilationem solutionis pretii (secus si id fieret ratione lucri cessantis vel damni emergentis etc.) merces multo carius venderet; nam hoc in re aliud non esset, quam Emptori mutuam dare pecuniam, post aliquod tempus cum auctario recipiendam, quod reprobatur c. *In Civitate. de usuris.* 7

Tertio, *Usurae* dividi possunt pro diversa earum taxatione et moderatione. Hinc aliae dicuntur *Centesimae*, aliae *Bessales*, *Semisses*, *Quintunces*, *Quadrantes*, *Trientes*, prout appellantur *l. Eos qui C. de usuris*, et alibi. Caeterum quidnam sit *Usura centesima*? juxta quam caeterae suam sumunt interpretationem, variant Doctores. Et quidem Vallensis *h. t. §. 2. n. 4.* notat, quod veteres solebant stipulari *usuras in singulos* menses; ut quod *Centesima usura* fuerit illa, quando pro centum quolibet anno solvebantur duodecim, ita ut singulis mensibus solverentur pro centum florenis singuli floreni Unde quia *Bessales Usurae* sunt bes, seu octo unciae *Centesimae Usurae*, et *Usurae Semisses* sunt pars dimidia; *Quintunces*, quinque ejus unciae sive partes; et *quadrantes* quatuor, trientes, tres: mox patebit, quantam juxta hanc supputationem faciant, seu reddant dictae *usurae* per singulos annos; nam illae reddunt octo pro centum, istae vero sex, quinque, quatuor, tria etc. 8

Econtra Hostiensis, et cum eo Fagnanus *in c. Naviganti. h. t. n.* 6 item Glossa *in l. eos qui. C. de usuris. §. Tertiam partem*, et alibi, atque etiam Vocabularium Juris §. *Usura*, docent, quod secundum Jus commune *Usura Centesima* sit ea, quae intra annum aequiparatur sorti. Quae quidem interpretatio fundatur *in l. Nihil interest. ff. de Foenore nautico*, ibi. *Ad finem non ultra duplum centesimae debetur* Ubi Glossa ait: *Duplum connumerata summa sortis cum usuris in fine anni.* Unde juxta hanc supputationem etiam aliae *usurae*, de quibus fit mentio in Jure Civili, reddunt magnam quantitatem videlicet *Bessales* pro centum sexaginta sex; *Semisses* quinquaginta, et sic loquendo de caeteris Clarius loquitur Glossa *in Auth. de Alienat. §. Centesima*, ibi *Centesima dicitur, quae anno sorti aequiparatur, quasi rotunda, ut centenarius numerus est rotundus* Quarta *Centesimae* ergo dicitur, quae quatuor annis aequiparatur. et sic si bene computas; 9

fecit quinque denarios pro qualibet libra, et quolibet mense. Adde Glossam, *Auth. Hoc jus porrectum* §. *Centesima. de SS. Ecclesiis.*

10 *Quarto*: *Usurae* aliae *simplices*, aliae *usurae usurarum* vocantur: *Simplices* sunt, de quibus hactenus diximus. *Usurae usurarum* vero, quae ex usura seu lucro usurario non soluto, ceu nova sorte exiguntur, ut dum quis v. g. 1000. florenos, pro 50. annuatim solvendis in *mutuum* dat, et de istis 50. florenis debito tempore non solutis cen summa Capitali, praeter priorem novas *usuras* v. g. unum florenum cum dimidio annuatim exigit; de qua *usura* magis infra §. *seq. a n.* 26.

11 Denique *usurae* aliae sunt, et vocantur *compensatoriae*; aliae *lucratoriae*. *Usurae compensatoriae* dicuntur, in quibus pactum fuit de solvenda ultra sortem pecunia, vel alia re pretio aestimabili, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, aut rationa periculi, laboris, seu expensarum, quae probabiliter subeunda erant in *mutuo* recuperando. Et hae *usurae* sunt licitae: quia id, quod datur ultra sortem principalem, non datur praecise ratione *mutui*, sed ex alio justo titulo, ac per modum cujusdam *Interesse*, ut amplius infra indicabimus §. *IV*. Agendo de Titulis excusantibus ab *usura illicita*. *Usurae punitoriae* sunt, in quibus pactum fit de solvenda poena, v. g. pecuniaria ultra sortem praestanda, et *mutuatarius* in mora fuerit, non reddendo mutuum tempore statuto. *Usura lucratoria* dicitur, quae continet aliquod *lucrum* temporale, causa et nomine solius *mutui* principaliter exactum. Et de hisce *lucratoriis*, tanquam propriis *usuris* ex professo hic loquimur, simulque de eisdem intelligendi sunt quando absolute loquuntur de *usuris* Doctores.

12 De *Compensatoriis* seu *restauratoriis* autem, et *punitoriis* seu *moratoriis usuris* utpote plerumque licitis, adeoque minus propriis, speciales §§. instituemus infra, postquam de *lucratoriis* seu propriis sufficienter agimus.

§. II.

De Prohibitione, et Malitia Usurae proprie dictae seu lucratoriae.

SUMMARIUM.

13 Usurae *sunt prohibitae Jure Ecclesiastico*,
14 *Et Divino.*
15 *Solvitur instantia.*
16 *Sunt etiam prohibitae Jure naturali.*
17 *Probatur ratione.*
18 Solvitur instantia: Et tribus num. seqq.
22 *Proponitur, et solvitur objectio ex Scriptura: Et duobus num. seqq.*
25 *Nemo censetur omnino libere solvere* Usuras.
26 *Usurae usurarum prohibitae sunt Jure Divino, humano Ecclesiastico.*
27 *Ac etiam Civili.*
28 *Ita, ut nondum solutae nulla stipulatione licite aut debite fieri valeant, ac vi stipulationis solutae repeti rursus possint.*
29 *Si sunt* Lucratoriae; *imo etiam* Compensatoriae *de Jure Civili: non item Divino.*
30 *Postquam* Usurae *jam sunt solutae in Jure Civili denuo dari mutuo per modum sortis pro nova* Usura *non prohibentur.*
31 *Bene vero de Jure Divino, et Ecclesiastico, si sunt* Lucratoriae.
32 *Objicitur, et solvitur objectio, ac n. seq.*

Quaeritur I. An et quo Jure *Usurae*, seu lucrum ex mutuo immediate proveniens, sint prohibitae? Resp. Certum est, *Usuras* non tantum Jure humano Ecclesiastico, sed etiam Divino prohibitas esse. Ita communis Catholicorum Doctorum, contra Carolum Molinaeum *Tract. de Commerciis.* 7. et 11. moderatas *usuras* tanquam licitas admittentem. Et quidem *prima* pars de Jure Ecclesiastico passim constat ex *SS. Canonibus*, ut *can. quoniam* 2. *dist.* 37. *can. Apost.* 43. *Concil. Nicaen. cap.* 15. Item ex *cunctis Decretis*, *Constitutionibus*, *Rescriptis Pontificiis*, *tam quinti*, *quam sexti Decretalium*, *et Clementinarum h. t.* Ubi non solum *usurae* sub gravissimis poenis infra enumerandis prohibentur, sed etiam *c. Super eo h. t.* expresse dicitur, quod *usurarum Crimen utriusque Testamenti pagina detestetur*. Quin imo pertinaciter asserens, exercere *usuras* non esse peccatum, veluti Haereticus puniendus est, ut habetur *in Clem. un. de usuris*, ibi: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuram non esse peccatum, decernimus eum ut Haereticum puniendum.* 13

14 *Altera* vero pars de Jure Divino clare desumitur ex S. Scriptura. Nam *Levitici cap.* 25. dicitur: *Ne accipias usuras ab eo, neque amplius quam dedisti.* Et infra: *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram.* Item *Psalm.* 14. laudatur, *qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Similiter *Ezech. cap.* 18. dicitur inter alia, quae ad virum justum requiruntur: *Si usuram et superabundantiam non acceperit.* Econtra vero ibidem numerat Propheta inter Peccatores, *ad usuram dantem, et amplius accipientem.* Item *ibid. Quod si genuerit filium ad usuram dantem, et amplius accipientem, nunquid vivet; non vivet*; et *Psalm.* 54. *Vidi iniquitatem in civitate, non defecit in plateis ejus usura, et dolus.* Tandem ut plures similes auctoritates omittantur, ipsemet Christus Dominus *Luc.* 6. ait: *Bene facite, et mutuum date; nihil inde sperantes.* Quae verba licet quoad *primam* partem contineant consilium, quoad *posteriorem* vero contineut praeceptum, atque excludunt etiam *usuram mentalem*, prout patet ex aliis S. Scripturae locis: ubi similis textus habetur, v. g. *Psal.* 75. ibi: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro*: ubi *prima* pars consilium; *secunda* vero praeceptum continet.

Nec obstat *Parabola* a Christo Domino adducta *Luc.* 9. ubi servo nequam recondenti pecuniam in sudario suo exprobravit Paterfamilias, quod eam non dederit nummulariis, hac addita ratione: *Et ego veniens cum usuris exegissem eam*, id est, pecuniam mutuatam. Resp. cum D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *Usuram* ibi sumi metaphorice seu parabolice pro augmento et super accrescentia bonorum Spiritualium, seu bona applicatione talentorum nobis a Deo concessorum. Vel dic, illud in parabolis esse a Christo Domino propositum: ut sicut alibi per parabolam Villici iniquitatis, et fraudantis Dominum suum *Luc.* 16. Christus nos excitavit, ut faceremus nobis amicos in Coelis de Mammona iniquitatis, nequaquam tamen permisit fraudes. Ita et hic ex facto hominum mundanorum nos commonefecit ad procreandas nobis spirituales *usuras*, semper in nobis proficiendo, non tamen idcirco *usuras* mundanas approbavit. 15

Quaeritur II. An *usurae* sint etiam Jure naturali illicitae ac prohibitae? Resp. *Affirmative*: idque tenent Doctores communiter. Siquidem Patres, Concilia, ac SS. Pontifices passim probant de veteri testamento *usuras* esse illicitas, atqui haec probatio non subsisteret, nisi usurae Jure naturali essent illi- 16

sitae, cum praecepta Caeremonialia, et Judicialia veteris Legis non amplius obligent post Christi mortem, sed moralia tantum, quae ad Decalogum spectant, et Jure naturali obligant. Hinc neque Papa potest dispensare in *usuris*, ut dicitur c. *Super eo. h. t.* ibi: *Cum usurarum Crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus, quia, cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri; multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita Captivi, usurarum crimine involvatur.* Nota ly *multo magis*. ergo non minus ac mendacium *usura* est Jure naturali prohibita.

17 Ratio etiam hujus est, quam affert Doctor subtilis *4. dist. 15. q. un. §. De secundo Articulo ¶. De ultimo contractu etc.* Quia dum exigitur *usura* seu lucrum ex *mutuo*, vel exigitur lucrum pro ipsa sorte principali, vel pro usu ejus, sed neutrum absque injustitia fieri potest; ergo. *Min.* probatur. Nam inprimis non potest exigi lucrum ex *mutuo* pro ipsa sorte; quia justitia commutativa desiderat aequalitatem in contractibus, neque permittit, ut idem bis vel saepius teneatur quis restituere: atqui si hodie 110. floreni mutuo accipiantur, et post annum centum restituantur, habetur dicta aequalitas: ergo justitiae repugnat, quod teneatur quis restituere aliquid ultra centum aut succedentibus temporibus his centum et amplius.

18 Neque potest dici, quod in *mutuo* pro usu sortis, v. g. pecuniae mutuatae possit exigi lucrum; quia usus seu utilitas rei pertinet ad Dominum: atqui *mutuatarius* vi *mutui* factus est Dominus rei mutuatae (mutuum enim ideo appellatur, *quod de meo tuum fit*, ut habetur *l. 2 ff. Si certum petatur*) ergo contrariatur justitiae, quod *mutuatarius* teneatur *mutuanti* quid solvere pro usu, rei mutuatae, utpote ad se jam spectantis, et non amplius ad *mutuantem*. Uno verbo, Exigens *usuras*, vel petit eandem rem sibi saepius restitui, vel exigit aliud pro eo, quod non est suum: horum autem quodlibet continet manifestam injustitiam, et repugnat Juri naturali; ergo

19 Confirmatur. Pecunia, frumentum, vinum, et aliae hujusmodi res, in quibus *mutuum* consistit, sunt in se ipsis steriles ac infrugiferae; ergo injustum est, pro earum usu, seu fructu aliquid exigere. *Ant.* probatur. Res frugifera dicitur, ex qua permanente usus vel fructus, seu commoditas percipi, atque ab ea separari potest, veluti inhabitatio ex domo, fructus ex agro, lac ac vitulus ex vacca. Atqui hoc non fit in pecunia, frumento, vino, ac similibus rebus fungibilibus, seu quae ipso usu consumuntur, ut patet et habetur etiam *l. Ad Senatus consultum. ff. De usufructu earum rerum, quae usu absumuntur*; ergo. Hinc etiam Aristoteles lumine naturali edoctus *lib. 1. Politic. c. 7.* ait: *Maxime praeter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in foenore nummus nummum pariat.*

20 Et proxime dictis patet etiam ratio, cur in *locatione* possit exigi lucrum, non vero in *mutuo*. Disparitas enim maxima est; quia inprimis *locatio* est talium rerum, in quibus usus rei non est ipsamet absumptio rei, sed quae permanenter usum atque utilitatem afferunt; ut patet in locatione domus, agri, equi ad equitandum, et hujusmodi. Secus fit in *mutuo*, quod non nisi in rebus fungibilibus, seu usu consumptibilibus consistit, v. g. in pecunia, vino, frumento, et similibus; et cum horum usus (intellige de usu *juris*, non de simplici usu facti) separari nequeat a re ipsa, ejusque dominio, non nisi injuste aliud pretium exigeretur pro re ipsa ejusque dominio, aliud pro usu ipsius.

21 Deinde in contractu *locationis* manet locator adhuc dominus rei locatae, ejusque retinet dominium, *l. non solet. ff. locati.* et consequenter utilitas rei locatae etiam ipsum respicere debet, secus est in mutuo, ubi ex meo tuum fit, et mutuans non amplius retinet dominium rei mutuatae. Unde patet, quod *mutuum* ex natura sua postulat fieri gratis, id est, non plus petendo si *mutui*, ac datum est, prout amplius declarabimus infra §. 4. et *seqq.*

Objicies autem *primo*, contra hactenus dicta. Deus concessit olim Judaeis *usuras*, *Deuter.* 23. dicens: *Non foenerabaris fratri tuo ad usuram, sed alieno;* ergo *usurae* non sunt intrinsece malae, neque prohibitae Jure naturali, cum in hoc nequeat Deus dispensare, ut patet in mendacio. Resp. Doctores dupliciter. Et *primo* quidem dicunt cum D. Thoma 2 2. q. 78. art. 1. Judaeis non fuisse ibi concessum exercere *usuras* erga alienigenas tanquam licitum, sed duntaxat permissum tanquam minus malum, et ad evitandum majus malum; ne scilicet a suis fratribus indigentibus *usuras* extorquerent, cum fuerint multum avaritiae dediti. 22

Nec obstat, quod *usurarum* exactio videatur Judaeis Deum colentibus permitti in praemium. *Deuter.* 28. *Foenerabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies.* Resp. enim citatus D. Angelicus, ibidem *Foenus* large accipi pro *mutuo*: promittitur enim Judaeis in praemium abundantia divitiarum, ex qua contingit, quod aliis mutuare possint. 23

Secundo, et ut arbitror melius, respondent alii, Judaeis fuisse licitum exercere *usuras* erga alienigenas utpote hostes suos, et eo modo, quo eis concessum fuit *Exodi* 12. Ut Ægyptios spoliarent vasis aureis et argenteis, ac vestibus pretiosis sibi commodatis: quatenus nempe Deus, qui est universorum Dominus, dedit Judaeis dominium in bona Ægyptiorum injuste se gravantium, atque in alia bona Alienigenarum utpote hostium suorum, quos proinde juste poterant spoliare rebus suis per *usuras* ratione mutui dati, cum res illae jam fuerint suae ratione dominii sibi a Deo concessi. Unde sicut Judaei spoliando Ægyptios revera non commiserunt *furtum*, ita neque perpetrarunt *usuram* accipiendo foenus pro mutuo ab alienigenis. Concordat textus *can. Ab illo.* 14. *quaest.* 4. ubi D. Ambrosius refertur dicens: *Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere: sine ferro dimicat, qui usuram flagitat.* Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus *usurae*. 24

Objicies *secundo*: *Usuras* exercens nemini infert injuriam, aut dolum; ergo nullam committit injustitiam. *Ant.* patet; quia *usurae*, seu lucrum *usurarum* a mutuatario volente, et libere consentiente promittuntur, ac solvuntur: *Scienti autem non fit injuria, neque dolus*, c. *Scient.* 27. *de Reg. Jur. in 6.* Cum Concordantiis. Resp. negando *Ant.* Ad probationem dico, *mutuatarium* non omnino libere, sed invitum, et quodammodo coactum solvere, eo quod *mutuum*, quo necessario indiget, obtinere non valeat, nisi usuras nullo titulo debitas solvat: qui alias suum sponte et libere jactare non praesumitur, *l. Cum de indebito. ff. de Probat.* 25

Quaeritur III. De *usuris usurarum* in specie an? et qualiter sint prohibitae? Quid sint *usurae usurarum*? notum suppone ex dictis supra *num.* 10. Quo supposito, Resp. I. *Usurae usurarum* lucratoriae non solum Jure Divino naturali, et Ecclesiastico, sed etiam Civili sunt prohibitae. *Prima* pars de Jure Divino naturali, et Ecclesiastico patet ex dictis supra *num.* 13. Cum enim praefato Jure simplex *usura lucratoria* sit prohibita, multo magis prohibitae erunt *usurae usurarum lucratoriae*, utpote duplicem iniquitatem 26.

usurarum de sorte scilicet, et de usura importantes, probibitae erunt.

27 *Altera* pars de Jure Civili tenetur etiam ab omnibus et clarissime patet ex diversis Juris textibus, ut *l. Placuit.* 20. *ff. h. t. l. Improbum.* 20. *C. Ex quibus causis infamia irrogatur*, ibi: *Improbum foenus exercentibus, et usuras usurarum illicite exigentibus infamiae macula irroganda est.* Item *l. Ut nullo modo.* 28. *C. h. t.* ibi: *ut nullo modo usurae usurarum a debitoribus exigantur, et veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum est. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras praeteriti temporis vel futuri, in sortem redigere, et earum iterum usuras stipulari, sed et si hoc fuerit subsecutum, usuras semper usuras manere, et nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquae tantummodo incrementum usurarum accedere.*

28 Resp. II. *Usurae usurarum lucratoriae* necdum solutae, omni etiam Civili Jure adeo sunt prohibitae, ut neque per specialem stipulationem, et credendi modum in sortem seu summam Capitalem redigi, et de iis novae *usurae*, sicque *usurae usurarum* exigi possint, v. g. nec licita, nec valida est stipulatio, vel credendi modus sequens (qui dicitur *Anatocismus*) quo Creditor dicit: *usuram* 50. florenorum, quam de mille florenis creditis debitam hoc anno non solvisti, tibi etiam mutuo dabo vel relinquam, ita tamen ut in sortem redigatur, et de illa quoque proportionata annuatim reddatur *usura*, videlicet duo floreni cum dimidio, utamsi debitor annuat, et promittat; vel ipsemet talem stipulationem cum Creditore ineat, et perficiat: unde etsi talem stipulationem debitor faciat, tamen ad solvendas *usuras* usurarum non tenetur; ut, si eas solvit *Condictione indebiti*, iterum repetere potest, uti contra Moevium *p.* 4. *Decisione* 213. recte tenet Brunnemann. *in l. fin. C. de usuris. nu.* 2. Roderic. *de Reddit. ann. lib.* 3. *cap.* 7. *nu.* 27. et alii, idque probatur per textum satis clarum *l. Si non sortem.* 26 *ff. de Condictione indebiti*, §. 1. ibi: *Usurarum usurae nec in stipulatum deduci nec exigi possunt, et solutae repetantur, quemadmodum futurarum usurarum usurae.* Item per Jura supra *n.* 27. citata, praesertim vero per textum *l. ut nullo modo* 28. *C. h. t.* ibidem allegatam, ut legenti patet, omnes ingeniosae avaritiae, et ambages stipulantium et exigentium *usurae usurarum* manifeste sublatae sunt.

29 Dicitur autem notanter in utraque Conclusione, *usurarum usurae lucratoriae*: quia *usurae usurarum compensatoriae*, seu *restauratoriae* ob lucrum cessans, vel damnum emergens etc. Juri Divino naturali adversari non videntur, juxta dicenda infra §. 4. bene tamen Juri Civili, cum leges ad *usuras usurarum* penitus delendas prorsus nullum casum exigendi *usuras usurarum* admittant, per leges et textus supra *num.* 27. citatos, et *l. Sancimus.* 3. *C. de usuris rei judicatae.* ibi: *Cum enim jam constituimus, usuras usurarum penitus delendas, nullum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio possit induci.*

30 Dicitur ulterius in conclusione *num.* 28. posita, *usurae lucratoriae necdum solutae*; quia postquam mutuatarius *usuras* pro sorte pactas, v. g. 50. pro 1000. florenis acta jam solvit, Creditor dictos 50. florenos tanquam sortem, seu summam Capitalem novam eidem Debitori denuo mutuos dare, et ab eis tanquam a sorte *usuras* exigere de Jure Civili non prohibetur. Ratio est; quia in tali casu *usurae jam solutae*, et rursus mutuo datae exuunt naturam *usurae*, et induunt veram naturam sortis principalis, etsi eidem mutuo dentur; cum non appareat: cur hujusmodi *usurae jam solutae* alteri tanquam sors principalis mutuo dari non possint, et non eidem, qui eas prius solvit.

Verum quamvis hujusmodi *usuras jam solutas*, eidem tanquam sortem principalem denuo mutuo dare, et ab eis *usuram* exigere non prohibeatur de Jure Civili, prohibetur tamen Jure Divino, et Ecclesiastico, si sunt *lucratoriae*, per dicta supra *a n.* 13. Secus si sunt *compensatoriae*, aut *punitoriae*. 31

Sed objicies contra conclusionem num. 28. positam: juxta dicta est licitum de Jure Civili *usuras jam solutas* eidem tanquam sortem principalem denuo dare mutuo, et ab ea *usuras* exigere: ergo licebit etiam easdem *usuras jam debitas*, et *nondum solutas* Debitori relinquere, ac tanquam novam sortem *brevi manu*, ut vocant, credere, seu mutuo dare, atque *usuras* novas inde exigere: cum non appareat, cur prius et non etiam istud posterius liceat. Resp. concesso Ant. negando *consequentiam*, et paritatem; quia tam ex parte Creditoris, quam Debitoris magnum discrimen est inter hos duos casus; cum Creditor pecuniam nondum visam longe facilius mutuo det, seu potius relinquat pro novis *usuras usurarum* promittere, quam *usuras simplices* acin solvere. Ob quam causam debitores *usuris* facile opprimerentur, ut bene observat Brunneman. *in l. fin. C. h. t. numer.* 2. et alii. 32

Objicies *secundo.* Quando quis ad solvendas certas *usuras* condemnatur, praefixo tempore illas non solvit, potest Creditor de Jure ab illo tempore de hujusmodi *usuris*, quasi in sortem redactis novas *usuras* exigere, prout teste Fagnano *de Erroribus pragm. Decad.* 10. *Errore* 1. passim volunt *Pragmatici*; ergo possunt etiam *usurae nondum solutae* debitori rursus credi, et ab eis in sortem redactis *usura* exigi. Resp. negando *antecedens*; quia etsi aliquis tam ad *usuras*, quam ad sortem principalem certo tempore condemnetur, tamen elapso termino solum de sorte, minime vero de *usuris nondum solutis* novas usuras solvere de Jure Civili adigitur, prout clare sancitum habetur *l. Sancimus.* 3. *princ. C. de usuris rei judicatae*, ibi: *Sancimus, si quis condemnatus fuerit post datas a nobis quadrimestres inducias centesimas, quidem usuras secundum naturam judicati eum compelli solvere, sed tantummodo sortis, et non usurarum, quae ex pristino contractu in condemnationem deductae sunt. Cum enim jam constituimus usurarum usuras penitus esse delendas, nullum casum relinquimus, ex quo hujusmodi machinatio possit induci.* 33

§. III.

An? et quomodo de Jure Civili, vel auctoritate Principis, vel statuto, aut consuetudine usurae proprie tales, seu Lucratoriae de facto sint, aut fieri possint licitae? ubi etiam in specie de consuetudine Germaniae, dandi et exigendi quinque pro centum, nullo attento, vel desiderato titulo.

SUMMARIUM.

34 *In hoc Paragrapho non est quaestio de usuris usurarum, sed simplicibus.*

35 *Usurae propriae tales an sint prohibitae Jure Civili? variae sunt Doctorum sententiae? Et numer. seq.*

36 *Sententia affirmativa proponitur.*

37 *Et impugnantur.*
38 *Alii volunt per Leges Civiles tantum tolerari, non item approbari* usuram.
39 *Impugnatur haec doctrina.*
40 *Alii docent, Jure Civili tantum permitti* usuras compensatorias, *non vero* lucratorias.
41 *Etiam haec doctrina refutatur.*
42 *Juxta alios, Leges Civiles permittentes* usuram *fundantur in praesumptione justi tituli.*
43 *Certum est, quod si* usurae *per Leges Civiles sint permissae, uti videtur, per Canones fuerint correctae.*
44 *Utrum auctoritate supremi Principi per novam legem licitae fieri possint* usurae? *proponitur ratio dubitandi.*
45 *Et affirmandi.*
46 *Supremus legislator potest condere legem, ne excedatur in usuris, nullo autem modo potest eas facere licitas.*
47 *Probatur ratione.*
48 *Respondetur ad rationes in contrarium.*
49 *Praesertim ad desumptam a paritate in praescriptione.*
50 *Solvitur alia objectio.*
51 *Objiciuntur Recessus Imperii*
52 *Respondetur ad illos, et ex iisdem probatur Conclusio.*
53 *Respondetur ad consuetudinem Germaniae* usuram *quinque pro centum exigentem, atque ad finem hujus §.*
54 *Nulla consuetudine usura potest reddi licita.*
55 *Praxis et consuetudo Germaniae, ubi quinque annuatim exiguntur pro centum mutuo datis, valida, est in utroque Foro, casu quo intervenit lucrum cessans, vel damnum emergens, aut periculum sortis.*
56 *Imo in foro externo valet ubique omni justo titulo.*
57 *Non item in foro interna, juxta plerosque Doctores.*
58 *Cum nec vigore consuetudinis.*
59 *Nec auctoritate supremi Principis.*
60 *Consequenter nulla ratione id licitum fieri possit in foro interno.*
61 *Nec tamen exinde sequitur, quod propterea innumeri Germani versentur in statu peccati mortalis: Et n. seq*
63 *Bene vero aliqui, juxta communem Doctorum.*
64 *Quibus etiam probabilis non videtur sententia praxin Germaniae pro foro interno probans.*

34 Notandum prius, hic tantum esse sermonem de *usuris lucrativis* simplicibus, non vero de *usuris usurarum*; quia has etiam Jure Civili penitus esse prohibitas, jam satis ostendimus §. *procedent. a n.* 26. *H. N.*

35 Quaeritur I. *An usurae proprie tales*, seu *lucrativae* de facto permissae, et licitae censeantur de Jure Civili. Ratio dubitandi, ut affirmativam tenendi desumitur inprimis ex *l. Placuit. ff. de usuris*, ibi: *Placuit, licitas usuras posse peti.* Concordat *l. Eos qui C. eod.* ubi juxta diversitatem personarum variae stipulari dicuntur *usurae centesimae* quidem in pecunia trajectitia, id est, ea, quae trans mare trajicitur periculo mutuantis: *Bessales* Mercatoribus: *Trientes* personis Illustribus; caeteris vero personis *Semisses* Omitto alios textus passim occurrentes in Jure Civili per integros Titulos *de usuris*, et *de Foenore nautico.*

36 Ante responsionem nota, de mente juris Civilis varias esse Doctorum sententias. Et quidem imprimis Glossa *in Auth. Ad haec C. de usuris.* ℣. *Cades.* post Joannem, et Azonem censet, quod quamvis de Jure Civili antiquo (propter textus proxime relatos) secus fuerit, tamen jure novo non solum in aliquibus, sed ex toto tollantur *usurae*. Probat hoc ex *Auth. de Ecclesiasticis titulis* §. 1. ubi Justinianus Imperator decrevit, servandas esse regulas sanctorum quatuor Conciliorum, easque vicem Legum obtinere: atqui *usurae* fuerunt prohibitae *in* Concilio Niceno, ut refertur *c. quoniam. dist.* 47. Et ideo, cum Authentica illa fuerit de suis ultimis, videtur Justinianus jam quasi poenituisse, quod alibi permiserat: Nam posteriora prioribus derogant. Ita discurrit allegata Glossa.

Sed contra hanc opinionem Glossa urget *primo*; 37
quia in locis *n.* 35. citatis expresse Julianus admittit *usuras*; ergo non sufficit, quod videatur easdem in citata Authentica tacite revocare: siquidem argumentum, a tacito non procedit, quando contrarium est expressum; praevalet enim tunc expressum contrario tacito, ut notat Covarruvias *l.* 3. *Variar. Resolut. cap.* 1. n. 6. apud P. Wagnereck *ad Rubricam h. t. circa finem.* Accedit, quod idem Justinianus rursum *in Auth. de usuris nauticis* (quae tamen est posterior *cit. Auth. de Ecclesiasticis titulis*) permittat *usuras nauticas*, atque in his antiquas Leges perpetuo observari velit.

Alii volunt, Jure Civili esse quidem *usuras* 38
permissas, in quantum eas non puait ad evitanda majora mala vel peccata, non tamen hoc jure eas esse approbatas tanquam licitas. Sicut in simili (inquiunt) lupanaria alicubi permittuntur, seu tolerantur tanquam minus malum ad evitanda majora, quae causabantur per Adulteria, Sodomiam, et hujusmodi, non tamen approbantur tanquam licita.

Sed contra hanc sententiam, pro qua nonnullos 39
Doctores tacito nomine citat Pirh. *h. t.* n. 10. fortiter urget: quia ad *usuras* exigendas Jure Civili conceditur actio, dummodo per stipulationem earum promissio facta probetur, ut habetur *l.* 1. *C. de usuris.* et alibi: ergo non potest dici, quod tolerentur solum.

Alii videntur velle, quod a Jure Civili solum 40
permittantur *usurae compensatoriae* (id est moderatae ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, aut alterius justi tituli) non autem *usurae lucratoriae*. Hinc Lessius *lib.* 2. *cap.* 32. ait, quod ad Juris consultos attinet, puto eos facile intellexisse *usuras* formaliter esse illicitas, tamen concessisse quasdam moderatas, tum ob bonum commune, tum quia saepe aliqui justi tituli interveniunt, de quibus plura inferius.

Sed contra urget: quia haec responsio vix potest 41
quadrare legibus Juris Civilis, *usuram centesimam* accipiamus in sensu Glossae, et Fagnani n. 9. declarat. Nam cum juxta *l. Eos qui. C. de usuris*, communibus hominibus permittatur stipulari *usuras semisses* (ut alios hominum status ibidem expressos taceamus) quis credat? homines vulgares solvere per annum sua pecunia lucrari quinquaginta pro centum.

Aliud dici potest de illis legibus, quibus per 42
modum *Interesse* permittuntur quinque tantum pro centum: idque ex praesumptione lucri cessantis, aut damni emergentis, prout Anno 1600. sub Rudolpho II. fuisse permissum, inter alios ostendit Engel *h. t. nu.* 10. Siquidem quilibet facile potest annuatim ex centum lucrari quinque, si pecuniam emendis praediis, vel alteri honesto negotio applicet. Verum tamen, licet quilibet justa dictam moderationem exigens *usuras* in Foro externo, et quantum ad incurrendas poenas ejus non censeatur *usurarius*, nihilo minus cur, et sub quibus tantum condi-

tionibus illud sit licitum in Foro conscientiae et coram Deo, ubi non ex praesumptione, sed ex veritate proceditur? dicetur infra. Quare dimissis aliorum opinionibus

43 Resp. Quamvis spectando genuinum diversarum legum sensum *usurae lucrativae* videantur non solum toleratae, sed etiam positive permissae, et quasi approbatae per leges supra allegatas, uti et per alias passim *ff.* et *C. h. t.* contentas; tamen vigore dicti Juris Civilis *usurae proprie tales* de facto in nullo Foro sunt licitae ex eo, quod Jus Civile quoad *usuras* ab ipso permissas sit correctum per Jus Canonicum. Siquidem *usuras* esse illicitas, habetur tum ex pluribus Canonibus *cau.* 14. *q.* 3. *et* 4. relatis, atque ex textibus hoc Titulo passim occurrentibus: Tum praesertim ex *Clem. un. h. t.* ubi sub poena Excommunicationis reprobantur quaecunque statuta, *in offensam Dei, et proximi et contra Jura Divina pariter et humana usurarum approbantia quodammodo pravitatem.* Quinimo subditur ibidem, quod pertinaciter asserens, exercere *usuras*, non esse peccatum, sit puniendus ut *haereticus*, juxta dicta *nu.* 13. Patet autem, ut amplius diximus in Procemio §. 12. *n.* 17. quod in iis, quae agunt de evitando peccato, seu concernunt salutem animarum, Jus Canonicum sit observandum in omni Foro. Et haec sententia dicens, *usuras* a Jure Civili olim positive fuisse permissas, est communior inter Doctores. Quod autem casu, quo fuerint permissae, a Jure Canonico fuerint correctae, consequenter pro nullo Foro amplius valeant, est communissima, ac videtur certa, per Jura allegata.

44 Quaeritur II. Utrum auctoritate supremi Legislatoris Civilis per novam legem universalem, vel auctoritate alterius Principis per statutum locale in suo territorio possint *usurae* reddi licitae? Ratio dubitandi est; quia Imperator, aut alius Princeps Supremus potest per communem statutum, legem, aut etiam rescriptum, ex causa justa et publica auferre Jus alicujus privati, ac illud transferre in tertium; ergo id etiam poterit fieri per legem communem de concessione *moderatarum usurarum* ratione *mutui* statutam, transferendo sic bona unius in alium. *Ant.* patet; quia sic fit in lege communiter lata de *praescriptione*, utpote per quam certo tempore transfertur dominium rerum legitime praescriptarum ab uno ad alterum: quae lex etiam habet locum pro Foro conscientiae, estque recepta a Jure Canonico *Tit. de Praescriptione.*

45 *Consequentia* vero probatur: Quia justa causa auferendi jus alicujus privati est favor publicus, *arg. l. Lucius. ff. de Evictionibus*: atque ex communi docet Fagnanus *in c. Quae in Ecclesiarum de Constitut. num.* 119. pluribus id probans. Atqui ille favor publicus habetur etiam in *moderatis usuris*, hoc ipso, quod dare et accipere *mutuum* summe sit necessarium pro bono communi; quod *mutuum* tamen plerumque etiam in casu magnae necessitatis proximi non obtineretur, nisi promitterentur, et darentur *usurae*: ut patet experientia; ergo. Quibus non obstantibus

46 Resp. I. Quamvis e potestate saeculari fieri possit, et facta valeat lex statuens pro vitando majori malo certum modum *usuris*, non quod inde *usurae* licitae reddantur, sed ne *usurarii* sub aliquo praetexto nimium a debitoribus extorqueant, uti cum communi Doctorum tradit Engel *h. t. num.* 10. et ubique controversia caret; Nequit tamen ab ullo legislatore humano sive saeculari, sive Ecclesiastico etiam Papa fieri lex communis aut statutum, quo *usurae* reddantur licitae. Communissima, et certa Doctorum. Ratio clara est; quia *usurae* sunt Jure Divino ac naturali prohibitae et consequenter non possunt ulla lege humana permitti; cum inferior non possit dispensare in lege superioris, prout etiam notavit Glossa *in Auth. Ad haec. C. de usuris.* Et hinc recte ait Pontifex *c. Super eo. h. t.* Super *usuris nullam posse dari dispensationem.* Ratio ulterior de legislatoribus saecularibus est; quia hi, praeterquam, quod nequeunt quidquam statuere contra legem Divinam, etiam legi Pontificiae nil contrarium condere valent, sed eidem se accommodare, et necessario obedire tenentur in his, quae continent peccatum, *can.* 1. *et seqq. dist.* 10. *c. Inferior.* 4. *de Majorit. et obedient.* maxime vero si secundum se et ex objecto suo sunt mala. Molina *de I. et I. Disp.* 304. Tholos. *lib.* 2. *de Usuris. n.* 3.

Confirmatur: Leges illae, quae inaequaliter onera Communitatis dispensant, sunt injustae, quamvis ordinentur ad bonum commune, prout passim fatentur Doctores cum D. Thoma 1. 2. q. 96. art. 4. Tales autem sunt leges *usurarum*, utpote quibus praecipue gravantur pauperes, atque pecuniis subito indigentes, ergo. Quin imo *usurae* vergunt in grave damnum Reipublicae, cum absorbeant egentium fortunas, cum hi in necessitate constituti (*usuris* semel per leges approbatis) pecuniam a Foeneratoribus non nisi sub pacto *usurarum* solvendarum acquirere possint, et hasce solvendo sensim in summam egestatem delabantur. 47

Ad rationes dubitandi *n.* 44. *et* 45. relatas patet responsio ex proxime dictis; Negatur enim *consequentia* cum sua probatione: siquidem translatio dominii rerum privatarum ab uno in alterum facta mediante aliqua lege communi *usuras* approbante, non tenderet in bonum commune Reipublicae: imo vergeret in grave damnum ipsius, ac praecipue pauperum magno numero in communitatibus existentium. Quod ipsum tum ex Jure Divino, tum naturali *usuras* tantopere execrante, amplius liquet; neutiquam enim eas prohiberet, si earundem usus bono communi magis expediret. 48

Nec urget paritas de *praescriptione* per leges introducta: siquidem de justitia harum legum aliunde constat; cum sint latae pro conservanda communi pace et tranquillitate Reipublicae, atque praecindendis infinitis litibus, quae alioquin suboriri possent. Accedit, quod leges illae aequaliter respiciant magnos et parvos, pauperes ac divites, omnesque alios, qui tempore per leges praescripto bona sua repetere neglexerunt. Secus est de *usuris*, ac legibus eas approbantibus. 49

Objicies *secundo* pro *usuris*. *Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus*, juxta *Reg.* 27. *Juris in* 6. cum Concordantiis: atqui dum ex pacto promittuntur *usurae*, id fit a sciente et consentiente; ergo. Resp. Ad hoc argumentum jam patere ex dictis supra *num.* 25. Quibus adde, dictam Regulam Juris fallere, quando aliunde adest prohibitio, prout *usurae* sunt prohibitae Jure naturali ac Divino. Unde sicut Adulter non excusatur ab adulterio, quamvis dicat se adulterasse cum consensu mulieris ac viri ejus, ita dicendum in proposito. Alias objectiones affert, ac solvit Doctor Angelicus *loc. cit.* earum tamen solutio patet ex dictis *n.* 19. *et* 20. 50

Objicies *tertio*: ab actu ad potentiam est bona consequentia: sed de facto actu jam a supremis Principibus permissae, sicque licitae censentur *usurae* saltem *moderatae*, uti patet tum ex legibus antiquis supra *num.* 13. allegatis, quam ex novissimis Constitutionibus et Recessibus Romani Imperii in *Comitiis Augustanis sub Maximiliano I. Anno* 1500. et in aliis Augustanis *sub Carolo V. Anno* 1530. 51

Item in aliis Augustanis *sub eodem Carolo V. Anno* 1548. In Comitiis Spirensibus sub *Maximiliano II. Anno* 1570. Item ex aliis Spirensibus confirmatis a *Rudolpho II.* In quibus omnibus *usurae* quinque florenorum pro centum sortis principalis, seu Summae Capitalis permittuntur, et in pactum deductae solvi jubentur; ergo. Resp. Antiquas leges Civiles esse intelligendas de *usuris compensatoriis*, non vero *lucratoriis*; vel si de his loquuntur, intelligi debent, quod ad majora mala evitanda usuras tolerent, et non puniant, vel quod modum imponant, ne excedatur; vel fundari in praesumptione justi alicujus tituli; vel si contendatur, iis absolute permitti et approbari *usuram lucrativam* quinque pro centum, esse correctas a Jure Canonico, utpote Juri Divino, et naturali contrarias, juxta amplius dicta supra *a n.* 26.

52 Pariter respondetur ad novas Constitutiones, et Recessus Imperii allegatos, videlicet eos esse intelligendos in aliquo ex dictis sensu, praecipue vero, quod partim modum statuant in *usuris*, quae per avaritiam hominum nimis excessive exigebantur; partim quod fundentur in praesumptione tanti lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alterius justi tituli, prout clarissime patet ex texto *Recessus Spirensis sub Rudolpho II. post medium* § *So viel nun*: ubi ita habetur: *So viel nun disem nach der Vermuthung halber, das der Creditor sein Geld, von solcher Zeit an, anlegen, und eingelassener Weiss, zum wenigsten von hundert Gulden, funff wohl haben moge*: quae latine sic sonant: *Quantum jam ad praesumptionem* (ecce! qualiter fundetur Recessus in *praesumptione, der Vermuthung halber*) quod *Creditor intra hoc tempus pecuniam suam negotiationi exponere, et licito modo ad minimum quinque pro centum obtinere possit.* Ex quibus verbis revera clare patet, novas Constitutiones et Recessus Imperiales fundari in *praesumptione* justi tituli, innixa ejus praesumptionis quinque pro centum non tantum permittunt, sed et solvantur, si in pactum deducti sunt, actionem concedunt, quae praesumptio justi tituli in conscientia minime juvat *usuras* quinque pro centum exigentem, si justus aliquis titulus praesumptus, in veritate non subsistit; quia in conscientia praesumptio cedere debet veritati, *arg. c. Super hoc. 5. de Renuntiat.* et *l. Imperator. ff. de Probat.*

53 Objicias *quarto Consuetudo est optima legum interpres*, *c. Cum dilectus. 8. de Consuetud.* Atqui universalis praxis, et consuetudo saltem Germaniae; ac in Romano Imperio habet, ut exigantur quinque pro centum etiam nullo existente lucro cessante vel damno emergente, vel alio justo titulo; ergo dicere non debemus, Constitutiones Civiles, praecipue vero novos Recessus Imperii praecise fundari in *praesumptione* justi tituli, sed absolute licitas approbare *usuras* saltem quinque pro centum, praesertim quia ipsi legislatores supremi active et passive has *usuras* practicant, dando mutuos centum pro *usura* quinque florenorum, et solvendo aliis has *usuras* pro sorte principali, seu summa Capitali, absque ulla indagatione alicujus tituli, per quod utique satis declarari videtur, legislatorum mentem et voluntatem esse quinque pro centum tanquam *usuras* ab eisdem permissas absque ullo alio titulo licite et valide accipi posse. Ad hanc objectionem patebit ex dicendis *a num. seq. usque ad finem.*

54 Quaeritur III. Num vigore consuetudinis validae, ac licitae reddi valeant *usurae propriae tales*, seu lucratoriae? Resp. *Negative.* Ita communis Catholicorum teste Engel *h. t. n.* 10 contra Tannerum *Tom. 3. Disp. 7. dub. 3. n. 79.* et Haunoldum *de J. et J. Tom. 3. tr. 9. cap. 3. Controvers. 10. §. 8.* Ratio manifesta est; quia *usura lucratoria* est intrinsece mala, Jurique Divino, ac naturali adversa, prout *n.* 16. dictum, ipsique fatentur, et solide probant Tannerus, et Haunoldus, ille quidem *lo. cit. n.* 75. iste vero *lo. cit.* §. 1. *a n.* 367. Atqui consuetudo, quae Juri Divino, et naturali adversatur, nec licita nec valida, sed irrationabilis abusus, et mera corruptela est, *c. fin. de Consuetud.* juxta unanimem Doctorum, et ipse quoque tradit Haunoldus *in Tract. Prooemial. num.* 123. sed ulterius

Quaeritur IV. Num licita, vel potius vere usuraria ac illicita sit praxis et consuetudo Germaniae, in qua pro sorte principali, seu summa Capitali centum florenorum passim et indistincte sine ullo scrupulo exiguntur quinque floreni, quod *Interesse* vocant? Haec quaestio est summe practica, et maximi momenti, ad quam proin, ut bene resolvatur, sufficienti cum distinctione praesertim inter Forum externum, et internum respondere oportet. Quare 55

Resp. I. Si Creditor ratione suae pecuniae mutuo datae patitur lucrum cessans, vel damnum emergens, vel periculum sortis Principalis, utique licite se poterit accommodare praxi Germaniae, et accipere quinque pro centum. Haec conclusio caret controversia, patebitque amplius ex dicendis §. *seq.* 56

Resp. II. In Foro externo non tantum licitum est pacisci, et exigere annuos quinque florenos pro sorte principali, seu summa Capitali centum florenorum, sed datur etiam actio contra Debitorem illos solvere morantem, aut recusantem, etiamsi Creditor nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec periculum sortis Principalis, nec alium justum titulum alleget. Unanimis, et certa per Germaniam. Patetque quotidiana experientia, qua constat, dictos annuos quinque florenos pro centum mutuo datis in pactum passim deduci, exigi, et dari, nec non actionem repeti, et acquiri, etiamsi nullus ex praefatis, vel alius allegetur justus titulus. Ratio est; quia in Foro externo Germaniae, si id sine titulo positive non conceditur, saltem praesumitur, adesse unum ex praefatis, vel alium justum titulum exigendi annuos quinque florenos pro centum, et ex hac praesumptione non tantum conceditur, quod absque ulla poena exigi valeant, sed etiam per Judicem mandatur, ut solvantur quinque pro centum mutuo datis, juxta dicta supra *n.* 53. 57

Resp. III. Loquendo de Foro interno conscientiae, sicuti alibi, ita etiam in Germania, ac Romano Imperio vere *usurarium*, indeque illicitum, et graviter peccaminosum esse, annuatim exigere quinque florenos pro sorte principali, seu summa Capitali centum florenorum mutuo data, si nec damnum emergens, nec lucrum cessans, nec periculum sortis intervenit; prout non intervenit, quando alias pecunia hujusmodi mutuo data sine negotiatione et lucro in arca Creditoris otiose jacens mansisset, plerique tenent Doctores, teste Engel *h. t. n.* 10 contra Tannerum *Tom. 3. disp. 4. q. 7. dub. 3. num.* 79 Haunoldum *de J. et J. Tom. 3. tr. 9. cap. 3. Controvers. 10. §. 4.* citantem etiam pro se Sa, *V. Contractus num.* 4. Probant Conclusionem: si nullo ex praefatis existente justo titulo liceret in Foro conscientiae annuatim exigere quinque florenos pro centum mutuo datis, tunc liceret vel vi consuetudinis, vel ob publicam auctoritatem supremi Principis ex suprema, qua pollet potestate, et dominio alto, 58

ob bonum publicum id concedentis; alia enim justa causa ab illicito excusans allegari non potest, nec aliam allegant Tannerus, et Hannoldus; atqui ob nullam harum causarum licet; ergo.

59 Non vi consuetudinis, quia certum apud omnes etiam Adversarios est, quod consuetudo, quae adversatur Juri Divino, aut naturali, semper sit et maneat illicita ac invalida, juxta dicta supra *num.* 54. atqui nullo existente justo titulo vi solius *mutui* exigere quinque pro centum Juri Divino, et naturali adversum, utpote *usurarium* est, per dicta supra *n.* 16. ergo.

60 Nec ob publicam auctoritatem supremi Principis id concedentis; quia supremi Principes id vel non absolute, sed tantum ex praesumptione justi tituli concesserunt, juxta dicta *n.* 51. et 52. vel si per legem aliquam, vel Decretum absoluto concesserunt, lex hujusmodi aut Decretum a Jure Canonico correctum est per dicta *n.* 36. Imo absque correctione ex se ipso nullum et irritum est; quia juxta dicta Principes etiam supremi sua potestate licitum facere non valent, quod est contra Jus Divinum et naturale, uti est usura.

61 Hinc si vera est haec doctrina, quod supremi Principes sua potestate, et dominio quantumvis alta facere non possint, quod in Foro interno *usura lucrativa* sit licita, seu quod liceat vi solius *mutui* aliquid accipere ultra sortem, uti eam veram communis defendit Doctorum Catholicorum. Verum quoque erit (argumentantur tenentes Conclusionem *n.* 57.) quod loquendo de Foro interno etiam in Germania *usurarium*, et graviter peccaminosum sit, vi solius *mutui* nullo existente justo titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, aut periculi sortis quinque florenos tanquam *Interesse*, ut vocant, exigere, et accipere pro sorte principali, seu summa Capitali centum florenorum: quia certum ac indubitatum videtur, quod vi solius consuetudinis quantumvis universalis, utpote Juri Divino et naturali adversae, consequenter merae corruptelae id nullatenus liceat; consequenter, si nec auctoritate supremi Principis id licet, nulla ratione licebit.

62 Objicies: Ex hac Conclusione sequeretur, innumeros in Germania, ac Romano Imperio etiam praeclaros, doctos, et Deum timentes viros, non tantum saeculares, sed etiam Ecclesiasticos versari in continuo statu peccati mortalis, utpote qui sine allegatione, et reflexione ullius lucri cessantis, damni emergentis, vel periculi sortis, imo nullo existente hujusmodi titulo, ut per sufficientem hypothecam, pignus, fidejussionem plene assecurati de sorte passim et libere absque omni scrupulo quinque florenos pro summa Capitali, seu sorte principali centum florenorum mutuo datorum exigunt et accipiunt; atqui durum, quin et temerarium videtur, tot et tantas personas continui peccati mortalis condemnare, et praxin universalem sine scrupulo ubique in Germania vigentem, graviter peccaminosae corruptelae arguere. Haec objectio sane non raro satis anxium, et dubium me reddidit; cum enim ex una parte Communissimam Doctorum sententiam, solidasque rationis et Juris fundamenta praxi Germaniae contraria considererem; ex altera parte vero id, quod objectio proponit, perpenderem, timui profecto, ac etiamnum timeo super hac cathegorice respondere, indeque quantum potui, quaestionem hanc declinavi.

63 Nihilo minus ad objectionem propositam responderi potest, negando sequelam: Tum, quia multi ex allegatis viris *mutuum* dantibus habent justum titulum lucri cessantis, vel damni emergentis, aut periculi sortis etc. Tum, quia multi praesertim Doctores loco veri mutui habere possunt et revere habent intentionem emendi censum etiam ex utraque parte redimibilem, id est, jus percipiendi annuatim quinque ex rebus alterius pro pretio centum florenorum, juxta dicenda *a n.* 145. vel celebrandi tacitum aut expressum contractum societatis; quae ratione in effectu idem habent, ac si mutuum centum pro quinque annuis darent, juxta dicenda infra *n.* 200. et 201. Tum, quia *multi* ex rudioribus et indoctis absque justo titulo quinque pro centum exigentes habent ignorantiam invincibilem, et sunt in bona fide; consequenter verum non est, quod stante etiam veritate Conclusionis tot, et tanti in Germania *mutuum* dantes sint in statu peccati mortalis; prout amplius dicetur infra *n.* 200. *et* 201.

Caeterum si omnis justus titulus, simulque ignorantia invincibilis, et bona fides abest, plerique Doctores juxta dicta *nu.* 57. Communissime concedunt, omnes sive multi sive pauci sint, in statu peccati mortalis continuo versari, qui pro sorte principali, seu summa Capitalis centum florenorum exigunt *usuram* seu *Interesse*, ut vocant, quinque florenorum.

Dices: Satis communis Theologorum tenet, 64 licitum esse sequi sententiam probabilem, relicta probabiliori, atqui sententia dicens, in Germania, tuta conscientia annuatim posse accipi quinque pro centum mutuo datis, videtur saltem probabilis, cum eam teneant graves Doctores, Tannerus videlicet, Hannoldus, et Sa; ergo. Responderi potest: distinguendo *Major*. Si sententia aliqua vere est probabilis, licitum est, eam sequi, (saltem in materia honestatis) transeat: Si non est vere probabilis, sed tantum tenuiter talis, negatur *Major*; censent autem plerique Doctorum, quod sententia volens, licitum esse in Germania absque omni justo titulo exigere quinque pro centum mutuo datis, non esse vere probabilem, utpote nulla solida ratione, vel fundamento nitentem, juxta dicta supra a *num.* 57. ubi autem solida ratio et fundamentum deficit, sola Auctoritas Doctorum praesertim paucorum contra torrentem aliorum, ad veram probabilitatem non sufficit.

§. IV.

De Usura Compensatoria, seu Restauratoria, et de Titulis, ex quibus fit, ut licita redditur, lucro videlicet cessante, damno emergente, et periculo perdendae sortis.

SUMMARIUM.

65 *Dantur justi aliqui Tituli, ex quibus usura redditur licita.*
66 Usura Compensatoria, *seu* Restauratoria *quid?*
67 *Ob lucrum cessans, et damnum emergens, licet aliquid exigere ultra sortem principalem mutuo datam.*
68 *Idque non ut veram usuram, sed tanquam* Interesse.
69 *Ad quod tamen requiruntur quatuor conditiones: Et n. seq.*
71 *Non obstante ratione dubitandi.*
72 *Asseritur, licitum esse, ob periculum perdendae sortis, ultra sortem aliquid exigere.*
73 *Respondetur variis ad rationem dubitandi. Et tribus n. seq.*

77 *In foro interno usurarius est, qui vere intendit lucrum ex mutuo, etsi periculum in se suscipiat.*

65 Quamvis ex hactenus dictis certum sit, *usuram*, seu lucrum ex *mutuo* expresse aut tacite acceptum, esse illicitam, ac Jure tum naturali, tum Divino prohibitam: nihilo minus quia dantur nonnulli alii tituli justi, ex quibus recte aliquid ultra sortem, seu summam capitalem *mutuo* datam accipitur, ut communiter tenent Doctores; de illis aliquos in praesenti, et quidem illos, qui faciunt *usuram compensatoriam*, alios vero in sequenti §. examinabimus. Hinc

66 Quaeritur I. Quid sit? et ex quibus titulis licita fiat *usura compensatoria*, seu *restauratoria*. Resp. *Usura compensatoria*, seu *restauratoria* est, si ultra sortem, seu summam Capitalem *mutuo* datam aliquid exigitur non vi solius *mutui*, sed ratione *interesse* ex triplici praecipue titulo, videlicet lucro cessante, damno emergente, et periculo perdendae sortis provenit. Ita communiter Doctores, ut patebit ex dicendis.

67 Quaeritur II. An in *mutuo* licite, et absque *usura* possit aliquid exigi ultra sortem ratione lucri cessantis, aut damni emergentis inde ipsi *mutuatori*? Resp. I. Affirmativam sententiam esse communiter receptam inter Doctores, quam tenet etiam Gloss. *loc. cit. et c. quoniam multi* 14. q. 4. contra Innocentium, et alios paucos. Ratio est; quia *mutuans* licite potest suae indemnitati consulere, ne *dispendium patiatur: unde videtur praemium mereri*, ut in simili loquitur Pontifex *c. Pervenit. de fidejussoribus. Et iniquum sit, damnosum cuique esse officium suum, l. Sed si quis ff. Quemadmodum testamenta aperiantur.* Accedit, quod spes lucri, qua *mutuator* se privat in gratiam *mutuatarii*, sit pretio aestimabilis; ergo licite in ejus recompensam aliquid exigitur.

68 Resp. II. Id, quod in tali casu exigitur ultra sortem seu summam Capitalem, non accipitur tanquam vera *usura*, sed tanquam *Interesse*. Ita Gloss. communiter recepta *in c. quoniam. 14 q. 4. arg. l. Socium qui ff. Pro socio.* ibi. *Usuras quoque praestare debet, non quasi usuras, sed quod socii intersit, moram eum non adhibuisse.* Accedit ratio; quia aliud est *mutuum*, aliud lucrum cessans, vel damnum emergens, occasione *mutui* dati: licet ergo *mutuum* debeat dari gratis, sicque ex ipso *mutuo* secundum se spectato nihil possit supra sortem exigi; bene tamen potest quid exigi, ut lucrum inde vere vocetur *Interesse, arg. l. un. C. de Sententiis quae pro eo etc. ut l. Si commissa ff. Rem ratam haberi.* ibi: *in tantum competit, in quantum mea interfuit, id est, quantum mihi abest, quantumcunque lucrari potui:* et alibi.

69 Resp. III. Nihilo-minus ut hoc licite fiat, requiruntur plures conditiones. *Prima* est, ut *mutuum* vere sit causa lucri cessantis, vel damni emergentis, ita, ut si *mutuum* non daretur, damnum non incurreretur, vel lucrum perciperetur: quare is, qui adhuc habet alias pecunias pro avertendo damno aut lucro acquirendo sufficientes, et alio non destinatas, ex praefatis titulis exigere ob *mutuum* nil potest. *Secunda* est, ut non exigatur ratione talis lucri cessantis, aut damni emergentis, nisi quantum illud arbitrio boni viri aestimetur, spectatis omnibus causis et circumstantiis concurrentibus: nam plus exigens committit injustitiam, etsi non proprie *usuram*, ut notat Pirhing *h. t. num.* 40. *Tertia* conditio est, ut *mutuans* praemoneat *mutuatarium* de lucro sibi cessante, vel damno emergente; nam forte nollet cum tali onere *mutuum* accipere; Non etiam necesse est, expresse eum de his praemonere; sed satis est de excessu aliquo pacisci per modum *Interesse*.

70 *Quarta* tandem conditio est, ut hoc *Interesse* non statim solvatur a *mutuatario* tempore *mutui* accepti, sed primum postea. Hinc si Titius mutuet Cajo mille florenos cum pacto, ut ratione *Interesse*, sive ratione lucri cessantis, vel damni emergentis solvat centum, et istos centum florenos mox detrahat, Cajo non nisi nongentos florenos numerando, committit *usuram*; quia ex centum florenis illico detractis nullum potest sibi lucrum cessare, vel damnum emergere, sicque sub hoc praetextu exigens *Interesse* manifestam committit injustitiam, et *usuram* saltem *palliatam*. Plura tamen de his omnibus conditionibus apud Auctores passim.

71 Quaeritur III. An? et qualiter ratione periculi amittendi summam Capitalem liceat in *mutuo* aliquid exigere ultra sortem? Ratio dubitandi est; quia de Jure Civili permittitur *usura centesima* in pecunia trajectitia, *l. Eos qui. C. de usuris*, ac passim toto *Tit. in C. et ff. de Foenore nautico*. Econtra vero c. *Naviganti* quod est ultimum *h. t.* sic habetur: *Naviganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniae quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Ubi Gloss. v. *Periculum* amplius probat hoc esse *usurarium*. Et Fagnanus in cit. *c. Naviganti. h. t. n.* 8. ait, per citatum textum esse sublatam Juris Civilis dispensationem, et correctum totum Titulum *ff. C. de Foenore nautico*. Nihilominus

72 Respondetur. Si *mutuator* aliquid ultra sortem exigat propter periculum rei mutuatae, quod in se suscipit, et vere subest, non committit *usuram*. Ita cum D. Thoma *Opusc. 73. de usuris. q. 10.* tam Theologi, quam Canonistae satis communiter, praesertim autem Sylvester v. *Usura. q. 35.* Molina *de I. et I. Disp.* 304. *n.* 8. Zoesius *h. t. n.* 3. Engel *h. t. n.* 14. Pirhing *h. t. n.* 44. et alii. Ratio est; quia exponere res suas periculo in gratiam alterius, est quid pretio aestimabile; cum nemo teneatur gratis pro altero *usuras* suscipere, aut res suas periculo exponere. Confirmatur. Quia in tali casu sunt duo distincti actus: unus est contractus *mutui*, et pro hoc nihil exigitur, neque exigi potest absque *usura*: alter est contractus assecurationis, quam alioquin *mutuatarius* deberet praestare *mutuatori*, nunc autem *mutuator* praestat *mutuatario* cum eodem paciscens, ut si pecunia mutuata in mari, vel in via pereat, ei pereat, et *mutuatarius* ejusque haeredes nihil restituere teneantur: atqui talem contractum assecurationis nemo obligatur gratis inire; ergo. Confirmatur secundo: *usura* non fit, nisi exigendo aliquid ultra sortem ex vi *mutui*: hoc autem non fit in proposito, ubi exigitur aliquid ultra sortem tantum ratione periculi; ergo.

73 Ad rationem dubitandi ex c. *Naviganti h. t.* desumptam varie respondent Doctores. Quidam volunt, textum illum loqui, quando pretium periculi est accessorium. Alii putant, ibi damnari solum *usuras centesimas*. Quidam intelligunt, ibi prohiberi, quidpiam exigere ultra sortem ratione *mutui*, non ratione periculi. Verum hae omnes expositiones dicti Capituli *ult. h. t.* passim rejiciuntur, utpote cum vel pugnent cum verbis ipsius textus, vel saltem nullum in ipso fundamentum habeant, sed potius divinare convincantur.

74 Deinde nonnemo ex recentioribus, quem refert, ac sequi videtur Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 16. n. 13.* et Engel *h. t. §. 2. num. 3.* suspicatur, in textum illius Capituli mendum irrepsisse per omissionem

periculae *Non*, atque esse legendum, *usurarius non est censendus*. Fundat hanc suam suspicionem in verbis immediate sequentis: *Ille quoque, qui dat etc. Non debet ex hoc usurarius reputari*. Nam si iste *quoque* usurarius reputari non debet, ergo neque prior: alioquin Pontifex non recte posuisset particulam istam copulativam, sed debuisset ponere dictionem adversativam, *ille autem*, vel hujusmodi. Verumtamen haec suspicio licet subtiliter adinventa, est contra fidem omnium Textuum atque exemplarium, qui unanimiter *affirmative* legunt, ut notat Zoesius *h. t. n. 4.*

75 Communior, ac caeteris probabilior opinio est, ibi sermonem esse de eo, qui non aliter vult mutuare, nisi eum tali pacto susceptionis periculi in se, sicque sub spe lucri ultra sortem recipiendi: talis enim gravat Debitorem in aliquid plus sperando ex *mutuo*, et ideo merito *in foro externo Ecclesiae*, quae de occultis non judicat, *usurarius est censendus*, ut loquitur textus, ac notat Fagnanus *cit. c. Naviganti. h. t. num.* 21. asserens, citatam textum procedere in Foro externo Ecclesiae, quae quia de occultis judicare nequit; merito censet in tali contractu lucrum quaeri ex *mutuo*, et non ratione solius periculi. Secus dicendum pro Foro animae et quoad Deum, dummodo quis revera non intendat lucrari ex *mutuo*, sed tantummodo accipere pretium periculi in se suscepti: nam tunc intervenirent duo contractus, prior *mutui* liberaliter praestiti; alter assecurationis recipiendo in se periculum amittendi sortem.

76 Tandem Fagnanus *in c. Naviganti, h. t. num.* 21. et post eum Pirhing *h. t. num.* 48. Lugo, et alii volunt, *cit. c. fin.* procedre in Foro externo, et quantum ad judicium Ecclesiae; quia cum Ecclesia non judicet de occultis, censetur in tali contractu lucrum quaeri ex *mutuo*, et non solum ratione periculi. Nec potest credi soli *mutuanti*, si dicat, se tantum recipere aliquid ultra sortem ratione periculi: quia ipsi soli tanquam criminoso, et in causa propria deponenti pro Foro externo non est credendum (intellige nisi probare posset, se duos contractus celebrasse, unum *mutui*, et alterum *assecurationis*, juxte dicta *num. praeced.*) Sicut a pari praesumitur Electio *simoniaca*, si Electoribus data fuit pecunia, quamvis dicant, se non esse motos ad eligendum per pecuniam, sed alias electuros fuisse, *arg. c. nobis. de Simonia.* et ibi notat Glossa, ℣. *Interveniente*. et Doctores passim.

77 Caeterum loquendo pro Foro animae, et in ordine ad Deum, si *mutuans* recipiat aliquid ultra sortem ratione *mutui*, seu ea intentione mutuet, ut lucretur ex *mutuo*, quamvis periculum in se suscipiat, absque dubio erit *usura*; quia haec sua voluntate committitur, *c. Consuluit. h. t.* Sed si vere non intendit lucrari ex *mutuo*, sed tantummodo accipere mercedem, seu pretium periculi in se suscipiat, *arg. l. Periculi. ff. de Foenore nautico*, talis in Foro interno et quoad Deum, non est *usurarius*. Et hac de causa in saepe cit. *c. ult. h. t.* dicitur, *usurarius est censendus*, videlicet quoad Forum externum Ecclesiae: non autem *usurarius* est. Patet proinde, quod in ordine ad Deum tota haec res ab intentione distinguatur, et specificetur: quamvis nisi aliud exprimatur, in Foro externo hic praesumatur intervenire *usuram*, per textum citatum, quem utpote satis difficilem, necesse fuit uberius explicare.

§. V.

De Usura Moratoria, seu Punitoria, et de Titulo ex quo fit, et quo fit, ut licita redditur, poena videlicet quae ob culpabilem moram solvendi apponitur.

SUMMARIUM.

78 *Usura* Moratoria quid?
79 *Licita est Usura* Moratoria *non tantum ex apposita poena Legali et Judiciali.*
80 *Sed etiam ex poena conventionali per contractum inter* Mutuatorem et Mutuatarium *apposita.*
81 *Solvitur objectio. Et num. seq.*
83 *Requiritur tamen ad hoc primo, ne fiat in fraudem usurae,*
84 *Secundo, ut mora solvendi vera sit culpabilis.*
85 *Tertio, ut poena sit moderata, et proportionata culpae. Et quarto, ne terminus sit nimis brevis.*

Quaeritur I. Quid? An? et quibus ex Titulis licita sit *usura moratoria*, seu *punitoria*? Resp. I. 78
Usura moratoria seu *punitoria* est, quando *mutuator* aliquid ultra sortem, vel summam Capitalem exigit a *mutuatario* non vi solius *mutui*, sed in poenam morae, quam committit in solvenda seu restituenda debito tempore sorte seu summa Capitali. Ita in re communi. Potest autem poena hujusmodi esse vel *Legalis*, id est a lege vel statuto imposita: vel *Judicialis*, id est, a Judice ad instantiam *Creditoris* dictata: vel *Conventionalis*, id est, mutua conventione *mutuatoris*, et *mutuatarii* statuta.

Resp. II. Certum est, licitam esse usuram *moratoriam*, si poena est *legalis vel judicialis*. Sylvester ℣. *Usura.* 1. n. 28. Castro Palao *Tract.* 32. *Disp.* 4. *pun.* 16. *nu.* 3. Communi aliorum. Ratio est; quia cum hujusmodi constitutio poenae nil contineat iniquitatis, sed ad contractus debitam observantiam serviat, tam a supremo Legislatore per legem, quam a Judice ad instantiam partis licite et valide imponi potest. 79

Resp. III. Licita quoque est *usura moratoria* seu *punitoria* ex poena conventionali, seu licitus ac validus inter *mutuatorem* et *mutuatarium* est contractus et pactum, ut *mutuatarius*, si ex culpa tempore statuto non solverit *mutuum*, teneatur certum aliquid in poenam solvere ultra sortem, ita Doctor subtilis. 4. *dist.* 15. *quaest.* 2. §. *De secundo articulo.* Covarruvias *p.* 2. *de Sponsal cap.*6. §.8. n. 5. Palao *loc. cit.n.*2. Abbas in *c. Suam.*9. *de Poenis. in* 6. Laymann. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. n. 12. cum Glossa communiter recepta *in c. Cunquestus.* 8. *de Poenis. in* 6. contra paucos alios. Ratio est; quia inprimis talis poena injuste imponitur, ac exigitur, ut *mutuatarius* sit quasi constringatur statuto tempore reddere sortem, et ne sua culpa impune fallat, *arg. c. dilecti.* 4. *de Arbitr.* Deinde, quia talis poena, quae ultra sortem exigitur, non solvitur vi *mutui*, sed ob moram seu culpam non solvendi *mutuum*, siquidem Debitor, qui est in mora culpabili, peccat contra justitiam, retinendo alienum invito Domino, unde juste ponitur poena *Conventionali*. 80

Nec obstat, quod *l. Poenam* 44 *ff. Usur. et fruct.* dicitur: *Poenam pro usuris, stipulari nemo supra modum usurarum licitum potest*. Respondetur enim, per hunc textum reprobari duntaxat poenam *Conventionalem* immoderatam, non moderatam. Barbos. *in c. Suam* 9. *de Poenis. n.* 4. 81

82 Dices: Nemo potest alteri poenam imponere, nisi Superior, ergo. Resp. enim, id verum esse loquendo de poena *legali*, aut *judiciali*, utpote ad quam etiam invitus obligari potest per Superiorem: secus est de poena *Conventionali*, quae ex pacto seu mutuo partium consensu, atque conventione imponitur. Nam ut habet Regula 85. Juris in 6. *Contractus ex Conventione legem accipere cognoscuntur*, cum Concordantiis.

83 Caeterum ut hoc licite fiat, sequentes requiruntur conditiones. *Prima* est, quam Doctor noster *loc. cit.* ut cum eo Lessius *l.* 2. *cap.* 20. *dub.* 15. assignat, ut non fiat in fraudem *usurarum*, sive ad has pallio illius tegendas, quod tunc censeretur fieri (inquit Doctor noster *loc. cit.*) si *Creditor* vellet diem transiri potius, quam pecuniam ipso die solvi.

84 *Secunda* conditio est, ut Debitor vere sit culpabilis in mora solvendi: ad hoc autem, ut quis dicatur esse in mora, requiritur, quod sciat vel scire debeat, se debere: quod interpellatus fuerit a die vel homine; et quod possibilitatem dandi habuerit, nec tamen reddiderit. Unde si *mutuatarius* revera sit factus impotens, vel alias a solvendo sine sua culpa impediatur, non potest exigi dicta poena *conventionalis* prout communiter tenent Doctores, *arg. cit. c. Significante. de Pignor.* et *l. Trajectitiae.* 23. *ff. de Obligat. et Act.* Ratio est; quia ubi culpa non adest, poena exigi non potest; cum, *qui culpa caret, in damnum vocare non debeat*, *c. Cognoscentes.* 1. *de Constitut.* cum Concordantiis. Navarrus *Manual cap.* 27. *n.* 215. Lessius *lib.* 2. *de I. et I. c.* 20. *n.* 131. Hinc in Conclusione *n.* 89. posita notanter dicitur: *Si ex sua culpa* etc.

85 *Tertia* conditio est, ut mora non solum sit culpabilis, sed etiam notabilis, et poena proportionata, nam immoderata non valeret. Lessius *l. cit. n.* 134. Pirhing *h. t. n.* 52. Hinc et in simili pactum legis commissoriae in *Pignoribus* (id est, ut *Pignus* Creditoris, si certo tempore Debitor non solverit) reprobatur a Jure, ut habetur *in c. Significante. de Pignoribus*, cum Concordantiis ibidem a Glossa relatis.

86 *Quarta* conditio est, ut sub poena conventionis ad solvendum non praefigatur terminus nimis brevis, sive talis, intra quem Creditor scit, Debitorem solvere non posse, tunc enim poenae lucrum potius, quam solutionem quis intendere praesumeretur. Lessius *loc. cit. n.* 131. Molina *Disp.* 317. *n.* 6.

§. VI.

Examinantur varii Contractus, et Actiones, an sint Usurarii nec ne?

SUMMARIUM.

87 *Usurarium est ratione solius carentiae pecuniarum.*
88 *Vel obligationis certo tempore non petendi sortem aliquid contra sortem exigere.*
89 *Solvitur instantia: Et num. seq.*
91 *Si mutuatarius ex mera benevolentia vel gratitudine mutuatori aliquid ultra sortem dat, non est usura illud accipere.*
92 *Bene vero usurarium est, si intervenit pactum, ut mutuatarius saltem ex titulo liberalitatis, vel gratitudinis aliquid ultra sortem det, vel praestet mutuatori.*
93 *Doctrina practica ad propositum.*
94 *Imo usurarium est, si quis absque omni pactione principaliter ratione mutui aliquid intendit, aut sperat.*
95 *Non autem si minus principaliter, seu secundario quid intendat, aut speret.*
97 *Vel etiam roget.*
97 *Qui ob solam dilationem solutionis rem pluris vendit, quam valet,* usuram palliatam committit.
98 *Solvitur Objectio.*
99 *Sine usura mutuo datur, vel venditur res consumptibilis cum obligatione, ut in eadem quantitate futuro tempore restituatur, aut pretium tunc currens reddatur, si nescitur, an futuro tempore plus minusve valeat.*
100 *Secus est, si scitur.*
101 *Nisi forsan mutuator, aut venditor ipsemet talem rem pro futuro tempore reservasset.*
102 *Chirographum, seu debitum alienum minoris emere licet, quando adest justus titulus.*
103 *Secus si justus titulus abest.*
104 *Quid Juris? si Creditor principalis quidem difficultatem, labores, et sumptus sentire debeat in acquirendo debito, non vero Emptor illius? Et num. seq.*
106 *Etiam ob favorem causae piae non licet exigere aliquid ultra sortem.*
107 *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: Eleemosynae non sunt faciendae de bonis alienis, etiam divitis, vel de usuris. Ibid. et n. seq.*

87 Quaeritur I. An ratione carentiae pecuniae, vel obligationis non repetendi eam certo tempore, possit aliquid ultra sortem mutuo datam exigi? Resp. I. Cum Doctoribus passim, quod ratione solius carentiae pecuniae, aut alterius rei usu consumptibilis mutuatae non possit licite aliquid ultra sortem exigi absque labe *usurae*. Ratio est; quia talis carentia rei mutuatae est quid intrinsecum ipsi *mutuo*: ergo sicut nihil ultra sortem potest exigi ratione *mutui*, ita nec etiam ratione hujus carentiae pecuniae. Unde Innocentius XI. merito *Anno* 1679. sequentem inter alias damnavit Propositionem: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest Creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.*

88 Resp. II. Idem satis communiter docent Doctores de obligatione non repetendi *mutuum* ante certum tempus, v. g. ante annum, siquidem omne *mutuum* affert secum obligationem non repetendi sortem per aliquod tempus (alioquin enim foret merum precarium) ac proinde dilatio repetitionis est de ratione intrinseca *mutui*; ergo sicut nihil potest ultra sortem exigi ratione *mutui*, ita nec ratione hujus obligationis. Et certe alioquin nullus re ipsa esset *usurarius*, ut bene notat Lugo *Tom.* 1. *de Justitia et Jure. Disp.* 25. *sect.* 3. contra paucos alios oppositum tenentes.

89 Nec obstat, quod haec obligatio non repetendi per annum videatur aliquid superaddere ipsi *mutuo*, utpote cum possit dari *mutuum* ad mensem, aut ad aliud *tempus*. Resp. enim, licet aliquid addat supra *mutuum* in communi, non tamen superaddit supra hoc *mutuum* in specie, seu individuo. Intellige tamen hactenus dicta, nisi interveniat ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, aut alius ejusmodi titulus justus.

90 Adde, quamvis quis a principio mutuet, v. g. ad mensem, et postea proroget tempus solutionis usque ad annum, adhuc praecise ratione hujus prorogationis, seu obligationis non repetendi intra annum, nihil posse exigi ultra sortem; quia censetur duplex *mutuum*, seu continuatio primi: unde, sicut nihil potest ultra sortem exigi pro prima obligatione non repetendi, ita nec pro secunda, cum.

quaelibet si quid intrinsecum tali *mutuo*. Et certe alias omnis *usura* tolleretur, si quis ab initio nonnisi ad hebdomadam, vel diem mutuaret, et postea prolongando tempus aliquid *ultra* sortem exigeret.

91 Quaeritur II. Utrum sit licitum accipere, aut exigere ex *mutuo* lucrum vel commodum, quod ex benevolentia, gratitudine, ac liberalitate *mutuatarii* provenit? Resp. I. Certum est, si *mutuatarius*, idque ex mera liberalitate et gratitudine pro beneficio accepto quid ultra sortem det, id accipere, carere labe *usurae*, neque *mutuantem* obligari ad restitutionem rei ultra sortem acceptae, sed praecise ex mutuatarii liberalitate et gratitudine. Caret controversia. Ratio patet; quia talis vi *mutui* nil exigit, sed praecise id recipit, quod alter ex liberalitate et gratitudine, vel obligatione *Antidorali* praestat.

92 Resp. II. Si tamen pacto interveniente *mutuator* in contractu *mutui* quidpiam exigat a *mutuatario* titulo bonae voluntatis seu gratitudinis, committitur *usura* saltem *palliata*. Ita in re certa Doctorum. Ratio est; quia licet tali pactioni adjungatur titulus benevolentiae et gratitudinis, tamen obligationem justitiae non excludit; cum vere pacisci, et obligationem justitiae inducere, non possit separari. Hinc etiam in Jure Bavarico *fol.* 498. inter alias ille censetur *usurarius* subjectus qui praeter consuetum censum seu *Interesse* petit aliam pecuniam sibi a *mutuatario* solvi gratitudinis ergo, vulgo ein *Dienst-Geld*. Et Innocentius XI. *Anno* 1679. sequentem inter alias damnavit Propositionem: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tanquam ex justitia debitum.*

93 Infertur *usuram* committere, qui *mutuum* dat hac conditione, ut *mutuatarius* saltem ex titulo gratitudinis, vel benevolentiae apud *mutuatorem* prius, vel potius, quam apud alios necessarios pretio caeteroquin justo accipiat merces, v. g. panem, vinum, cerevisiam, ad molendinum ipsius, vel furnos frumentum molendum, panes coquendos deferat; uti contra Angelum ✠. *Usura.* 1. §. 5. bene docet D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. Molina *de I. et I. Disp.* 309. *n.* 6. Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 14. *n.* 3. Ratio est; quia per hoc imponitur onus pretio aestimabile, dum aufertur *mutuatario* libertas emendi merces etc. ubi vult.

94 Quaeritur III. An etiam, et quando *usurarium* sit, ultra sortem absque ulla pactione aliquid intendere solummodo, et sperare, vel rogare dandum esse praestandum a mutuatario titulo benevolentiae et gratitudinis? Resp. I. Qui etiam sine omni pactione principaliter tamen vi solius *mutui* aliquid pretio aestimabile intendit solummodo, et sperat, *mutuum* alias non daturus, nisi aliquid inde speraret, veram *usuram* committit, et ad restitutionem accepti tenetur. Ita communis tam Theologorum, quam Canonistarum, cum Glossa in *c. Consuluit.* 10. *h. t.* ✠. *Sperantes.* textu expresso *eod. c. Consuluit h. t.* ubi ad quaestionem: *An ille in Judicio animarum quasi usurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credidit, ut, licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat?* Respondet Papa, *talem male agere, et ad ea, quae taliter sunt accepta, restituenda in animarum Judicio efficaciter esse judicandum.* Ratio ibidem ex Evangelio additur: *mutuum date, nil inde sperantes*: nota ly *sperantes*, et supple cum Glossa *principaliter*. Nam

95 Resp. II. Qui dat *mutuum*, et sine ulla pactione secundario tantum inde aliquid intendit, et sperat, idem daturus *mutuum*, etsi sciret, se id, quod sperat, non obtenturum, ab *usura*, et alio peccato libre est. Navarrus *Manual. cap.* 17. *n.* 209. Barbosa *in c. Consuluit. h. t. n.* 6. et *ibid.* Glossa *cit.* ✠. *Sperantes, arg. can. Quid proderit* 7 *dist.* 61. et *can. Si Officia.* 2. *dist.* 59. Ratio est; quia, cum *mutuatarius* aliquid possit dare, imo ex *Antidorali* obligatione *mutuatori* obligatus sit, utique poterit hic aliquid etiam saltem secundario sperare, et intendere.

Resp. III. Pariter *usura* caret, si dans *mutuum* sine ulla pactione, vel obligationis praemissione simpliciter rogat, et supplicat *mutuatarium*, ut intuitu *mutui* sibi dati hoc vel illud obsequium praestet *mutuatori*, hoc aut illud gratuito faciat, vel donet. Palao *de Justit. commutat. Disp.* 4. *pun.* 11. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 8. Molina, et alii. Ratio et fundamentum hujus Conclusionis est, quod in praecedenti: quare, uti ibi dictum, etiam hic notandum est, ne videlicet principaliter, sed minus principaliter ac secundaria ratione *mutui* quid intenderet, et speraret, *usurarium* est, juxta dicta *n.* 94. Fatentur tamen Doctores citati, hanc rogationem esse valde periculosam. 96

Quaeritur IV. Utrum ob solam dilatam solutionem vendens rem pluris quam intra justum pretium valet, *usuram* saltem *palliatam* committat? Resp. *Affirmative*: nisi rationabiliter dubitetur, an plus minusve tempore solutionis sit valitura. Ita habetur *c. In civitate, etc. Consuluit. h. t.* et ibi Doctores. Siquidem sola mora solutionis, nisi damnum inde emergat, aut lucrum cesset etc. non est pretio aestimabilis, ac re ipsa hic intervenit *mutuum*, et *usura palliata*: ac proinde merito talis contractus censetur *usurarius* 97

Nec obstat *cit. c. In civitate. h. t.* ubi dicitur; *Licet contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt.* Siquidem in *c. Consuluit. eod.* clare habetur, tales esse etiam *usurarios pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura et superabundantia prohibeatur in lege.* Quomodo autem hi textus non sint contrarii, solvit Glossa hic ✠. *male agere*, dicens: quod *c. Consuluit. h. t.* sit intelligendum pro Foro animae, sive quoad Deum, ubi tales sunt judicandi *Usurarii* propter intentionem, quam habent: E contra vero *c. In civitate. h. t.* sit intelligendum quantum ad judicium Ecclesiae seu contentiosum. Siquidem tales contractus quoad formam non dicuntur *usurarii* (nam contractus emptionis et venditionis ex sui forma non est *usurarius*, quia *usura* non committitur praeterquam in *mutuo*) sed contrahentes propter pravam intentionem quoad Deum *usurarii* videntur. Et hanc Glossae opinionem sequuntur, et a nullo refelli testatur Fagnanus *c. In civitate. h. t. n.* 4. et *seqq.* 98

Quaeritur V. Utrum *usurarius* sit contractus, quo frumentum, vinum, vel alia res, praesertim usu consumptibilis in vero *mutuo* datur, aut venditur ea conditione, ut in eadem mensura restituatur futuro certo tempore, vel reddatur pretium quo certo tempore constat? Resp. I. Si nescitur, utrum certo tempore res hujusmodi mutuo data, aut vendita plus minusve valeat, ab omni *usura* immunis est talis contractus. Communis et certa: cum clare decisum habeatur *c. fin. h. t.* Ratio est; quia nulla intervenit inaequalitas inter contrahentes, hoc ipso, quod utriusque periculum damni, et spes lucri sit aequalis. 99

Resp. II. Si vero certum, aut saltem multo probabilius est, valorem rei pro futuro ad solvendum determinato tempore fore augendum, veram *usuram apertam* committit, qui ita *mutuum* dat, et palliatam, qui ita vendit, nisi forsan ipsemet alias 100

hujusmodi rem ad tale tempus reservasset. Navarrus *cap.* 17. *n.* 219. Palao *loc. cit. pun.* 13. *n.* 5. Layman *sect.* 5. *tr.* 4. *cap.* 16. *n.* 14. *et* 15. Covarruvias *Variar. Resolut. cap.* 3. *n* 6. Pirhing *h. t. n.* 57. Ratio patet, quia talis ultra quantitatem creditam aliquid, videlicet quantitatem majoris pretii sine ullo justo titulo exigit, consequenter ita *mutuum* dando, *apertam usuram* committit; vendendo autem *usuram palliatam*.

101 Dicitur autem notanter, *nisi forsan ipsemet alias hujusmodi rem ad tale tempus reservasset*; cum enim in tali casu *mutuator* aut *vendens* patiatur lucrum cessans, quod servando talem rem habere potuisset, utique pro quantitate lucri cessantis, deductis tamen sumptibus pro conservanda re necessariis, praefatum contractum licite facere potest. Navarrus *loc. cit.* Molina *Disp.* 311. *n.* 1. Lessius *lib.* 2. *c.* 20. *n.* 145. Layman *loc. cit.* et alii.

102 Quaeritur VI. Utrum si *emptor* Chirographum, sive nomen et debitum alienum minori pretio, v. g. debitum centum florenorum, octoginta florenis emat, *usura* committatur? Resp. I. Quando pro obtinendo tali debito etsi alias liquido et certo, ob *Debitoris* inopiam, potentiam, absentiam, vel aliam causam requiruntur sumptus, labores, vel timenda sunt odia, pericula etc. vel si ratione pecuniae pro illo expensae intervenit lucrum cessans aut damnum emergens, nulla committitur *usura*. Communis Doctorum. Ratio clara est; quia cum haec sint pretio aestimabilia, ratione illorum utique minoris emere licet hujusmodi debita.

103 Si vero nullus hujusmodi titulus adest, *vera usura* committitur. Ratio patet; quia tunc praecise ob praesentem pecuniam, et anticipatam solutionem minore major pecuniae quantitas exigitur, quod *usurarium* esse, ex dictis constat.

104 Resp. II. Casu, quo in obtinendo debito Creditor principalis quidem difficultatem, laborem, et expensas sentire deberet, *emptor* vero talis debiti illud facillime, et sine ullis expensis integrum acquirere posset, ex eo, quod apud Debitorem, Principem, v. g. vel Magnatem specialiter in gratia existat, vel magna apud illum merita habeat, vel alias extraordinaria industria acquirendi polleat etc. *Usurae* reus non est, si debitum hujusmodi minoris emat. Molina *Disp.* 361. *n.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 76. et alii. Ratio est; quia debiti valor non ex statu, et quantitate Emptoris, sed ex communi aestimatione desumendus est; secundum communem aestimationem autem, et seclusa gratia, seu favore Principis Debitoris, debitum hujusmodi minus valet; ergo.

105 Aliud foret, et *usurae* reus esset, si Emptor hujusmodi esset Praefectus Ærarii, vel talis Officialis, cujus officium est, Creditoribus Principis ex illis *aerario* solutionem praestare, aut demandare, uti bene advertit Lessius *loc. cit. n.* 78. Salas *de usura. dub.* 27. *n.* 8. Ratio est; quia hoc idem esset, ac si ab ipso Principe pro centum post annum solvendis, solverentur octoginta.

106 Quaeritur VII. Utrum non saltem ob favorem causae piae, vel ob aliud opus bonum absque alio justo titulo licitum sit, exigere aliquid ultra *sortem*? Resp. *Negative*, Conclusio caret controversia, ob claram decisionem Juris c. *Super eo.* 4. *h. t.* Nam cum ibidem Pontifici proposita esset. Quaestio, an possit saltem ex dispensatione pecunia dari ad *usuram*, ut inde pauperes in potestate et captivitate Saracenorum detenti liberentur? respondit Papa, *quod cum usurarium Crimen, utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam fieri posse, non videmus; quia cum Scriptura sacra prohibeat pro vita alterius mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur.*

Ratio est; *quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, ad Romanos 3. ℣. 8. Nec est facienda eleemosyna, vel charitas aut aliud opus pium de rebus alienis, vel de foenore, et usuris, *arg. can. Non est putanda.* 27. *cau.* 1. *q.* 1. ibi: *Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur; quia si hac intentione, male accipitur, ut quasi bene dispensetur, gravatur potius, quam juvatur*: et infra: *ne ergo sub praetextu eleemosynae cum peccato studeamus aliquid accipere, aperte Sacra Scriptura nos prohibet dicens, hostiae impiorum abominabiles, quae offeruntur ex scelere; quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis non placat iracundiam, sed irritat*: hinc scriptum est: *honora Dominum de tuis laboribus*, et *can.* 1. *cau.* 14. *q.* 5. *Nolite velle eleemosynas facere de foenore, et usuris*: Neque licet illicite auferre aliquid divitibus, ut detur pauperibus, vel alias piis causae, *can. Forte aliquis.* 3. *ead. cau. et q.* cum Concordantiis *ibid* Accedit, quod etiam ex charitate pro vita alterius conservanda non liceat mentiri, *can. Ne quis.* 14. *et can. Si quis* 17. *cau.* 22. *q.* 2. Ergo multo minus exercere *usuram*; cum haec gravius Crimen sit, quam mendacium, *cit. c. Super. eo.* 4. 107

Num vero saltem ex dispositione supremi Domini, vigore Dominii alti id licite fieri possit, vide dicta supra.

§. VII.

De Pacto Antichriseos, et Legis Commissoriae: ac de Montibus pietatis, an sint usurarii, nec ne?

SUMMARIUM.

stris aliquid ultra sortem exigeretur, uti facile fieri posset.
125 *Et de facto ita fit Frisingae.*

108 Quaeritur I. Quid? An? et quando usurarium sit pactum *Antichriseos*? R. I. *Antichrisin* (vulgo *ein Pfandschafft*) esse pactum inter Creditorem et Debitorem, ut Creditor tamdiu pignore sibi per Debitorem porrecto uti, ejusque fructus lucrari possit, donec debitum sibi sit persolutum. Ita in re communis, et jam dictum est supra *Lib. III. Tit. Tit. XXI. de Pignor.* §. II. a *num.* 55.

109 Resp. II. Pactum *Antichriseos*, nisi alius justus titulus interveniat, esse illicitum ac *usurarium*. Ita Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 17. cum Theologis, et Canonistis communiter, contra quosdam Civilistas. Patet id ex *c.* 1. *et* 2. *h. t.* juncto Summario *ibid.* ubi dicitur, quod sit *usura lucrificare fructus rei pignoratae*. Unde severissime ibidem praescribitur, quod si quis sortem suam (deductis expensis) de fructibus *Pignoris* jam receperit, absolute illud restituat Debitori, vel computentur in sortem, absque alia *usurarum* exactione. Concordat *c. Cum contra* 6. *de Pignorib.* ubi dicitur, quod *secundum Canonicas Sanctiones fructus Pignoris restitui, et in sortem debeant computari*: item *l.* 1. et 2. *C. de Pignoratitia action.* Accedit ratio; quia alioquin mutuator, seu Creditor vi solius mutui, atque ratione dilatae solutionis aliquid lucratur ultra sortem, videlicet fructus *Pignoris*: quae est manifesta *usura* per dicta supra. Addidi autem notanter, *nisi alius titulus* interveniat. Nam tunc secus foret dicendum: at quidem tales tituli plures communiter assignantur, et praesertim quatuor *ibid.* a Laymann referuntur, ob quos possunt percipi fructus ex *Pignore*, sine diminutione sortis.

110 *Primus* est Si fructus ex *Pignore* vel *Hypotheca* non superent quantitatem pensionis, quae Jure *Census* super eadem *Hypotheca* juxta morem Patriae constituti potest exigi. Sic, ut evitetur *usura*, potest subministranti pecuniam oppignorari ager, vel praedium adjecto contractu *censuali* (de quo plura §. 8.) ut ex eo fructus percipiat jure *census*, donec sors restituatur.

111 *Secundus* est. Quando Creditor fundum, qui *Pignori* destinatus erat, certo pretio emit cum pacto revendendi, quamprimum Debitor vult pretium refundere. Tunc enim res *Pignori* destinata amittit naturam *Pignoris*, et possessori tanquam vero Domino fructificat, ejusque periculo perit. Porro valere venditionem cum pacto *Redemptionis* apposito, est textus clarus in *l. fundum. C. de Pactis. inter Emptor. et Venditor.* de quo plura etiam Layman.

112 *Tertius* titulus, et casus, in quo fructus *Pignoris* non computantur in sortem, habetur *c. Salubriter de Usuris.* ubi dicitur, quod Maritus, qui recipit *Pignus* pro *Dote* promissa a Socero, non tenetur fructus ejus in sortem computare; sed potest interim, donec *Dos* ei promissa solvatur, fructus *Pignoris* absque ulla *Dotis* imminutione percipere, ut unitrum interea habeat, unde sustineat onera Matrimonii. Rationem hujus singularis constitutionis dat Pontifex ibi: *Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera Matrimonii supportanda*: quasi diceret: nam Dos detur ad onera Matrimonii supportanda, imo frequenter ad ea non sufficiat, aequum est, ut Maritus, qui fructus ex Dote utpote necdum soluta percipere nequit, eos interim percipiat ad eum finem ex *Pignore* pro Dote deposito.

113 Uno verbo: fructus *Pignoris* istius conceditur Marito ratione lucri cessantis, quod ex Dote, si jam fuisset persoluta potuisset accipere; cum fructus Dotis alioquin *cedant* Marito ad sustinenda onera Matrimonii. Hinc, ut optime Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 141. cum aliis, quamvis, si *Pignus* Creditori detur ob solam securitatem debitorum, debeant fructus ex eo percepti in sortem computari per textus *n.* 109. relatos. Secus tamen est, si *Pignus* non ob *solam* debiti securitatem detur, sed etiam, ut interim Creditor fructus ejus percipiat loco alterius rei debitae, ut fit *in* causa Dotis non solutae sub cautione *Pignoris* dati.

Quartus tandem titulus, et casus, in quo fructus *Pignoris* non computantur in sortem, habetur in proprietario seu Domino directo Feudi, vel etiam Emphyteusis: nam Dominus a Vasallo recipiens Feudum *in Pignus* (idem intelligunt Doctores de Emphyteota, oppignorante rem Emphyteuticam suo Domino directo) fructus illius percipere potest; dummodo interim ab ipsius servitiis abstineat, *nec* tenetur fructus ejus in sortem computare. Ita enim habetur clarissime *cap.* 1. *de Feudis*, et *c. Conquestus. de usuris.* juncta Glossa *ibid.* §. *de Feudo.* 114

Rationem hujus dant Doctores; quia haec est conditio Feudi. Nam cum vasallus interim non praestet servitia (uti supponit textus citatus) sed ab iisdem sit liber, suspenditur obligatio contracta inter Dominum et vasallum, et *res feudalis* vadit ad primaevam naturam; sicque Dominus utitur fructibus ejus, ac si *feudalis* non esset coalescente directo ac utili dominio, ut notat Fagnanus *in cap.* 1. *de Feudis n.* 3. 115

Nec objicias contra dicta *num.* 109. afferendo textum ex *c.* 1. *h. t.* ubi dicitur: Usuram esse, lucrifacere fructus rei pignoratae, *nisi forte Ecclesiae Beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu Laici videatur*; ergo eam exceptio firmat regulam in oppositum, id erit licitum, et quidem favore causae Piae. Non contra est, quod, et innuit Glossa *ibid.* §. *Beneficium*, ac etiam Lugo *Tom.* 2. *de Justit. et Jure. Disp.* 25. *n.* 14. ibi sermo sit de *Redemptione* iniquae exactionis, qua possessiones seu fructus Beneficii Ecclesiastici male ab iniquo possessore detinentur, *nec* videntur alio modo posse recuperari. Tunc enim licitum est Clerico, fructus *Pignoris* accipere, idque absque *usura*, cum suam duntaxat recipiat, ut patet. Et hanc responsionem magis approbat eadem Glossa in c. *Conquestus. h. t.* nam neque favore causae piae licitas esse *usuras*, patet ex dictis supra a *n.* 106. 116

Quaeritur II. Quid? et an licitum, vel potius usurarium sit pactum *Legis commissoriae* Resp. Ad hoc quaesitum satis patere ex dictis *Lib. III. Tit. XXI.* §. *II.* a *n.* 55. ubi late de hoc Pacto. 117

Quaeritur III. Quid sint? Unde veniant? Et an liciti, vel potius usurarii existant *Montes pietatis*? Resp. I. *Montes pietatis* sunt aeraria, aut granaria publica piorum hominum liberalitate ad hunc finem erecta, ut ad ea tanquam ad montem confidenter refugere, et inde sub *Pignoris* cautione *mutuum* pro sua necessitate et indigentia habere valeant indigentes, *ne ab usurariis*, praesertim Judaeis per enormes successive opprimantur, seu totaliter depauperentur. 118

Cum enim Christiani Indigentes per nonnullorum Christianorum iniquorum, maxime vero per Judaeorum immoderatas *usuras* (utpote, qui pro singulis florenis *mutuo* datis solent etiam per singulas hebdomadas unum circiter crucigerum exigere, sicque lucrum *usurarium* per anni decursum, duosque menses adaequet sortem, plurimum fuerunt pressi: plures successive celeberrimi Concionatores ex Ordine Fratrum Minorum, ut B. Jacobus de Marchia, Bernardinus de Feltro, aliique viri 119

doctrina et sanctitate celebres, ejusmodi *Montes pietatis* publicis suis concionibus construi fecerunt: ex quibus *Montibus pietatis* certa quantitas pecuniae, vel frumenti sub sufficiente cautione *Pignoris* praestiti, indigentibus *mutuo* inprimis dabatur gratis, ea tamen lege, ut si *mutuum* accipientes praefixo tempore debitum non solverent, *Pignus* ab eis receptum venderetur, et ex pretio *Mons pietatis* suam sortem, *Mutuatarii* vero residuum, si quod esset, reciperent, Ministris primitus cuncta gratis ministrantibus.

120 Verum quia refrigescente charitate successive deerant, qui gratis, et absque mercede administrarent hujusmodi *Montes pietatis*, necesse fuit, Ministris seu Administratoribus *Montis pietatis* congruam pro sustentatione illorum assignare mercedem, quae cum de mediis, et substantia ipsorum Montium accipi congrue non potuerit, (nam alioquin summa Capitalis brevi defecisset) hinc pro dicta eorum Ministrorum conservatione, sine ipsius tamen *Montis pietatis* lucro, seu augmento, moderatum quid et necessarium (puta annuatim, tres, quatuor, aut quinque floreni pro centum) a Mutuatariis exigi, et praestari coeptum est.

121 Vix autem innotuit, statim aliqui, in specie Cajetanus *Comment. de Monte pietatis, cap.* 1. Sotus *lib.* 6. *de Justit. q.* 1. *cap.* 6. Scriptis et verbis contradixerunt hujusmodi *Montibus pietatis* tanquam *usurariis*, eo quod ultra sortem quidpiam exigeretur: unde controversia ista iterato fuit devoluta ad plures summos Pontifices, per quos tamen omnes, ac tandem in Concilio Lateranensi *Sess.* 10. per Leonem X. fuerunt solemniter approbati tanquam liciti, et omni specie mali carentes; ut patet ex Bulla ejusdem, *cum inter nonnullos etc.* ut habetur inter Acta dicti Concilii, cujus partem mox referemus. Quare.

122 Resp. II. *Montes pietatis* esse licitos ac pios, non obstante, quod in debitam Ministrorum sustentationem, atque ad Montis necessariam conservationem, modicum quid ultra sortem recipiatur et exigatur. Patet hoc ex *cit. Concilio Lateranensi*, et Bulla Leonis X. *inter multiplices*, estque undecima inter Constitutiones dicti Pontificis in *Tom.* 1. *Bullarii Cherubini*: quae inter alia §. 4. sic loquitur: *Nos sacro approbante Concilio declaramus, et definimus, Montes pietatis ante dictos per Respublicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicae hactenus probatos, in quibus pro eorum impensis et indemnitate aliquid moderatum ad solas Ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem (ut perfertur) pertinentium pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem absque lucro eorundem Montium recipitur, nec speciem mali praeferre, nec peccandi incentivum praestare, nec ullo pacto improbari, quin imo meritorium esse, ac laudari et probari debere tale mutuum, et minime usurarium putari etc.* Haec ibi, ubi etiam §. 5. sub poena Excommunicationis latae sententiae prohibetur, ne quis de caetero contra praemissa praedicet, aut disputet: ibi: *Omnes autem Religiosos, et Ecclesiasticas personas, qui contra praesentes Declarationes, et Sanctionem formam de caetero praedicare, aut disputare verbo vel scriptis ausi fuerint, Excommunicationis latae sententiae poenam, privilegio quocunque non obstante incurrere volumus.*

123 Accedit ratio in praemissis verbis insinuata; quia quamvis in hujusmodi *Montibus pietatis* aliquid detur ultra sortem id tamen non exigitur, neque datur tanquam lucrum ex *mutuo*, seu pro augmento ipsius *Montis*: sed propter sumptus necessarios ad ipsius *Montis* conservationem, ac pro stipendio Ministrorum, qui *Montem* administrant, et semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, vel etiam quandoque vendenda, ad conficiendos libros Rationum, caeteraque necessaria praestanda. Nam quia *dignus est operarius mercede sua*, ut inquit Christus *Luc.* 10. jure talis a Mutuatariis sustentari merentur, in quorum gratiam laborant, ac inserviunt *Monti pietatis*.

Quibus non obstantibus utique perfectius adhuc et sanctius, indeque optandum foret, si omnino gratis a *Montibus pietatis* indigentibus daretur *Mutuum*, ita, ut neque pro Administratoribus, vel conservatione illius aliquid ultra sortem dare deberent: uti facile fieri posset, si in erectione *Montis*, prout optat etiam Leo X. in citata Bulla §. 4. illis verbis: *Multo tamen perfectius, multoque sanctius forut, si omnino Montes gratuito constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos Census assignarent, quibus si non omni, saltem media ex parte hujusmodi montium ministrorum solvantur expensae, ut ad leviorem aeris solvendi portionem, medio hoc pauperes gravari contingat, ad quos cum hujusmodi Census assignatione pro impensarum supportatione erigendos Christi fideles majoribus Indulgentiis invitandos decernimus.* 124

Vel si Congregatio pia erigeretur, cujus Membra gratis, et ex charitate *Montem* administrarent, solo contenti merito, de Indulgentiis inde lucrandis, prout laudabilissime, et sanctissime fit *Frisingae*, ubi per Reverendissimum, et Celsissimum S. R. I. Principem et Episcopum moderuum erecta, atque ab Innocentio III. confirmata, variisque Indulgentiis decorata est Congregatio charitatis erga pauperes, cujus Directores et Ministri cuncta, ac inter alia etiam *Montem* pietatis eidem incorporatum gratis administrant, ita ut *Mutuum a Monte pietatis* accipientes, nec pro *Montis* conservatione, nec pro Ministris illius aliquid vel minimum dare debeant, ac insuper illud beneficium habeant, quod sortem, seu summam Capitalem *mutuo* acceptam, non simul et semel solvere teneantur, sed per partes, et successiva solutionem praestare possint; dummodo tempore praefixo tota Summa solvatur. In qua insigni, et laudabilissima charitate ut Deus *Frisingenses* conservet, et alios ad imitandum efficaciter moveat, optandum et sperandum: in cujusvis loci Communitate saltem aliquos reperiri sit, qui ex charitate erga Deum et proximum laborem hujusmodi gratis in se suscipere non detrectarent, modo adessent, qui opus hujusmodi sanctissimum inchoarent. 125

§. VIII.

De Censibus, an sint liciti, vel usurarii?

SUMMARIUM.

126 Census *quid?*
127 Censuarius, *et* Censualista *quis dicatur?*
128 Census *contractu aliquo permutationis, donationis, vel et quidem praecipue venditionis constitui potest.*
129 Census *varie dividitur: Et quidem alius est* reservativus:
130 *Alius* consignativus.
131 Consignativus *alius est* realis, *alius* personalis.
132 *Alius* mixtus,
133 *Alius* pecuniarius, *alius* fructuarius.
134 *Alius* certus, *alius* incertus.
135 *Alius* temporalis, *alius* perpetuus: *et hic alius* redimibilis, *alius* irredimibilis: temporalis *alius ad certum tempus*, *alius* vitalitius.

136 *Proponitur status controversiae.*
137 Census realis *consignationis Emptione constitutus licitus, et ab usura immunis est.*
138 *Probatur ratione.*
139 Census *praefatus* realis *ex parte Venditoris* redimibilis *omni Jure licitus est.*
140 Census *vero ex utraque parte* redimibilis.
141 *Sicut et* Census *perpetuo* irredimibilis, *Jure naturali quidem licitus,*
142 *Humano autem tam Civili, quam Ecclesiastico prohibitus est.*
143 *Consuetudine tamen, uti in Germania, licitus reddi potest.*
144 *Ita tamen, ut pro utroque hoc* Censu *majus detur pretium.*
145 *Proponuntur, et solvuntur Objectiones contra* Censum realem, *praesertim ex utraque parte* redimibilem, *et* perpetuum *: et duobus num. seqq.*
146 Census *quomodo differat a* mutuo?
147 *Observatur inaequalitas, et quomodo?*
148 *Ut* Census realis *sit licitus, de Jure natura requiritur* I. *Ut super re frugifera constituatur.*
149 II. *Ut justo pretio ematur, quod in Germania est centum pro quinque annuis.*
150 III. *Ut si res* Censui *subjecta, ex toto, vel ex parte perit, aut infrugifera reddatur, ex toto, vel ex parte pereat quoque* Census.
151 IV. *Ut res* Censui *subjecta invito Censualista non alienetur in talem, a quo* Census *facile haberi nequit.*
152 *Praeter has conditiones Jure naturae requisitas, requirantur insuper aliqua Jure humano. Et quae?*
153 *Bulla Pii V. certas conditiones ad* Censum *requirens.*
154 *Quae Bulla omnes revera obligat.*
155 *Ubi recepta, et per consuetudinem contrariam abrogata non est,*
156 *In Gallia, Germania, Belgio recepta non est, et propterea ibidem etiam* Census *ex utraque parte* redimibiles *super quacunque re constitui, et pro centum florenis jus percipiendi annuos emi, consequenter usurae facile evitari possent.*
157 *Etiam* Census personalis *de Jure naturae est licitus.*
158 *Probatur a simili.*
159 *Differentia aliqua inter* Censum personalem, *et* realem.
160 *De Jure humano* Census personalis *non licet ibi, ubi Jus illud receptum est, bene vero alibi.*

126 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Census*? Resp. I. Quamvis nomen *Census* varie accipiatur, ita ut quandoque sumatur pro aestimatione bonorum: quandoque pro ipsis bonis seu fortunis, quae censentur, juxta illud Poetae: *Dat Census honores, Census amicitias.* Quandoque pro tributo, ut Matth. 22. *Licet censum dare Caesari, an non?* tamen ad propositum proprie loquendo, *Census est jus contractu aliquo constitutum percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius.* Ita Lessius *lib.* 2. *de I. et I. cap.* 22. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 65. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. *n.* 1. dicitur primo: *Jus percipiendi annuam pensionem etc.* nam quamvis interdum ipsa *Pensio* vocetur *Census*, proprie tamen loquendo *Census* non est ipsa *Pensio*, sed jus eam exigendi. Et hinc si per contractum quis vendat *Censum*, non vendit pecuniam aut fructus annuos, sed jus quoddam, ratione cujus Emptor *Census* potest annuatim exigere certam pecuniam, aut fructus ex re alterius.

127 Porro Venditor *Census*, id est, ille, qui accepta certa pecuniae quantitate supponit rem suam *Censui*, sese obligando ad solvendam annuatim certam pensionem ex ea, dicitur *Censuarius*. Qui vero pretium dedit, sicque *Censum*, seu jus percipiendi pensionem annuam ex re alterius emit, vocatur Censualista. Pirhing *loc. cit.* et alii.

128 Dicitur 2. *Contractu aliquo constitutum*. Per quod differt *Census* a pensione illa, quae quandoque constituitur in Beneficiis Ecclesiasticis auctoritate Superiorum, v. g. Parocho seni Parochiam resignanti ad sustentationem vitae. Dicitur 3. *Super re vel persona alterius*: Tum quia datur etiam *Census personalis*, ut infra *num.* 140. dicetur. Tum quia per hoc differt *Census* ab *Emphyteusi*, siquidem in hac, sicut et in *Feudo* dominium directum manet penes Dominum, utile vero transit in *Emphyteutam* vel *vasallum*: Secus fit in *Censu*; nam *Censualista* nullum habet dominium in re *Censuali* (quae proinde simpliciter est alterius) sed jus duntaxat percipiendi ex ea quot annis certam pensionem, mediante contractu emptionis, permutationis, vel donationis sibi competens.

129 Resp. II. *Census* varie dividitur. Et quidem Primo in *reservativum* et *consignativum*, dein in *realem* et *personalem*, in *perpetuum* ac *temporalem*, ut alias faciliores ejus divisiones taceamus. *Census reservativus* dicitur, cum quis rem suam pleno jure dominii (id est, tam quoad dominium directum, quam utile) transfert in alium donando, legando, vendendo, aut permutando, reservata sibi annua pensione ex re illa praestanda. Et de hoc fit sermo *L. ult. C. de Rerum permutat.* ibi: *Ea lege rebus donatis Candido, ut, quod placuerat, annuum sibi praestaret.* Quomodo Joseph Ægyptiis dedit terras prius titulo permutationis cum tritico subjectas dominio Pharaonis, sub annuo *Censu* Pharaoni praestando. *Genes. cap.* 47. ℣. 24.

130 *Census consignativus* dicitur, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum ac utile retinet, vel etiam super persona sua alteri jus pensionis annuae consignat: qui *Census* quamvis alteri constitui possit mediante contractu donationis, venditionis, vel permutationis, aut alio consimili modo, tamen in proposito occasione materiae *usurarum* praecipue agitur de eo, qui emptione constituitur, utpote de quo est praecipua difficultas, an sit *usurarius* nec ne? dum v. g. centum florenis a te emo jus percipiendi in annos singulos ex agro tuo scapham frumenti, vel e Domo tua quinque florenos: in qua acceptione *Census consignativus* est veluti species quaedam emptionis ac venditionis, unde et in Jure Canonico in *Extravag.* Martini V. et Calisti III. quarum qualibet incipit, *Regimini*, de eo agitur sub Titulo, *de Emptione*, et *venditione*.

131 *Census consignativus* ulterius dividitur in *realem* et *personalem*. *Realis* est, qui fundatur sub certa re una, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda sit, v. g. super domo, agro, vinea etc. et ideo comitatur rem, ad quamcunque possessorem pervenial, donec *Census* redimatur. *Census personalis* est, qui fundatur super certa persona, obligante se ad annuam pensionem ex industria, arte, opificio, vel aliunde solvendam sine ordine ad aliam rem, ex qua pensio sit solvenda: quamvis interdum securitatis gratia fundus aliquis *Hypothecae* supponatur, ut ex eo praestetur pensio, si haec e persona debitrice nequeat obtineri.

132 Addunt Doctores *Censum mixtum*, qui videlicet constituitur super re, et super persona immediate, ita ut etiamsi res pereat, persona tamen maneat

obligata. Nam secne fit in *Censu mere reali*, ibi re ee parte vel in totom pereunte, perit simpliciter *Census* ee parte vel ex toto, ut emplius iofra dicetur.

133 3. Dividitur *Census in fructuarium*, et *pecuniarium*. *Fructuarius* dicitur, ee quo debentur fructus, at frumentum, vinum, et hujusmodi. *Pecuniarius* est, ee qoo debetor pecunia, id est certa quantitas ejus.

134 4. Dividitur in *certum*, et *incertum*. *Census certus* dicitur eum certe pecunia, vel fructuum summe in pensionem constitutá est, ut quinque floreni, vel duae scaphae frumenti. *Census incertus* est, eum indeterminata pars fructuum, v. g. tertia, vel qoiota annuatim solsenda constituitur: eicut fecit Joseph in Ægypto.

135 Insoper ratione temporis futari, dividitur *Census* io *perpetuum*, et *temporalem*. *Perpetuus* est, qoi nullum determinatum tempus habet, eed vi conseationis perpetuo durat. Et hic ulterius dividitur io redimibilem, et quidem vel ex parte solius venditoris, ite ut ei liceat restituto pretio ob obligatiooe solvendi *Censum* se liberare: vel ex parte solius Emptoris, ita, ut hic resignato *Censu* possit pretium suum repetere: vel ex parte utriusque, ita ut tam Veoditor restituto pretio *a Censu* se liberare, quam Emptor resignato *Censu* pretium pro eo prius expensum iterum repetere pro libitu valeat. Et io *irredimibilem*, qui emplius redimi nequit. *Temporalis* etiam subdividitur in eum, qui extenditur ad certum tempus, v. g. ad 30. vel 50. ennos: et in eom, qai extenditur ad tempus incertom, puta, ad vitam unius hominis, vel duorum, et hic *Census* proprio nomine dicitur *Vitalitius*.

136 Explicata iteque natura et varietete *Census*, summe practica et magni momenti examinanda venit controversia, ea, et qui *Census* sint liciti, vel usurarii? ubi tamen praemittendum, non esse hio controversiam et quaestionem de *Censu reservativo*, hunc enim licitum esse, probat exemplum Josephi Proregis Ægypti, et communiter affirmant Doctores. Sed de *Censu consignativo*, et quidem constituto per venditionem et emptionem: nam si is constituatur per legetam, eut per donationem, minor est difficultas, et nullum periculum *usurae*. Emptiones vero *Censuum* seu *Censualium* reddituum omni tempore nonnihil visas esse, auspectas, et ad instar clypei pro subterfugiendis *usuris* adinventas, recte cum aliis notat Fagnanus c. *in civitate. Tit. de usuris*. n. 19. Hinc

137 Quaeritur II. An *Census consignativus realis*, per emptionem et venditionem constitutus sit licitus vel potius *usurarius*? Resp. I. *Census hic realis* tam pecuniarius, quam fructuarius *redimibilis* ee parte venditoris est licitus, si eo pretio fuerit emptus, quod vel lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit. Ita communissime, et hodie certa Doctorum sententia, utpote clare decisa in *Extravagantibus Martini V. et Callisti III.* quae habentur in Jure Canonico inter *Extravag.* communes Tit. *de Emptione et venditione*: ubi ex professo definitur, ejusmodi contractus *Censuales*, seu *Census* emptos, in quorum redditibus ac fructibus plerseque Monasteriorum, Hospitalium, Ecclesiarum, et Beneficiorum Ecclesiasticorum fundationes atque proventus consistere dignoscebantur, *esse licitos, Jurique conformes, et vendentes eosdem ad ipsorum solutionem Censuum et redditaum, juxta dictorum contractuum tenores efficaciter teneri etc.* Eundem *Censum* approbavit etiam Pius V. in Constitutione *Cum onus Apostolicae*, iofra allegenda.

138 Ratio est: Tam qoia *usura* non committitur, praeterquam in *Mutuo*, *arg. c. Si foeneraveris. et seqq. 14. quaest.* 3. et patet ex ipsa definitione *usurae* allata *n.* 3. Atqui in *Censu* non intervenit *mutuum*, sed verus contractus venditionis vel emptionis: nam *Censuarius* vendit sub certa pecunia ipsi *Censualistae* jus percipiendi fructus aliquos ex suo agro, praedio etc. ergo. Tum quia *Census realis* est veluti pars quaedam ususfructus: nam continet jus percipiendi partem fructuum, sive annoorum redditaum: ususfructus autem, sive jus percipiendi fructus praedii alieni licite emi potest, *arg. l. Necessario* 8. §. *fin. ff. de Periculo rei vendit.* Accedit, quod *Census realis* titulo donationis et legati indubitate constitui possit, ergo etiam titulo emptionis. Et hae rationes militant non tantum de *Censibus* antiquis, sed etiam de uovis, seu de novo sub certa numeratione pecuniae constituendis; sicut nec Extravagantes *n. praeced.* citatae distinguunt inter *census* antiquos et novos: unde et hos esse licitos passim fatentur Doctores, dummodo observentur certae conditiones infra ponendae.

Dicitur autem notanter in Conclusione *n.* 137. posita: *Census realis redimibilis ex parte venditoris*; 139
quia de hoc expresse loquuntur, eumque ut licitum approbant praefatae Constitutiones Pontificiae supra allegatae. Num autem, et quo Jure licitus sit *census ex utraque parte redimibilis*, et *irredimibilis*? dabunt Conclusiones sequentes.

Resp. II. Loquendo *de Jure naturali* etiam ex 140
parte Emptoris seu *censualistae redimibilis census realis consignativus* licitus, et ab *usura* immunis est, Lessius *lib.* 2. *de I. et I. cap.* 22. *n.* 56. Layman. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 18. *n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 71. Engel *h. t.* §. *Verum quidem. n.* 22. Gabriel iu 4. *dist.* 15. *q.* 12. *art.* 2. *Concl.* 4. Medina *q.* 15. *De rebus per usuram acquisitis* §. *Quae de Pacto*. Conclusio praeter rationes supra n. 137. allegatas inde probatur: Tum quia pactum redimendi ex parte utriusque etiam aliis emptionibus apponi potest, prout cum aliis bene docent Covarruvias *lib. Variar. Resolut. cap.* 2. *n.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 120. Tum quia universaliter tractatus ex conventione legem accipiunt, *c. Contractus.* 85. *de Reg. Jur. in* 6. et *l. Contractus.* 23. *ff. eod.* Tum quia onus *Censuario* impositum, quod pretium pro libitu *censualistae* reddere debeat, si hic *censum* remittat, ad aequalitatem compensari potest, solvendo majus pretium pro *censu*.

Resp. III. Etiam *census realis perpetuus*, et ex 141
utraque *irredimibilis* licitus, atque ab omni *usura* immunis est, loquendo de Jure naturali. Lessius *loc. cit. cap.* 22. *n.* 34. Layman *loc. cit. n.* 3. *et* 7. Pirhing *h. t. n.* 64. Haunoldus *tract.* 18. *n.* 338. Conclusio probatur iisdem rationibus, quibus praecedens. Et confirmatur a paritate cum licita emptione perpetui, et irredimibili ususfructus: quod enim Juris est de toto quoad totum, est etiam de parte quoad partem, *l. quae toto. ff. de R. J.* Accedit, onus Venditori incumbens, quod *censum* redimere nequeat, posse aucto pretio compensari.

Dicitur autem notanter in utraque Conclusione, 142
loquendo de Jure naturali; quia loquendo de Jure humano Civili, et Ecclesiastico uterque, scilicet tam *census* ex utraque parte *redimibilis* quam *perpetuus*, et ex utraque parte *irredimibilis* expresse prohibitus est. Prior quidem a Pio V. in sua Constitutione *cum onus*. §. 12. ubi penitus prohibetur, quod Emptor pro libitu repetere possit pretium: et a Carlo V. in Comitiis Augustanis *Anno* 1548. *et* 50. celebratis sub Titulo *de usurariis contractibus*, quibuscum concordare videntur Extravagantes *num.* 137. citatae, hoc ipso, quod redemptionem *census* soli venditori permittunt; idque propter periculum *usurariae* intentionis, quae in

hujusmodi Censu facile praesumitur in Foro externo, uti bene advertit Laym. *cit. cap.* 18. *n.* 6. Engel *h. t.* §. 2. *n.* 22. et alii: Alter vero seu *census* ex parte utraque *irredimibilis* per ambas Extravagantes *n.* 137. citatas, item per infra *n.* 153. adducendam Constitutionem expresse velint, ut semper in potestate et libertate Venditoris maneat, *censum* venditum pro libitu redimere, restituendo iterum pretium Emptori.

143 Quoniam vero ambo hi *census* Juri naturali, vel Divino non adversantur per dicta *num.* 140. *et seq.* sed soli humano *num. praeced.* allegato, contra jus humanum autem valida et licite sit consuetudo *c. fin. de Consuetud.* etiam licite et valide practicari poterit, uterque tam *irredimibilis* videlicet ex omni parte, seu perpetuus, quam redimibilis ex utraque parte, in locis, ubi praefatae Constitutiones humanae Civiles, et Ecclesiasticae vel non sunt usu receptae, vel per consuetudinem contrariam legitime praescriptam quoad hoc abrogatae, prout videtur, rem se habere in Germania, utpote in qua teste Laymano *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 18. *n.* 6. Pirhing *h. t. n.* 72. Engel *eod. loc. cit.* consuetudine introductum habetur, quod etiam *census* ex utraque parte *redimibiles* emantur, dando pretium centum florenorum pro jure percipiendi singulis annis quinque.

144 Notat tamen Leyman *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Lessius, Gabriel, Medina, citati *nu.* 140 aequum videri, ut pro *censu* ex utraque parte *redimibili* minus pretium detur, quam ex parte solius Venditoris *redimibili*; cum enim Venditori magis favorabile, et econtra Emptori magis onerosum, consequenter pretio aestimabile sit, quod ille restituendo pretium pro libitu redimere possit *censum*, hic vero pretium pro *censu* expensum amplius repetere non possit, sed nolens volens pro libitu venditoris relinquere debeat, utique minori pretio talis *census* emi potest, quam si ex utraque parte redimi valeat, adeo ut si vi consuetudinis pro *censu* ex utraque parte *redimibili* annuorum 5. florenorum dantur centum; pro *censu* ex parte solius venditoris *redimibili*, seu pro jure percipiendi annuatim 5. florenos, sufficiens pretium videantur 80. floreni.

145 Objicies contra utramque conclusionem *n.* 140. *et* 141. positam, et doctrinam inde a *n.* 142. deductam: *Census* ex utraque parte *redimibilis* non videtur differre a *mutuo*; utpote in quo, sicut in illo Debitor sortem acceptam pro libitu restituere, et Creditor illud repetere potest; ergo sicut in *mutuo*, ita in isto usurarium erit aliquid ultra sortem, vel pretium datum exigere. Resp. Negando *Ant.* et paritatem: Disparitas est: Tum quod, uti Doctores communiter bene colligunt, ex allegatis *n.* 137. Extravagantibus; etsi in *mutuo* bona et facultates *Hypothecae* pereant, tamen Debitor nihilo minus ad restitutionem *mutui*, et *usurarum* obligatur; econtra vero in *censu reali*, si res, ex qua *census*, seu jus annuum ex ea percipiendi fructum, casu perit, pereat quoque *census*, et facultas repetendi pretium pro ea expensum per dicenda infra *n.* 150. Tum quia in contractu *censuali* vera intervenit emptio et venditio, ergo differt a *mutuo*, et consequenter *usuram* non involvit, utpote, quae in solo *mutuo* datur, per dicta supra *n.* 138.

146 Dices, est contra naturam pecuniae, et emptionis, quod una pecunia praesenti, ematur pecunia futura annuatim percipienda; cum pecunia ex sua natura sit instituta, ut per eam emantur aliae res pretio aestimabiles, et quidem praesentes, non futurae; ergo. Resp. In contractu *censualis* non emi ipsam pecuniam, sive praesentem, sive futuram tanquam mercem, sed jus praesens percipiendi suo tempore pecuniam; quod jus *non* minus ac alia Jura incorporalia vendi potest. Nec contra naturam emptionis est, quod jus hujusmodi non statim, sed in futurum primum currat; cum etiam jus percipiendi futuros fructus agri, vineae, emi valeant. *l. Nec emptio* 8. *ff. de Contract. emption.*

Urgebis: In contractu emptionis debet esse aequalitas inter mercem et pretium, *per vulgarin*; atqui haec non datur in *censu* praesertim *redimibili ex* utraque parte vel perpetuo; cum enim venditor *censum* praeter totum pretium centum v. g. florenorum acceptum debeat Emptori restituere singulis annis quinque, idque in *censu perpetuo* ita continuare, ut successu temporis in duplo, triplo, vel ultra restitui debeat pretium solutum, plane adesse non videtur aequalitas ad emptionem requisita. Resp. Inaequalitatem hanc evitari, vel potius varie compensare aliunde; et quidem partim ob periculum amittendi et pretium, et *censum*, casu, quo res *censui* supposita perit: partim propter advenientem aliam impossibilitatem denuo recuperandi, qua forsan emptor indigeret ad facienda lucra, vel vitanda damna: partim quia ob molestias et expensas, quas *Censualista* saepe pati debet pro perceptione *census*: partim etiam, quod pretium pro *censu perpetuo*, vel etiam ex utraque parte redimibili possit augeri. Caeterum fateor, nec Censum ex utraque parte *redimibilem*, nec *perpetuum* practicari posse in locis, ubi consuetudo non est; quia hic alicubi non extante intrant, et obligant Constitutiones tum Civiles, tum Ecclesiasticae *n.* 141. allegatae, praefatos *census* expresse prohibentes. 147

Quaeritur III. Quae conditiones requirantur ad hoc, ut validus ac licitus sit Contractus *censualis*? Resp. Ut contractus *Censualis* sit licitus ac justus, Jure naturae requiruntur sequentes conditiones. *Prima* est, ut *census* constituatur in re frugifera, quae affert utilitatem et fructum, ut est ager, domus, et hujusmodi: nam vi *census* venditur jus percipiendi fructus alicujus *rei*, consequenter haec debet esse frugifera. Unde si res fructum, vel redditus annuos non fert, et ferre non potest, super ea *census* constitui non valet; imo si quidem fructus, sed pauciores singulis annis affert, quam *census* exigat, eatenus, quatenus minus fert, super re frugifera impositus censetur. Molina *de Justit.* et *Jur. Disp.* 389. *n.* 12. Pirh. *h. t. n.* 78. Medina *de Usuris q.* 12. cum communi aliorum. 148

Secunda conditio Jure naturae requisita ad contractum *censualem* est, ut justo pretio Census vendatur et ematur: haec enim conditio ex natura rei requiritur ad quamcunque venditionem et emptionem. Censetur autem justum pretium, quod vel lege, vel consuetudine, aut saltem iis deficientibus arbitrio proborum et prudentum virorum taxatum est: quale in Imperio Romano censetur esse centum pro quinque annuatim praestandis, per Constitutionem Caroli V. editam *in Comitiis Augustanis Anno* 1548. 149

Tertia conditio est: quod si res censui subjecta, pro parte aut ex toto pereat, vel in perpetuum (secus si ad modicum tempus cum relusione fructuum alio tempore percipiendorum) infrugifera reddatur, pro rata seu justa commensurationem etiam ex parte, aut ex toto *census* pereat. Siquidem *censualista* habet jus ad fructus rei, seu est dominus hujus juris, quaelibet autem res domino suo fructificat aut perit. Hinc si casu fortuito domus censui subjecta pereat absque culpa *censuarii*, perit *census*: secus, si pereat, v. g. incendio ex culpa *censuarii*, nam tunc is vel debet refundere pretium *census*, vel hunc super alia re immobili constituere, ut post Lessium *lib.* a. *cap.* 22. *n.* 86. 150

Molinam *disp.* 391. *n.* 3. Tannerum, ac communem aliorum notat Pirhing *h. t. n.* 80. pluribus hanc conditionem explicans.

151 *Quarta* conditio est: ne res censui subjecta, sine consensu *censualistae* alienetur in talem, a quo Census vel simpliciter, vel sine difficultate haberi non posset. Pirg. *loc. cit. num.* 81, Sotus *lib.* 6. *q.* 5. *a* 3. Ratio patet, quia alias jus *censualistae* redderetur deterius.

152 Resp. II. Praeter has Jure naturae ad *censum* requisitas conditiones sunt nonnullae aliae, quae vel in duabus Extravagantibus Martini V. et Callisti III. indicantur, vel in Bulla B. Pii V. quae incipit, *cum onus Apostolicae*, *Anno* 1569. super *censibus* edita de novo requiruntur: ut quod *census* nonnisi super re frugifera de sui natura, et immobili, vel quae pro immobili habetur, constituatur; ut *census* imposterum non nisi *redimibiles* constitui possint, consequenter perpetui non valeant; ut pretium *census* ab invito repeti non possit, praeterquam si *censuarius* denuntiaverit, se traditione pretii velle *censum* extinguere; consequenter non procedant *census* ex utraque parte *redimibiles*; ut census augeri super eadem re constitui non possit, et hujusmodi, prout videre est in citatis Extravagantibus Martini V. et Callisti III. *Regimini. de Emption. et Vendition.* et praesertim Bulla Pii V. hic annexa.

Pius V. Episcopus
Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

153 Cum onus Apostolicae servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuisse, et in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limitas a nostris Antecessoribus eisdem contractibus statutos, verum etiam quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiae stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum prae se ferunt, non potuimus animarum, prout tenemur saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, lactiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

§. 1. Hac igitur nostra Constitutione statuimus, censum seu annuum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quae pro immobili habeatur, de sui natura frugifera, et quae nominatim certis finibus designata sit.

§. 2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, praesentibus testibus, ac Notario, et in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro justo pretio.

§. 3. Solutiones, quas vulgo anticipatae appellant, fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

§. 4. Conventiones directe vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

§. 5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper et libere, ac sine solutione Laudemii seu quinquagesimae, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

§. 6. Ubi autem vendenda sit, volumus dominum census aliis omnibus praeferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, et per mensem exspectari.

§. 7. Pacta continentia morosum Census debitorem teneri ad Interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu certas expensas aut certa salaria, aut ad salaria seu expensas medio juramento Creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ac toto irrita sint, et nulla.

§. 8. Imo et censum augeri, et novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personae per eum suppositae pro censibus temporis vel praeteriti, vel futuri omnino prohibemus.

§. 9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure, et ex natura contractus non specterent.

§. 10. Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte affecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui: Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imo centum et plurium annorum praescriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscunque verbis, aut clausulis concepta sint.

§. 11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit, et post denunciam, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, et ubi pretium nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigetur, volumus nihilo minus quandocunque redditum extingui posse, praevia tamen semper denuncia de qua supra et non obstantibus his, de quibus supra, idque observari mandamus etiam quod pluries denuntiatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

§. 12. Pacta etiam continentia pretium census extra casum praedictum, ab invito, aut ob poenam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus.

§. 13. Contractusque sub alia forma post hac celebrandos foeneratitios judicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse vel tacite contra haec nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a Fisco volumus posse vindicari.

§. 14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato quocunque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuo, et in omnibus servari volumus.

§. 15. Declarantes pretium semel censui constitutum, nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quod ultimo contrahentes minui vel augeri.

§. 16. Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratus non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censurae bonorum Religiosorum subjiciant, et animarum saluti consulant.

§. 17. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, statutis, et consuetudinibus, nec non privilegiis et litteris, etiam per quoscunque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec non irritantibus Decretis, ex quavis causa etiam per modum legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, communitatum, Collegiorum, Congregationum, Civitatum, et locorum concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, quatenus directe vel indirecte praesenti nostrae Constitutioni in toto vel in parte contrarientur, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

§. 18. Volumus autem, quod praesentes in Cancellaria et acie Campi Florae publicentur, et inter Constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

§. 19. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus et etiam declaramus,

quod earum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii subscriptis, ac sigillo alicujus Praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis, annullationis, statuti, mandati, hortationis, derogationis, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis DEI, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo Kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quarto.

Sequuntur declarationes dubitationum desuper exortarum.

Pius Papa Quintus
Ad futuram rei memoriam.

Etsi Apostolica Sedes magna adhibita industria operam det, omnia perspicue promulgare, vis tamen est, ut unquam satis queat usque quoque cavere, quin scrupulosae quorundam mentes, novos illi census inducant, quorum perplexitate, multi in dubium avocentur.

§. 1. Pridem enim per Constitutionem nostram de censuum creatione, inter alia volumus. Census omnes in futurum creandos, non solum re, in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum effecta, ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum census debitorem, ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu salaria, et expensas medio Creditoris juramento liquidandas teneri, aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus, sive ex eodem contracto, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ea tuto nulla atque irrita esse. Censum autem seu annuum redditum, non nisi in re immobili, aut quae pro immobili habetur, ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit, sed nec censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata, praesentibus Notario et testibus in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro, justoque pretio creari, constituive nullo modo posse.

§. 2. Deinde per dilectum filium Octavium Spinulam Regni Siciliae Magistrum Portulanum hac de causa ad nos destinatum, accepimus in dicto Regno Siciliae scrupulum exoriri, an rerum praedictarum infructuositas etiam annualis, aut alias temporalis intelligatur.

§. 3. Et an per nullitatem pactorum, et aliorum praedictorum etiam jus recuperandi, sive repetendi impensas quas litigando contra morosos praedictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex Judicum mandato subire oportet, auferatur.

§. 4. Praeterea, an tam pro ipsis expensis quam etiam pro Censu recuperando contra tertium possessorem procedi? Et etiam Fidejussores dari, aliave bona pro praedii Censu gravati evictione, et ipsius Census solutione hypothecari? Denique an Census hujusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui?

§. 5. Postremo an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat, quominus in dotium assignatione Census creari possit?

§. 6. Nos haec discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore praesentium declaramus, rem infructuosam, quae tota vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva alias Juris communis dispositione, intelligi debere.

§. 7. Praeterea exactionem illarum expensarum prohiberi, quae ex pacto vel conventione tantum inter contrahentes inita, et instrumento Census specialiter apposita relici permittuntur, non autem eae, quae ex dicti Juris dispositione repetundae veniunt, et mandato Judicis adjudicantur.

§. 8. Cautorum Fidejussores dati, aliave bona hypothecari pro praedii Census gravati evictione, aut si praedium in alium devenerit, aut si aliquis tertius Fidejussor intercesserit, tertium possessorem, vel ejus bona obligari minime prohibemus. Haec autem omnia pro evictione duntaxat, non autem solutione poenae adjudicari posse intelligimus.

§. 9. Postremo in Dotium assignandarum casu Censuum erectionem, et constitutionem praedictam respectu actualis numerationis coram Notario et testibus faciendae locum non habere. Sed in hoc casu Census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

§. 10. Denique, ut periculis, quae ex transportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur, permittimus, ut si in creatione Census pecuniam ad manum commode haberi nequiverit, illius loco Emptor apodixam, sive schedulam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

§. 11. Constitutione nostra praedicta, caeteris in casu Dotium quam caeteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

§. 12. Volumus autem ut praesentium exempla etiam impressa, Notarii publici manu, et Praelati Ecclesiastici, ejusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus, tam in judicio, quam extra illud, fidem faciant, quam ipsemet praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 10. Junii 1570. Pontificatus nostri anno 5.

Resp. III. Quamvis nonnulli ut Navarrus *de* 154
Usuris. n. 69. *et* 70. Sa v. *Census.* Velint, hanc Constitutionem Pii V. solam praesumptionem *usurae* esse lata, consequenter in conscientia non urgere, ubi *contractus censualitius* ab *usura* alias immunis est, tamen omnino dicendum videtur, dictam Bullam, ubi usu recepta, et per consuetudinem contrariam abrogata non est, absolute obligare. Castro Palao *part.* 7. *Tract.* 3a *Disp.* 6. *pun.* 13. *num.* 4. eoque teste caeteri Doctores omnes. Ratio est: quia revera ibidem praescripsit formam contractui, ne praetextu Census exerceantur *usurae*: ergo.

Dicitur autem notanter, *ubi Bulla recepta, et per* 155
consuetudinem contrariam abrogata non est. quia ubi vel non recepta, vel primitus recepta, postea per consuetudinem contrariam iterum abrogata est, mique in nullo Foro obligat, cum lex humana usu non recepta, vel per consuetudinem contrariam abrogata vim obligandi non habeat, per ea quae copiose circa hoc dicta sunt *Lib. I. Tit. II de constitut.* § *VI.* et c. *fin. de Consuetud.*

Hinc, quia teste Lessio *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 13. 156
et experientia, dicta Bulla Pii V. in Gallia, Belgio, Germania etc. usu recepta non est, ibi non obligat, consequenter valide ac licite ibidem fiunt contractus *censuales*, et emuntur *census* etiam ex utraque parte *redimibiles*, et *perpetui* quoque super bonis in genere, indeque *usurae*, quae in *mutuo* timentur, facile evitari possunt, si videlicet loco *mutui* ematur *census*, sive ex utraque parte *redimibilis*

Quaeritur IV. Num etiam *census personalis* sit 157
licitus? Resp. Etsi non pauci Doctores *negativam* teneant, nihilo minus loquendo de Jure naturali

licitam esse emptionem *census personalis*; dummodo persona, in qua *census* constituitur, sit frugifera, id est talis, quae sua arte, opera, vel industria fructum aliquem pariat, unde *censum* solvere possit. Ita citatus Lessius *n.* 18. *et seqq.* Abbas *in c. in civitate. h. t. n.* 7. Gailus *lib.* 7. *Observat.* 7. nu. 13. Laymen *nu.* 7. et alii. Ratio est; quia etiam hic solummodo venditur jus, annuatim percipiendi aliquid ex lucris, quae *censuarius* sua industria annuatim acquirit: ergo videtur eadem ratio, quantum est ex natura rei, et seclusa omni prohibitione humana, quae urget de *censu* in agris, aut aliis rebus immobilibus constituto.

158 Confirmatur. Potest super industria hominis constitui obligatio solvendi annuatim aliquid ex suis lucris per modum decimarum, vel tributorum, quae dicuntur personales. *arg* c. *Ad Apostolicae*, et *c. Pastoralis. de Decimis*, et in Tributis, de quibus fit mentio. 2: *Esdrae cap.* 10. Nihil autem obstat, similem obligationem vendi posse; ergo.

159 Verum quidem est, esse notabilem differentiam inter *censum personalem*, et *realem*; Nam si Debitor non sit solvendo, potest praedium *censui reali* subjectum vendi, aut in dominium vindicari: secus fit in *censu personali*, quia persona libera non potest in servitutem redigi propter debita. Omitto alias differentias.

160 Dicitur autem notanter *de Jure naturali*; quia sicut ex utraque parte *redimibilis*, et perpetuo *irredimibilis*, ita etiam *personalis census* per Constitutiones Pontificias supra citatas prohibitus est; consequenter nonnisi in locis, ubi illae vel non receptae, vel abrogatae sunt, valet.

§. IX.

De Obligatione solvendi Usuras, et de dominio solutarum, nec non de Restitutione earundem.

SUMMARIUM.

161 *Debitor ex mutuo non tenetur solvere promissas, vel pactas* usuras.

162 *Nisi juramento ad eas solvendas se obstrinxerit.*

Quod tamen juramentum remittere debet Creditor. Ibid.

163 *Qui* usuras *etiam ex juramento debitas solvit, potest eas coram Judice iterum repetere.*

164 *Quid, si juravit, se non repetiturum illas?*

165 Usuras compensatorias, *aut* moratorias, *aut alio titulo receptas nemo obligatus est solvere.*

166 Usurarius *acquirit dominium rerum per* usuram *receptarum, si aliis ipsius bonis propriis permixti, aut confusi sunt, ut discerni nequeant.*

Commixtione, et confusione acquiritur rei alienae dominium. Ibid.

167 *Minime vero illarum rerum, quae ita permixtae non sunt.*

168 Usurarius *praeter rem* usura *acceptam tenetur etiam restituere fructus illius, si est frugifera.*

169 *Non vero fructus, seu lucrum mediante pecunia usuraria per industriam acquisitos.*

170 *Solvitur objectio.*

171 Usurarius *tenetur* usuras *acceptas restituere, et cui?*

172 *Etiam Judaei tenentur ad restitutionem usurarum.*

173 *Sicut et haeredes* usurariorum.

174 *Non quidem ultra vires haereditatis.*

175 *Bene vero quamdiu aliquid de haereditate superest, etsi res usuraria non amplius adsit.*

Haeredes tenentur ad resarcienda damna a defuncto illata, etsi inde nullum commodum exortum sit damnificanti. Ibid.

176 *Paupertas usurarium, et haeredes illius excusat a restitutione, donec ad pinguiorem fortunam veniant.*

177 Mentalis *usurarius nil restituere tenetur, si nil recipit.*

178 *Vel si ex mera liberalitate creditoris, et non vi mutui quid accipit.*

179 *Usurarius mentalis tenetur ad restitutionem* usurarum *vi mutui receptarum.*

180 *Solvitur Objectio a pari de Simonia mentali.*

181 *Datur disparitas: Et n. seq.*

Quaeritur I. An Debitor promissas aut pactas ob *mutuum* teneatur solvere *usuras lucratorias*? Resp. I. Debitor ex *mutuo* non tenetur solvere veras *usuras lucratorias*, etiamsi eas solvere promiserit, nisi sub juramento ad eas solvendas se obligaverit. Communis et certa, ob claram dispositionem Juris *c. Debitores.* 6. *de Jurejur.* cujus textum lege *n.* 163. 161

Resp. II. Qui non simplici promissione, pactove, aut contractu, sed etiam sub juramento se obligavit ad solvendas veras *usuras ex mutuo*, tenetur quidem illas solvere, nisi Creditor hujusmodi juramentum remittat: nihilo minus potest Creditor adigi, ut juramentum, et per consequens etiam *usurarum* solutionem remittat: casu autem, quo vi juramenti eas jam solvit Debitor, potest illas in judicio repetere, debetque Creditor ad eas debitori denuo restituendas compelli. Rursus communis et certa expresse sic disponente Jure. Et quidem *prima* pars de *remissione* juramenti, *c.* 1. *de Jurejur.* ibi: *Mandamus, quatenus Creditores ad juramenta super usuris sibi praestita, relaxanda, Ecclesiastica districtione cognatis.* 162

Altera vero pars, quod vi juramenti jam solutae *usurae* iterum repeti et restitui debeant, *arg.* cit. *c. Debitores.* 6. *de Jurejur.* ibi: *Debitores ad solvendas usuras, in quibus, se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum. Et cum usurae solutae fuerint Creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastico severitate (si necesse fuerit) compellendi.* 163

Quod si Debitor etiam jurasset, se non repetiturum *usuras* solutas, nihilo minus Creditor compelli potest, ut vel juramentum remittat, vel ab *usurarum* exactione desistat: vel poterit non obstante hujusmodi juramento per Judicem ex Officio compelli ad restituendas *usuras* jam solutas, ita clare statutum habetur c. *Tuas dudum.* 13. *h. t.* ubi etiam ratio redditur illis verbis: *Ne dolo et fraude contingat eos,* (Creditores scilicet) *commodum reportare.* 164

Dicitur autem notanter in utraque Conclusione *num.* 161. et 162. posita, *veras usuras lucratorias*, siquidem ad *usuras compensatorias*, et *moratorias*, seu *punitorias* (de quibus §. 4 *et* 5.) solvendas in utroque Foro tenetur, sicut etiam ad illas, quae aliquo justo titulo verae, et proprie tales *usurae* non sunt. 165

Quaeritur II. An *usurarius* acquirat dominium earum rerum, quas per veram *usuram* accepit? Resp. I. Si per usuram acceptum consistit in pecunia, frumento, vino, vel alia re fungibili, idque jam aliis propriis rebus Creditoris commixtum aut confusum habetur, dominium illius omnino habet Dominus (manente tamen obligatione restituendi idem in aequivalenti per dicenda infra *num.* 171.) Communis et certa. Ratio est: quia etiam rerum alia- 166

narum, quin et furtivarum, vel alias injuste acquisitarum, per admixtionem anm propriis acquiritur dominium, §. *Si duorum.* §. *Quod si Instit. de rerum divis. et l. Si alicui.* 78 *ff. de Solution.*

167 Resp. Si res quaecunque etiam fungibiles cum aliis propriis *usurarii* rebus permistae, aut confusae non sunt, dominium earum nullatenus aaquirit *usurarius.* D. Thomas a. 2. *q.* 78. *art.* 3. *ad* 3. Covarruvias *lib.* 3. *Variar. resolut. cap.* 6. *n.* 3. Sylvaster ℣. *Usura.* 6. *q.* 1. Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. n. 7. cum Communi aliorum contra Glossam *in can. si quis usuram. cau.* 14. *q.* 4. et quosdam alios Ratio Conclusionis est; quia ad acquirendum rerum dominium non sufficit sola traditio, sed requiritur praecedens venditio, vel alia justa causa, *l. Nunquam.* 31. *ff. De acquirend. rerum dominia*; quae justa causa in *usura* non adest, cum *usurus* tradentis voluntas, quam pro sufficienti causa allegant Adversarii, non eit transferre dominium *usurae* in *usurarium*, hoc ipso, quod non censeatur rem *usurariam* Creditori donare, nec per traditionem plus juris in Creditorem transferre, quam quod debet; nil eutem ei debet, per dicta *n.* 161.

168 Confirmatur: *Usurarius* tenetur ad restitutionem rei ut Raptor, *can Si quis usuram. cau.* 14 *q.* 4. Raptor vero, aut Fur dominium rei furtivae non acquirit, *L. in re.* 8. *et L. Sive manifestus.* 10. *ff. de Condict. furt.* Imo, si res frugifera est, tenetur una cum illa etiam fructus inde perceptos restituere; ergo dominium illius non acquirit, cum alias fructus faceret suos, utpote qui ad rei Dominum pertinent, §. *Si quis a non Domino.* 35. *Instit. De rerum divis.*

169 Illud tamen notandum, quod si *usurarius* pecunia per *usuram* accepta quid emat, aut negotietur, inde comparatae rei verum acquirat dominium, teste alaro *l. Si aliena.* 8. *C. Si quis alteri, vel sibi.* Ratio est; quia res per pecuniam usurariam comparatae non sunt fructus pecuniae, utpote ex se sterilis, sed fructus industriae: Quare etiam Depositarius, Fur, et Uxor id, quod ex re deposita, furtiva, vel mariti defuncti ad filium pertinente acquirit, sibi, non aliis acquirit, *l. Si ex ea.* 6. *C. de R V. l. Qui vas.* 48. §. 7. *ff de Furtis l.* 1. *C. Si quis alteri, non sibi.*

170 Nec dicas contra *nu praeced.* doctrinam. Nullus debet ex iniquitate sua referre commodum, ergo nec *usurarius* ex pecunia per iniquitatem usurariam *accepta.* Resp. *usurarium* non referre lucrum ex ipsa *usura*, sed ex propria industria usurariam pecuniam applicante, nec enim iniquum est, ex actu alias malo reportare commodum temporale, prout patet in actu *Meretricio.*

171 Quaeritur III. An *usurarii*, eorumque haeredes teneantur ad restitutionem? Resp. I. Certum est, quod, qui *usuras* recipit, in utroque Foro teneatur ad restitutionem earum, sive Clericus ille sit, sive Laicus. Patet id ex *cap.* 1. *et* 2. *h. t.* Neque enim in uno minor est ratio quam in alio, cum uterque furi ac raptori comparetur, *can. Si quis usuram, cau.* 14. *q* 4. et rem non suam detineat, quo proinde est obnoxia restitutioni: siquidem *peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum*, ut habetur *Regula* 4. *Juris in* 6. et *c. Cum tu h t* Et quidem haec restitutio *usurarii* inprimis debet fieri his, a quibus extortae fuerunt, vel eorum haeredibus, vel, si hi non extent, aut non sint superstites, pauperibus, prout cit. *c Cum tu.* 5 *h. t.*

172 Resp. II. Etiam Judaei compellendi sunt ad restituendas *usuras* extortas a Christianis, per subtractionem communionis Christianorum, vel alias per Principes et potestates saeculares. Ita habetur decisum c. *Post miserabilem.* et c. *Quanto amplias h. t.* Nam generaliter dicitur c. *Si quis usuram.* 14. *q.* 4. ibi: *Si quis usuram acceperit, rapinam facit.* Et constet, Judaeos Jure naturali et Divino *obligari*, quo utroque *usurae* sunt damnatae: neque eos excuset illud *Deut.* 23. de quo diximus supra, cum id Christus revocaverit *Luc.* 6. dicens: *Mutuum date, nihil inde sperantes*: simulque nunc aesseverit ratio dictae concessionis ibidem assignata.

173 Resp. III. Haec obligatio restituendi *usuras* transit ad haeredes *usurariorum*, non tantum suos, sed etiam extraneos. Ita habetur *c. Tua nos. h t.* ibi: *Respondemus, quod Filii ad restituendas usuras ea sint districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur, id ipsum quoque ad haeredes extraneos credimus exercendum.* Et ratio est; quia haeres non fuerunt defuncti, se proinde nec haeredis esse possunt, ne alieno scelere ditescat.

174 Non tamen haeres teneatur ultra, quam fert haereditas *arg. c. In litteris. de Raptoribus*: ibi: *Haeredes ejus moneas et compellas, ut juxta facultates suas* (id est, defuncti, uti ibidem bene advertit Glossa ℣. *Facultates*) *condigne satisfaciant.* Et consordat *l. Ex qua. ff. de R. J.* ibi: *Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum praestare debet.*

175 Caeterum haec obligatio restituendi premit haeredes, etsi res *usuraria* ad eos in natura non devenerit, nec per illam haereditas illorum fuerit aucta, ut post Henricum Canisium *de usuris cap.* 7. *num.* 4. bene advertit Engel *h. t.* §. 3. *n.* 3. quia de Jure Canonico haeredes ad exonerationem conscientiae tenentur pro viribus haereditatis satisfacere cunctis illis, quibus per defunctum damnum illatum est; etiamsi ex tali damno haereditas aucta non sit, *arg. c. fin. de Sepult. et c. In litteris.* 5. *de Rapt.* Et cum haec res salutem animae concernat, et ipsa ratio naturalis dictet, ut injuste laesus ex bonis haereditatis suam capiat satisfactionem, etiam quoad Forum Civili huic dispositioni Juris Canonici se accommodare debet, juxta ea, quae diximus *in Procemio.* §. 12. n *n.* 219.

176 Limitanter tamen doctrinae hactenus in casu, quo *usurarii*, vel haeredes illorum notorie pauperes, ut ad restituendum impotentes existunt. Hi enim, sicut moraliter saltem non posse supponuntur, restituere non tenentur, donec ad pinguiorem fortunam pervenerint, *l. Nam is. ff. de Dolo* et *c. Cum tu.* 5. *h. t.* ibi: *Dummodo in facultatibus habeant*: et infra; *Cum eos nota paupertatis evidenter excuset.*

177 Quaeritur II. An etiam *usura mentalis* obliget ad restitutionem? ubi per *usuram mentalem* non intelligitur nudum propositum *usuras* accipiendi vel exigendi, sed actus ille exterior, qua datur *mutuum* cum intentione recipiendi lucrum vi ipsius, nullo tamen pacto externo superaddito, prout explicavimus supra *n.* 6. Resp. I. Certum est, *usuram mentalem* non inducere obligationem restituendi, si nullum lucrum vi *mutui* fuit subsecutum, seu si Debitor Creditori nullas *usuras solvit.*

178 Resp. II. Insuper si *mutuatarius* ex mera gratitudine, benevolentia, et liberalitate quidpiam dederit ultra sortem, nulla est obligatio id restituendi, quamvis tale lucrum *mutuator* intenderit principaliter, utpote alioquin non mutuaturus, nisi ob perspectam *mutuatarii* gratitudinem tale commodum seu lucrum sperasset. Ita Pirbing *h. t. num.* 133. cum Navarro et aliis communiter. Ratio est clara; quia hic nil intenditur, neque recipitur vi *mutui*, sed ex mera liberalitate et gratitudine *mutuatarii*; unde nec intervenit *usurae mentalis.*

179 Resp. III. *Mutuator* intendens lucrum recipiens vi *mutui* licet sine pacto externo, committit *usuram*

mentalem; et si quid accipiat ultra sortem, quod *mutuatarius* non ex mera liberalitate, sed tanquam debitum ratione *mutui* dedit, tenetur etiam in Foro animae ad ejus restitutitutionem: Ita expresse habetur c. *Consuluit h. t.* juncta Glossa *ibid.* ℣. *Male agere* et omnibus Doctoribus.

180 Nec obstat *cap. ult. de Simonia*, ubi dicitur, quod qui nullo pacto, sed solo animi affectu *Simoniam* commiserunt, non obligentur ad accepti restitutionem, sed taliter *Delinquentibus sufficiat per solam poenitentiam suam satisfacere Creditori*. et consequenter a pari idem videtur dicendum de *usura pure* mentali. Resp. enim I. Licet haec instantia multum torqueat Doctores, disparitatis rationem esse; quia id, quod pro *usura* datur, coacte datur, id est, absque consensu praestito per viam contractus secundum se approbati; quod autem pro *Simonia* datur, sponte datur id est, per contractum emptionis et venditionis, qui secundum se approbatus est, ut explicat Navarrus c. 23. *Monualis*, n. 102. §. *quinta*, et sequitur Valleosis *h. t.* §. 4 *n.* 3.

181 Accedit alia ratio disparitatis ab iisdem Doctoribus assignata. Siquidem in *usura* turpitudo solum est ex parte recipientis; nam *usuro* bene solvitur, sed male recipitur: neque enim *usuram* solvere est peccatum, *arg.* c. *Debitores*, *de Jurejur.* Econtra in *Simonia* est turpitudo ex parte utriusque, cum tam *simoniace* dans, quam recipiens peccet, et male agat: atqui *in pari delicto potior est conditio possidentis*, juxta *R. g.* 65. *Juris in* 6. cum Concordantiis: Quod intellige, nisi aliud Lex specialis disponat, prout fit in Simonia reali, *arg.* c. *de hoc. de Simonia*, non etiam in mentali. Et hinc fit, quod in *Simonia mentali* non tenetur quis receptum restituere, cum par sit suum et dantis delictum; bene tamen receptum ob *usuram mentalem*, ubi dans est innocens, et absque delicto, quia melior conditio innocentis.

182 Fatetur tamen non deesse Doctores, quos citat et sequitur Wagnereck c. *Consuluit. de usuris* volentes, quod *usura* et *Simonia mentalis* Juris Divini atque naturalis ambulent pari passu, ac proinde etiam recepta per *Simoniam mentalem* Juris Divini sint obnoxia restitutioni. Unde ad *cap ult. de Simonia* respondent, ibi esse sermonem de *Simonia mentali* Juris duntaxat Ecclesiastici, quae non obligat ad restitutionem, si sit pure *mentalis*; cum Ecclesia de occultis et mere internis non disponat, neque judicet. Quod autem ibi sit sermo de *Simonia* mere Ecclesiastica, desumunt hi Doctores ex eo, quia agitur de poenia dimissionis Beneficiorum *Simoniace* obtentorum, quae solo Jure Ecclesiastico *Simoniacis* imposita est (nam hanc poenam Deus non imposuit, sed Ecclesia) et ad quam noluit Papa obligare committentes *Simoniam mentalem* duntaxat. Eligatur responsio, quae magis placuerit; mihi *secunda*, et *n. praeced.* allata prae caeteris placet.

§. X.

De Poenis, et Judice Usurarum.

SUMMARIUM.

183 *Poenas* Usurae *non nisi* manifesti usurarii *contrahunt primum post sententiam declaratoriam Judicis.*
Usurarius manifestus *quid sit? Ibid.*
184 Usurarii manifesti *poenae sunt. I. Infamia.*
185 *II. Clericus* usurarius *privatur Beneficio, et fit inhabilis ad aliud.*
186 *III. Laicus* usurarius *subjacet excommunicationi et irregularitati.*
187 *IV. Privatur etiam sepultura Ecclesiastica.*
188 *V. Amittit partem sortis principalis.*
189 *VI. Est inhabilis ad condendum Testamentum, et ad assistendum cidam.*
190 *Sunt praeterea* usurariorum *variae poenae Municipales, uti in Bavaria.*
191 *Licita et utilis praxis reddendi se immunem ab usura et poenis illius tam quoad doctos.*
192 *Quam indoctos praesertim in Germania.*
193 Usura *est mixti Fori non tantum, si est quaestio facti.*
194 *Sed etiam si est quaestio Juris.*
195 *Solvitur Objectio.*
196 *Quando est quaestio de peccato, solus Ecclesiasticus est Judex.*

Quaeritur I. Quaenam sint poenae in *usurarios* 183
statutae? Resp. Praeter obligationem restitutionis Jure Divino debitae, utroque Jure humano multas esse poenas *usurariorum*, sive Clericorum, sive Laicorum, utroque Jure statutas; quae tamen pleraeque solos *usurarios manifestos*, id est, Facto vel Jure tales, constringunt Dicitur autem *manifestus usurarius facto*, qui palam exercet *usuras*, ita, ut nulla tergiversatione id negare valeat. *Jure* autem *manifestus usurarius* dicitur, qui vel hoc Crimen in judicio confessus est, vel de illo convictus; vel de eodem per sententiam Judicis condemnatus. Sylvester ℣. *usura* 9. *q.* 1. Menochius *de Arbit Judic. casu.* 215. *a nu.* 9. et alii volentes requiri insuper sententiam Judicis *usurarii manifesti*, ad hoc, ut poenas Juris incurrat, *arg* c. *Cum secundum.* 19. *de Haeretic. in* 6.

Primo itaque eorum poena est, quod *usurarii* 184
manifesti sint ipso Jure Infames, c. *Infames.* § *fin.* 3. *q.* 7. c. *Dilectus.* 15. *de Excessib. Praelat.* l. *Improbum.* 10. c. *quibus cau. infam.* quae tamen ipso facto cessat, casu, quo *usurarius* vere resipiscat, ac restituat. Felinus *in* c. 1. *de Probat.* *n.* 19. Salas *de usuris. dub.* 47. *n.* 1.

Secundo: Clericus *usurarius*, si monitus non de- 185
sistat, ab officio et Beneficio deponendus, ac insuper ad illud recipiendum inhabilis est, *arg.* c. *Praeterea.* 7. *de usuris can. Inter dilectos.* 11. *de Excess. Praelat. can. Si quis.* 5. *dist* 47

Tertio: *Usurarii manifesti*: si Laici fuerint, ex- 186
communicari debent, usque dum debite satisfecerint, *cit.* c. *Praeterea.* 7. *h. t.* et ipso facto irregulares existunt. *can Maritum.* 2. *disp* 33. *can. Seditiones.* 8. *d sp.* 46.

Quarto est ut *usurarii manifesti non admittan-* 187
tur ad communionem Altaris (*id est, ad perceptionem Sacramenti Eucharistiae*) *nec Christianam, si in peccato decesserint, accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quispiam acceptat* Ita habetur statutum in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ac refertur c. *quia in omnibus h t.* Quin imo c. 2. *h. t. in* 6. additur *manifestis usurariis*, licet mandaverint *usuras* restitui in ultimis voluntatibus, nihilo minus Ecclesiasticam sepulturam esse denegandam, nisi prius de usuris (juxta quod patiuntur facultates) fuerit plene satisfactum, vel secundum formam illius Decreti idonee caveatur. Taceo alias *usurariorum manifestorum* poenas, quae *cit.* c. 2. *h. t.* imo et in Jure Bavarico *lib.* 2. *der Lands- und Policey-Ordnung* referuntur.

Quinta est omissio quartae partis de sorte Princi- 188
pali, quae vigore Constitutionis Maximiliani I. 1500. Caroli V 1548 Augustae, et Rudolphi II. 1577. Francofurti editae *Fisco* cedit.

189 Plures aliae *manifestorum usurariorum* poenae comprehenduntur *c.* 2. *h. t. in* 6. ubi inter alia dicitur: *Nullus manifestorum usurariorum Testamentis interrsit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat; nisi de usuris satisfecerint, vel de faciendo pro suarum viribus facultatem praestent (ut praemittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso Jure.* Haec ibi.

190 Praeter hae e Jure communi statutas poenas *usurariorum* sunt aliquae per Leges Municipales statutae, quae in suis locis videndae, et observandae in nostra Bavarie.

191 Caeterum, ut ex parte supra *num.* 61. *et* 62. in simili jam dictum, sicuti a culpa, sic etiam a restitutione, et poenis *usurae* multi, praesertim doctiores se reddere possunt, immunes, non tantum in casu, quo adest lucrum cessans, vel damnum emergens, aut periculum sortis, aut poena ob moram imposita per dicta §. 4. *et* §. 5. sed etiam his absentibus, si nempe loco *mutui* emant *censum*, seu dent per contractum emptionis sortem Principalem centum florenorum pro Jure quinque annuatim percipiendi ex bonis Debitoris, idque sive *redimibiliter*, *sive irredimibiliter* per dicta §. 8. *a num.* 149. vel si id faciat, vel fecere intendat per tacitum, vel expressum contractum Societatis, uti fieri potest in casu, quo sortem Principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, et honestum lucrum quaerit, ita ut hic praestat industriam, ille vero pecuniam hac conditione, ut de lucro ex sorte Principali centum florenorum acquisitio tribuatur pars subministranti pecuniam, v. g. annuatim quinque.

192 Et quamvis indocti, et rudes praefatas vias et titulos *usuram* declinandi non sciant, ac intelligant, sed absque ullo justo, quem scirent, titulo quinque annuatim exigant ob sortem Principalem *mutuo* datam, et in ipso contractu alium terminum non adhibeant quam *mutui ausleichen*, *leichen*, *anlegen* etc. tamen a peccato *usurae*, restitutione, et poenis ipsius passim immunes censendi sunt: Tum quia bona fide procedunt, id faciendo, quod varios doctos et probos passim practicare vident: Tum quia licet hujusmodi indocti non adhibeant, nec adhibere valeant expressam intentionem et titulum ab *usura* excusantem juxta dicta; tamen quia merito censendi sunt contrahere modo, quo possunt de Jure meliori, eorum contractus non tam mutuum, quam emptio census, vel tacitus, aut expressus contractus societatis in re, et effectu judicari debent, etsi ob suam simplicitatem, et defectum notitiae, terminum *mutui* adhibeant; praesertim cum verbum *leichen* seu mutuum dare, apud Germanos verbum valde generale sit, uti post Laym. *Lib III. tr* 4. *cap.* 18. *n.* 13. bene notat Engel *h. t. n. fin.*

193 Quaeritur II. Quis sit legitimus Judex Criminis *usurae*? Resp. *Usuras* esse misti Fori, ita ut tam Laicus, quam Ecclesiasticus de illis cognoscere, et judicare valeat, non solum si tantum *Facti* quaestio, crimen vero liquido *usurarium* est; sed etiam quando est *Juris*, seu quando disceptatur, num hic vel ille contractus *usurarius* sit nec ne. *Prima* pars de casu, in quo sola est quaestio *Facti*, caret controversia, patetque ex c. *Post miserabilem.* 12. *h. t.*

194 *Alteram* partem de quaestione *Juris* tenet Farinacius *Prax. Crimin. q.* 8. *n.* 140 Menochius *de Arbitr Judic. casu* 398. *n* 4. Covarruvias *lib.* 3. *Variar. Resolut. cap.* 3. *num.* 1. Sylvester ⱴ. *usura.* 9 *princ.* Pirhing *h. t. nu.* 14. et alii contra Glossam *in c. Cum sit.* 8. ⱴ. *Malefactores, de Foro compet.* Clarum ⱴ. *usura. n.* 8. et nonnullos alios volentes cognitionem quaestionis *Juris*, de hoc Crimine soli Judici Ecclesiastico competere. Probatur Conclusio nostra: Tum quia a Jure Canonico nullibi invenitur interdicta Judici Laico cognitio *usurae* in casu quaestionis *Juris*, sed positive concessa *c. Post miserabilem* 12. *h. t.* ubi sine distinctione inter quaestionem *Juris*, et *Facti* conceditur Potestati saeculari facultas cognoscendi et judicandi *usuras*; Tum quia hoc Crimen non tantum Ecclesiastico, sed etiam Divino, et naturali Juri adversatur, nec plus spiritualitatis in se habet, quam *Furtum*, *Homicidium*, *Adulterium* etc. Quae cognoscere et judicare, etiam saecularem Judicem posse, nemo negat.

Nec obstant, quae Adversarii objiciunt, Jura 195
ex c. 2. *et c. Praeterea.* 7. *h. t.* Quia licet ex his probetur, Crimen non tantum saecularis, sed etiam Ecclesiastici Fori esse, non tamen probatur, id esse solius Fori Ecclesiastici, praesertim cum resistat *c. Post miserabilem.* 12. *h. t.*

Dices: cognoscere, num actus aliquis sit pec- 196
caminosus, solius Fori Ecclesiastici est, *c. Novit.* 13. ⱴ. *Non enim de Judic.* et *c. Per venerabilem* 13. § *Nam si, qui filii sint legitimi*; atqui in quaestione *Juris* agitur de solo peccato: ergo. Resp. Pertinere quidem ad solum Forum Ecclesiasticum, generali definitione decernere, quaenam sint peccaminosa nec ne; hoc tamen non obstante bene potest Judex saecularis cognoscere, num hic vel ille contractus justus, vel injustus, Canonibus, et Legibus contrarius sit nec ne, ut citati Doctores bene advertunt.

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

1 *Quid* Falsum? *et quae requirantur ad illud?*
2 *Committitur quatuor modis*, *scilicet* Dicto, Scripto, Facto, *et* Usu.
3 Dicto *committitur*, *praesertim per testes in judicio dicentes* Falsum.
4 *Vel supprimentes verum: et quomodo?*
5 *Item, qui subornant vel corrumpunt testes.*
6 *Ac ipsi testes dolose negantes, se recordari, vel obscure deponentes.*
7 *Item si Judex corruptus iniquam proferret sententiam.*
8 *Et Advocatus prodens secreta causae sui Clientis.*
9 Scripto *committitur* Falsum, *si quis falsum scribit Testamentum.*
10 *Vel dolose mutat nomen, cognomen, genus, parentes etc.*
11 *Vel sibi in Testamento inique scribit Legatum etc.*
12 *In Bullis Pontificiis novem modis contingere potest* Falsitas, *et quibus?*
13 *An? et quando per errorem latinitatis vel rasurae censeatur falsum Rescriptum Pontificium? Remissive.*
14 Facto *committitur* Falsum *per diminutionem ponderis, vel mensurae publicae.*
15 *Per suppositionem partus alieni.*
16 *Item ab eo, qui merces corrumpit.*
17 *Qui eandem rem duobus in solidum vendit.*
18 *Qui honorem, vel gradum falso simulat, v. g. Sacerdotii, Doctoris, Notarii.*
19 *Qui falso alienis utitur Insignibus.*
20 *Qui utitur falsis constitutionibus.*
21 *Circa monetam* Falsum *committitur triplici*

modo, nempe cudendo sine legitima auctoritate monetam justam.
22 *Vel justum illius pondus minuendo.*
23 *Vel cudendo falsam.*
24 *Graviter etiam prohibetur, arte Alchimiae conficere aurum, vel argentum.*
25 *Usu, seu potius abuse qeomodo committatur Falsum.*
26 *Poena committentis Crimen* Falsi *cujuscunque.*
27 *Poena testis* Falsum *committentis in Judicio de Jure Civili: Et n. seq.*
28 *Poena testis* Falsum *committentis de Jure Canonico: Et n. seq.*
Poena detrusionis in Monasterium hodie transit in poenam triremium, aut perpetui carceris.
30 *Poena Advocati.*
31 *Et Judicis committentis* Falsum.
32 *Poena committentis* Falsum *in* Scripto.
33 *Poenae committentium* Falsum *circa litteras Apostolicas.*
34 *Quae stringunt, etsi ex* Falso, *nulli sequatur damnum.*
35 *Poena* Falsificantium *pondera et mensuras.*
36 *Poena* Falsum *supponentis partum.*
37 *Aliorum* Falsariorum *poena.*
38 *Poenae* Falsum *committentis circa Monetam.*

1 Queritor I. Quid sit *Falsum*, et quot modis committatur? Resp. I. cum Sylvestro V. *Falsarius. num. 1. Falsitas seu falsum est mutatio veritatis cum dolo et jactura.* Tria siquidem ad ejus esse requirentur, videlicet *primo* ut pervertatur veritas, *Novell. 73. in proefat. Secundo*, ut id dolo malo fiat *L. 1. et l. Impuberem. 22. ff. et l. nec exemplum. 2. C. ad leg. Cornel. de falsis.* et *tertio*, et *falsitas* fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi fursan impediatur, *l. qui falsas 6. et l. Si falsos. 8. C. eod.* alioquin uno horum deficiente non tenetur quis poena hujus Criminis, *cit. l. nc examplum. C. leg. Cornel. de falsis.* cum Concordantiis.

2 Resp. II. Falsum, seu *falsitas* committor principaliter quatuor modis, videlicet *Dicto*, *Scripto*, *facto*, *Usu*, seu potius *Abusu*, Farinacius *Prax. Crimin.* 6 *lib.* 5. *sect.* 16. *q.* 150. *n.* 6. Mascardus *de Probat. Concl.* 739 *n. ult.* Damhaud. *Prax. Crimin. cap.* 119. Pirhing *h. t. n.* 1. Engel *h. t. n.* 2.

3 Quaeritur II. A quibus *dicto* committatur crimen *falsi*? Resp. I. *dicto* seu verbo committitur *falsum* per testes, qui falsum testimonium dicunt in judicio, vel verum supprimunt dolo malo. Hinc c. 1. *h. t.* dicitur *Falsidicus testis uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit; quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat.* Idem habetur can. *Quisquis.* 11. *q.* 3. *concordat L.* 1. *et l. Falsi poena.* 22. *ff. Ad Leg. Cornel. de Falsis.* Et hoc *falsum* valde abominantur Jura, nam ut dicitur *cit. c. 1. h. t. falsidicus testis tribus personis est obnoxius: primo DEO, cujus praesentiam contemnit: dein Judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio laedit.*

4 Ubi tamen nota, quod tunc testis occultando veritatem censeatur *Falsarius*, quando interrogatus a Judice super certo articulo *falso* dicit, se nihil scire; vel quando juravit, se cum pura veritate dicturum, quod ad propositum scit, et nihilo minus eam tacendo suppressit. Secus est, si juravit solum simpliciter, se ad interrogata responsurum: tunc enim, si non interrogatus taceat veritatem, non tenetur Crimine *falsi*. Farinacius *Prax. Crimin. de testib. q.* 67. *a n.* 230. ubi tamen occultantem verum excusat, si sine dolo id facit.

5 Resp. II. Ille quoque *falsi* reus est, qui testem subornat, vel donis aut pretio corrumpit ad dicendum *falsum* testimonium, vel occultandam veritatem, sicuti et qui utitur dicto testis *falsi*, Clarus §. *falsum. n.* 3. *et* 4. Pirhing *h. t. n.* 4.

Illum insuper testem *falsi* reum esse, qui interrogatus respondet, se non recordari, cum debeat verosimiliter recordari: item si per malitiam et dolum respondet versute et obscure, tenet Farinacius *loc. cit. n.* 224. Pirhing *h. t. n.* 4. 6

Resp. III. Etiam Judex *verbo* seu *dicto* committit crimen *Falsi*, et ut Falsarius punitur, si pecunia correptus, vel alias dolo malo contra Leges et Constitutiones Principum sententiam telit, *arg. L. 1. §. Sed etsi Judex. ff. Ad Legem Cornel. de Falsis.* 7

Resp. VI. *Falsi* adhuc reus censetur etiam Advocatus, qui parti adversae causam prodit, et vel propriis probationibus dissimulatis, vel falsis exceptionibus, aut probationibus admissis partem adversam directe vel indirecte juvat, Pirhing *h. t. n.* 8. Hannoldus *Tom* 6. *tr.* 2. *n.* 180. *arg. l.* 1. §. 1. *ff. ad Leg. Cornel. de falsis, et l.* 1. §. *ad S. C. Turpil.* 8

Quaeritur III. Quot modis crimen *falsi* committatur *Scripto*? Resp. I. Id committi ab illis, *qui Testamentum vel aliud Instrumentum falsum scripserint, signaverint, recitaverint, subjecerint, vel signum adulterinum fecerint, sculpserint, vel expresserint scienter et dolo malo.* ut dicitur §. *Item lex Cornelia, de Falsis. Institut. de public. Judic.* cum Concordantiis ibidem a Glossa relatis. 9

Resp. II. Inter *Falsarios* numerantur, qui nomen vel cognomen, genus, vel parentes sibi fraudulenter mutaverit, *l. falsi ff. Ad Leg. Cornel. de falsis* ibi, *falsi nominis vel cognominis asseveratio poena falsi coercetur.* Intellige, si hoc fraudulenter fiat: nam mutare nomen vel cognomen sine aliqua fraude, libero homini licitum est, si nullum inde cuipiam praejudicium fiat, ut expresse habetur *L. un. C. de Mutatione nominis.* 10

Resp. III. Tenetur poena *falsi*, si quis in Testamento injuste sibi adscripserit Legatum vel Fideicommissum, *arg. l. Si quis Legatum ff. Ad Leg. Cornel. de falsis.* Item si rasis litteris aliud in loco eius, quod scriptum erat, scribat, prout contingit *c. Olim. de Rescriptis* modo id fiat in loco suspecto; nam rasura in loco non suspecto non probat Rescriptum *falsum*, *c. fin. h. t.* sed mos occasione hujus specialiter. 11

Quaeritur IV. Quot modis possit contingere *falsitas* circa Bullas Pontificias? Resp. I. Novem modos *falsandi* Litteras Papales referri *c. Licet h. t.* qui tamen plerique consistunt in diversis Artificiis radendi ex parte, vel toto Litteras Pontificias, aut vera Sigilla falsis litteris apponendi, ut patet ex textu, ibi: *Ut autem veritates falsitatis circa nostras litteras deprehendere valeatis eas vobis praesentibus litteris duximus exprimendas.* 12

Prima *Species falsitatis haec est, ut falsa Bulla falsis litteris apponatur.*

Secunda *ut filum de vera bulla extrahatur ex toto, et per aliud filum immissum falsis litteris inseratur.*

Tertia, *ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur incisum, cum vera bulla falsis litteris immutatur, sub eadem plicatura cum filo simili canapis restauratum.*

Quarta, *cum a superiori parte bullae altera pars fili sub plumbo rescinditur, et per idem filum litteris falsis inserta reducitur intra plumbum.*

Quinta, *cum litteris bullatis et redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.*

Sexta, *cum Scriptura litterarum, quibus fuerit apposita vera bulla, cum aqua vel vino universaliter abolita, seu deleta, eadem charta cum calce, et aliis juxta consuetum artificium dealbata de novo describitur.*

Septima, *cum chartae, cui fuerat apposita vera bulla,*

totaliter abolitae, vel abrasae, alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur. Eos etiam a crimine Falsitatis non reputamus immunes, qui contra Constitutionem nostram, scienter litteras non de nostra, vel Bullatoris nostri manu recipiunt. Illos quoque qui accedentes ad bullam, falsas litteras caute projiciunt, ut de vera bulla cum aliis sigillentur. Sed hae duae species falsitatis non possunt facile comprehendi: nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturae, vel qualitate chartae falsitas cognoscatur. In caeteris autem diligens indagator Falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione filorum, vel motione, vel obtusione, praesertim si Bulla non sit aequalis, vel alicubi magis tumida, et alibi magis depressa.

13 Resp. II. Praesumitur *falsum rescriptum*, ita quod per ipsum non procedatur, si habet in se vitium latinitatis, *c. Ad audientiam de Rescriptis*, ibi: *Quibus quoniam manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus habere.* De quo tamen plura jam diximus *Lib. I. Tit. III. de Rescriptis*, §. *IX. per totum*, ubi etiam de rasura, et nonnullis aliis huc attinentibus jam egimus: quibus adde Glossam *in c. licet h. t.* ỽ. *Falsitatis*, ubi inter alios ponit sequentes versus.

Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum:
Haec sex falsata dant scripta valere pusillum.

14 Quaeritur V. Quibus modis *Facto* committatur *Falsum*? Resp. Id multipliciter contingere. *Primo*, Venditores et Emptores plectuntur poena *Falsi*, qui pondera, vel mensuras publice probatas frumenti, vini, aut cujuslibet rei corruperint. *l. Hodie.* 32. §. 1. *ff. Ad Leg. Cornel. de Falsis.*

15 *Secundo*, qui alienum partum supponit, *l. qui falsum.* 19. *et l. Cornelia.* 30. *ff. Ad Leg. Cornel. eod.* juncta *l.* 1. *C. eod.*

16 *Tertio*, Crimen *Falsi* committunt *Facto*, qui mercibus adulterinam vel minus utilem materiam adjungunt, Molina *Disp.* 701. *n.* 1. Farinacius *q.* 150. Pirhing *h. t. n.* 45.

17 *Quarto*, qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, poena *falsi* coercetur, *l. qui duobus ff. eod.*

18 *Quinto*, qui se pro milite gessit, cum non esset miles, vel si quis sibi *falso* titulos honoris, vel status, v. g. Clerici, Sacerdotis, Nobilis, Doctoris, Notarii etc. assumit. Farinacius *q.* 150. *n.* 85. *et* 87. Pirhing *h. t. n.* 45. Konig *eod. n.* 6. *arg. l. eos, qui.* 27. *ff. eod.*

19 *Sexto*, qui illicitis, id est, alienis insignibus usus est; vel qui falso Diplomate vias commeavit, punitur gravissime pro qualitate criminis poena *falsi*, *l. Eos qui. ff. eod.* et *l. un. C. de Mutat. nom.*

20 *Septimo*, qui proposita Edicta dolo malo corrumpunt, *falsi* poena plectuntur, *l. Hodie ff. eod.* Item, si quis utatur falsis Constitutionibus nullo Auctore, vel quae non probatae sunt, *l. fin. ff. eod.* Specialiter etiam committitur *falsum* circa Monetam, de quo etiam specialiter.

21 Quaeritur VI. Quibus modis *falsetur* moneta? seu *falsum* committatur circa Monetam? Resp. Juxta ordinationem Caroli V. *Art. III. prin. Falsum* circa Monetam tribus modis committitur. *Primo*, si quis cudat Monetam, qui cudendi non habet facultatem; etiamsi ea caeteroquin sit proba et justi ponderis: siquidem jus cudendi Monetam numeratur inter Regalia, ut patet ex *lib. Feud. Tit. quae sunt regalia.* juncta *L.* 2. *de falsa Moneta.* Accedit, quod ad justam Monetam non sufficiat materiae bonitas, sed insuper requiratur publica forma, seu signum publicum, *arg. L.* 1. *ff. de contrahenda emptione et venditione*, ubi pecunia dicitur *Materia forma publica percussa.* Haec autem forma publica vel deest, vel *falso* fingitur in Moneta, privata auctoritate cusa, cum illam sine consenso Principis citra *Falsum* adhibere nemo possit, *arg. l. falsi.* 13. *prin. l. Qui nomine.* 25. *ff. Ad leg. Cornel. de Falsis.*

22 *Secundo*, *Falsatur* Moneta, si quis publica auctoritate cusae Monetae justum pondus, tundendo, scindendo, abradendo, vel alio modo dolose diminuit: de quo fit mentio *l. Quicunque ff. Ad Leg. Cornel. de Falsis.*

23 *Tertio*, Si quis Monetam adulterinam cudat, id est, fingat ex falsa materia, ut stanno, cupro, vel hujusmodi; aut si quis verae materiae, puta, auro, argento, adulterinam, v. g. stannum, cuprum, aliamve materiam admiscet; vel si quis nummos falsos tinxerit, ut appareant aurei, vel argentei, *l. Lege.* 9. *ff. cit. l. quicunque. ff. eod.* et *L.* 1. et 2. *C. de falsa Moneta.*

24 Ad *Falsum* circa Monetam plerumque reducitur etiam confectio auri, et argenti arte *Alchimiae*; quamvis enim non desint, qui cum Alberto Magno *Lib. III. Mineral.* docent, dicta arte aurum et argentum confici posse; nihilo minus ob periculum *falsi* Joannes XXII. *in Extravag. Spondent. h. t. inter communes*, sub gravibus poenis (nempe sub poena infamiae, et obligatione restitutionis) etsi Clericos sub privatione etiam Beneficiorum, et inhabilitate ad eadem habenda, prohibet, ne aurum vel argentum arte *Alchimiae* conficiatur, aut confectum scienter usurpetur, multo minus ex eo Moneta adulterina cudatur, idque merito, quia hujusmodi confectio auri, si non impossibilis, adeo difficilis est, ut moraliter impossibilis reputetur: Tum quia non nisi magno cum damno conficientium, et aliorum confici curantium fieri potest, adeo, ut sapientes simile aurum continuo vana spe deludantur, et interim mediis exhauriantur; nam, ut ait Pontifex mox a principio, *Spondent, quas non exhibent divitias, pauperes Alchimistae.* Sed de hoc plura alii.

25 Quaeritur VII. Quibus modis *Falsum* committatur *Usu*, seu potius *Abusu*? Resp. cum Engel *h. t. num.* 17. et aliis, id fieri, quando quis scienter utitur *Falsitate* ab aliis confecta: ut si quis Testimonium vel Instrumentum scriptum falsum scienter in Judicio proferat, Monetam falsam scienter dolose colligat et expendat, ac hujusmodi. Huc reducunt aliqui etiam illos, quos supra *n.* 10. *et* 18. posuimus, verum parum refert, num *Falsarius*, quis *Usu*, *Facto*, vel *Scripto* dicatur, quia quivis certis poenis subjectus est juxta statim dicenda.

26 Quaeritur VIII. Quas poenas incurrant *Falsarii*, seu committentes Crimen *Falsi*? Resp. I. Poena ordinaria committentis quodcunque tandem Crimen *Falsi*, olim circa Nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; circa Personas viles damnatio ad Metallum; circa Servos ultimum supplicium, *L.* 1. §. *fin ff. ad Leg. Cornel. h. l. Si quis.* 38. §. 7. *ff. de Poenis.* Hodie tamen ex arbitrio Judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum imponitur, prout notat Glossa *in cit. L.* 1. §. *fin.* ỽ. *Eorum*, adeo ut subinde pecuniaria, subinde corporalis, sive etiam capitalis esse possit *l. Ubi Falsi.* 22. *C. Ad Leg. Cornel. h. t.* ubi in fine habetur: *Supplicio Capitali, si id exigat magnitudo commissi.*

27 Resp. II. Poenas *Falsariorum* esse varias pro diversitate *Falsi* ab eis commissi. Patet inductione. Nam inprimis Testis in judicio Falsum committens juxta dicta *n.* 3. 4. 5. *et* 6. de Jure Civili eandem, quam alii *Falsarii*, incurrit poenam specificatam *a. praecedent.*

Ex ordinatione autem *Caroli V. art.* 107. Testis in causa Civili *Falsum* cum juramento dicens evadit infamis, et tenetur ad omne damnum parti per *Falsum* laesae inde secutum: ea insuper juxta receptam consuetudinem amputantur eidem duo illi digiti, quos in praestationem juramenti ad DEUM erexit. In causa Criminali autem *Falsum* committens, poena *Talionis*, id est illa, qua Reus puniri debuisset, juxta eandem *Caroli V. Ordinationem*, *art.* 68. punitur ad imitationem Legis Divinae *Deut. cap.* 19. ℣. 19. et 21.

28 De Jure Canonico autem Testis quicunque, sive Clericus, sive Laicus in Judicio sive Civili, sive Criminali *Falsum* committens est infamis, *can. Constituimus.* 9. *cau.* 3. *q* 5. ibi: *Qui etc falsum testimonium dixerunt, infames sunt.* Clericus insuper *Falsum* in Judicio quocunque committens, deponi, et in Monasterium detrudi jubetur, *can. Si quis Episcopus.* 7. *dist.* 50. vel ad Triremes, aut perpetuos carceres damnandus est: quia loco detrusionis in Monasterium olim consuetae hodie succedit damnatio ad Triremes, vel perpetuos carceres teste Fagnano *in c. Cum non ab homine, de Judiciis. n.* 104. Farinac. *q.* 119. *n.* 55.

29 Quae tamen ordinarie poena Clerici *Testis falsi* limitatur, et in arbitrariam reducitur, casu quo non nisi circa accidentalia, vel sine praejudicio tertii *Falsum* committit. Clarus §. *Falsum.* n. 9. et n. 35. Menochius *de Arbitrar. Judic.* casu 306. *n.* 22.

30 II. Poena Advocati *Falsum* committentis juxta dicta *n.* 8. praeter ordinariam est etiam, quod tenetur ad reparationem damni, ac insuper ad arbitrium Judicis pro diversitate personarum, et circumstantiarum, fustigatione, carcere, vel relegatione puniri valeat vigore *Ordinat. Caroli V. art.* 115.

31 III. Poena Judicis *Falsum* committentis juxta dicta *n.* 7. specialis olim erat Exilii, et Capitis, *L. Lex Julia.* 7. §. *fin ff. ad Leg. Jul. Rep tund* hodie vero pro diversitate circumstantiarum est privatio Officii et Dignitatis, ac inhabilitatis ad judicandum, confiscatio bonorum, vel etiam Exilii, et Capitis. Farinacius *q.* 111. *a n.* 4. Menochius *de Arbitrar. Judic* casu. 342. *a* n. 7. Judicis Ecclesiastici vero *Falsum* committentis poena praeter ordinariam est suspensio a Divinis, et compensatio damni illati, c. 1. *De sentent et re judicat.* in 6.

32 IV. Poena *Scripto* committentis *Falsum* juxta dicta n 9 est ordinaria *n.* 27. allegata.

33 V. Poenae committentium aliquod *Falsum* circa Litteras Apostolicas juxta dicta n. 12. *et* 13. Sunt sequentes. *Primo* est Excommunicatio Papae reservata, c. *Ad falsariorum.* 7. *h. t.* juncta Bulla Coenae § 6. cujus poenae non tamen reservatae etiam subjecti sunt horum fautores *cit.* c. 7. *h. h. t. Secundo Clerici, qui Falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis perpetuo sint privati: ita quod si per se Falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, saeculari Potestati tradantur, secundum Constitutiones legitimas puniendi*, ut in formalibus statuitur *cit. c. Ad Falsorum* 7. *h. t.* ubi ulterius *Tertio* ita statuit Papa, *qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur, si Clerici fuerint, Officiis et Beneficiis Ecclesiasticis spolientur; si Laici tamdiu maneant Excommunicationi subjecti, donec satisfecerint competenter*: et infra, *quod et de his qui falsas litteras impetrant, statuimus observandum Quarto* statuitur *c. Dura.* 4. *h. t.* quod, *si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies, illas aut destruat, aut resignat, si poenam Excommunicationis voluerit evitare*: cui proin quis subjacet, etsi illis non utetur, nec utendi intentionem habeat. Barbosa in *cit. c. Dura.* 4. *h. t. n.* 2. Et hae poenae contra *Falsarios* circa Litteras Apostolicas procedunt, etsi ex hujusmodi *Falso* nullum, aut modicum damnum emergat, uti cum Bonacina *Tom.* 3. *de Censuris Disp* 1 *q.* 7. *pun.* 2. *n.* 5. docet Palao *Tract.* 29. *Disp.* 3. *pun.* 7. *n.* 4. Ratio est; quia *Falsum* in illis, sub dictis poenis prohibetur non tam propter damnum inde secutum, quam propter contemptum supremae Auctoritatis, a qua Litterae veniunt, et ut omnis occasio *Falsi* in his evitetur.

VI. Qui publica auctoritate probatam Mensuram, aut pondera falsificant, praeter ordinariam poenam *Falsi* ad duplum restituendum, nec non ad Insulam damnantur, *l. Hodie.* 32. §. 1. *ff. ad Leg. Cornel. h. t.* ac insuper per triginta dies in pane et aqua sunt plectendi, *c. Ut mensurae.* 2. *de Empt. et vendit.* 34

VII. Poena supponentis *Falsum* partum, est ultimum supplicium *L.* 1. *C. ad Leg. Cornel. de Falsis.* 35

VIII. *Falsariorum a n.* 16. *usque ad* 20. inclusive enarratorum poena ordinarie arbitrio Judicis imponenda est, juxta dicta *n.* 27.

IX. Poena Falsificantium Monetam cudendo adulterinam modo *num.* 23. declarato, est varia, videlicet *confiscatio* omnium bonorum; *damnatio* ad bestias; ac *ultimum supplicium* igne inferendum. Sunt insuper rei Criminis laesae Majestatis, *L.* 1. *et* 2. *C. de Falsa moneta.* et *Ordinat. Caroli V. art.* 3. Committentes autem *Falsum* circa Monetam modo num. 21. *et* 22. explicato puniendi sunt arbitrio Judicis in corpore vel bonis pro diversitate et frequentia delicti, per Jura citata. Haunoldus *Tom.* 6. *tr.* 2. *a n.* 455. 36

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 Sortilegium *largius, et proprie loquendo quid?*
3 Sortes *aliae* Divinatoriae, *et hae prohibitae.*
4 *Aliae* consultoriae.
5 *Et aliae* divisoriae *sunt.*
6 Sortilegium *varie dividitur.*
7 *Electio ad Officia Ecclesiastica per* Sortes *est. illicita.*
8 *Et irrita.*
9 *Solvitur Objectio.*
10 *Et confirmatur prior doctrina.*
11 Magia *quid? et quotuplex?*
12 *Superstitiosa habet duplicem finem.*
13 *Poenae* Sortilegii, et Magiae *de Jure Canonico contra Laicos.*
14 *Et contra Clericos, ac n. seq.*
16 *Allegantur plures Constitutiones Pontificiae contra* Sortilegos, et Maleficos.
17 *Poenae* Sortilegii, et Magiae *de Jure Civili.*
18 Sortilegium et Magia *sunt mixti fori.*
19 *Potestque Judex Ecclesiasticus hujus Criminis Reos tradere Curiae saeculari puniendos absque ullo periculo Irregularitatis Jure ordinario.*

Quoniam *Sortilegia* cuncta etiam aliquam in se continent *Falsitatem*, hinc tanquam *Falso* affinia merito post Titulum de *Crimine Falsi*, praesens subjungitur. 1

Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Sortilegium*? Resp. I. Quamvis generalius loquendo nomine *Sortilegii*, et per Rubricam hujus Tituli veniant 2

omnes *Superstitiones*, *Divinationes*, et *Magias*, ut bene advertit Engel *h. t. nu.* 1. proprie tamen et specialius loquendo, *Sortilegium* est *Divinatio*, quae per *Sortes Divinatorias*, et falsa signa, ope daemonis futura, vel occulta manifestantur, ita in re Communis, patetque definitio ex terminis, solum ostendis terminis per *Sortes Divinatorias*.

3 Sciendum itaque triplicis generis esse *Sortes*, videlicet, *Divinatorias*, *Consultorias*, et *Divisorias*, *Divinatoriae* sunt, quae adhibentur ad cognoscendum aliquod occultum, vel futurum, quod naturaliter sciri non potest, v. g. quis sit auctor talis furti, quid imposterum sit futurum, et hujusmodi, quod damnatur, ac fieri prohibetur c. 1. *h.* t. Imo hoc genus *Sortium* passim sumitur pro ipsa *Divinatione*, *Sortilegio*, aut *Maleficio*, indeque gravissime sub poena Anathematis prohibetur *can. Sortes* 7. 26. *q.* 5. et alibi: cum enim talium absconditorum notitia non habeatur a DEO (suppono enim, hujusmodi *Sortes* non adhiberi ex speciali instinctu et jussu DEI) neque alio naturali modo consequenter habetur a Daemone, qui vel expresse, vel tacite imploratur.

4 *Sortes Consultoriae* sunt, in quibus a DEO postulatur occultae veritatis manifestatio, aut suscipiendi Consilii alicujus directio imploratur. Et hae *Sortes*, licet, si DEI jussu aut instinctu fiant, non sint illicitae, de quibus dicitur Proverb. 16 *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.* Sic quippe peccatum Achor *Sorte* deprehensum est, Josue 7. Saul missis *Sortibus* in universas Tribus Israel electus in Regem, 1. *Reg.* 10. Sanctus Matthias *Sorte* in Collegium Apostolorum assumptus: ut taceam plura exempla, quae referuntur *cau.* 26. *quaest.* 2. Tamen regulariter, et extra casum, quo urgente necessitate voluntas Divina aliter investigari non potest, non licent, ut cum D. Thoma 2. 2. *q.* 95. *art.* 5. bene advertunt DD. Ratio est; quia qui sine necessitate, praetermissis ordinariis mediis ad extraordinarium ac miraculosum DEI auxilium recurrit, videtur tentare DEUM, et se exponere periculo, ne decipiatur a Daemone.

5 *Sortes Divisoriae* sunt, quae assumuntur ad dividendas res inter plures, vel ad dirimendas lites, et hujusmodi. Et hae per se malae non sunt, sed saepe bonae ac utiles, juxta illud Proverb. 18. *Contradictiones comprimit Sors, et inter potentes quoque dijudicat.* Sic de Jure communi, si plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, discordant in eligendo, *Sorte* dirimitur lis, *arg. l. Si duobus. C. Communia de Legatis.* Omitto similia exempla in praxi passim occurrentia, quorum aliquos refert Glossa *c. fin. h. t.* ✠. *In Electionibus.* Usus tamen etiam harum *Sortium* illicitus est in Electione per dicenda n. 7.

6 Resp. II. *Sortilegium* supra *n.* 2. definitum vario dividitur pro varietate nempe signorum, et rerum, per quas exercetur. Nam, ut bene explicat Bordonus *Tom. I. Resolut.* 4. *n.* 11. Si *Sortilegium* fit per terram, est, et vocatur *Geomantia*: si per aerem, *Aeromantia*: si per aquam, *Hydromantia*: si per ignem, *Pyromantia*: si per animalium interiora, *Haruspicium*: si per avium volatum, *Auspicium*: si per avium garritus et voces, *Augurium*: si per inspectionem, pedum, *Podomantia*: si per inspectionem manuum, *Chiromantia*: si per hominum voces, *Omen*: si per eorum somnia, *Onyrocritica*: si per signum totius corporis *Physiognomia*: si per signa spatulae, *Spatulamantia*, si per signa frontis, *Metoposcopia*: si per homines vivos arreptos *Phytonia*: si per corpora assumpta mortuorum, *Necromantia*: si per inspectionem astrorum *Astrologia judiciaria* dicitur.

7 Quaeritur II. An etiam in Electionibus valeat usus *Sortium divisoriarum*, aut *consultatoriarum*, puta, si duo Electi habeant paria vota, et neutra Eligentium pars velit cedere, an *Sorte* possit dirimi quaestio? Ratio dubitandi est; quia imprimis in tali casu censetur quilibet sufficienter idoneus; unde non mittitur *Sors* simpliciter super Electione. Deinde favet exemplum electionis S. Matthiae Apostoli, *Act.* 1. Tamen Resp. I. In Electionibus ad Dignitates, et Officia Ecclesiastica de Jure Canonico *Sortium* usus est absolute et sine restrictione damnatus. Ita habetur c. *fin. h. t.* ubi Glossa §. *in Electionibus*, solvit instantiam exemplo S. Matthiae propositam, dicens, id factum esse Divina inspiratione. Accedit ratio; quia Electio personarum Ecclesiasticarum ad Dignitates et Officia debet fieri ex delecto, et cum ratione attendendo ad capacitatem et merita personarum; unde non est casui et caecae fortunae temere subjiciendum, ne contingat eligi minus dignum, et minus habilem.

Resp. II. Electio ad Beneficia Ecclesiastica per *Sortes* facta, est ipso Jure nulla. Ita Zoesius *h. t. n.* 5. Ratio est; quia est contra formam Electionis in c. *Quia propter. de Election.* praescriptam, qua forma non servata decernitur, factam hujusmodi Electionem ipso Jure esse nullam et invalidam; siquidem inter alia ibidem statuitur, ut Electio fiat vel per formam scrutinii, vel compromissi, vel inspirationis. 8

Nec obstat, quod Papa c. *fin. h. t.* hujusmodi Electionem dicat tantummodo esse reprehensione dignam, non autem ipso Jure nullam, imo eandem postmodum confirmet. Resp. enim cum Zoesio *h. t. n.* 5. in dicta Electione non intervenisse vitium contra formam *in c. quia propter de Election.* praescriptam, cum fuerit celebrata per compromissum; quamvis intervenerit alius error, eo quod Compromissarii *Sorte* fuerint electi, quod ipsum de Jure Canonico est prohibitum. Licet igitur hoc de causa potuisset illa Electio irritari, tamen ipso Jure irrita non fuit: Papa vero ex gratia eam confirmavit, ut notat Glossa *ibidem* ✠. *Ad gratiam.* 9

Resp. III. Quamvis ex natura rei et per se loquendo non esset illicita *Sors*, praecipue ubi duo sunt aeque idonei, aut paribus Eligentium votis suffulti; nihilominus ex vi Juris Canonici verius est, Electionem seu divisionem neque in isto casu esse licitam. Ita Zoesius *n.* 4. siquidem *cit. c. fin. h. t.* generaliter *Sortium usus in Electionibus perpetua prohibitione damnatur.* Deinde cit. c. *Quia propter. de Electionibus.* omnis Electio aliter facta quam per formam scrutinii, compromissi, vel inspirationis, est nulla; ergo. 10

Quaeritur III. Quid? et quotuplex sit *Magia*? Resp. I. *Magiam esse artem seu rationem operandi mira.* Dividitur in *naturalem*, et *superstitiosam* seu diabolicam. Illa est, qua per causas naturales absque Daemonis ope quaedam producuntur mirabilia. Haec vero, seu *superstitiosa* est, quae Daemonis ope mira facit. 11

Superstitiosa, seu diabolica duplicem habet finem, videlicet primo propriam ostensionem, aliudve proprium vel alienum commodum ope Daemonis consequendum. Secundo noxam alteri ope Daemonis inferendam: quae nosa sic illa *Maleficium* vel *Veneficium* vocatur; prout amplius diximus in Theologia nostra Morali *Tr. V. Dist. II.* ubi etiam alia ad propositum addidimus. 12

Quaeritur IV. Quae poenae *Sortilegii*, et Magiae? Resp. I. De Jure Canonico, Laici *Sortilegi*, si admoniti se non emendent, et servi, vel viles existunt, verberibus et cruciatibus castigandi sunt, liberi vero, ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi, *can. Contra.* 10. *cau.* 26. *q.* 5. ac etiam excommu- 13

niendi *can. Admoneant.* 15. *in fine. ead. cau. q.* 7. possunt etiam ab Episcopo turpiter dehonestari, et e Dioecesi ejici, *can. Episcopi* 12. *cau.* 26. *q.* 5. *princ.* ac insuper si *Magiae* sunt rei, Curiae saeculari tradi per Bullas infra citandas.

14 Clerici vero *Sortilegi* ab Officio et Beneficio deponi, sicque depositi in Monasterium (hodie in perpetuos carceres, juxta dicta *num.* 29.) detrudi debent, *can. Oportet.* 4. *et duobus seqq. cau.* 26. *q.* 5. quod si etiam *Magiae* rei sunt, degradari quoque, et Curiae saeculari tradi debent, *can. Admoneant.* 15. *cau.* 26. *q.* 7. *in fine.*

15 Porro tam Laici, quam Clerici *Sortilegi* de Jure Canonico sunt infames, *can. Constituimus.* 9. *cau.* 3. *q.* 5. Et si *Sortilegium* haeresin admixtam habeat, aut sapiat, ut si Daemon invocetur, colatur, vel quaedo ea, quae soli Deo competunt, Deo negerentur, et Diabolo attribuerentur, subjacet Haereticorum poenis supra *Tit. VII.* §. 5. et 6. enarratis.

16 Extant insuper de poenis, et judiciis contra *Sortilegos*, *Maleficos etc.* Speciales Constitutiones Innocentii VIII. *Summis. Tom. I.* Leonis X. *Honestis. Tom. I.* Gregorii XV. *Omnipotentis. Tom. III.* et Sixti V. *Coeli et terrae. Tom. II.*

17 Resp. II. De Jure Civili *Sortilegi*, et multo magis *Magiae superstitiosae* rei poenam publicationis omnium bonorum, et ultimi supplicii etiam aliquando per ignem inferendi incurrunt, *l. Nullus* 3. *et l. Nemo.* 5. *de Maleficis.* Per Constitutionem vero Caroli V. *Magiam* cum damno tertii exercentes igne cremandi, sine aliorum damno autem ejusdem rei arbitraria Judicis poena, v. g. relegatione, carceris, vel etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniuntur, Engel *h. t. in fine.*

18 Quaeritur V. Quis sit Judex *Sortilegii*, et *Magiae*? Resp. esse mixti Fori, ita ut non tantum Clericos, sed etiam Laicos hujus criminis reos Judex Ecclesiasticus judicare valeat. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 38. n. 94. Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 3. Pichler *h. t. n. fin.* Clericus §. *Haeresis. n.* 25. ipsoque teste communis, *arg. can. contra idol.* 10. *cau.* 26. *q.* 1. Estque jurisdictio in *Sortilegos* et *Magos* etc. etiam Ecclesiasticis Judicibus specialiter attributa per Bullam Sixti V. *Coeli et terrae*, quae est *VII. hujus Papae in Tom.* 2. Bullarii Cherubini.

19 Illud etiam hic notandum, quod si Judex Ecclesiasticus *Sortilegum* et *Maleficum* Curiae saeculari tradendum invenit, id facere possit absque ullo periculo irregularitatis, et sine obtenta speciali facultate Papae, Jure ordinario, per Jura citata; ita tamen, ut si Clericus Curiae saeculari tradatur, prius degradetur, prout bene advertit Delrio *Disquisit. Magic. lib.* 5. *sect.* 16. de Poena, et supplicio Maleficorum, ubi etiam formam sententiae contra *Maleficos*, et traditionis ad Curiam saecularem exhibet, apud quem insuper copiosa et exacta invenias, quaecunque circa hanc materiam desiderari possent.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

1 Collusio *quid*?
2 *A Civilistis vocatur* Praevaricatio, *vel* Tergiversatio.
3 *Non datur in Civilibus, sed tantum in Criminalibus, et Beneficialibus causis.*
4 *Et fieri potest non tantum inter Actorem, et Reum, sed inter Advocatos, et Procuratores.*
5 *Si Accusator per Collusionem ab accusatione desistit, potest, et debet Judex ex Officio inquirere.*
Delicta non debent manere impunita. Ibid.
6 *Reus per* Collusionem *absolutus, potest denuo accusari, et inquiri.*
7 *Solvitur Objectio: semel absolutus per sententiam a delicto, super illo amplius molestari non potest.*
8 *Poena* Collusionis *in materia Criminali.*
9 *Et Beneficiali.*

Quaeritur I. Quid sit? et circa quas causas fiat *Collusio*? Resp. I. *Collusio est latens et fraudulenta inter Actorem, et Reum conventio*; ut explicat Glossa *in c. Audivimus h. t.* ♆. *Collusione*, dum nempe Actor cum Reo colludit, ejusque partes tacite adjuvat, tacendo videlicet, vel omittendo veras probationes, et falsas defensiones, aut exceptiones admittendo, vel ab Accusatione desistendo, *arg. c.* 1. *et fin. h. t.* 1

Haec *Collusio* a Civilistis vocatur *Praevaricatio*, et *Tergiversatio*, et Colludentes dicuntur *Praevaricatores*, vel *Tergiversatores*. Et quidem *Praevaricatio* vocatur, quando Accusator proprias probationes dissimulet, vel falsas Rei exceptiones admittit, ne puniatur, *l.* 1. *et l. Ab Imperatore ff. de Praevaricat. Tergiversatio* vero, quando Accusator ab accusatione jam coepta omnino desistit. 2

Resp. II. Quamvis nonnulli cum Hostiensi velint, *Collusionem* committi posse tam in Civilibus, quam Criminalibus causis, tamen melius dicitur cum Mascarde *de Probat. Concl.* 325. n. 6. eam non nisi in Criminalibus, et Beneficiis Ecclesiasticis committi juxta *c. Audivimus.* 3. *h. t.* minime vero in Civilibus, nisi in praejudicium tertii vel in causa matrimoniali colludatur. Ratio est; quia in Civilibus licita est transactio, concordia et amicitia Litigantium, vel totalis litis sublatio, hoc ipso quod agatur tantum de privato Interesse ipsorum. Dum econtra in Processu Criminali agitur de bono communi exigente, ne delicta maneant impunita, *c. Ut famae. de Sent. Excomm.* 3

Caeterum *Collusio* tam per Clericos, quam Laicos, et quidem non tantum inter Principales, sed etiam per Advocatos, et Procuratores, dum videlicet horum aliquis in praejudicium sui Principalis cum altero Principali vel Advocato illius colludit manifestando ei secreta, vel dissimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaces omittendo etc. Notandum tamen, quod ita male procedendo Advocati *Collusores* proprie loquendo non dicuntur, sed tantum improprie *arg. L.* 1. *de Praevaricat.* ibi: *Caeterum Advocatus non proprie Praevaricator dicitur.* Unde etiam potius *Falsarius*, quam *Collusor* dicitur, et poenis Falsi subjacet per dicta *Tit. XX. n.* 8. *et n.* 30. Quamvis etiam respectu talis *improprie dictae Collusionis* poenae extraordinariae subsit, *cit. l.* 1. *ff. de Praevaricat.* ibi: *Hic extraordinarie solet puniri.* 4

Quaeritur II. Quid Juris, et quae poenae sequantur, casu, quo fiat *Collusio*? Resp. I. Si Accusator Criminalis ab Accusatione desistit, potest, imo debet Judex ex Officio inquirere et procedere *arg. c.* 1. *et* 2. *h. t.* ibi: *Crimina semel audita Gregorius Indiscussa nullo modo praeteribat, etiamsi Accusatus cum Accusatore in gratiam rediisset.* Ratio est, ne Crimina jam semel publicata maneant impunita, *L. Ita vulneratus ff. ad Leg. Aquil. et c. Ut famae* 35. *de Sentent. Excomm.* ibi: *Cum publicae Communitatis intersit, ne crimina maneant impunita.* 5

Resp. II. Si Reus interveniente *Collusione* per sententiam fuit absolutus, potest denuo accusari, et 6

inquiri contra illum, quando de *Collusione* constat, *arg. c. fin. h. t.* et *l. Praevaricationis. 3. §. 1. ff. de Praevaricat.* juncta *l. Si quis. 11. C. de Accusat.* Ratio est: Tum ne *delicta maneant impunita*, contra eit *c. Ut famae. 35. de Sentent. Excommun.* Tum ne Reus ex sua malitia commodum reportet, contra *l. 1. ff. de Dolo.*

7 Nec obstat, quod sententia Judicis absolutoria ita tollat crimen, ut de illo quaeri non amplius possit, *arg. l. Si cui. 7. §. 2. ff. de Accusation.* et *c. De his. 6. eod.* ibi: *De his criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari.* Respondetur enim, quod sententia per *Collusionem* lata sit nulla, et perinde ac si lata non fuisset, *l. Praeses. 5. C. de Pignor.* et *l. Cum non. 3. ff. h. t.*

8 Resp. III. Quamvis enim *Collusionis*, seu *Praevaricationis* sit arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum imponenda *l. Sciendum. 2. ff. de Praevaricat.* ibi: *Sciendum est, quod hodie iis, qui praevaricati sunt, poena injungitur extraordinaria*, juncta *l. 1. §. Si quis. 7.* et *l. 2. ff. ad S. C. Turpil.* tamen *Praevaricator* etiam poenam infamiae in specie incurrit *l. Si is. 4. ff. de Praevaricat.*

9 Resp. IV. Si *Collusio* fiet super Beneficio Ecclesiastico (cujus *Collusionis* casus aliquis narratur *c. Audivimus. 3. h. t.*) uterque *Colludentium* ipso privari debet Beneficio: Tum ne fraus et dolus alicui patrocinetur, uti habetur, *cit. c. 3. h. t.* Tum ne delicta maneant impunita contra Jura num. 5. allegata.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

SUMMARIUM.

1 Infantes *qui dicantur? non subjacent poenae Criminali.*
2 *Nec pueri infantiae proximi.*
3 *Bene vero* Pueri *pubertati proximi: ita tamen ut a poena Capitali sint immunes.*
4 *Nisi crimen prorsus enorme committant.*
5 *Etsi* Minores *ordinaria poenae affici possent, tamen regulariter mitius punientur.*
6 *Ob peccata* Commissionis *nullam poenam Criminalem incurrunt Minores, nisi ex dolo delinquant.*

1 Multa huc usque dicta sunt de variis delictis, et poenis eorum, jam vero in praesenti Titulo quaeritur: Num etiam, et qualiter *Pueri* subjaceant poenis delictorum hactenus recensitorum, casu, quo aliquod ex eis committunt? Resp. I. *Infantes*, id est *Pueri*, qui necdum compleverunt septimum annum aetatis, *l. Si infanti. 18. C. de Jure deliberandi* excusantur a delictis, et poenis per Leges statutis, cum doli capaces non sint, et, quod agunt, ignorent: *arg. l. Et si ff. ad Leg. Aquil.* et *l. Infans. ff. ad Leg. Cornel. de Sicariis*: ubi dicitur, quod si *Infans* hominem fecerit, aut aliquem occiderit, non teneatur ad poenam. Concordat *Clem. un. de Homicidio.*

2 Resp. II. *Pueri* quoque infantiae proximi, id est, septennio non multum *Majores*, a poenis delictorum a se commissorum immunes sunt. Farinacius *quaest. 92. numer. 26.* Carpz. *Prax. Criminal. p. 3. quaest. 143. num. 10.* Ratio est; quia etiam hi sufficienti judicio carent, et non multum distant a *furiosis*, ut dicitur *§. Sed quod 10. Instit. de Inutil. stipulat.*

3 Resp. III. *Pueri* pubertati proximi, sicut et alii, qui *infantiam* egressi, doli capaces sunt (quod Judicis arbitrio relinquitur, atque ex circumstantiis dijudicandum, cum contingat alios aliis maturius judicio pollere) si aliquod crimen *Commissionis* perpetrarunt, puta, furtum, mendacium, perjurium, homicidium, vel hujusmodi, omnino etiam *Criminaliter* puniri possunt, mitius tamen, quam si ab aliis crimen esset commissum, *c. 1. h. t.* adeo ut etsi crimen *Capitale* committant, ultimo supplicio affici non possint, nec etiam torqueri, *L. 1. § 33. ff. de S. C. Silan.* Ratio est; quia ob defectum judicii, et prudentiae minus malitiose et dolose delinquere praesumuntur, quam aetate provectiores, et ideo etiam mitius, quam isti puniuntur, *argum. l. Fere in omnibus ff. de R. J.*

4 Notat tamen bene Farinacius *Tom. 3. Tit. de Poenis temperandis. q. 92.* quod si *Pueri* in Conclusione praecedenti specificati crimina prorsus enormia committant, nec spes emendationis sit, uti in Veneficiis, etiam ultimo supplicio affici queant, *arg. l. Excipiuntur. 14. ff. ad S. C. Silan.* et *Constitut. Caroli V art. 164.* quam etiam de Crimine laesae Majestatis procedere, defendit Decianus apud Farinacium *loc. cit. n. 107.*

5 Resp. IV. Quamvis consecuti pubertatem (quae in materie *Criminali* tam quoad foeminas quam masculos habetur exacto anno decimo quarto) sed *Minores* adhuc viginti quinque annis, ob delicta *Commissionis* puniri possint poena ordinaria, *arg. l. Si ex causa. 9. ff. de Minor.* ibi: *Placet in delictis Minoribus non subveniri*: et *L. Auxilium 37. §. 1. ff. eod.* tamen regulariter loquendo, et nisi alia delictum aggravantia concurrant, Judex *Minores* mitius punire potest, et solet, quam *Majores*, *arg. l. Auxilium ff. de Minorib.* ibi: *In delictis autem Minor annis viginti quinque non meretur in integrum restitutionem, nisi quatenus interdum miseratio aetatis ad mediocrem poenam judicem produxerit.* Concordat *l. Fere in omnibus. ff. de R. J.* ibi: *Fere in omnibus poenalibus judiciis et aetati, et imprudentiae succurritur.* Clarus *§. fin. q. 60. n. 3.* Farinac. *cit. q. 92. nu. 41.* et alii.

6 Dicitur autem notanter in utraque praecedenti Conclusione, *ob crimen Commissionis*, quia ob peccata *Omissionis* non solum pueri pubertati proximi, sed etiam puberes, *Minores* tamen, a poenis Criminalibus sunt immunes, uti cum pluribus aliis bene notat Farinacius *loc. cit. num. 69. et 72.* *arg. l. licet 2. C. Si adversum delict.* et *l. Minoribus. 6. C. de His, qui ut indigni.* Ratio est; quia imprudentia potius, quam malitia praesumuntur tales omittere debita; consequenter intrat Regula supra citata *Fere in omnibus*: Nisi forsan probetur, etiam tales omittendo commisisse dolum, tunc enim et hi poenis subjacerent, *cit. l. Excipiuntur. 14. ff. ad S. C. Silan.*

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis*
2 *Venatio alia est oppressiva omnino illicita*
3 *Alia Arrnaria, pariter prohibita*
4 *Alia Sylvatica de qua in praesenti*
5 *Venatio Sylvatica quieta, et moderata raro facta, etiam Clericis est licita.*

6 *Non vero tumultuosa, et clamorosa, nec moderata nimis frequenter facta.*
7 *Ratio, cur* Venatio *Clericis sit prohibita.*
8 *Sententia Patrum contra* Venationem.
9 *Poena Clerici* Venatoris.
10 *Sunt hodie abrogatae.*

1 Hactenus actum est de Delictis communibus tam Clericorum, quam Laicorum: Nunc incipit Compilator agere de peculiaribus quibusdam Clericorum delictis incipiendo de *Venatione*, quae licet secundum se sit licita, de Jure tamen est prohibita Clericis, ut statim patebit. Nam

2 Quaeritur I. An? et qualis *Venatio*? quibusque sub poenis prohibita sit Clericis? Ante responsionem notandum cum Sylvestro ℣. *Venatio.* et aliis, tres praecipue esse species *Venationis*. *Prima* est, et dicitur *Oppressiva*, sic dicta, quia per eam homines injuste gravantur, et quasi opprimuntur: et hanc illicitam esse, nemo negat, *arg. can. et §. fin. dist.* 6.

3 *Secunda* est *Arenaria*; quae per pugnam cum Bestiis in arena pro quaestu exercetur, et haec non tantum Clericis prohibita, sed etiam respectu Laicorum infamiae inductiva est, *L.* 1. §. *1.* ℣. *Item. ff. de Postuland.*

4 *Tertia* est *Sylvatica*, quae ad ferarum, et volucrum captionem, vel caedem instituitur sine *oppressione*. Et proprie dicitur *Venatio*, de qua in praesenti agitur. Hinc ad Quaestionem

5 Resp. I. Quamvis hoc Titulo per duo Capitula prohibeatur Episcopis, Presbyteris, et aliis Clericis, utpote servitio Divino specialiter addictis, ne instituant *Venationes*, aut sylvaticas vagationes cum canibus, et accipitribus, aut falconibus; se ne canes, et accipitres, aut hujusmodi ad venandum habeant. Eademque prohibitio habetur in Concilio Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* ac respectu Religiosorum specialiter in *Clem.* 1. § *Porro. de Statu Monachor.* tamen Jura haec intelligenda non sunt de *Venatione quieta*, et moderata, raroque facta, sed tantum de tumultuosa, et clamorosa, quae magno cum apparatu, tumultu, et strepitu canum et armorum fit; adeo ut *Venatio quieta* et moderata, quae sine magno strepitu, etsi aliquibus cum retibus, et laqueis, ac paucis canibus ad capiendos, aut feriendos lepores, volucres, aliasque feras minores instituitur, Clericis interdicta non censeatur; sive dein fiat causa necessitatis ad tollendas feras noxias vineis, segetibus etc. sive causa utilitatis, ut dum ex tali *Venatione* partem redituum, vel alias fructum notabilem percipiunt, vel causa honestae distractionis, recreationis, et sanitatis, uti cum Glossa *in c.* 1. *h. t.* ℣. *Voluptate*, communiter docent Doctores, et in specie Abbas *in cit. c.* 1. *h. t. numer.* 1. et ibi Hostiensis, et Barbosa *numer.* 2. Sylvester ℣. *Venatio*, Bellet. *Disquisit. Cleric. p.* 1. *Tit. de Disciplina Cleric.* § 19. Pirhing *h. t. num.* 3. et alii, id desumentes ex Concil. Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* ubi non omnes, sed illicitae tantum *Venationes* interdicuntur Clericis: ibi: *ab illicitis Venationibus etc.* quales non videntur quietae et moderatae raro factae. Accedit consuetudo, optima Legum interpres, qua constat, hujusmodi *Venationem* passim etiam a doctis et timoratis Clericis, pro licita reputari, indeque sine scrupulo practicari.

6 Resp. II. *Venatio* tumultuosa et clamorosa, quae magno armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultu, et vehementia fit, uti contingit, dum instituitur ad capiendos, vel feriendos Apros, cervos, aliasve praesertim majores feras, et aliquando etiam aves, omnino prohibita est Clericis; sicut et *Venatio* quieta, nimis tamen frequenter facta, ita Communissima Doctorum, *arg. cit. c.* 1. *et* 2. *h. t.* ibi: *Omnibus servis DEI venationes, et sylvaticas vagationes cum canibus, et accipitres, aut falcones habere interdicimus*: juncto. *Concil. Trident. cit. Sess.* 24 *cap.* 12. *de Reformat.* ibi: *ab illicitis Venationibus abstineant*; cum enim his Juribus aliqua *Venatio* procul dubio sit prohibita Clericis, quieta vero, et moderata raro facta sit licita, per dicta, certe saltem tumultuosa et clamorosa, nec non quieta, sed nimis frequenter facta erit prohibita.

Ratio autem, ob quam hujusmodi *Venatio* sit prohibita est: Tum quia *Venatio* partim propter tumultum et clamorem satis dissolvit, et dehonestat Clericalem modestiam: partim quia propter immitem calidi sanguinis animalium effusionem refert quandam speciem belli, simulque excitat in animis aliquam asperitatem, et truculentiam debitae mansuetudini et lenitati Clericali valde adversam: Tum quia per *Venationem* etiam quietam nimis tamen frequentatam Clerici a Divinis Officiis, et Spiritualibus, aliisque Clericalem statum decentibus occupationibus abstrahuntur, hoc ipso, quod *Venationi* nimium dediti primas diei curas, et primum idemque nobilissimum diei tempus, quod Divino obsequio, et praestitis occupationibus consecrare deberent, investigandis, et insectandis, capiendisque feris ac volucribus impendant, prout cum aliis bene observat Gonzalez *in c.* 1. *h. t. n.* 7. 7

Hinc satis terribiles inveniuntur S. S. Patrum sententiae Juri insertae, uti *c. Esau* 11. *dist.* 86. ibi: *Esau venator erat, quoniam peccator erat, et penitus non invenimus in Scripturis sanctis Sanctum aliquem Venatorem, et Piscatores invenimus sanctos.* et *can. An putatis.* 13. *ead. dist.* ibi: *An putatis illum jejunare fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatarum Martyrum loca sancta perquirit; sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus, sylvasque perlustrat, servulos magnam secum protrahit, forsan magis ad Ecclesiam festinantes, et voluptatibus suis peccata cumulat aliena asciscens reum se faterem, tam de suo, quam de perditione servorum.* 8

Resp. III. Poenae Clericorum illicitam *Venationem* exercentium habentur c. 1. *h. t.* illis verbis: *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet: quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus fuit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione; si Presbyter duobus: si Diaconus, ab omni Officio suspendatur*: quam Suspensionis poenam etiam ab Subdiaconum extendit Glossa *in cit. c.* 1. *h. t.* Minoristas vero Clericos arbitrio Judicis plectendos tradit *ibid.* Anchoranus, et Hostiensis *in Summa n.* 4. 9

Verum has poenas consuetudine abrogatas notat Wagnereck *h. t.* qua consuetudine etiam derogatum esset *Canonibus*, si qui essent, quibus talis quoque *Venatio*, et requisita ad eam, v. g. canes, retia etc. prohiberentur, quae nec ab Officiis Divinis avocant, nec mansuetudini Clericali contrariae sunt: Cum enim talis *Venatio*, et requisita ad eam ex se indifferentia, et Jure naturali permissa sint, *arg.* §. *Ferae.* 12. *Institut. de Rerum divis.* utique valebit consuetudo contra legem talia prohibentem, *argument. c. fin. de Consuetud.* 10

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Clerici Laicum etiam delinquentem propriis manibus percutere non possunt.*
3 *Limitatio remissiva.*
4 *Poena Clerici* Percussoris.
5 *Praesertim lethalis , vel enormis.*
6 *Superiores Ecclesiastici possunt causa correctionis verberibus castigare Clericos sibi subditos.*
7 *Episcopus tamen propriis manibus etiam correctionis causa verberare neminem potest : sed de Jure id facere debet per alium Clericum : de consuetudine vero etiam per Laicum.*
8 *Superiores Regulares habent privilegium per suos Laicos Religiosos seu Conversos verberibus castigandi suos subditos Clericos causa correctionis.*
9 *Magistri , Praeceptores , Moderatores , Clerici possunt sibi commissos discipulos tam Laicos, quam Clericos causa correctionis leviter , et moderate percutere : Idem valent seniores Sacerdotes respectu Juvenum turbantium Officium Divinum.*

1 Uti Venatio sic etiam *Percussio* , seu rixatio repugnat mansuetudini , lenitati , et modestiae Clericali. Hinc post illam de hac recto ordine agitur praesenti Titulo.

2 Quaeritur An ? et qualiter ? quibusque sub Poenis prohibitum sit Clericis percutere Laicum? Resp. I. Specialiter cuivis Clerico praesertim in *Majoribus* constituto prohibitum est Laicum etiam delinquentem , sive fidelem , sive infidelem propriis manibus percutere. Communis et certa per clara Jura can. 1. et can. *Episcopum* 7. *dist.* 45. ibi : *Episcopum , aut Presbyterum , aut Diaconum percutientem fideles delinquentes , aut infideles inique agentes , dejici ab Officio suo praecipimus.* Concordat can. *Non licet.* 25. *dist.* 86. ibi : *Non licet Episcopo manibus suis aliquem caedere , hoc enim alienum a Sacerdote esse debet.* et c. 1. *h. t.* ibi : *Si quis in aliquo gradu sacro percussor extiterit, corripiatur a crimine , et si se emendaverit , deponatur.* Ratio jam supra insinuata est : quia percussio repugnat modestiae Clericali , ac mansuetudini Christi , quam imitari debent Clerici. Hinc *cit. can. Episcopum* , postquam percussio prohibita fuit , additur : *Quia nusquam nos docuit hoc Dominus. Econtrario vero ipse , cum percuteretur , non percutiebat ; cum malediceretur , non maledicebat ; cum pateretur , non comminabatur.*

3 Limitatur tamen Conclusio in casu , quo Clerici Praeceptores , Moderatores , et Magistri leviter , et moderate percutiunt sibi commissos Discipulos , juxta dicenda *num.* 9.

4 Resp. II Poena Clerici *Percussoris* est , quod inprimis pro qualitate, et circumstantia percussionis notabilis debeat corrigi , aut corripi , et pro arbitrio Judicis : Postea vero si se non emendet , sed saepius ac forsan etiam ob leves defectus percutiat , ita ut ex indignatione , et quadam iracundia ad verbera statim procedere soleat , tanquam inhumanus et ferus , statuque Clericali indignus deponi possit, et debeat, *arg.* c. 1 *h. t.* cujus textum lege *num. praecedent.* Glossa, et Doctores *ibid.* communiter : Bene tamen inferentes , propter unam etiam notabilem , et gravem percussionem Laici , Clericum poenam *Depositionis* non incurrere , sed aliter corripi debere , nisi percussio hujusmodi lethalis , vel saltem enormis esset.

Enim vero etiam ob unicam, lethalem tamen, vel enormem percussionem Clericos deponendos est, Glossa *in* c. 1. *h. t.* et ibi Hostiensis , Pirhing *h. t. n.* 2. *arg. can. fin. dist.* 25. *et* c. 2. *h. t.* Ratio est ; quia gravissime adversatur statui , modestiae , et mansuetudini Clericali hujusmodi percussio. 5

Quaeritur II. An ? et qualiter prohibitum , vel permissum sit Superioribus Ecclesiasticis tam saecularibus , quam Regularibus correctionis causa percutere , seu verberibus castigare , et punire Clericum subditum ? Resp. Possunt Episcopi , et Superiores Regulares , Clericos sibi subditos , et quidem existentes in *Minoribus* etiam propter leves defectus; constitutos autem in *Majoribus* , seu sacro aliquo Ordine initiatos , non nisi propter graves excessus , vel delicta (inter quae etiam *Ebrietas* numeratur) verberibus castigare, *can. cum beatus.* 8. *dist.* 45. et *can. fin. dist.* 35. et ibi Glossa ¶. *Corporali.* communi recepta. 6

Notandum tamen , quod Episcopus propriis manibus etiam correctionis causa percutere non possit Clericum, *cit. can. Non licet.* 25. *dist.* 86. sed id committere debeat alicui alteri , et quidem Clerico , adeo , et si id Laico committeret , tam ipse committens , quam Laicus ex mandato percutiens Clericum , essent excommunicati , *arg. c. Universitatis.* 24. *de Sentent. Excommun.* et ibi Barbosa *num.* 2. Navarrus *h. t. Consil.* 42. Pirhing *h. t. nn.* 1. nisi forsan alicubi esset consuetudo legitime praescripta , quod Episcopi per Laicos verberibus castigent Clericos delinquentes , prout de Gallis testatur Barbosa *loc. cit.* et eandem passim vigere , atque rationabilem , et in Jure fundatam esse , dicunt alii, *arg. c. Clerici.* 15. *de Sentent. Excommun. in* 6. ubi Superioribus Ecclesiasticis permittitur , quod etiam per Laicos violenter capere , et incarcerare valeant Clericum delinquentem : Idque merito ; ne alias contra *cit. c. Famae.* 35. *de Sentent. Excommun. delicta maneant impunita* ; cum difficile sit reperire Clericos, qui velint in se suscipere munus capiendi , carcerandi, et verberandi alios delinquentes Clericos. 7

Resp. II. Quamvis Superiores Ecclesiastici Episcopo minores , praesertim Regulares in casu, quo causa correctionis oportet verberare subditum Regularem , id facere deberent manu propria (nisi necessitas aliter urgeat) ut clare decisum habetur c. *Universitatis.* 24. *de Sentent. Excommun.* Tamen Superiores Fratrum Minorum ex speciali privilegio Summorum Pontificum Alexandri VI. et Leonis X. etiam extra casum necessitatis subditos Religiosos per aliquos suos subditos Fratres Laicos seu conversos quoque verberibus castigare valent : uti videre est *in Compend. Privileg.* ¶. *Absolutio ordinaria. numer.* 20. *et num.* 25. quo privilegio etiam alias Religiones per communicationem gaudere recte docet Palao *Tract.* 29. *Disp.* 3. *pun.* 23. §. 3. *n.* 11. 8

Illud etiam hic advertendum , quod Clerici existentes Praeceptores , Moderatores , et Magistri Artium liberalium , si verbis nil efficiunt , verberibus etiam castigare valeant non tantum Laicos suae curae commissos , *arg. can. Aut facta.* 19. *dist.* 1. *de Poenitent.* sed etiam Clericos c. 1. *et* c. *cum voluntate* 54. *de Sentent. Excommun.* Ubi idem etiam extenditur ad alios seniores Clericos , eosque ab Excommunicatione immunes esse declaratur , *qui Zelo devotionis pueros vel adolescentes in Minoribus Ordinibus constitutos turbantes divinum Officium leviter forsan percusserint* ; eo quod hujusmodi 9

percussiones causa correctionis adhibitae, nec violentae, nec suadente diabolo censentur *cit. c. 1. h. t.* et ibi Abbas *n.* 1. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 81.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

1 Post Titulum de *Percussoribus* recte sequitur de *Maledicis*; quia et hi in suo sensu sunt percussores, et Maledictum ipsorum percussio est linguae videlicet, ita ut sicut illi manu, ita hi lingua percutiant. De quibus

2 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Maledictum* vel *Maledictio*, et Maledicus? Resp. I. *Maledictum* seu *Maledictio*, a male dicendo, vel loquendo sic nuncupatum, est, et dicitur, *malum dictum*, seu *mala locutio de alio*; et qui ita male loquuntur, *Maledici* vocantur. Ita in re Communis.

3 Resp. II. *Maledictum* dividitur in *Detractionem, Calumniam*, et *Blasphemiam*, indeque *Maledici* in *Detractores, Calumniatores*, et *Blasphemos. Detractio*, et *Detractor* est, quando quis de absente male loquitur, ejusque famam denigrat, aut minuit dicendo de illo, quod sit fur, v. g. homicida, mendax, fallax etc. *Calumnia* et *Calumniator* est, quando quis in faciem alterius, seu in praesentia illius malum objicit. *Blasphemia*, et *Blasphemator* est, quando quis de Deo, vel Sanctis ejus male loquitur juxta magis dicenda infra *num.* 15.

Porro *Maledictum*, prout comprehendit *Detractionem*, et *Calumniam*, fieri potest vel in privatum, vel in Superiorem, praesertim supremum, eumque vel saecularem, v. g. Imperatorem, Regem, Principem, vel Ecclesiasticum, v. g. Papam, Episcopum etc. 4

Resp. III. Poena *Maledicti* in privatum commissi est, quod praeter reatum peccati, et obligationem restituendi famam *Maledicens* sit obnoxius Actioni injuriarum, et palinodiae, seu recantationi *arg. l. Item.* 15. §. *Generaliter.* 27. *ff. de Jurejur. et Libell. fam.* cum Concordantiis *C. De quibus actionibus*, et magis infra *Tit.* 36. *de Injur. et damno dato.* 5

Resp. IV. Quamvis olim poena *Maledicti* in Imperatorem, aut Principem saecularem fuerit eadem cum poena Criminis laesae Majestatis, teste Arnobio Communem allegante, *lib. Adversus gentes*, ubi ait: *Majestatis sunt apud nos rei, qui de vestris secus obmurmuraverint Regibus*; nihilo minus de Jure communi nulli certae, sed soli arbitrariae poenae ipsius Principis subsit; ita tamen, ut etsi hic *Maledictum* in se conjectum, ut examinari valeat, referri velit, tamen suadente lege et magnanimitate punire non soleat, nisi *Maledictum* in ipsum Officium Principis fiat, vel circumstantiae aliud suadeant, *l. un C. Si quis Imperatori*: ibi: *Si quis modestiae nescius, et pudoris ignarus improbo, petulantique Maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit; eum poenae nolumus subjugare, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania miseratione dignissimum est: si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus, hoc ad nostram sententiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, et totum praetermitti, an requiri debeat, censeamus.* 6

Dicitur autem notanter in Conclusione, *nisi Maledictum in ipsum Officium Principis fiat etc.* hoc enim, ubi contingit, utique puniri debet, et quidem graviter, *arg. c. 1. h. t.* ibi: *Ut poena illius aliis terrorem incutiat*, quod idem fieri debet, si verba *Maledicti* seditionem, turbolentias, aut alias periculosas sequelas minarentur, Menochius *de Arbitr. Judic. cas.* 377. *n.* 7. *et seqq.* 7

Resp. IV. Poena *Maledicti* in summum Pontificem quoque de Jure communi arbitraria pro qualitate delicti est, ita tamen, ut si *Maledictum* contra ipsam Sedem Apostolicam, seu Dignitatem Pontificiam, seu Officium et Primatum ipsius fiat, poena et quidem gravis atque exemplaris necessario imponi debeat, *arg. c. 1. h. t.* ibi: *Quia nobis per literas retulisti, quod Clericus multis coram adstantibus verba quaedam in depressionem Officii, et Beneficii nostri protulit: ipsum a temeritate sua compescas, ut de poena illius aliis terrorem incutiat, ne de caetero in Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant*: et ibi Doctores communiter. 8

Si vero in solam personam Papae, praesertim ex levitate, temulentia, insania, vel animi commotione fiat, mansuetudo Christi, cujus Papa in terris Vicarius est, omnino requirit, ut ipse Papa talem injuriam suae personae illatam, remittat, *arg. can. Inter querelas.* 27. *cau.* 23. *q.* 4. et *l. Si quis.* 10. *C. de* 9

Episc. et Cleric. juncta *cit. l. un. C. Si quis Imperatori*; si enim juxta hanc legem ipsi Principes saeculares suae personae *Maledicentibus* ignoscunt, multo magis id facere debet Papa, qui illis, in minoribus et mansuetudine exempla esse debet. Exemplum insigne pro hac doctrina dedit Pius V. qui famoso carmine in sua persona gravissime offensus, Reum deprehensum ad se adductum ita alloquebatur: *Si tu mihi ut Summo Pontifici maledixisses, impune non ferres. Verum quia in fratrem Michaelem* (hoc nomen ei ut Religioso erat) *in Monachum Scarponensem etc. convitia jactasti, liber abi, quo vis. Ego vero humilitatem generis mei, vitae, et habitus semper animo retinebo, et libenter confitebor.* Barbosa *in cit. c. 1. h. t. n. 2.*

10 Resp. V. Quamvis Episcopus aliquem ob *Maledictum*, soli personae suae illatum ipsamet punire non possit, prout notat Glossa communiter recepta *in can. Inter querelas*; ibi: *Unde de caetero omnino esto circumspectus, atque solicitus, et talia cuiquam pro defensione propriae injuriae tuae inferre denuo non praesumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.* Ratio est: Tum quia nullus Superiorem habens est Judex in propria causa, *per Vulgaria*: Tum quia Mansuetudo et Sanctitas Episcopi requirit, ut injurias suae personae illatas remittat, *arg. l. Si quis. 10. de Episc. et Cleric.* ibi: *Cui sanctitas ignoscendi Gloriam dereliquit.*

11 Nihilo minus arbitrio alterius Judicis pro qualitate delicti puniendus est, qui *Maledicto* Episcopum offendit, ut bene advertit Hostiensis *in Summa h. t. §. Alii maledicunt Principem.* Farinacius *Prax. Criminal. q. 105. n. 401.* Et quidem judices saeculares ex Officio punire debent illum, qui *Maledicto* Episcopum offendit, vel etiam Sacerdotem, vel Clericum, etiamsi Episcopus, vel alii Clerici non accusent; quia universaliter loquendo debent Judices saeculares ex Officio punire quamlibet qui aliquam injuriam (qualis utique est etiam *Maledictum*) infert locis, aut personis sacris, uti expresse statutum habetur *cit. l. Si quis. 10. C. de Episcopis. et Clericis.* illis verbis: *Si quis in hoc genus Sacrilegii proruperit, ut in Ecclesias Catholicas, Sacerdotibus, Ministris, vel ipsi cultui, locoque aliquid importet injuriae, quod geritur, a Provinciae Rectoribus animadvertatur: atque ita Provinciae Moderator, Sacerdotum et Ecclesiae Ministrorum, loci quoque illius, et cultus Divini injuriam capitali in convictos seu confessos Reos sententia noverit vindicandam. nec exspectet, ut Episcopus injuriae propriae ultionem poscat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus et Ministris injurias veluti crimen publicum persequi, ac de talibus Reis ultionem mereri.*

12 Resp. VI. Poena *Maledici* Clerici in specie praescribitur, *can. Clericus. 5. dist. 46.* illis verbis: *Clericus Maledicus* (*maxime in Sacerdotibus*) *cogatur ad postulandam veniam: si noluerit, degradetur, nec unquam ad Officium absque satisfactione revocetur.*

13 Resp. VII. Si Religiosi aliquem Ecclesiae Praelatum *Maledicto* offendant, aut detrahant eidem, de Jure communi debent per duos menses subjacere illis poenis quae juxta Regulas, vel Statuta eorum ob gravia crimina imponuntur, textu expresso *Clem. 1. §. Quibus etiam, de Privileg.*

14 Dicitur notanter *de Jure communi*: quia praeter hanc Juris dispositionem, *Maledici* Religiosi per specialia Statuta graviter puniuntur. Et quidem in nostro Ordine Seraphico per Statuta Generalia *Maledici*, seu qui male loquuntur de summo Pontifice, vel Decretis et Constitutionibus Apostolicis, vel de Cardinalibus, vel de Episcopis, vel aliis Ecclesiarum Praelatis, vel etiam de Superioribus Ordinis, gravissimis subjiciuntur poenis, ut videre est in dictis nostris Statutis Generalibus *cap. 1. §. 1.* ibi: *Idcirco mandamus, ut si quis ore blasphemo, aut impudenter, vel irreverenter de persona Summi Pontificis, vel summa ejus Dignitate vel Majestate ejus in terris suprema, vel de Apostolicis Constitutionibus, Decretis, aut Sanctionibus obloqui temere ausus fuerit, et de eo legitime constiterit, semestris poena carceris, et alia graviori, Superiorum arbitrio puniatur.*

Qui vero Eminentissimos S. R. E. Cardinales, aut in eorum Dignitatem vel personam in genere, vel in specie, et praesertim in Eminentissimum Ordinis Protectorem temere ora laxaverit, aut de Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis oblocutus fuerit, trimestri carceri mancipetur: et gravioribus etiam poenis pro qualitate delicti, Superiorum arbitrio subjaceat.

Qui Ministro, Vicario, Commissario Generali non obedierit etc. aut injuriosis, vel irreverentibus verbis aliquem ipsorum affecerit etc. Suffragiorum jure sexennio careat; ac semestris carceris poenam, vel etiam graviorem pro delicti qualitate subeat.

Qui in Ministrum Provincialem, vel Commissarium ejusmodi crimina admiserit, et carceris poena, Suffragiorum privatione, Generalis arbitrio infligatur.

Qui Praelato suo aliqua verba injuriosa contra illum protulerit, statim etiam trina monitione non praemissa carceri mancipetur etc.

Quaeritur II. Quid, et quotuplex sit? Quibusque poenis subjecta sit *Blasphemia*? Resp. I. *Blasphemia est mala, seu contumeliosa locutio in Deum*: quae potissimum tripliciter fieri potest, videlicet *Primo*, dum de Deo negatur, quod ei convenit: vel aliquid de illo asseritur, quod eidem non convenit: prioris *Blasphemiae* sunt exempla; si quis v. g. dicit: *Deus non est Omnipotens; non omnia scit; non est ubique*, vel aliud verbum contumeliosum contra illum profert. D. Thomas *2. 2. q. 13. art. 1.* Farinacius *q. 20. n. 11.* posterioris vero, si dicitur: *Deus est Tyrannus; est peccator; est mendax; est injustus etc.* *Secundo*, quando quis Deum detestatur, aut malum aliquod ei imprecatur, v. g. *ut pereat, aut moriatur, ut confundatur, contemnatur, vel non amplius cognoscat, nec possit punire peccata etc.* *Tertio*, si hujusmodi malae, vel contumeliosae locutiones in B. V. Mariam, vel Sanctos; sicut enim Deus laudatur in Sanctis suis; sic etiam Blasphemia, quae fit contra Sanctos, in Deum redundat, indeque ut Blasphemia in Deum reputatur, ac punitur. D. Thomas *loc. cit.* Covarruvias *in c. Quamvis de Pact.* Clarus *§. Blasphemiae.* Sylvester *v. Blasphemia*, cum communi aliorum *arg. c. 2. h. t.* 15

Resp. II. *Blasphemia* praecipue dividitur in *Haereticalem*, et *non Haereticalem*. Illa est, quando aliquid articulis Fidei contrarium de Deo asseritur vel negatur; ut si dicatur: *Illum non esse Omnipotentem*, vel *non esse omniscium* etc. vel *esse mortalem, esse mendacem etc.* Haec vero, seu *non Haereticalis* est, quando quid Fidei non oppositum contra Deum pronunciatur: ut si per modum imprecationis, vel detestationis in eum quid profertur, v. g. *imprecando interitum, optando ut non esset*, vel et *maledicendo etc.* 16

Resp. III. Poenae *Blasphemiae* aliae sunt de Jure Canonico, aliae de Jure Civili: De Jure Canonico inprimis poena Clerici *blasphemantis* est depositio ab Officio, et statu Clericali, *can. Si quis. 10. cau. 22. q. 1.* Laici vero *blasphemantis* poena de Jure Canonico est Excommunicatio ferenda, *cit. can. Si quis.* ibi: *Si quis etc. Blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico Ordine fuerit, deponatur: si Laicus anathematizetur.* 17

Dein in *Blasphemos* ulterius statuuntur poenae 18

c.2.h.t illis verbis: *Statuimus, at si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, et maxime B. Virginem, linguam in blasphemium publice relaxare praesumpserit, per Episcopum suum poenae subdatur inferius annotatae: videlicet, quod in septem diebus Dominicis prae foribus Ecclesiae in manifesto (dum aguntur Missarum solemnia) blasphemus existens, ultimo illorum die Dominica pallium et calceamenta non habeat ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus sextis feriis in pane et aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque praedictorum dierum tres si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus facultates suppetant, id in poenam aliam commutetur, cui etiam, si renuerit recipere ac peragere poenitentiam supra dictam, Ecclesiae interdicatur ingressus, et in obitu Ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem praeterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi Dioecesani adhibita contra eum, blasphemus si dives fuerit quadraginta solidorum, alioquin triginta, sive viginti: et si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetae poena mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatem statuta ponatur.*

19 Praeter has poenas Jure communi Canonico statutas, alias easque multum graves, per speciales Constitutiones contra *blasphemos* statuere diversi summi Pontifices, in specie vero Leo X. Constitutione *Supernae dispositionis*, quae est septima in *Tom. I. Bullarii Cherubini*, inter Constitutiones hujus Pontificis: Julii III. *In multis*, quae est vigesima tertia *in dicta Tom. I. Bullarii*. Pii V. *Cum primum*, quae est quinta *in Tom. II. Bullarii Cherub.* Et quoniam Bullarium cuivis ad manum non est, in odium hujus vitii aliquos *Paragraphos* ex dictis Constitutionibus praesertim Leonis X. et Pii V. per extensum hic subjungimus.

20 Et quidem Leo X. *loc. cit.* §. 33. ita disponit: *Ad abolendam vero execrabilem Blasphemiam, quae in maximum divini nominis, et Sanctorum contemptum supra modum invaluit, Statuimus et ordinamus, ut quicunque Deu, palam seu publice maledixerit, contumeliosisque atque obscoenis verbis Dominum nostrum Jesum Christum, et gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, si munus publicum, jurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta pro prima et secunda vice dicti officii: si tertio deliquerit, illo eo ipso quod de delicto hujusmodi fuerit, convictus, etiam Beneficiorum quaecunque habuerit, fructibus applicandis ut infra, unius anni mulctetur, et hoc sit pro prima vice, qua Blasphemus ita deliquerit. Pro secunda vero vice si ita deliquerit, et convictus, ut praefertur, fuerit, si unicum habuerit Beneficium, eo privetur: si autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod si tertio ejus sceleris arguatur, et convincatur, Dignitatibus ac Beneficiis omnibus quaecunque habuerit, eo ipso privatus existat, et ad ea ulterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari, et conferri possint. Laicus vero blasphemans, si nobilis fuerit poena XXV. ducatorum mulctetur, et pro secunda vice, L. Fabricae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe applicandorum, et aliis ut infra deducitur. Pro tertia vero Nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur, et si ultra duas vices publice blasphemans deprehensus fuerit mitram infami per integrum diem ante foras Ecclesiae principalis miratus stare cogatur, si vero pluries in hoc ipsum peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur, ad Judicis deputari arbitrium. In foro autem conscientiae, nemo blasphemiae reus, absque gravissima poenitentia, severi Confessarii arbitrio injuncta, possit absolvi. Qui vero reliquos Sanctos blasphemaverit, arbitrio Judicis, rationem personarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, ut saeculares Judices, qui contra tales blasphemiae convictos, non animadverterint, eosque justi poenis minime affecerint, quantum in eis fuerit: quasi eidem sceleri obnoxii, eisdem quoque poenis subjiciantur. Qui vero in illis inquirendis, puniendisque diligentes, et severi fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam consequantur, et tertiam partem mulctae pecuniariae habeant. Quicunque vero blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingit, eundemque deferre, vel notificare apud Judicem Ecclesiasticam, seu saecularem intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem simul audierint, simul cum accusare teneantur, nisi forte omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute obedientiae hortamur, et monemus in Domino, ut pro Divini nominis reverentia et honore, in suis Dominiis ac terris praemissa omnia servari, et exactissime exequi mandent, ac faciant uberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab Apostolica sede consecuturi, cum tertia parte mulctae, qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curaverint, quam quidem indulgentiam, et reliquam tertiam mulctae partem, accusatori blasphemi nomen deferenti, similiter concedi, et assignari volumus, aliis poenis contra hujusmodi blasphemos per sacros Canones expressis, nihilo minus in suo robore manentibus.*

Pius V. autem *loc. cit.* §. 33. ita disposuit: *Ad abolendum vero nefarium, et execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua Lege Deus morte puniri mandat, et Imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Judicum in puniendo segnitiem, vel potius desuetudinem, supra modum invaluit, Leonis X. praedecessoris nostri in novissimo Lateran. Concilio statuto innovantes, decernimus, ut quicunque Laicus Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice poenam viginti ducatorum incurrat, pro secunda poena duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvat, et ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebejus fuerit, nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiae constituatur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per urbem, pro tertia lingua ei perforabitur, et mittetur ad Triremes. Quicunque Clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium, et quorumcunque Beneficiorum suorum: pro secunda Beneficiis ipsis privetur; pro tertia omnibus etiam Dignitatibus exutus deponatur, et in exilium mittatur. Quod si Clericus nullum obtinuerit beneficium, poena pecuniaria, vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda vice carceribus mancipetur; pro tertia verbaliter degradetur, et ad Triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae, atque personarum, arbitrio Judicis puniatur.* 21

Resp. IV. *blasphemiae* poena de Jure Civili est ultimum supplicium per textum *Novell.* 77. *cap.* 1. ad exemplum Legis divinae in Testamento veteri *Levit.* 24. ℣. 16. ibi: *Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte morietur etc.* Quam poenam ultimi supplicii pro gravi *blasphemia* praesertim in ipsum Deum etiam statuit Carolus V. *Constit. Crim. art.* 106. pro leviori autem, praesertim, si non in Deum, sed B. V. Mariam, vel Sanctos fiat, praecisionem vel mutilationem linguae, fustigationem, carcerationem, mulctam pecuniariam, vel aliam arbitrariam pro diversitate circumstantiarum delinquentis, et delicti. 22

Et quamvis justissimus rigor poenarum contra 23

Blasphemos pluribus in locis ob iuvalescentem abusum *blasphemandi* exacte non observetur, tamen recte munet Claces §. *blasphemia. no.* 3. eum aliis ibidem allagatis, id fieri ex defectu Justitiae, et Religionis, eum etraque baec virtus exigat, nil magis puniatur, et terrore poenae extirpetor quam *blasphemia*, atque vitium omnium maximom. Unde eaedem multis in locis adbec sunt in use, utl in Bavaria, ubi licet arbitrio Judicis relinquatuc, Blasphamiam pro diversitate delicti et personarum punire *Lib.* 5. *Tit.* 7. (*der Lands end Policey-Ordneng.*) Tamen experientia babemus, quod in Bavaria plares blasphemi etiam amputatione linguae et capitis fuerint puniti; juste id exigente arbitrio Judicis.

24 Illud tamen notandum, quod si quis in plena ebrietate, vel etiam ex calore et impetu iracundiae ortum habentis ex gravi et justa causa blasphemat, ordinariae poenae non sobjaceat, sed mitius arbitrio Judicis puniri debeet, Clarus §. *blasphemia. num.* 6. et Farinac. *Prax. Criminal. quaest.* 20. *num.* 47. Menochius *de Arbitr. Judic. casu* 37. *num.* 33. com communi aliorum, *arg. c.* 2. *h. t.* ibi: *Praesumpserit*; quod importat deliberationem, quam *ebrii* non habent, nec satis habere censentuc *iracundi*, utpote qui nesciunt quomodo, et qeid agant.

25 Dicitur autem notanter, *ortum habentis ex gravi, et justa causa* et si v. g. vir uxorem in Adulterio deprebendens, ira commotus blasphemat; si enim iracundia, ex levi, vel etiam gravi quidem, sed injusta causa proveniat, v. g. si quis juste privatus Officio, aut alias graviter punitus, vel ob perditam lusu magnam Summam pecuniariam, indeque ira commotes blasphemat, poenae ordinariae, et per consequens etiam ultimo supplicio subjacet: Doctores citati, Pirhing *h. t. numer.* 11. Abbas *in cit. c.* 2. *h. t. num.* 6. et alii communitec.

26 Notandum insuper, illos, qui sine respectu erga Deum, et Sacramenta, sed vel ex subitanea ira, indignatione, aut ex prava consuetudine in Germania, proh dolec! satis vigente blasphemant per Sacramenta, dicendo v. g. *Gotts* Sacrament. *Gotts tausend end Million* Sacrament etc. Poenas ordinarias non incurrere, bene tamen extraordinariam, quae in Bavaria nostra per Judices magis timentes Deum omnino imponitur, juxta dispositionem statutorum Bavariae *cit. lib.* 5. *Tit.* 7. *art.* 2. (*der Lands-and Policey-Ordnung.*)

27 Quaeritur III. Quis sit Judex *blasphemiae*? Resp. I. Si *blasphemia* est *haereticalis*, seu habens conjunctam Haeresin, Judex illius est solus Ecclesiasticus. Patet Conclusio ex dictis *Tit. VII. de Haeretic.* ubi in causa Haeresis solum Ecclesiasticum competentem Judicem esse, clare probatum habetur. Limita tamen Conclusionem juxta dicenda *numer.* 29.

28 Resp. II. Si *blasphemia non haereticalis* sed simplex est juxta dicta *num.* 16. est mixti Fori, et datur locus praeventionis, ita tamen, ut si unus v. g. Judex Ecclesiasticus illam punit, per hoc non impediatur Judex saecularis, quin *blasphemum* etiam in suo Foro punire valeat, ac econtra Farinac. *q.* 20. *n.* 39. Barbosa *de off. et potestat. Episcop. Allegat.* 51. *n.* 93. Abbas *in c. fin. h. t. n.* 9. Sanch. *lib.* 2. *Moral. cap.* 32. *n.* 37. et alii, *arg. c.* 2. *h. t.* ibi: *Per Episcopum poenae subdatur, et per temporalem Potestatem mulctetur.*

29 Notandum tamen, consuetudine in bis partibus passim vigente Judices saeculares etiam *blasphemiam haereticalem* judicare et punire, idque ut apparet, ideo, quod etiam *blasphemiae haereticales*, v. g. *Deus non est justus*, ordinarie potius ex mente *blasphema*, quam *haereticali*, et errore intellectus fiant.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

SUMMARIUM.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Poena censuram violentis Clerici I. est depositio officio, et beneficio.*
3 *Quae infligi potest ante omnem monitionem.*
4 II. *Qui in Excommunicatione existens celebrat, privatur beneficiis ante omnem sententiam.*
5 III. *Poena Censurati actum ordinis exercentis est irregularitas ipso facto incurrenda.*
6 *Ad quam tamen contrahendam requiritur primo, ut Censuratus exerceat verum, ac proprium actum ordinis.*
Actus ordinis ad propositum qui sint, et qui non? Ibid.
7 *Suspensus, et excommunicatus vitandus irregulares fiunt, si absolvent aliquem Sacramentaliter, etsi nulliter agant.*
8 *Objectio.*
9 *Secunda conditio est, ut Censuratus temere, seu cum culpa actum ordinis exerceat.*
10 *Hinc qui ignorat, se esse* Censuratum, *irregularitatem non incurrit, exercendo actum ordinis.*
11 *Nec qui in extrema necessitate absolvit.*
12 *Nec qui ad vitandum scandum, vel infamiam, actum ordinis exercet.*
13 *Nec ille, contra quem sententia censurae evidenter est nulliter lata.*
14 *Varie dubitare quis potest de sua* Excommunicatione.
15 *Qui scit, se esse a Judice Ecclesiastico* excommunicatum, *et dubitat, an rite et legitime, irregularis est, si in illa ministrat.*
Nec juvat appellatio post latam excommunicationem interpositam. Ibid.
16 *Dubitans, num contra se lata sit sententia excommunicationis, vel an perpetrarit delictum, cui excommunicatio est annexa, tenetur sub poena Irregularitatis abstinere ab exercitio ordinis.*
17 *Solvitur objectio.*
18 *In materia morali, praesertim censurae et Irregularitatis in dubiis debemus sequi tutiorem: Et num. seq.*
Consilium sequi nemo tenetur. Ibid.
19 *Non tantum vitandus, sed etiam toleratus* Excommunicatus *irregularitatem incurrit, si actum ordinis exercet.*
20 *Non item* Excommunicatione minori *ligatus.*
21 Censuratus *etiam minoris ordinis actum exercens est irregularis.*
22 *Si id cum solemnitate faciat.*

Unum ex Clericorum gravibus delictis est, si violant 1
Censuras, dum nempe in *Excommunicatione*, *Suspensione*, vel *Interdicto* existentes aliquem actum ordinis exercent, aut in loco interdicto Divina celebrant. Ob quod delictum, quia poenas contrahunt

Quaeritur I. Quas poenas incurrant Clerici *Cen-* 2
suram violantes, seu qui in *Excommunicatione*, *Suspensione*, vel *Interdicto* existentes aliquem actum Ordinis exerceant? Resp. I. Hujusmodi Clericos sequentibus subjici poenis. Et quidem I. Incurrent poenam *Depositionis* ab Officio et Beneficio,

non quidem ipso Jure, sed sententia Judicis inferendam. Abbas in c. *Clerici*. 3. *h. t.* et ibi Ancharanus, Hostiensis, Barbosa, et Alii, *arg. cit. c. 3. h. t.* ibi: *Clerici autem, si qui a suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti, vel excommunicati, ante absolutionem divina Officia celebraverint, nisi moniti sine dilatione resipuerint, perpetuae depositionis sententiam pro ausu temeritatis incurrant*; Quamvis enim hic textus de solis *Excommunicatis* et *Interdictis* loquatur, tamen Glossa communiter recepta in cit. c. *Clerici. h. t.* ¶. *Moniti*, hanc poenam etiam ad *Suspensos* extendit.

3 Porro haec poena statim in continenti, etiam absque ulla admonitione praevia imponi potest Reo, Glossa citata, et ibi Abbas *n.* 2. *arg. c. Latores*. 4. *h. t.* Nec obstat, quod *cit. c. Clerici*, 3. *h. t.* dicatur: *Nisi moniti sine dilatione resipiscant*. Respondetur enim, per hunc textum plus non indicari, quam quod Episcopus possit, si velit, prius monere Reum, eique si monitus statim se emendet, ex gratia dispensationis hanc *Depositionis* poenam remittere, Abbas *loc. cit.* Pirhing *h. t. n.* 5.

4 II. Poena est, quod si in *Excommunicatione* existens Divina celebret, ipso facto incurrat *Privationem* Beneficii, *Fraternitati* 6. *h. t.* ibi: *Presbyteros autem, et alios Clericos, qui pro suis excessibus a te nexibus Anathematis Canonice innodati praesumpserint, vel praesumunt Officia celebrare divina, rationabiliter poteris omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spoliare*: quod ultimum verbum *Spoliare* indicat sententiam jam latam, ita ut Episcopus solam Juris executionem facere debeat, ut post Tiraquellum in *l. Si unquam*. 8. *C. De revocand. donat.* ¶. *Teneantur. n.* 167. bene advertit Barbosa *Fraternitati*. 6. *h. t.* Ratio est; quia cum talis Clericus ipso Jure sit irregularis, consequenter ad obeunda munera Beneficii inhabilis, merito Beneficiis privatur, *arg. c. fin. de Rescriptis in* 6.

5 III. Poena illius, qui *Suspensus*, *Interdictus*, vel *Excommunicatus* actum Ordinis exercet, est *irregularitas*, quae ipso Jure contrahitur. Communis et certa ob *Jura clara*. Et quidem de *Suspenso* patet ex *Apostolicae* 9 *h. t.* c. 1. §. *fin. de Sentent. et re Judic. in* 6. ibi: *Quod si in Suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis, Irregularitatis laqueo se involvet*. Concordat c. 1 § *fin. de Sentent. Excommun. in* 6 De *Interdicto* habetur c. *Is cui*. 20. *eod. in* 6. ibi: *Is cui Ecclesiae interdictus est ingressus etc. irregularis efficitur, si contra Interdictum hujusmodi Divinis in ea se ingerat*. De *Excommunicato* autem textus sunt in *can. Si quis Episcopus*, et *seq. cau.* 11. *q.* 3. *juncto c. penult. et ult. h. t.*

6 Resp. II. Ad hoc ut *Censurati* incurrant irregularitatem, sequentes requiruntur conditiones. *Prima* est, ut verum ac proprium actum Ordinis exerceant, cujusmodi est celebratio Missae v. g. collatio Sacramenti, Ordinis, Confirmationis, administratio extremae Unctionis etc. quia etsi *Censuratus* graviter peccet, tamen Irregularitatem non incurrit solum exercendo actus Jurisdictionis: qualis v. g. est Dispensatio in votis, Juramentis, absolutio a Censuris, si fit absque stola, et aliis ceremoniis; praedicatio Verbi Dei, assistentia Matrimonii; quia omnes hi actus Ordinis non sunt; qualis tamen esset, et Irregularitatem traheret, si *Censuratus* Sacerdos sponsis solemnem Benedictionem impertiretur. c. 1. *et c. Vir autem* 3. *De secundis nuptiis*. Suarez *de Censuris. Disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 18. Tales etiam forent collatio Baptismi cum solemnitate, cantatio Evangelii cum stola, Epistolae cum manipulo etc. Non item cantatio Evangelii sine stola, et manipulo, collatio Baptismi privata etc. quia illi a solis Ordinatis vi Ordinis, isti vero etiam a non Ordinatis exercentur. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 244. Sylvester ¶. *Irregularitas. q.* 13. *dict.* 1. *et* 4.

7 Porro inter actus Ordinis reputatur etiam *Absolutio Sacramentalis*, quae fit a *Suspenso*, vel *Excommunicato* etiam *vitando*; Quamvis enim hi utpote Jurisdictione privati invalide absolvant, nihilominus, quia quantum in se est, *exercent* actum Ordinis, cum idem faciant, quantum in se est, quod alius, Irregularitatem contrahunt, sic ut ille, qui rebaptizando invalide agit, et verum Baptismum non conferat, *can. Confirmandum*. 59. *dist.* 50. *can. Afros*. 3. *dist.* 98. *c. Ex litterarum*. 2. *de Apostat.*

8 Nec obstat, si dicatur, ad incurrendam Irregularitatem requiri actum in suo genere perfectum, uti patet in mutilatione, et homicidio, quod solummodo attentatum, Irregularitatem non inducit, nisi etiam in actu ipso sit completum, per dicta *Tit. XII. de Homicid.* §. *II.* Nam contra est, quod etsi talis Absolutio non sortiatur suum effectum in ordine ad liberationem a peccatis, sortitur tamen illum in ordine attentionis, et exercitii actus Ordinis, in quo genere talis absolutio consummata, et perfecta est, sicut attentata, etsi invalide facta rebaptizatio, ex qua Irregularitatem contrahi certum est per Jura *numer. praeced* allegata.

9 *Secunda* conditio ad contrahendam praefatam Irregularitatem requisita est, ut *Censuratus* temere et culpabiliter exerceat verum, seu proprium aliquem actum Ordinis. Suarez *de Censuris. p.* 7. *dist.* 9 *sect.* 2. *dub.* 1. §. *Hinc sequitur*, Pirhing *h. t. n.* 40. Gonzalez *in c. Apostolicae* 9 *h. t. n.* 15. et alii. Ratio est, quia haec Irregularitas est imposita in poenam culpae, seu peccati, *arg. cit. can Si quis*. 6. *can.* 11. *q.* 3. ibi: *Si ausi fuerint de ministerio sacro contingere*: et *can. Si quis*. 7. *eod cau.* et *q.* ibi: *praesumpserint*. c. *Latores* 4. *h. t.* ibi: *Postquam interdicti, vel excommunicati fuerint, divina praesumpserint Officia celebrare*: et infra: *Si deliquisse constiterit*: et c. 1. *de Sentent. et re judicat.* in 6. ibi: *Si damnabiliter se ingesserit*: cum Concordant. ergo ubi nulla culpa est, nec poena haec incurritur, per *Vulgaria*.

10 Hinc colligitur *Primo* eos, qui invincibiliter ignorant se esse *excommunicatos*, *suspensos*, vel *interdictos*, non incurrere hanc Irregularitatem: Doctores c. *Apostolicae*. 9. *h. t.* ibi: *Vos reddit probabilis ignorantia excusatos*; bene vero illos, qui hujus ignorantiam vincibilem, seu crassam, supinam habent, *arg. cit. c. Apostolicae*, et ibi Glossa ¶. *Probabilis*, Abbas *n* 3. Ratio est: quia ignorantia invincibilis, et probabilis, non item crassa et supina excusat a culpa.

11 Colligitur *Secundo* etiam illum *Censuratum* non fieri irregularem, qui extrema urgente necessitate, v. g. in Articulo mortis aliquem absolvit, casu quo alius Sacerdos a *Censura* immunis haberi nequit, eo quod in articulo mortis quivis *Censuratus* valide et licite absolvat in *Concil. Trident. Sess.* 14. *cap.* 7.

12 Colligitur *Tertio*, illum quoque immunem esse ab hac Irregularitate, qui in *Censura* existens ad vitandam grave scandalum, vel ad vitandam infamiam exercet actum *Ordinis*, prout contingere potest, si quis ob delictum occultum excommunicatus existens manifestationem delicti, indeque infamiam sui induceret, si actum aliquem Ordinis exercere omitteret. Avila *loc. cit* Pirhing *h. t. n* 4. Ratio est; quia Leges humanae obligare non videntur cum tam gravi incommodo.

13 Colligitur *Quarto*, nec illum Irregularitati subjacere, qui in *Censura* existens exercet Ordinis actum, casu quo sententia *Censurae* contra se latae

evidenter est nulla. Pirhing *h. t. nu.* 44. Avila *loc. cit.* Ratio est; quia universaliter loquendo *non debet is poenam Canonicam sustinere, in cujus damnationem non est Canonica prolata sententia.* Et sicut hujusmodi nulla sententia *caret Juris effecte, sic auctoritate, et nomine rei careat judicatae, ut nec in opinione communi, aut vulgi labiis nomen habere mereatur sententia*, ut dicitur *Clem.* 1. §. *Ut igitur. de Sentent. et re judic.* et concurdat *l. Si se.* 4. §. *Condemnatum. ff. de re judic.*

14 Quaeriter II. Utrum dubitans, an vere sit *Excommunicatus*, nec ne, incurret Irregularitatem exercendo aliquem actum Ordinis? Ante responsionem nota, dubium de Excommunicatione posse varium esse, v. g. primo aliquis scit quidem se per Judicem Ecclesiasticum fuisse excommunicatum, dubitat tamen, *an* rite et legitime, consequenter an Excommunicatio illius vere subsistat, *nec ne*? *Secundo* potest quis dubitare, an de facto Excommunicatio contra se lata sit, eo quod id audiat quidem, vel famam, aut rumorem sciat, dubitat tamen, an rumor verus sit? *Tertio* potest quis dubitare, utrum actum, cui alias Excommunicatio certa annexa est, v. g. Homicidium commiserit, nec ne? *Quarto* dubitare potest, num delictum, quod certo perpetravit, annexam habeat Excommunicationem? Hoc notato

15 Resp. I. Qui certo scit, se a Judice Ecclesiastico excommunicatum fuisse, et solum dubitat, num Excommunicatio hujusmodi legitime lata et valida sit, nec ne, debet se pro Excommunicato habere, ac propterea etiam sub poena Irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abstinere. Communis et certa, *arg. cit. c. Illud.* 5. *h. t.* et *c. Per tuas. de Sentent. Excommunic.* Cum Concordantiis, in quibus habetur etiam *in* casu, quo per Episcopum injeste lata est sententia Excommunicationis, eam servari debere, donec *Excommunicatus* absolvatur; ergo multo magis *in* dubio. Hinc dicitur *can. Sententia* 1 *cau.* 11. *quaest.* 3. *Sententia pastoris sive justa, sive injesta fuerit, timenda est*; nec juvat, si contra eam jam latam appellet; bene vero si aetea contra minas Excommunicationis, vel eam ferendam appellet, *arg. cit. c Per tuas.* et c. *Pastoralis.* 53. *c. Praeterea.* 50 *de Appellation.* prout amplius dictum *Lib. II. Tit. XXVIII. de Appellation.* a *num.* 212.

16 Resp. II. Si quis de Excommunicatione suo secundo, et tertio modo dubitat, Irregularitatem incurrit, si stante tali dubio aliquem actum Ordinis exercet. Fagnanus *in c. Ne innitaris de Constitut.* a *n.* 171. Barbosa *in c. Illud* 5. *h. t. n.* 7. Garcias *de Benefic. p.* 7. *cap.* 2. *num.* 18. *arg. c. Illud.* 5. *h. t.* ubi Episcopus Hildesemensis ex eo, quod in dubio num revera esset excommunicatus, cum solum ex fama id habuerit, actum Ordinis exercuerit, censetur *Censuram* violasse, et *c. Audientiam, de Homicidio*: ibi: *Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur, vestrae discretioni duximus respondendum, quod cum in dubiis sententiam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Item c. *Significasti* 18. *eod.* ibi: *Quod si discerni non possit, ex cujus icto percussus interierit, in dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, etsi forte homicida non sit, a Sacerdotali Officio abstinere debet: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare.* Concordat *c. Petitio* 24. *eod.* Ratio est; cum agitur de animae periculo, in dubio tutiorem partem eligere debemus, per *Jura citata*, juncto *c. Juvenis de Sponsalib.* cum Concordantiis, adeo, ut teste Fagnano *loc. cit. n.* 171. apud sacros Canones certum quasi Axioma sit: quod in materia morali, ubi agitur de salute, et periculo animae, teneamur sequi partem tutiorem.

Nec dicas cum Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 11. *et* 64. et aliis; illud in sacris Canonibus toties repetitum, quod in dubiis circa materiam moralem tutior pars sit eligenda, non sit de praecepto, sed tantum de consilio; cum caeteroquin *in dubio melior sit conditio possidentis*, consequenter si quis habet dubium *Juris* vel *Facti* de Excommunicatione, potest frui privilegio possessionis, in qua censetur esse libertas, et fama, et se reputare immunem ab Excommunicatione. Nam contra est: Tum quod sacri Canones adhibeant verba non simplex consilium, sed verum praeceptum importantia, v. g. *Cum in dubiis debeamus* eligere tutiorem: Item: in dubiis *debet* Sacerdos a sacerdotali Officio abstinere. Tum quod *cit. c. Illud* 5. *h. t.* Episcopus ex eo, quia in simili dubio tutiorem partem non elegit, et a Divinis non abstinuit, de rigore Juris deponi debuisset; consequenter in hujusmodi dubio tutiorem partem sequi, et a Divinis abstinere non simplex consilium, sed praeceptum est; cum ob transgressionem solius consilii Episcopus deponi non potuisset, *can. Quisquis.* 3. *cau.* 14. *q.* 1. ibi: *Praecepto non obedire, peccatum est; consilio si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis*: et infra: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi praeceptum, necessitas est servientis.* 17

Ad illud, quod *in dubio melior sit conditio possidentis*; Respondet Fagnanus *loc. cit.* a *n.* 191. hanc Regulam solum procedere in Foro judiciali externo, non item in materia morali, quando agitur de periculo animae: vel si etiam in hac materia procedit, Deum, et Legem esse in possessione; cum Lex divina universaliter velit, ut in negotio animae fugiamus periculum, juxta illud, *qui amat periculum peribit in illo.* Quae responsio si non videtur alicui sufficiens, respondetur, quod, etsi dato non concesso, circa alias materias in dubiis eligere tutiorem sit solius consilii, et non praecepti: tamen circa Excommunicationem, et effectus illius sit revera de praecepto, ob claros textus supra *num.* 16. allegatos. 18

Quaeritur III. An poenam Irregularitatis incurrat non tantum *Excommunicatus vitandus*, sed etiam *tolerandus*, praesertim *occultus*, si aliquem actum Ordinis exercet? Resp. *Affirmative.* Ratio est; quia Jura indistincte loquuntur: ergo indistincte sunt intelligenda, *c. Quia circa.* 22. *de Privileg.* Nec obstat, quam aliqui objiciunt, Bulla Martini *Ad abolendam*: quia per eam solis Fidelibus *non excommunicatis* habentibus communicationem cum *excommunicatis*, minime vero ipsis *excommunicatis* favorem aliquem conferre voluit: prout patet ex illis verbis Bullae ad finem positis: *Pro hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* 19

Quaeritur IV. Num etiam in *Excommunicatione minori* existens contrahat Irregularitatem celebrando aliquem actum Ordinis? Resp. *Negative*, textus clarus habetur *c. fin. h. t.* ibi: *Si celebrat minori Excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullius tamen notam Irregularitatis incurrit.* 20

Quaeritur V. Utrum Irregularitatem etiam incurrat *Censuratus*, si actum Ordinis minoris Acolythus, v. g. exerceat? Resp. *Affirmative*, si id cum solemnitate, et quasi ex Officio faciat. Joan. Andreas *in c.* 2. *h. t. n.* 2. et ibi Abbas *n.* 4. Hostiensis §. *Sed quidquid.* Barbosa *n.* 3. Fagnanus *n.* 7. *arg. cit. c.* 2. *h. t.* Ubi generaliter sine distinctione inter majorem, et minorem Ordinem fit dispositio, sicut etiam c. 1. §. *fin. c. Is cui* 20. *de Sentent. Excommun. in* 6. 21

Sine distinctione inter dictos Ordines de Irregularitate pronuntiatur: ibi: *Si Divinis se ingerat, in suo agens Officio, ut prius*; atqui ubi Jus non distinguit, nec nos debemus distinguere, *cit. c. Quia circa.* 22. *de Privileg* ergo.

22 Dicitur autem notanter: *Si id cum solemnitate et quasi ex Officio faciunt*; si enim hujusmodi actum Ordinis minoris sine ulla solemnitate, modo, quo eum juxta receptam consuetudinem de facto passim faciunt Laici, exerceant Clerici, eos ab irregularitate immunes esse, satis communiter docent Theologi, in specie Navarrus *manual. cap.* 27. *numer.* 242. Sylvester ℣. *Irregularitas quaest.* 27. et ex Canonistis Covarrevias *in c. Alma mater. p.* 1. §. 6. *n.* 9.

TITULUS XVIII.

De Clerico non Ordinato ministrante.

SUMMARIUM.

1 *Sensus Rubricae.*
2 *Poena exercentis Ordinem, quem non habet, est I. Irregularitas, et quali?*
3 II. *Est Suspensio ab Ordine ita suscepta.*
4 *Non item ab alia.*
5 III. *Est Excommunicatio* IV. *Degradatio.*
6 *Ad contrahendam poenam Irregularitatis requiritur, ut quis exerceat proprium actum Ordinis.*
7 *Et quidem serio.*
8 *Ac temere.*
9 *Caeterum non refert, cum majoris vel minoris Ordinis actum exerceat, si id solemniter facit.*
10 *Laicus actum etiam majoris Ordinis exercens, non fit irregularis.*
11 *Valet argumentum a* Rubro *ad* Nigrum.
12 *Irregularitas non contrahitur, quae non habetur in Jure expressa.*
13 *Si Laicus, vel Clericus non Sacerdos Missam celebrare, vel Confessionem Sacramentalem audire attentat, degradari, et Curiae seculari tradi, ab eaque gravissime puniri debet: Et num. seq.*
14 *A qua poena non excusat minor aetas, dummodo vigesimum annum compleat.*
15 *Quis possit dispensare in Irregularitate per malum usum Ordinis contracta.*

1 Inter alia Clericorum delicta, unum, idque grave est, si exerceant Ordinem, quem non habent, v. g. si Diaconus Missam celebret, solemniter baptizet, Nuptias, aut eqeas benedicat etc. Hinc

2 Quaeritur I. Quas poenas incurrat actum Ordinis exercens, quem non habet? ℞. Sequentes. *Prima* et praecipua est Irregularitas, ita ut ad superiores Ordines, v. g. Diaconus ad Sacerdotium ordinari non amplius possit. Omnes, textu claro c. 1. *h. t.* ibi: *Nunquam ordinetur*: videlicet ad Ordinem, quem nondum habet. Concordat c. 2. *eod.* Respectu tamen aliorum, quos jam prius habuit, non fit irregularis, bene vero a proximo suspensus, juxta statim dicenda.

3 *Secunda* poena talis Clerici est *Suspensio* ab Ordine proxime suscepto infligenda ad biennium, vel triennium, cit. c. 2. *h. t.* ubi statuitur, quod Diaconus, *qui missarum celebrationem usurpare praesumpserit etc. ad Sacerdotis officium non poterit promoveri: a Diaconatu quoque biennio vel triennio maneat suspensus.*

Dicitur notanter ab *Ordine proxime suscepto*: 4
cum enim nec in hoc Capitulo, nec alibi fiat mentio aliorum inferiorum Ordinum, horum *Suspensionem* talis Clericus non incurrit. Suarez *de Censur. disp.* 42. *sect.* 4. *n.* 4. Pirhing *h. t. n.* 3. quia dispositio poenalis et odiosa, qualis est ista, restringenda potius, quam extendenda est, *arg. c. Odia.* 15. *de Reg. Jur. in* 6.

Tertia poena est *Excommunicatio c.* 1. *h. t.* ibi: *Si quis baptizaverit, aut aliquod Officium divinum exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur ab Ecclesia*: ubi verbum *abjiciatur* indicat hanc Excommunicationem non ipso facto incurri, sed primum infligi debere. Suarez *loc. cit. n.* 2. 5

Quarta poena est *Degradatio*, et traditio Curiae saeculari, juxta dicenda infra *num.* 13. *et seq.*

Resp. II. Ad hoc ut Clericus non *Ordinatus* Irregularitatem *numer.* 2. specificatam incurrat, sequentes requiruntur conditiones. *Prima* est, ut proprium actum seu ministerium Ordinis exerceat, quod non nisi ab *Ordinato* exerceri potest; prout contingeret, si Minorista Epistolam cum manipulo, vel Subdiaconus Evangelium cum stola solemniter cantaret, aut horum aliquis, vel Diaconus celebraret, solemniter baptizaret, confirmaret, Sacramentaliter absolveret, extremam Unctionem conferret etc. prout in simili diximus supra *Tit. praeced. num.* 6. et cum aliis docet Navarrus *manual. cap.* 27. *num.* 242. Suarez *de Censur. disp.* 42. *sect.* 4. Pirhing *h. t. n.* 5. 6

Secunda conditio est, ut Clericus hujusmodi Ordinis actum exerceat *serio* saltem quoad exteriorem actionem, si enim ex joco duntaxat, vel per modum ludicrae, vel scenicae actionis id facit, in Ordine ministrare, vel actum ejus exercere non censetur, sed potius repraesentare eundem, consequenter irregularis non evadit. Navarrus *loc. cit.* Bonacina *Disp.* 7. *de Irregular. q.* 3. *p.* 6. *numer.* 1. Sylvester ℣. *Irregularitas. quaest.* 12. *limit.* 2. Suarez *loc. cit. num.* 16. Pirhing *h. t. num.* 6. qui tamen cum citato Suarez bene subjungit, sufficienter, ad propositum *Serio* agere illum, qui exteriorem actionem Ordinis serio producit eo modo et fine, ut homines decipiat, vel persuadeat, se ex vero ac sincero animo et intentione etiam interna talem actum Ordinis exercere, etsi revera talem intentionem et mentem internam non habeat, imo nec habere possit, quando scit, quod Ordinem requisitum pro actu non habeat. Alias enim fere nullus hanc Irregularitatem incurreret, hoc ipso, quod nullus, nisi crassus, qui scit, se Ordinem non habere, intentionem internam habeat verum propriom ac validum illius actum exercendi. 7

Tertia conditio est, ut *temere* et *scienter* id faciat, Suarez *loc. cit. numer.* 16. Avila *de Censuris Disp.* 9. *sect.* 2. *dub.* 13. *arg. c.* 1. *h. t.* ibi: *Propter temeritatem*, hinc qui ex ignorantia invincibili probabiliter putat, se Ordinem, cujus actum exercet, habere, Irregularitatem non incurrit; quia haec ad propositum imponitur in poenam peccati, quod si abest, etiam poena abesse debet. 8

Sylvester *loc. cit.* Avila *loc. cit.* et nonnulli alii addunt etiam *quartam* conditionem, videlicet, ut quis exerceat proprium actum Ordinis sacri, eo quod actus *Ordinum minorum* ex consuetudine etiam Laici exercere soleant. Verum circa hanc conditionem discernendum sicut supra *Tit. praeced. num.* 21. de Clerico *Censurato* exercente actum *Ordinis minoris*, videlicet, quod si id faciat solemniter, et quasi ex Officio, Irregularitatem eaque incurrat, ac si actum Ordinis sacri, seu *majoris* exerceret, per Jura, et rationes *cit. n.* 21. allegatas; praesertim cum etiam c. 1. *h. t.* universaliter dicatur: *Si ali-* 9

quod divinum Officium exercuerit non Ordinatus, nunquam ordinetur: Si vero id fecit absque ulla solemnitate, modo, quo juxta consuetudinem practicant Laici, irregularis non erit, Navarrus *loc cit. n.* 242. *dicto* 7. Suarez *loc. cit. n.* 15.

10 Quaeritur II Utrum Laicus exercendo actum Ordinis praesertim *Majoris*, v. g. celebrando Missam, absolvendo Sacramentaliter, Irregularitatem, vel aliam poenam, et quam incurrat? Resp. I. Laicus qualemcunque actum Ordinis exercens Irregularitatem non incurrit. Barbosa *in c.* 1. *h. t.* Bonacina *de Censuris Disput.* 7. *quaest* 3. *pun.* 6. *n.* 1. ✠. *Dixi Clericus*, Henriquez *lib.* 2. ✠. *Baptism. cap.* 29. §. 1. *prope finem.* Layman *lib.* 1. *tr* 5. *p.* 5. *cap.* 3, *n.* 3. Ratio est: Tum quia Rubrica hujus Tituli, de solis Clericis non *Ordinatis*, minime vero de Laicis loquitur, consequenter ad hos dispositio poenalis extendi non debet, *arg. c. Odio. de Reg. Jur. in* 6. praesertim cum poena Irregularitatis in specie extra casus in Jure expressos non incurratur, *c. Is qui.* 18. *de Sent. Excommun.*

11 Nec dicas pro Laicis hanc poenam satis exprimi *c.* 1. *h. t.* Ubi universaliter et sine distinctione inter Clericum et Laicum statuitur, quod quicunque non *Ordinatus* aliquod divinum Officium exercuerit, sit irregularis Respondetur enim Textum quidem indistincte loqui, esse tamen intelligendum juxta Rubricam Tituli, quae expresse de solis Clericis sonat; valet enim argumentum *a Rubro*, ad *Nigrum*, si *Nigrum* non contradicat *rubro* juxta amplius dicta *in Prooemio Lib. I.* §. 6. *a n.* 96.

12 Dices, eadem imo major ratio militat contra Laicum, quam Clericum non *Ordinatum* in Ordine ministrantem; cum *ille* gravius, quam iste peccet, majorque irreverentia et contemptus Ordinis consurgat ex Laici, quam Clerici non *Ordinati* actu, seu exercitio Ordinis; ergo. Respondetur in materia Irregularitatis non valere argumentum a paritate, imo nec a majoritate rationum, sed esse universalem Regulam Juris, quod, ubi Irregularitas in Jure non reperitur manifeste expressa, non incurratur, prout habet Communissima Doctorum, *arg cit c. Is qui.* 18. *de Sentent. Excommun. in* 6. ibi: *Cum id non sit expressum in Jure.*

13 Resp. II. Quamvis Laici actum Ordinis exercentes Irregularitatem non incurrant, nihilo minus si Laici, vel Clerici celebrationem Missae, vel absolutionem Sacramentalem usurpare attentant, tamen ab Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis tanquam *Idololatrae*, et gravissimi *Falsi* rei, *omni misericordia* indigni judicari, et Curiae saeculari debitis poenis afficiendi tradi possunt ac debent, prout tam de Laicis, quam etiam Clericis ordinavit Clemens VIII. in Constitutione, *etsi alias*, quae est Octava inter Constitutiones dicti Pontificis, *in Bullario Cherubini*, ubi §. 3. statuitur: *Praeterea et gravissima haec scelera committentes, posthac debito supplicio puniantur, motu proprio etc. decernimus, atque statuimus, ut quicunque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem, repertus fuerit missarum celebrationem usurpare, vel Sacramentalem Confessionem audivisse, a Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum ordinariis tanquam Ecclesiae misericordiae indignus, a foro Ecclesiastico abjiciatur, et ab ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, rite degradatus, statim Curiae saeculari tradatur, per Judices saeculares debitis poenis plectendus.*

14 Quae Constitutio ab Urbano VIII. denuo confirmata, magisque declarata fuit, adeo ut hi quoque ordinariae poenae subjaceant, dummodo vigesimum annum expleverint; uti videre est in ejusdem Constitutione *Apostolatus officium*, quae est 79. *inter Constitutiones* dicti Papae *Tom III. Bullarii Cherubini*, ubi §. 3. *et* 4. ita statuitur: *Nos detestantes impiam, et nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem fraude impugnant etc. Statuimus et decernimus, ut de caetero, qui imposterum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire praesumpserit, aetate minori viginti quinque annis non excusetur, quo minus eidem Clementis Constitutioni subjiciatur, dummodo vigesimum suae aetatis annum compleverit.*

Itaque non promotus sic delinquens nulla habita consideratione aetatis minoris, sive Laicus, sive Clericus saecularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam de necessitate exprimendae Regularis, aut cujusvis alterius Instituti, etiam quantumvis exempti, et privilegiati, Nobisque, et Sedi Apostolicae immediate subjecti, nec non Militarium quorumcunque, etiam S. Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiae saeculari debitis poenis plectendus. 15

Quaeritur III. Quis dispensare valeat in Irregularitate per malum usum Ordinis contracta juxta hanc praecedentem, et etiam sequentem Rubricam? Resp. Quamvis olim fuerit solius Papae in hujusmodi Irregularitate dispensare, *c.* 1. §. *fin. de Sentent. et re judicat in* 6. et *c.* 1. *de Sentent. Excommun. in* 6. tamen hodie vigore Tridentini haec potestas etiam Ordinario competit, si delictum est occultum, secus, si est publicum, aut jam deductum ad Forum contentiosum. Communis, ac certa, textu expresso *Concilii Tridentat. Sess* 24. *de Ref. cap.* 6. 16

TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promoto.

SUMMARIUM.

1 *Per* Saltum *ordinari quid? Est prohibitum. Ad honores per gradus ascendere Jura volunt. Ibid.*
2 *Ordo per* Saltum *illicite quidem, sed valide confertur, excepto Episcopatu.*
3 *Per* Saltum *ordinatus ipso facto est suspensus ab Ordine ita suscepto.*
4 *Non item ob alio rite suscepto.*
5 *Per* Saltum *Ordinatus, quando fiat irregularis?*
6 *Qui absque prima Tonsura Ordines suscipit, est suspensus ab illis.*
7 *Non item qui absque Confirmatione aliquos suscipit.*
8 *Si quis per* Saltum *ordinatus, in suscepto Ordine non ministravit, potest in Suspensione dispensare Episcopus.*
9 *In qua tamen, sicut et in irregularitate dispensare nequit, si in tali Ordine per* Saltum *ordinatus ministravit.*
10 *Nisi delictum sit occultum.*

Praeter recensita delinquit insuper Clericus, qui per *Saltum* accipit unum, vel plures Ordines, id est, qui superiorem, vel majorem omisso medio, inferiori, vel minore Ordine, v. g. omisso *Lectoratu, Subdiaconatum*, vel hoc omisso *Diaconatum*, aut *Presbyteratum* suscipit: sicut enim dictante lumine naturae Leges Civiles statuere, ut non nisi gradatim a *Minoribus* ad *Majores* Ordines ascendatur, *l. Ut gradatim* 11. *ff. de muneribus et honorib.* ibi: *Ut gradatim honores deferantur*, edicto, et ut a *minoribus* 1

ad majores perveniatur, *Epistola Divi Pii ad Titionum exprimitur*: juncta *l. Honor.* 14. §. 5. *ff. eod.* sic sancte etiam ab Ecclesia ordinatum fuit, ut ad munera et honores Ordinum non nisi *gradatim*, videlicet a *prima Tonsura* ad Ordines *minores*, et ab his ad *majores* debito ordine ascenderetur, *can.* 1. *dist* 52. *can. Si officia.* 2. *et can fin. dist.* 59. juncto *Concil. Trident. Sess.* 23. *can.* 2. *et cap.* 11. *de reformat.* Gradus autem, quibus ascenditur, praescribuntur *can. Cleros.* 1. *dist.* 21. quibus Clericus successive fit *Ostiarius*, *Lector*, *Exorcista*, *Acolytus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *Presbyter*, *Episcopus*; adeo ut etsi Ordinatio non servato hoc ordine valida sit (excepto *Episcopatu*, qui de essentia praerequirit Ordinem *c. Ex litteris.* 10. *in fine*, *de Excess. Praelat.*) tamen illicita est, et poenis subjecta.

3 Quaeritur I. Quibus poenis subjaceat Clericus, per *Saltum* ordinatus? Resp. I. Qui per *Saltum* sive ignoranter, sive scienter Ordinem suscipit, ipso facto ab Ordine, quem per *Saltum* suscepit, tam diu manet suspensus, donec Ordinem inferiorem omissum recipiat. Abbas *in c. un. h. t.* et ibi Barbosa *n.* 3. Fagnanus *n.* 22. Navarrus *Manual. cap.* 22. *n.* 242. cum Communi, *can. Solicitudo. dist.* 52. *et c. un. h. t.*

4 Dicitur autem notanter *ab Ordine quem per Saltum suscepit*; quia quamvis nonnulli cum Gonzalez *in cit. c. un. h. t. in* 6. velint, talem Clericum esse etiam ab aliis Ordinibus rite et gradatim susceptis suspensum, tamen probabilius videtur, Suspensione afficí solum Ordinem per *saltum* susceptum. Barbosa *de Offic. et potestat. Episcop. n.* 10. Suarez *de Censuris Disp.* 31. *sect.* 1. *nu.* 48. et plures alii a Barbosa allegati. *arg. cit. c. un. h. t.* ubi per *saltum* promotus ad Sacerdotium pro usu et exercitio hujus solius Ordinis per Saltum promotus dispensatione opus habere videtur, quam interpretationem benignam suadet ipsa etiam materia poenalis, *arg. c. Odia*, *et c. In poenis. de Reg. Jur. in* 6.

5 Resp. II. Quamvis per *Saltum* ordinatus fiat irregularis, si *temere* exerceat actum Ordinis per *Saltum* suscepti; eo quod violat Censuram, Suspensionem nempe, juxta dicta, consequenter ex hoc capite Irregularitatem incurrat per dicta supra; tamen ob solam susceptionem Ordinis per *Saltum* irregularis non evadit, si ab exercitio talis Ordinis abstinet. Barbosa *loc. cit.* Sylvester ✠ *Irregularitas. q.* 11. *n.* 13. Fagnanus *in c. un h. t.* Suarez *loc. cit. n.* 42. *et seq.* Ratio est; quia haec Irregularitas in Jure nullibi reperitur expressa: consequenter non contrahitur, *arg. c. Is qui. de Sentent. Excommun. in* 6.

6 Quaeritur II. Utrum etiam suspensus sit, qui Ordines absque praevia prima *Tonsura*? vel absque *Confirmatione* suscipit? Resp. I. Qui absque prima *Tonsura* recipit, ab illis ipso facto suspensus est. Sperel. *Decis.* 114. Barbosa *de Offic. et potestat Episcop. Allegat.* 47. *n.* 7. Pirhing *h. t. n.* 7. Ratio est: Tum quia, etsi dato non concesso *Tonsura* Ordo non esset, est tamen juxta omnes primus gradus ad Ordines, et eorum fundamentum, ac Ordinum instar in consuetis Ecclesiae Ordinationibus confertur, et propterea etiam e sacris Canonibus Ordo vocatur, *c. Cum contingat.* 11. *De aetate et qualitat. Praeficiend.* ibi: *Per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiae datam*, *Clericalis Ordo confertur.* Accedit declaratio S. Congregationis allegata a Gallemart. *ad Tridentin. Sess.* 23. *de Reformat. cap.* 14. qua declaratum habetur, eos, qui absque prima *Tonsura* Ordines suscipiunt, a sic susceptis esse suspensos.

7 Resp. II. Qui absque Sacramento *Confirmationis* primam *Tonsuram*: vel Ordines suscipit, non est suspensus, Zoesius *h. t. n.* 5. Pirhing *h. t. n.* 10. Avila *de Censuris. p.* 7. *disp.* 9. *sect.* 1. *dub.* 3. et communis aliorum. Ratio est, quod etsi a Concilio Trident. *Sess.* 23. *de Reformat cap.* 4. praecipiatur, ne quis prima *Tonsura* initietur, et consequenter ne ordinetur, qui Sacramentum *Confirmationis non* susceperit, indeque illicite agat, qui absque *Confirmatione* primam Tonsuram vel Ordines suscipit, tamen nec a dicto Concilio, nec a Jure communi ullibi aliqua Suspensio, vel Irregularitas imponitur, consequenter non incurritur, *arg. Saepe. cit. c. Is qui* 18. *de Sentent. Excommun. in* 6.

Quaeritur III. Quis possit dispensare in poenis ob Ordines per *Saltum* susceptos contractis? Resp. I. Si per *Saltum* Ordinatus *in* Ordine ita suscepto non ministravit, potest dispensare Episcopus in *Suspensione*, quatenus in Ordine per *Saltum* suscepto ministrare valeat, ita tamen ut prius Ordinem omissum recipiat *c. un. h. t.* ibi: *Mandamus*, *quatenus condignam poenitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem*, *qua peracta ipsum in Diaconum* (cujus Ordinem omiserat) *ordinare procures*, *et sic de misericordia eundem ministrare permittas in Ordine Sacerdotii per Saltum suscepto*, et Concilium Tridentinum *Sess.* 23 *de Reformat. cap.* 14. ibi: *Cum promotis per Saltum*, *si non ministraverint*, *Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* 8

Resp. II. Si per *Saltum* promotus, ante dispensationem ministraverit in Ordine ita suscepto, non potest Episcopus dispensare in Suspensione, nec in Irregularitate ob ministrationem juxta dicta *num.* 5. contracta, nisi delictum sit occultum. Patet Conclusio ex Concilio Tridentino *loc. cit.* a sensu contrario: Ex hoc enim quod dicat Concilium, si non ministravit, potest Episcopus dispensare; bene infertur, ergo si ministravit, dispensare non potest. 9

Dicitur autem notanter *nisi delictum sit occultum*; hoc enim ubi est, tam in Irregularitate, quam Suspensione dispensare valet Episcopus vi Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reform cap* 6. ibi: *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus*, *et Suspensionibus ex delicto occulto provenientibus etc. dispensare.* 10

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive Ordinem suscepit.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Furtive Ordinem suscipere quis dicatur?*
3 *Furtive Ordinem suscipiens illicite quidem, tamen valide ordinatur.*
4 *Nisi Ordinans intentionem, vel protestationem faciat, et notificet non ordinandi Furtive se ingerentes.*
5 *Et haec postea non revocat.*
6 *Si Episcopus praemittit intentionem vel protestationem non ordinandi Furtive se ingerentes, censetur in dubio serio facere consequenter talis invalide ordinatur.*
7 *Solvitur ratio in contrarium: Et num praeced. In dubio valoris Sacramenti, iterandum est. Ibid.*
8 *Non est consultum, ut Episcopus praemittat intentionem non ordinandi Furtive se ingerentes, bene vero id sub Excommunicatione prohibeat.*
9 *Furtive suscipiens Ordinem est ab illo suspensus.*
10 *Ac etiam irregularis, si contra praeviam sub Excommunicatione factam prohibitionem id facit.*
11 *Qui eodem die praeter minores etiam Subdiaconatum, vel cum hoc etiam Diaconatum Furtive suscipit, suspensus, non irregularis est.*
12 *In poenis Furtive suscipientium Ordinem ali-*

quando solus Papa, aliquando etiam solus Episcopus dispensare potest. Et quando? ac num. seq.

1 Ordinem *Furtive* plerumque suscipiunt illi, qui per *Saltum* ordinantur; hinc recto ordine praecedentem praesens Titulus sequitur.

2 Dicuntur autem Ordinem *Furtive* suscipere, qui vel in examine rejecti, vel sine examine, simulque sine licentia seu consensu Ordinarii dolose et furtive se ingerunt caeteris Ordinandis, *can. Quando. 5. dist.* 4. *can. Extra. 5. dist.* 64. vel qui eadem die Minores cum Subdiaconatu, vel duos Majores Ordines simul *Furtive*, et sine licentia requisita accipiunt *c.* 2. *et* 3. *h. t.* De quibus

3 Quaeritur I. An *Furtive* suscipientes Ordinem non tantum illicite, sed etiam invalide ordinentur? Resp. Quamvis certum sit, hujusmodi suscipientes graviter peccare utpote praeceptum Ecclesiae in gravi materie transgredientes, tamen Ordo *Furtive* susceptus valide confertur, nisi Ordinans seriam haberet intentionem non ordinandi Furtive se ingerentes, seu absque licentia Ordinarii accedentes Communis Doctorum *arg.* c. 1. *h. t.* ubi *Furtive* ordinatus non amplius jubetur ordinari, et sublata Censura, quam incurrit, permittitur ministrare, manifesto argumento, Ordinem Furtive collatum valere.

4 Dicitur autem notanter, *nisi ordinans seriam haberet intentionem non ordinandi etc.* hanc enim si Ordinans habet, utique valide non ordinatur *Furtive* se ingerens. Pirbing *h. t.* n. 5. Rebuffus in *Praxi Benefic. Tit. de Clericis ad Ordines male promotis.* Glossa 4. nu. 19. Ratio est; quia juxta omnium et certam ad valorem Sacramenti essentialiter requiritur intentio Ministri conficientis Sacramentum; quae, ut supponitur, non habetur, sed contraria efformatur respectu talis. Hinc bene attendendum, qualiter ante Ordinationem se habere, et qualem intentionem, protestationem, vel admonitionem formare et praemittere soleant Episcopi Ordinantes: Si enim, uti in nonnullis locis fieri solet, per se, vel Officialem Ordinandi indicant sequentem vel similem intentionem, aut protestationem: *Non intendimus ordinare illos, qui non fuere examinati et approbati, vel qui furtive se ingerunt*; vel *si aliqua occulta sunt innodati*; vel, *Protestamur, quod nolumus ordinare, qui etc.* Si inquam similia intentio, vel protestatio praemittitur, eamque revera habeat Ordinans, utique valide non ordinantur, qui per intentionem hujusmodi excluduntur ob rationem *num. praeced.* allegatam.

5 Notant tamen Layman *lib.* 5. *tr.* 1. *cap.* 4. *n.* 6. Bonacina *de Sacramentis. Disp.* 1. *q.* 2. *pu.* 4. *nu.* 6. Hugo *de Sacramentis. Disp.* 8. *n.* 119. Henriquez *lib.* 2. *cap.* 8. *nu.* 5. quod si non obstante tali praemissa protestatione Episcopus postea nihilominus habeat intentionem ordinandi praesentes, vel faciat intentionem universalem faciendi circa praesentes personas, quod facit Ecclesia, praevalet talis intentio priori; eo quod praemissio hujusmodi protestationis non sit conformis ritui, et praxi universalis Ecclesiae.

6 Quod autem aliqui apud Lugo *loc. cit.* docere videantur, hujusmodi protestationes ab Ordinariis absterrendi potius, quam non ordinandi animo fieri, indeque in dubio valide censeri Ordinatos, qui *Furtive* se ingesserunt, vel aliqua ex supradictis conditionibus affecti fuere: et Layman *loc. cit.* absolute velit, tales non obstante quacunque simili protestatione valide ordinari, eo quod Episcopus censeatur semper habere actualem, et practicam intentionem ordinandi hominem praesentem, dicere non audemus: Tum quia Episcopus, si revera vult, omnino potest habere seriam intentionem non ordinandi, consequenter si eam manifestat verbis, censetur in dubio, eam serio habuisse; quia, ut dicitur *l. Labeo.* 7. §. 2. *ff. de Suppellect. leg. Nemo existimandus est dixisse, quod non mente agitaverit*, et *l. Generaliter.* 13. *C. De non numerand. pecun.* ibi: *Nimis indignum videtur, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, proprioque testimonio resistere.* Tum quia in dubio, quando agitur de valore Sacramenti tutior eligi, ac propterea Sacramentum etiam Ordinis reiterari debet, *arg. can. Presbyter.* 68. ubi Presbyteri, de quorum valida Ordinatione dubium est, jubentur reordinari; sic etiam rebaptizari debet, de cujus valido Baptismo dubium est. *can. Parvulos. dist.* 4. *de Consecrat.* Sic etiam S. Congregatio respondet, constitutum in Minoribus Ordinibus debere de novo ordinari, si ratione dubii Baptismi, dubium est de valore Ordinum collatorum.

7 Nec in contrarium juvat ratio a Layman allata, videlicet, quod non obstante praevia seria protestatione Episcopi de non ordinandis dolose se ingerentibus, censeatur tamen habere intentionem practicam ordinandi hominem praesentem. Nam contra est: Tum quod protestatio praevia, eaque seria de non ordinando certa qualitate destituto, vel affecto, accessuro, et praesentem se exhibituro, virtualiter duret, dum tali dein praesentem se praebet, adeo ut non valeat intentio actualis praesentem ordinandi, utpote quae non nisi talem afficere censetur, qui praevia seria voluntate non fuit exclusus; minime vero talem, quem non ordinare perseverens voluntas est, et circa quem, seu qualitates ipsius Ordinans hic et nunc ignorantiam habet, quae causat involuntarium, *arg. l. Non idcirco. C. de Juris, et Facti ignorant.* Accedit, quod si non obstante praevia seria protestatione, et intentione Episcopi de non ordinandis *Furtive* se ingerentibus, tales valide ordinarentur, nunquam possint hi a valida Ordinatione arceri, quod videtur absurdum. Quare non solum tutius, sed etiam probabilius, consequenter amplectendum videtur, casu, quo Episcopus veram et seriam intentionem praemittit, et notificat, non ordinandi certas personas, illas, si *Furtive* se ingerant, valide non ordinari.

8 Notant tamen Doctores, consultum non esse, ut Episcopi intentionem, et protestationem praemittant, tales, vel tales non ordinandi. Tum quia hoc est difforme ritibus et praxi universali Ecclesiae: Tum quia secum trahit gravissima incommoda, et pericula, quae ex dubia, et irrita Ordinatione oriuntur, uti etiam bene advertit Lugo *loc. cit.* quamvis consultum, et Juri conforme sit, ut sub Excommunicatione prohibeat, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures Ordines eadem die *Furtive* recipiant, *arg. c.* 1. 2. 3. *h. t.*

9 Quaeritur II. Quae sint poenae *Furtive* suscipientium Ordines? Resp. I. Qui unum, vel plures Ordines *Furtive* suscipit aliquo ex supra num. 2. allegatis modis, ipso Jure est suspensus ab Ordinibus ita susceptis. Communis et certa *arg. c.* 1. 2. 3. *h. t.* Quod si Episcopus sub Excommunicatione prius prohibet, ne quis ad Ordines *Furtive* se ingerat, et tamen contra praeceptum istud quis agat, nec in *Furtive*, nec in aliis rite susceptis Ordinibus licite ministrare valet, hoc ipso,

quod sit excommunicatus, consequenter etiam sub poena Irregularitatis actum alicujus Ordinis exercere non possit.

10 Resp. II. Quando quis non approbatus etiam post praeviam sub Excommunicatione factam Episcopi prohibitionem *Furtive* Ordinem aliquem suscipit, praeter poenam Suspensionis Irregularitatem quoque incurrit. Barbosa *in c.* 1. *h. t. nu.* 5. Abbas *in c. Cum H.* 2. *h. t. n.* 2. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 3. *n.* 1. Bonacina, et alii contra Navarrum *c. Alma Mater. p.* 1. §. 6. *n.* 6. fundamentum desumitur ex cit. c. 1. *h. t.* ubi statuitur, quod ita ordinatus *Furtive* nequeat absque dispensatione ad altiores Ordines promoveri; quod est praecipuus effectus Irregularitatis teste ipso Covarruvia *in Clem. Si furiosus. prin. n.* 1.

11 Resp. III. Qui caeteroquin examinatus et approbatus ad Ordines *Minores*, vel aliquem *Majorem*, eodem die *Furtive* se ingerendo suscipit, praeter *Minores* Subdiaconatum vel praeter hunc etiam Diaconatum, solam Suspensionem, non vero Irregularitatem incurrit. Palao *de Censuris. Disp* 6. *pun.* 17. n. 1. Suarez *de Censuris. Disp* 41. *sect.* 3. *n.* 5. Glossa *in c.* 1. *h. t.* Bonacina, et alii. Ratio est; quia contra tali modo *Furtive* suscipientes Ordinem sola Suspensio, minime vero Irregularitas statuta invenitur in Jure, uti patet legenti, et consideranti textum *c.* 2. *et* 3. *h. t.* ubi autem Irregularitas in Jure *expresse* non habetur, non contrahitur, *arg. saepe cit. c. Is qui.* 18. *de Sentent. Excommunicat.* in 6.

12 Quaeritur III. Quis possit dispensare in poenis ob Ordinem *Furtive* susceptum contractis? Resp. Si quis Ordinem *Furtive* suscipit nulla extante praevia prohibitione sub Excommunicatione, potest in Suspensione ab illo contracta Episcopus dispensare, vel etiam Superior Regularis, si talis post Ordinem ita susceptum Religionem ingrediatur, texto expressa *c.* 1. *et* 2. *h. t.*

13 Si vero contra expressam prohibitionem ab Episcopo sub Excommunicatione factam Ordinem *Furtive* quis suscipit, solus Papa dispensare potest, nisi talis etiam Religionem ingrediatur, et ibidem aliquamdiu laudabiliter versetur; hoc enim in casu etiam Episcopus dispensare potest, ut in *Furtive*, et rite susceptis Ordinibus ministrare, ac insuper ad Ordines superiores ascendere valeat, prout clare dispositum habetur *c.* 1. 2 *et* 3. *h. t.* Quod si delictum occultum, etiam eum manente in saeculo dispensare poterit, vi Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Reformat. cap.* 6.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Praelatorum, et Subditorum.

SUMMARIUM.

1 *Non de cunctis, sed quibusdam duntaxat excessibus hic quaestio est.*
2 *Episcopi excedunt* I. *Si indebitis exactionibus gravant Clericos subditos, aut inhoneste eos tractant.*
3 II. *Si eos Censuris indebite vexant*
4 III. *Si Beneficia indignis conferunt.*
5 IV. *Si inferiorum Praelatorum jura minuunt.*
6 V. *Si Exemptis privilegiatis aliquid praecipiunt contra tenorem privilegiorum, Cui mandato obedire non tenentur Privilegiati*
7 *Enarrantur quindecim Excessus Praelatorum contra Regulares in Communi*
8 *Et duodecim in specie contra Fratres Praedicatores, et Minores.*
9 *Adducuntur etiam triginta Remissive, et notabilis textus ex Clementina.*
10 *Episcopi in aliquibus contra Exemptos procedere possunt tanquam Sedis Apostolicae Delegati.*
11 *Praelati Episcopis inferiores quos Excessus committant ad propositum?*
12 *Praelati Regulares specialiter excedunt aedificando contra formam praescriptam nova Monasteria.*
13 *Quae forma necessaria non est, si reaedificantur Monasteria ab Haereticis, aut Infidelibus occupata*
14 *Nec in reparatione, vel ampliatione Monasteriorum.*
15 *Neque si aedificatur Monasterium in exempto loco.*
16 *Nullius Dioecesis.*
17 *Bene tamen si transferatur Monasterium ab uno loco Civitatis ad alium.*
18 *Subditi etiam Praelati Episcopo inferiores exempti quoque peccant, si non servant Festa, et Censuras ab Episcopo indictas.*
19 *Item si negant, eum esse suum Dominum, aut trahunt ipsum ad Forum saeculare, aut consilio vel auxilio juvant ejus adversarium.*
20 *Item excedunt violando Clausuram Monasteriorum: de quo Remissive.*

Si de cunctis, quae ad hanc Rubricam reduci possent, ageremus, praesens Titulus amplissimus foret, hoc ipso, quod quaevis transgressio Legis a Praelato, vel Subdito facta *Excessus Praelati*, vel Subditi sit, et dici possit. Quare ad evitandam omnem superfluam prolixitatem, more aliorum Doctorum, eos duntaxat *Excessus* adducemus, qui in hoc Titulo specialiter allegantur, et alibi non examinantur. Itaque 1

Quaeritur I. Quinam ad propositum hujus Rubricae sint *Excessus Praelatorum*? Resp. esse plures, et quidem alios Episcoporum, alios inferiorum Praelatorum. Nam I. Episcopi in Inferiores sibi subjectos *Excessum* committunt, si eos indebitis oneribus, taliis, vel exactionibus gravant, *c.* 1. *h. t.* de qua materia egimus *Lib. III. Tit. XXXIX. de Censibus, et Exactionibus.* Item si eos inhoneste et statui Clericali inconvenienter tractent, ut forsan propterea Laicis despicabiles reddantur, *cit. c.* 1. *h. t.* Pro quo *Excessu* Papa gravem minatur poenam *loc. cit.* illis verbis: *Scituri pro certo, quod si rumores iterum ad aures nostras pervenerint, pro tantis excessibus vos taliter puniemus, quod timore poenae nostrae caeteri a similibus abstinebunt.* Huc quadrat etiam illud *can. Esto subjectus.* 7. *dist.* 95. ibi: *Esto subjectus Pontifici tuo, quasi animae parentem suscipe: sed Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos, honorent Clericos, quasi Clericos, ut et ipsis, a Clericis, quasi Episcopis honor referatur.* 2

II. *Excessus*, est si eos Censuris indebite vexent, *cod. c.* 1. *h. t.* quandonam autem Censurae indebite ferantur, et quae remedia contra eas, dicetur infra *Tit. XXXIX. de Sentent. Excommun.* Interea notandum, *cit. c.* 1. *h. t.* eandem pro hoc, ac priori *Excessu* poenam intimari. 3

III. *Excessus* est, si Episcopi inferiorum Praelatorum jura, immunitates, jurisdictionem privilegio, consuetudine, aut alio justo titulo eis competentem diminuunt, tollunt, aut Ecclesias eis subjectas a subjectione et obsequio liberant, *c.* – *h. t.* 4

IV. *Excessus* eorundem est, si Beneficia confe- 5

rant indignis c. 2. *h. t.* de qua materia vide supra *Lib. I. Tit. VI.* §. *X.*

6 V. *Excessus* est, Si Episcopi privilegiatis et exemptis praesertim Regularibus aliquid praecipiunt, injungunt, interdicunt, aut prohibent, aut derogant contra tenorem suorum privilegiorum, c. *Sane* 5. *h. t.* ubi etiam conceditur, quod hujusmodi indebito Episcopi mandato gravati Praelati Regulares possint auctoritate Apostolica obedientiam denegare. Concordat *C. cum ad quorundam.* 7. *h. t.* ubi etiam declaratur, Excommunicationem latam contra Subditum, quia non patet contra privilegium, esse ipso Jure nullam.

7 Enarrantur Episcoporum, et aliorum Ecclesiasticorum saecularium contra Regulares quindecim *Excessus. c. Nimis in qua.* 16. *h. t.* ibi: *Nimis iniqua* : et infra. Cum Religiosi viri abnegantes salubriter semetipsos, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, ut omnia possidentes: non desunt plerique tam Ecclesiarum Praelati, quam alii, qui caeca cupiditate seducti, proprias aviditati subtrahi reputantes, quidquid praedictis fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum multipliciter inquietant. Volunt namque contra Regulam a Sede Apostolica approbatam, ut sui Ordinis instituta, ipsis invitis eorum Confessiones audire, ac eis injungere poenitentias, et Eucharistiam exhibere: nec volunt, ut Corpus Christi in Oratoriis reservetur: et fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas compellunt sepeliri, ut eorum exequias celebrari: et si quis decedentium Fratrum alibi, quam in suis Ecclesiis eligat sepulturam, funus primo ad Ecclesias suas deferri cogunt ut oblatio suis usibus cedat. Nec sustinentes eos habere campanam, vel Coemeterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsos celebrare Divina. Volunt quoque in domibus eorum certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, et Laicorum, nec non cereorum, lampadum et ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter opponantur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt, quod novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Ecclesiis suis celebrent primas Missas eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis et altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant, et reservent: quidquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes, quod eisdem tam in ornamentis Altaris, quam in libris Ecclesiasticis absoluta confertur, vindicant perperam juri suo. Quocirca mandamus quatenus universi et singuli a praenotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

8 Ulterius *c. Nimis prava.* 17. *eod.* enarrantur Praelatorum Ecclesiasticorum saecularium *Excessus* et gravamina contra Fratres Praedicatores, et Fratres Minores in specie. *Nimis prava* : et infra: Cum quidam viri Religiosi ut puta, fratres Praedicatorus et Minores (quorum Ordinem et Regulam Sedes Apostolica noscitur approbasse) in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur, plerique Praelati, et alii eos ad Synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subjacere, nec his contenti Capitula scrutinia in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se comminantur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum Ministris et Custodibus exigentes: eis quoque, ut tam extra Civitates quam intra cum eis processionaliter veniunt, ex levi causa mandantes, Excommunicationis sententiam fulminant in Benefactores ipsorum: et idipsum Fratribus comminantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, satagunt amovere, nisi eis obediant in omnibus supradictis. Ad haec ne Fratres ad honorabiliores Civitates, et villas, ubi Religiose et honeste valeant commorari, a populis devote vocati accedere audeant inhibentes, tam in accedentes Fratres, quam in receptores eorum praesumunt Excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus Decimas, necnon de habitaculis Fratrum (sicut de Judaeorum domibus) annuatim redditus extorquere: asserendo, quod nisi Fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur, et ut ipsos suae subdant totaliter ditioni, eisdem Ministros et Custodes volunt praeficere pro suae arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus universi et singuli a praenotatis gravaminibus desistatis, Subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

Insuper *Clem. un h. t.* triginta hujusmodi *Excessus* adducit, quibus adductis generaliter concludit, ut sequitur: Et generaliter, quamplures Praelati Religiosis, praesertim exemptis et Privilegiatis in personis et rebus suis ac juribus, in spiritualibus et temporalibus graves inferunt, contra justitiam et eorum privilegia, injurias ac jacturas. Verum quia una est regularium et saecularium Praelatorum, et Subditorum exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, et unum Baptisma: decet ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti. Decet igitur, ut et Praelati ut alii tam exempti, quam non exempti suis juribus sint contenti, et alter in alterius injuriam non prosiliat seu jacturam. Universis itaque Praelatis Ecclesiarum praesentis sanctionis edicto districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi a praedictis gravaminibus omnino cessantes, et cessare suos subditos facientes, viros Religiosos exemptos, privilegiatos, et non exemptos mendicantes et non mendicantes, charitative tractent et faveant, ut sua jura et privilegia inviolabiliter eis servent. Et quoniam plus solet timeri, quod specialiter, quam quod generaliter inhibetur, eisdem Praelatis districtissime inhibemus, ut Abbates, Priores, et alios Religiosos, ne ad sua Generalia, vel Provincialia vadant Capitula, impedire quomodolibet non praesumant. 9

Fatendum tamen, quod in nonnullis casibus Episcopi tanquam Sedis Apostolicae *Delegati* non obstantibus Regularium privilegiis possint procedere contra illos vi Concilii Tridentini, per quod, uti etiam per aliquas Constitutiones Pontificias quaedam eorum privilegia fuere revocata: quaedam autem illa sint, dicemus infra *Tit. XXXIII. de Privilegiis, et Excessibus Privilegiatorum.* 10

VI. Faciunt etiam *Excessus* aliquos Praelati Episcopis inferiores, si sibi subjectas Ecclesias propria auctoritate uniunt, c. *Sicut.* 8. *h. t.* Caeterum quid Juris de unione Beneficiorum, habes supra *Lib. III. Tit. XII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminut.* § *III.*) Item si praesumunt cognoscere et judicare de causis Matrimonialibus, vel concedere indulgentias, vel imponere poenitentias publicas: quia hi actus ad solam pertinent dignitatem Episcopalem, nisi Abbates, vel alii Praelati Episcopis inferiores ex privilegio Apostolico, vel legitima praescripta consuetudine aliud quid Jurisdictionis circa habeant, c. *Ad audientiam.* 12. *h. t.* 11

VII. Committunt *Excessus* Praelati Regulares, dum contra formam a Jure et Constitutionibus Pontificiis praescriptam aedificant Monasteria. De qua materia vide *Lib. III. Tit. XL.* §. *II.* Dictis 12

tamen ibidem pauca hic addenda, videlicet, quod forma ibidem praescripta, et consequenter etiam consensus Ordinarii necessarius non sit:

13 *Primo*, quando reaedificentur Monasteria ab Haereticis occupata, et destructa. Donatus *p.* 2. *tr.* 1. *q.* 24. Roderiq. *Tom.* 2. *q.* 49. *et* 99. Lezana *V. Monasterium. n.* 49. et alii. Ratio est; quia per hanc reaedificationem jus novum non acquiritur, cum jus antiquum per Haereticorum usurpationem non extinguitur.

14 *Secundo* eadem forma et consensus necessarius non est in reparatione, reaedificatione, et ampliatione Monasteriorum. Donatus *loc. cit. q.* 23. Roderiq. *loc. cit.* Glossa *in can. Monachus. cau.* 18. *q.* 2. Ratio est; quia Jura *cit. Lib. III. Tit. XL.* §. *II.* allegata loquuntur de erectione novi Conventus, quo novum jus novusque titulus in aliquo loco acquiritur, quod cum non fiat in reparatione, et ampliatione Monasterii, ad hanc praefata Jura utpote poenalia et odiosa extendenda non sunt.

15 *Tertio*, quando aedificatur Monasterium in loco exempto, et nullius Dioecesis existente. Laurent. de Franch. *p.* 1. *Controvers. inter Episcop. et Regular. nu.* 495. Ratio est; quia neque antiquiora, nec recentiora Jura consensum Ordinarii, et alia ad tale Monasterium requirunt: cum Concilium Tridentinum licentiam Ordinarii requirat duntaxat ad erectionem Monasterii in ejus Dioecesi: Constitutio vero Clementis VIII. *Quoniam* §. 1. in locis eorum ordinariae Jurisdictioni subjectis.

16 Dicitur autem notanter, *et nullius Dioecesis*, casu enim, quo locus quidem exemptus certae tamen Dioecesis existit, forma praescripta omnino servanda est. Donatus *loc. cit. q.* 40. Cockier. *de Jurisdictione Ordinarii exemptos. p.* 2. *q.* 43. *n.* 36. *arg. Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 3. et *c. Auctoritate de Privileg. in* 6. ubi expresse habetur: *Inhibemus ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant.*

17 Putat quidem Roderiquez *Tom.* 2. *q.* 49. *art.* 9. etiam in casu, quo in eadem Civitate transfertur Monasterium ab uno v. g. minus commodo, aut sano loco ad alium locum non requiri consensum Episcopi, eo quod Jura huic requirentia tantum de erectione novi conventus loqui videantur, nihilominus contraria sententia, quam tenet Donatus *loc. cit. q.* 26. Bordonus *Miscell. Decision.* 125. et alii, probabilior, et in praxi amplectenda est, Ratio est; quia consensus Episcopi ad talem translationem requiritur Jure antiquo, *can. Si quis vult.* 41. *cau.* 16. *q.* 7. ibi: *Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi*, ubi per *Consilium* intellige consensum fatentur omnes Doctores teste Donato. Jure autem nova cum antiquum non correxerint, ab illo interpretationem recipiunt. Accedit bina declaratio Cardinalium in favorem hujus doctrinae edita, de qua testatur Donatus *loc. cit. n.* 7.

18 Quaeritur II. Quinam ad propositum hujus Rubricae speciales hic notati sint *Excessus* Subditorum. Resp. Sequentes videlicet, I. Quando Subditi, etiam caeteroquin Praelati inferiores tamen Episcopo, indictas ab eo Festivitates, et Censuras latas non observant, *c. fin. h. t.* et *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 12. Siquidem Regulares exempti in his obedire tenentur Episcopo, prout amplius dictum est *Lib. I. Tit. XXXI. de Offic. Judic. ordinar. a n.* 126.

19 II. *Excedunt* Clerici Episcopis subditi, si negant Episcopum esse Dominum suum, cum si agant contra fidem *Homagii*, reverentiae, et obedientiae in recipiendis Ordinibus, vel Beneficiis promissae. Item si in causa spirituali vel Ecclesiastica illum trahant ad Forum saeculare, vel auxilio juvant; prout refertur *c. Gravem.* 15. *h. t.* ubi etiam jubetur Beneficio privari, qui aliquem ex his tribus *Excessibus* contra Episcopum committit, Glossa *fin. ibid.* Pirhing *h. t. n.* 31. *et* 32.

20 III. *Excedunt* Clerici privati alicujus Communitatis si absque licentia Superioris sibi faciunt, et usurpant Sigillum Communitatis, *c. Delicta* 12. *h. t.*

21 IV. Fit *Excessus* tam a Regularibus, quam Saecularibus Praelatis, et inferioribus utriusque sexus, si violantur Clausulae Monasteriorum per ingressum vel egressum: de qua materia vide *Lib. III. Tit. XXXV. De statu Monachorum.* §. *II.*

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*
2 Nuntiatio novi Operis *quid?*
3 *Fit circa sola futura, seu nondum perfecta opera:*
4 *Censetur autem novum Opus facere, non solum qui aedificando, sed etiam, qui destruendo, ampliando faciem Operis mutat.*
5 *Intellige in Operibus solo adhaerentibus.*
6 Nuntians novum Opus *potest, sed non tenetur acceptare ab aedificante cautionem de Opere destruendo, si jure non sit aedificatum.*
7 *Solvitur Objectio.*
8 Nuntiatio novi Operis *fieri potest a quovis etiam privato, cujus interest.*
9 *Idque tribus modis, videlicet, vel verbis, vel jactu lapilli, vel per praetorem.*
10 *Si quis in nostro aedificat, melius est per Praetorem, vel jactum lapilli, quam solis verbis nuntiare novum.* Opus; *et quare?*
11. *Ad* nuntiationem novi *Operis non requiritur certa verborum forma, potestque fieri per Substitutum.*
12 *Et quovis etiam Feriato die, dummodo fiat in vel prope locum.*
13 *Potest fieri contra quemvis etiam proprium Superiorem.*
14 *Sive dein in suo, sive in alieno in praejudicium alterius aedificet.*
15 *Datur etiam contra aedificantes Capellam, vel aliud aedificium pium.*
16 *Nisi hoc ex justa culpa per Episcopum cognita, eoque concedente erigatur.*
17 *Nuntiatio ex tribus causis fit.*
18 *Cui nuntiatur novum* Opus, *illico tenetur desistere ab aedificio, vel propriis expensis destruere, quod* post *nuntiationem aedificavit, etiam opus pium.*
19 *Sive dein juste, sive injuste aedificarit.*
20 *Quia ante omnem cognitionem judicialem, nam jure aedificatum sit, destruere debet aedificium.*
21 *Is, cui* nuntiatur novum Opus, *debet exspectare per tres menses.*
22 *Si quis in eo,* quod possidemus, *aedificat, possum id propria auctoritate etiam per vim impedire aut destruere.*
23 *Vim vi repellere omnia Jura permittunt.*
24 *In suo aedificantem nemo privata auctoritate violenter impedire, aut aedificatum ab eo destruere potest, aut* Nuntiationem novi Operis.

25 *Bene vero potest illam.*
26 *Qui post* Nuntiationem novi Operis *etiam in suo, quod possidet, aedificat, vim infert* Nuntianti, *indeque vim impedire potest in continenti*
27 *Etsi ad tempus* Nuotistioni *pariat, et ab aedificio cesset.*
28 *Ædificatum ante* Nuntiationem *in eo, quod quis possidet, alius ante denuntiationem destruere non potest.*
29 Nuntiatione *non obstante potest quis pergere in aedificio*, I. *Si* Nuntiatio *manifeste est injusta.*
30 *Solvitur Objectio.*
31 *Et allegatur opinio contraria.*
32 II *Si est periculum in mora*
33 III. *Si* Nuntians *cautionem recipiat, et* Nuntiationem *remittat, vel re adhuc integra moriatur.*
34 IV. *Vel si recusat deponere juramentum calumniae.*
35 V. *Vel si intra trimestre non probat suum praejudicium.*
36 *Vel si Judex* Nuntiationem *remittit quandoque potest.*
Justitiae et aequitatis ratio praeferenda est rigori Juris Ibid.
37 *In suo fundo quilibet pro libitu etiam usque ad coelum aedificare potest.*
38 *Nisi habeat servitutem Urbanam.*
39 *Vel ex suo aedificio vicini aedibus immineat periculum.*
Damnum infectum quid? Ibid.
40 *Vel si ad solam aemulationem alterius aedificet.*
41 *Vel contra favorem Religionis, aut boni publici.*
42 *Saeculares non possunt erigere altas domos, vel in jam erectis facere fenestras, ex quibus videri in Monasteriis possint Fratres, aut Moniales: Et cum praeced.*
43 *Confirmatur eadem doctrina.*

1 Inter alios Praelatorum et quandoque Subditorum *Excessus*, de quibus compilator Juris Canonici tractavit Titulo praecedenti, etiam connumeratur is, qui committitur in aedificando, seu *novum Opus* faciendo in praejudicium vicinorum, vel aliorum. Et hic *Excessus* coercetur per *novi Operis Nuntiationem*, de qua agitur in praesenti Titulo, atque Jure Civili tam *in Codice*, quam *Digestis*; cujus Leges Papa quoad huc observari vul etiam in Ecclesiis, aliisque piis locis potest *novi Operis Nuntiationem* aedificatis, c. 1 *h. t.* Inter alias dicens: *Sicut Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita et sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.*

2 Quaeritur I. Quid sit *Nuntiatio novi Operis?* a quo? quomodo? quando? ubi? et cui fieri possit, ac debeat? Resp. I. *Nuntiatio novi Operis est prohibitio recte facta, ne quis in aedificio, seu alio novo opere pergat, donec de jure aedificationis constiterit, aut praestita sit eo nomine satisdatio*; ut proin *nuntiare* hoc loco idem sit, ac *prohibere novum Opus*; consequenter ille nuntiet novum Opus aliquod, qui prohibet, ne fiat tale Opus novum, *arg. L. 1. ff. h. t* cum Concordantiis.

3 Dicitur I. *Nam in opere novo faciendo etc.* Nam *hoc Edictum remediumque Operis novi Nuntiationis adversus opera futura introductum est non adversus praeterita, hoc est adversus ea, quae nondum facta sunt, ne fiant.* Nam si quid operis factum fuerit, quod fieri non debuit, cessat Edictum de Operis novi Nuntiatione, et est transeundum ad *interdictum quod vi aut clam*, aut hujusmodi, quo restituatur, si quid illicite factum est; prout habetur *L. 1. §. Hoc autem. ff. De operis novi Nuntiatione.*

Caeterum *novum Opus* facere censetur, non solum aedificando, sed etiam qui destruendo aliquid, amplificando novam fenestram aperiendo, aut alias in praejudicium alterius mutando, *arg. cit. L. 1. §. Opus novum. 11. ff. h. t.* ibi: *Opus novum facere videtur, qui aut aedificando, aut detrahendo aliquid faciem operis mutat.* 4

Porro notandum per *novum* hujusmodi *Opus* futurum, intellige illud, quod solo conjunctum, aut conjungendum est, et in eo fit, ita ut in eodem solo permaneat, ut proin qui messem colligit, arbores succidit, vineam putat etc. ei Opus novum nuntiari non possit, sed alio remedio arceri debeat texto expresso *Lib. 1. §. 12. ff. h. t.* ibi: *Hoc autem Edictum non omnia opera complectitur, sed ea sola, quae solo conjuncta sunt. Idcirco placuit, si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quamquam opus faciat, tamen ad hoc Edictum non pertinere.* 5

Dicitur II. *Aut praestita sit eo nomine satisdatio*; id est cautio de opere suis sumptibus demoliendo, in casum, quo injuste aedificatum pronuntietur. Nam si ejusmodi cautio per *Nuntiantem Opus novum* recipiatur, statim alter aedificare permittitur: non tamen talem cautionem *Nuntiator* accipere cogitur, *c. Significantibus*, et c. *ult. h. t.* ac alibi. Quia ubi semel aedificatum est, durior causa redditur, ac postea difficilius ad demolitionem devenitur; simulque ut dicitur *L. ult. C. Ex quibus causis restitutio etc. Melius est intacta Jura servari, quam post causam vulneratam remedium quaerere.* 6

Nec obstat *l. Praetor ait. ff. De operis novi nuntiatione.* et alibi, ubi dicitur, quod praestita satisdatione de demoliendo, vel oblata et non recepta, possit quis licet aedificare Resp. enim Glossa *in c. ult. h. t* ♈︎. *Non obstante*, in intelligendum esse conformiter *L. un. C. De novi operis nuntiation.* et dicto c. *ult. h. t* quod videlicet oblata cautione de demoliendo, potest tres menses possit quis aedificare, alioquin vero *Nuntians* novum Opus, si statim vel intra tres menses velit probare suum praejudicium, auditur, non obstante cautione, quae sibi offertur. 7

ResP. II. *Nuntiatio novi operis* fieri potest a quovis, cujus interest, hujusmodi novum Opus fiat. Communis et certa *arg cit. L 1. §. 16. ff. h t.* Potestque illud nuntiare seu prohibere quivis privatus, cujus interest, adeo ut necesse non sit, adhibere mandatum, vel auctoritatem Judicis *cit. 1. §. 2. ff h. t* ibi: *Nuntiare ex hoc edicto non habet necessariam Praetoris aditionem, potest enim nuntiare quis, etsi eum non adierit.* 8

Resp. III. *Nuntiatio novi Operis* tribus modis fieri potest. Videlicet verbis solis. *secundo* per manus appositionem, vel jactum lapilli in locum, ubi novum Opus intenditur, aut inchoatur prohibendi causa, quod tamen verbis indicare debet, cum non quivis lapidem projiciens in talem locum aut manum aedificio imponens intenditur *nuntiare novum Opus*; uti post Hostiensem *h. t. n. 8.* bene advertit Pirhing *h. t. Tertio* per Praetorem seu Judicem, instando apud illum, ut ipse sua auctoritate prohibeat *novum Opus. arg. L. de Pupillo. 5. §. Meminisse. 10. ff. h. t.* ibi: *Per Praetorem.* et *L. Vi facit. 20. ff. Quod vi, vel clam.* ibi: *Prohibitus autem intelligitur quolibet prohibentis actu, id est, vel dicentis, se prohibere, vel manum apponentis, lapillumve jactantis, prohibendi gratia.* 9

Notandum tamen, quod etsi quis ex his *Nuntiandi* 10

modis sit sufficiens, tamen casu, quo quis in *nostro* aedificare, aut *novum Opus* inchoare vult, melius sit, per lapilli jactum, vel per Praetorem, quam simplicem verbalem *Nuntiationem* opus prohibere; quia hene in tali casu, qui facit, emittit possessionem, et eam acquirit adversarius, *cit. l. De pupillo* 5. §. 10. *ff. h. t.* ibi: *Meminisse autem oportebit, quoties quis in nostro aedificare, vel in nostrum immittere, vel projicere vult, melius esse, eum per Praetorem, vel per manum (id est per lapilli jactum) prohibere; quam Operis novi Nuntiatione (supple simplici verbali) caeterum Operis novi Nuntiatione possessorem eum faciemus, cui nuntiaverimus, aut si in suo quid faciat, quod nobis noceat. tum Operis novi denuntiatio erit necessaria.* Sylvester ꝟ. *Nuntiatio novi Operis. q.* 4.

11 Caeterum ad *Nuntiationem verbalem* nulla certa verborum forma requiritur, sed sufficiunt quaevis verba intentionem prohibentis seu nuntiantis satis exprimentia, potestque illam facere per se, vel per alium suo nomine, *L.* 1. §. *Item. ff. h. t.* ibi: *Item nuntiationem, et nostro, et alieno nomine facere possumus.* Quocunque autem modo fiat, consultum est, ut coram testibus fiat, quatenus probari possit, eam factam esse.

12 Resp. IV. Quamvis *Nuntiatio novi Operis* quovis etiam Feriato, et sacro die fieri possit, necesse tamen est, ut fiat in, seu prope locum, ubi fit, seu intenditur *novum Opus L.* 1. § *Item.* 4. ibi: *Item nuntiatio omnibus diebus fieri potest* et *l. De pupillo* 5. § 2. *ff. eod.* ibi: *Nuntiationem autem in praesenti faciendam meminisse oportebit, id est, eo loci, ut Opus fiat, sive quis aedificet, sive inchoet aedificare.*

13 Resp. V. *Nuntiatione novi Operis* potest quis, cuivis, seu contra quemcunque etiam proprium Superiorem suum in praejudicium alterius novum Opus molientem facere, *l. Non solum.* 8. *prin. ff. h. t.* ibi: *Non solum proximo vicino, sed etiam Superiori opus facienti nuntiare Opus novum potero:* Idque, vel mediate, vel immediate, adeo ut non solum ipsi Domino Opus novum inchoanti, sed etiam in loco novi Operis praesentibus v. g. fabris, Opificibus, servis, vel aliis quibuscunque tamen, etiam mulieribus, qui Domino referre valent Nuntiationem, fieri queat, dummodo in, vel prope locum novi Operis fiat: textu expresso *cit. l. De pupillo.* 5. §. 3. *ff h. t.* ibi: *Nuntiari autem non utique Domino oportet, sufficit enim in re praesenti nuntiare ei, qui in re praesenti fuerit, usque adeo, ut etiam fabris, vel Opificibus, qui eo loci operantur, Opus novum nuntiari possit. Et generaliter ei nuntiari novum Opus potest, qui in re praesenti fuit Domini, operisque nomine. Neque refert, quis sit iste, vel cujus conditionis, qui in re praesenti fuerit,* usque adeo, ut etiam fabris, Opificibus etc.

14 Nec refert, in quo loco, proprio, vel alieno talis Opus novum faciat, vel intendat, dummodo in praejudicium tertii fiat, *l. Aedibus.* 18. *ff. h. t.* ibi: *Nec ad rem pertinet, cui solum sit, in quo opus fiat.* juncta *l. De Pupillo* §. 10. *ff eod.* Neque refert, sive locus sit publicus, sive privatus, sive sacer et Religiosus, sive profanus *L.* 1. §. 7. *ff. eod.* ibi: *In publico, vel privato vel in sacro, vel in religioso loco.*

15 Hinc etiam de Jure Canonico conceditur *Nuntiatio novi Operis* contra aedificantem Capellam in praejudicium Baptismalis Ecclesiae, imo contra aedificantes quamcunque Ecclesiam in praejudicium alterius c. 1. *h. t.* ibi: *Quia nulla Ecclesia in praejudicium alterius est construenda* Nam, ut bene loquitur Abbas *in c. Pastoralis. De his, quae fiunt a Praelatis etc. Non decet unum Altare discooperire, ut aliud cooperiatur.*

Intellige, nisi id fiat ex causa justa per Episcopum cognita, et approbata, eoque permittente, v. g. ob numerositatem populi, amplitudinem Parochiae, vel hujusmodi, prout habetur in Concilio Tridentino *Sess.* 21. *de Reformat. cap.* 4. 16

Quaeritur II. Ex quibus causis fieri possit *novi Operis Nuntiatio*? Resp. Ex tribus, videlicet, vel ad conservandum jus nostrum, quod *novo* Opere violari cernimus, vel ad evertendum praejudicium seu damnum ex *novo* Opere oriturum. vel ad tuendum Jus publicum, textu expresso *cit. l.* 1. §. 6. *ff. h. t.* ibi: *Nuntiatio fit aut Juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici Juris tuendi gratia.* Adeo ut non tantum ad privatum proprium, sed etiam publicum, seu commune damnum, aut conservandum bonum quivis *Nuntiationem* novi Operis facere queat; Nam Reipublicae interest, quam plurimos ad defendendam suam causam admittere, ut dicitur *l. Nam.* 4. *ff. eod.* 17

Quaeritur III. Quis sit effectus *Nuntiationis novi Operis*? Resp. Effectum ipsius utroque Jure statutum esse, quod postquam nuntiatum est, aedificans desistere debeat a caepto opere, et expectare per tres menses, intra quos probet *Nuntians* suum praejudicium, alioquin si spreta *Nuntiatione* ulterius pergat, quidquid postea aedificatum fuerit, sive jure, sive injuria, expensis ipsius aedificantis destrui debet, c. 1. *h. t.* ibi: *Mandamus, quatenus diligenter considerans quod post Denuntiationem novi Operis, sive jure, sive injuria aliquid construatur, legalibus debet constitutionibus demoliri:* etiamsi sit aedificium pium, aut sacrum v. g. Ecclesia, c. 2. *eod.* ibi: *Mandamus, quatenus quidquid aedificatum est in Ecclesia de Lamech post novi operis Nuntiationem tuis facias expensis penitus demoliri:* ac *c. fin. h. t.* et concordat *l.* 1. *ff. eod.* 18

Nec refert, quod injuria, seu injuste *Nuntiatio* fiat *cit. c.* 1. *h. t.* et *l. Praetor.* 20. §. 2. *ff. eod.* ibi: *Neque interest, jure factum sit an non: sive jure factum est, sive non jure factum est, Interdictum locum habet.* Ratio hujus habetur *l. Praetor ff. h. t.* illis verbis: *Qui igitur facit, etsi jus faciendi habuerit, tamen contra interdictum Praetoris facere videtur: et ideo hoc destruere cogitur.* 19

Hinc aedificare pergens post *Nuntiationem*, hujusmodi aedificatum propriis expensis destruere debet ante omnem cognitionem judicialem, an jus habuerit aedificandi, vel an alter juste vel injuste nuntiaverit novum Opus, imo nec auditur, donec ante omnia propriis expensis destruat, quae post *Nuntiationem* factam aedificaverit. *L.* 1. §. *Sed si.* 7. *ff. h. t.* ibi: *Sed si is, cui Opus novum nuntiatum est, ante remissionem aedificaverit, dein caeperit agere, jus sibi esse ita aedificatum habere, Praetor actionem negare debet, et interdictum in eum de opere restituendo reddere.* Ratio est: Tum quia talis *Nuntiatio* se habet per modum *Appellationis*, qua pendente nil innovandum, c. 1. *de Appellation.* Tum quia, ut supra *n.* 6. jam dictum, ubi semel aedificatum, durior causa redditur, et difficilius ad demolitionem devenitur, simulque melius sit, intacta Jura servari, quam post causam vulneratam remedium quaerere. 20

Ob quas rationes *cit. num* 6. etiam diximus, non tenere *Nuntiantem* novum *Opus* acceptare cautionem de Opere illico destruendo, si de jure aedificandi non docuerit; sed debet aedificans facta sibi *Nuntiatione* expectare per tres menses, ut intra quos *Nuntians* suum praejudicium probare valeat, *cit. c. fin. h. t.* ibi: *Is, cui opus novum* 21

nuntiasse proponis, non obstante cautione, quae offertur ab ipso de Opere destruendo, si eoa aedificatum exitat, tenetur per trium mensium spatium expectare Juris sui praejudicium probare volentem

22 Quaeritur III. An quis propria auctoritate violenter impedire, aut destruere valeat, si alter post factam *Denuntiationem novi Operis*, ab illo non desistit. Resp. I. Si quis *in* eo, quod possides, novum Opus facere, vel aedificare praesumit, et ad Denuntiationem tuam non acquiescit, poteris tale Opus etiam per vim propria auctoritate impedire, vel etiam aedificatum destruere, dummodo hoc *non* ex intervallo, sed in continenti faciat. Imo poteris in tali casu etiam absque ulla *Denuntiatione novi Operis* propria auctoritate violenter impedire, ac destruere. Zoesius *in l. Quod.* 3. §. 9. *ff. De vi, et vi armata.* et alii communiter, *arg l. Sed si.* 27. *ff. de Servitut. Urban. Praed.* et *cit. l. Quod est.* 3. §. 9. *ff. De vi, et vi armata*, juncta *l. de Pupillo.* 5. §. 10. ibi: *Si forte in nostro aliquid facere quis perseverat, aequissimum erit, adversus eum, quod vi aut clam uti.*

23 Ratio est; quia in tali casu vis vi repellitur, quod omni Jure permissum est, *l. Si vero.* 3. *de Sentent. Excommun* Ubi Papa excusat illum, qui vim vi repulit; addita illa ratione: *Cum vim vi repellere omnes Leges, omninque Jura permittant.* idem habetur c. *Dilecto eod. in* 6. ubi Papa approbat, quod quidam Decanus adhibita vi se defenderit allegata dicta ratione iisdem quasi verbis: *Cum* (ait textus) *omnes Leges, omninque Jura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittat, licuit utique ipsi Decano contra illius violentiam, injuriamque se tueri* idem passim habetur in Jure Civili, ut *L.* 1. §. 27 *ff. De vi, et vi armata*, ibi: *Vim vi repellere licere, Cassius scribit, idque jus natura comparatur.* Idem sentit unanimis Doctorum, adeo, ut teste Gailo *de Pace publica, cap.* 16. *n.* 8. velint, *Clericum Sacra agere volentem, posse invasorem in Ecclesia impune occidere, et postea caepta Sacra perficere.* Hinc in tali casu quis non tam vigore *Denuntiationis*, quam vigore *Interdicti, quod vi aut clam*, propria auctoritate Opus in suo per alterum erectum destruere valet per *Jura citata.*

24 Resp. II. Si quis non in eo, quod possides, sed in suo novum Opus, in tui tamen praejudicium facit, propria auctoritate *non* poteris illud statim in continenti violenter impedire, aut destruere, sed debes prius adhibere *novi Operis Nuntiationem*, *arg.* cit. *l de Pupillo* 5. §. 10. *ff h. t.* ibi *Si in suo quid faciat, quod nobis noceat, tunc Operis novi Nuntiatio erit necessaria.* Ratio est, quia in suo aedificans ante *Nuntiationem* vim alteri inferre non censetur, *l. Alterius. C. de Servitut.* consequenter non intrat illud Juris axioma: vim vi etc. *n. praeced. allegatum.*

25 Resp. III. Si quis etiam in suo aedificat, et post *novi Operis Nuntiationem* aedificare non cessat, sed adhuc pergere praesumit, potest *Nuntians* vel *in* continenti talem propria auctoritate etiam vi adhibita impedire, vel aedificatum post *Nuntiationem* propria auctoritate in continenti destruere, casu quo videlicet aedificans audita *Nuntiatione* forsan ad tempus, donec *Nuntians* discedat, cessat, et postea *Nuntiante* iterum pergit, *arg. toto Tit. ff. Quod vi aut clam.* Probatur etiam Conclusio sequenti argumento. Secundam omnes Leges et Jura licitum est injustam vim vi in continenti repellere, sed qui post *Denuntiationem novi Operis* etiam in suo proprio fundo aedificare pergit, injustam vim infert *Nuntianti*, ac vi aedificare censetur; ergo *Nuntians* licite poterit talem vim vi in continenti repellere. *Major* hujus sillogismi est certa per clara Jura *n.* 23. *allegata.*

Minor, in qua est tota difficultas, probatur clarissime ex Jure *L.* 1. *ff. Quod vi, aut clam.* ubi expresse declaratur, quod etiam ille vero vim facere, vique aedificare censetur, qui post prohibitionem *Nuntiatione novi Operis* sibi factam, aedificare inchoat, aut pergit: *Vi factum* (inquit ibidem textus) *Quintus Mucius scripsit, si quis contra quam prohiberetur, fecerit: Et mihi videtur, plena esse Quinti Mutii definitio: sed etsi quis* (pergit textus ab una ad alia Nuntiationis species) *jactu vel minimi lapilli prohibitus facere perseveraverit, hunc quoque vi fecisse videri, Praedius, et Pomponius scribunt, eoque Jure utimur: sed etsi contra testationem* (id est, contra Nuntiationem coram testibus factam, uti notat Glossa Marginalis ibidem) *Denuntiationemque fecerit, idem esse Casselius, et Trebatius putant, quod verum est.* Item *l. Vi facit*, 20. *ff. eod.* ibi: *Vi facit tam is, qui prohibitus facit, quam qui quo minus prohibeat, consecutus est etc. Prohibitus autem intelligitur quovis prohibentis actu, vel dicentis se prohibere vel manum opponentis, lapillumve jactantis prohibendi gratia.* Quid clarius pro probatione *Minoris? ergo.* 26

Nec refert, quod aedificans post *Nuntiationem* ad tempus cesset, sicque *Nuntiationi* pareat, ac postea iterum incipiat. Nam contra est, quod hujusmodi cessatio ab aedificio ad tempus duntaxat facta non revelat, quo minus adhuc dicatur, vi aedificasse, si quis tale aedificium sine permissione *Nuntiantis* rursus assumit; prout expresso iterum decisum habetur in Jure *L.* 1. § 9. *ff. Quod vi, aut clam*, ibi: *Si autem facientem prohibuero isque destiterit in praesentiarum, rursusque postea facere coeperit vi eum videri fecisse, nisi permissu meo facere coeperit.* 27

Dicitur autem notanter, *aedificatum post Denuntiationem*: quia quae quis in suo proprio aedificat ante *Denuntiationem*, propria auctoritate *Nuntiantis* destrui non possunt, per dicta *num.* 24. bene vero aedificata post *Denuntiationem*, cum post hanc, *non* item ante illam vis *Nuntianti* inferatur: quare bene notandum discrimen inter aedificantem in proprio, vel alieno fundo, ante, vel post *Denuntiationem* Si quis enim in tuo, quod possides, aedificat, eum tanquam vim tibi inferentem illico propria auctoritate violenter impedire, vel aedificatum *in* continenti destruere, sicque vim vi repellere poteris, etiam absque ulla *Nuntiatione novi Operis*, per dicta *n.* 22. *et* 23 Si vero non in tuo, quod possides, sed in suo, tui tamen in praejudicium aedificet, propria auctoritate illud destruere ante Nuntiationem novi Operis non poteris, sed hanc necessario adhibere debebis. Quod si vero eo per te facta ille aedificare continuat, illum tanquam vim juxta dicta *n.* 26. inferentem vi adhibita impedire, vel etiam aedificatum post *Denuntiationem* propria auctoritate destruere poteris. Hinc caute et non nisi cum distinctione hujusmodi legere oportet Doctores de hac materia scribentes. 28

Quaeritur IV. An? et in quibus casibus *Nuntiatio* supra annotatis careat effectibus, ita ut ea non obstante *Opus novum*, v. g. aedificium aliquod continuari valeat. Resp. In sequentibus, videlicet I. Si jus aedificandi est notorium et consequenter *Nuntiatio novi Operis* notorie injusta est. Zoesius *h. t. n.* 3. Abbas *in* c. 1. *eod n.* 10. Pirhing *h. t. n.* 24. Valensis, Perez, Gailus, et alii, *arg. l. Praetor.* 20. *ff h. t.* cum enim juxta hanc Legem *Nuntiatio* remitti debeat, quando constat, *Nuntianti* jus aliquod prohibendi non competere, merito etiam notorie injusta *Nuntiatio* contemnitur, praesertim quia frustra exspectatur liquidatio Juris certi. 29

Non obstant textus Juris c. 4. *h. t. cum Concord.* 30

abi habetur ad *Nuntiationam novi Operis* elterum
ab Opere cessare debere, sive *jere sive injeria* ali-
quid construatec; consequeotac siva justa, siva in-
justa sit *Danuntiatio.* Resp. eoim hunc textum intal-
ligi non dabere de *Nuntiatione* maoifesta et notoria
injusta, enm Leges manifestas injurias oollatenua
fovesot, *arg. l. Placeit. 8. C. de Judic.* sed de ea, quae
vel debia, vel iajusta appareat, maoifesta tamen
talia non est. *Doctores citat.*

31 Fateadum tameo, hoc ono obstanto opiniauem
contrariam teoeri a Fachia. *Controvers. lib. 8. cap.*
44. Tum qeia jexta dicta utroque Juri habetur,
Nuntiationem soum effectum habece, *sive jere*,
sive injeria aliquid construatur c. 1. *h. t.* Tum
quia privatis coacadendum non ust, qeod Judicis
aoctoritate fieri potest *arg. l. Factum.* 170. *ff. de*
Reg. Jer.

32 II. Quaodo pericolum in mora ust, ita, ut ex
dilatione aedificii imminsat damnum aedificare vo-
lenti; tune eoim *Nuntians* acceptare tenetur cao-
tionem de Opere destruendo, si *jure* noe fuerit eedi-
ficetum. Gailus *lib. 1. Observat.* 16. n. 8. Molina *Disp.*
706. *n.* 45. Abbas *in c. 2. h. t. n.* 9 *arg. l. de Pupillo.* 5.
§. 12. *ff. h. t.* ubi ratio additur, illis verbis: *Qui enim*
dubitat, multo melies essa, omittere Operis novi Nun-
tiationem, qeam impedire Operis necessarii urgentem
extructionem. Accedit, quod, ebi est pericelum in
mora, recedatur a Regulis Juris. *Communis.*

33 III. Si *Nuntians novum Opus* cautioonem ab aedi-
ficantu accipiat de Opere destruendo, si injeste aon-
strectum apparuerit, *c. Significantibas.* 3. *h. t.* juncta
l. Praetor. 20. §. *ff. eod.* Quod facere potest, quamvis
non tenecatur per Jura citata. Vel si *Nuntians* re ad-
hue integra moriatur, *l. Non solum.* 8. §. 6. *ff h. t.* ibi:
Morte ejes, qui nuntiavit, extingeiter Nuntiatio.
Vel si idem *Nuntians* sponte remittat *Nentiationem*
cit. l Non solem §. 4. *ff. h. t.*

34 IV. Si *Nuntians* ad instantiam aedificantis jura-
mentum calumoiae coram Judica deponere recusat,
quod aestimet, se habere jostam caussm nontiandi,
l. De Pupillo. 5. §. 14. *ff. h. t.* ibi: *Qui Opus novem*
nuatiat, jurare debet, non calemniae causa Opes no-
vum nuntiare: ubi tamen additor: *Hoc jusjerandum*
auctore Praetore defertur, idcirco non exigitur, ut
juret is ante quis jusjerandum exigat. Ratio est; quia
juramentum hujusmodi recusans praesumitur malitio-
se facere *Nuntiationem* Hostiensis *h. t. n.* 11. Molina
Disp. 706. *n.* 32. Pirbing *h. t. n.* 22.

35 V. Si *Nentians* intra trimestre eon satis probat jus
nuntiandi sibi competens, aea praejudicium ex Ope-
re novo oriturum; spatio enim trimestris elapso *in*
opere pergere potest, saltem si cautionem praestet,
c. fin. h. t. Molina *loc. cit. n.* 32. et alii. Ratio est,
ne alias frivolis Nentiatioeibos aedificia oimis pro-
trahanter.

36 VI. Si Judex *Nuntiationem*, quam fieri jossit,
iterum revocavit, *l. Si opes.* 16. *ff. h. t.* Sicut etiam,
quando eam ab elio factam considerata aaqealitate
naturali (qeae nonnonquam praeferenda est Juris
rigori, *l. Placuit.* 8. *de Judiciis.* ibi: *Placuit in om-*
nibus praecipuam essa justitiae aequitatisque quam
stricti juris rationem) pro arbitrio suo ante elapsum
trimestre remittit, uti ea dicta ratione nonnunquam
potest, puta, si ex inspectione ocelari, vel aliunde
saltem summaritec apparet de iojuria *Nuntiationis*,
vel de pericelo damni ex dilatione orituri Engel
h. t. n. 5. dummodo Judex interea petat, ut aedifi-
cans praestet cautionem de Opere destruendo, quan-
do injuste erectum constiterit.

37 Quaeritur V. An quilibet in suo fondo aedifi-
care valeat, quidquid, et qoaliter sibi placuerit?
Resp. cum Barbosa *in c. fin. h. t. n.* 6. Molina *Disp.*
109. *a prin.* Engel *h. t. n.* 6. et DD. commuoiter,
regulariter loquendo id fieri posse, adeo ut non
possit quis propterea a Vicino probiberi, licet ex
tali aedificio Vicinus quamdam incommoditatem sen-
tiat; puta, quia ejus domus redditur obscurior, vel
quia liberior prospectus adimitur. Desumitur haec
recepta doctrina ex *c. Altius. C. De servitutibus*, ibi:
Altius quidem aedificia tollere, si domus servitutem
non debeat, Domines ejes minime prohibeter: (adde
cum Summario ibidem) *etiam usque ad coelum*: nam
ut loquuntur Doctores, *Si domus est mea, tunc est*
mea usque ad coelum, et infernum.

Dixi in responsione, *regulariter loqeendo*: fallit 38
enim hoc in sequentibos casibus I. Si vicinum habeat
in domo aedificantis servitutem Urbanam ex pacto,
testamento, vel praescriptione acqeisitam: ut sunt
servitus altius non tollendi, non officiendi luminibus,
non officiendi prospectui. Circa praescriptionem ta-
men notandum, non hoc ipso censeri servitutem
praescriptam, quod quis longo tempore non aedi-
ficarit; quia aedificare in suo est actus merae fa-
cultatis, contra quem non inducitur *Praescriptio.*

II. Si ex novo aedificio vicini aedibus immineat 39
periculum damni vel ruinae, recte tunc aedificanti
nentiatur novum Opus, ut cautionem damni infecti
praestet, *arg. l.* 1. §. *Nuntiatio ff. h. t.* juncto toto
Tit. ff. De damno infecto. Porro *damnum infectum*
est damnum nondum factum, sed quod feturum vere-
mur, ut explicet *l.* 2. *ff. De damno infecto.* Unde
praestare cautionem de damno infecto, idem est, ac
sese obligare ad compensandum omne damnum, si
quod ex aedificio alteri obvenerit.

III. Recte *nuntiater novem Opus*, ei qois tan- 40
tum ad vicini aemulationem ipsius aedes obscura-
re, aut novas fenestras contra domum, vel hor-
tum ejus aperire vellet. Neque enim malitiis ho-
minum indulgendum est, qui nihil agunt, quam
ut noceant, *arg. l. In fundo. ff. De rei vindicat.*
Caeterum praesumitur qeis ad aemolationem id fa-
cere, si ipsi aedificanti talis structura nullam affert
utilitatem.

IV. Favore Religionis ee boni publici quando- 41
que prohibetur quis novom Opus facere. Nam ut
tradit Covarruvias *l.* 3. *Variar. Resolut. cap.* 14. *n.*
8. etsi licitum sit cuilibet proprium aedificium al-
tius tollere, *l. Altius. C. De servitut.* tamen Jure
probibitum est privatum aedificium ita altius ex-
tolli, et ex eo videri possint Religiosi, aut Re-
ligiosae intra proprias domos Religiose habitantes,
sicut placuit Salyceto, post Petrum et Cynum *in*
dict. l. Altius: qeasi favore Religionis privatus uti
non possit jure suo, quod habet tollendo altius
domum suam, aperiendo fenestras, et lumina, quae
prospecta fuerint opportuna. Ita discernit Covarru-
vias *loc. cit.*

Similia habet P. Hyacinthus Donatus *in Praxi* 42
resolutoria Rerum Regularium Tom. 1. *part.* 1. *tr.* 2.
q. 12. ebi cum Lezana *v. Monasterium. n.* 23. recte
docet, certum essa, quod saeculares non possint
erigere ita celsas domos, ut videri possint Fratres,
aut Moniales, et cui favet textus *in c. Periculoso.*
De statu Monach. in 6. ibi: *Ut sic a publicis et*
mundanis conspectibus separatae Moniales, omnino
servire Deo valeant liberius etc.

Eandem materiam atque sententiam fusius tra- 43
ctat Alexander Sperellus Episcop. Eugub. *Deci-*
sione 58. *Fori Ecclesiastici*, ubi etiam refutat Mo-
linam asserentem, quod a domo Religiosa justo
pretio sit redimenda servitus non prospiciendi.
Vide insuper Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 17. *n.*
34. ubi nonnulla alia exempla ponit publicum
favorem concernentia, quamvis caeteroquin se-
quatur sententiam Molinae, sed a citato Spe-
rello rejectam, et merito; quia cum id de jure

competat loco Religioso favore Religionis et honestatis, frustra dicitur id pretio redimendum.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, et Excessibus Privilegiorum.

1 *Materia hujus Rubricae scitu utilis est Regularibus.*

1 Celebris est praesens Titulus, scituque utilissimus, praesertim Religiosis Mendicantibus diversa Privilegia Sede Apostolica habentibus: unde ut melius explicetur, simulque ob sui prolixitatem, expedit plures ponere Paragraphos.

§. I.

De Natura, et Divisione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

2 Privilegium *minus proprie.*
3 *Et proprie loquendo quid?*
4 *Dicitur Lex privata, et quare?*
5 *Quae de Jure competunt*, Privilegia *proprie non sunt*
6 Privilegium *variis nominibus in Jure venit: et quibus?*
7 Privilegium *aliud est contra, aliud praeter Jus.*
8 *Quorum illud est proprie dictum* Privilegium; *istud vero minus proprie, et potius beneficium.*
9 Privilegium *contra Jus est, strictae interpretationis, praeter Jus vero latae.*
10 Privilegium *aliud est in corpore Juris clausum. Aliud extra Corpus Juris.*
11 *In quo differant?*
12 *Aliud est reale, aliud personale.*
13 *Differentia inter utrumque.*
14 *Aliud mixtum*
15 *Aliud certo personarum generi concessum.*
16 *In dubio an* Privilegium *personale, aut reale sit, quid Juris?*
17 *Rursus aliud* Privilegium *est mere gratiosum, aliud remuneratorium.*
18 *Aliud perpetuum, aliud temporale.*
19 *Quid sit* Privilegium *purum, et conditionale?*
20 *Per se, et ad instar concessum.*
21 *Communitatis, et privatorum?*
22 Privilegio *Communitatis privatus renuntiare nequit: bene vero* Privilegio *privatorum*
23 Privilegium *proprio motu, et ad preces concessum?*
24 Privilegium *vivae vocis oraculo, et litteris concessum quid?*

2 Quaeritur I. Quid sit *Privilegium*? Resp. I. Quamvis Privilegium quandoque accipiatur pro *Rescripto*, seu *Instrumento* scripto, in quo gratia, seu beneficium Principis continetur, seu conceditur, *arg. c. Cum dilecta de Confirm. util. et inutil. ex c. Ex parte h. t.* Communiter tamen et magis proprie *Privilegium* accipitur, pro ipsomet jure, beneficio, seu gratia cuipiam a Principe concessa. Hinc proprie loquendo de *Privilegio*.

3 Resp. II. *Privilegium* dicitur *Lex privata contra, vel praeter Jus aliquid concedens c. Privilegia dist. 3. et c. Abbate de Verbor. significat.* ibi: *Cum Privilegium sit lex privata, nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret.* Dicitur autem *Lex*, non quod obligationem inducat respectu ejus, cui datum est (nam *Privilegium* est lex privata, non utcunque sed quo cuipiam jus, beneficium, vel gratia a Principe conceditur: nemo autem beneficio sibi concesso uti cogitur, *arg. l. Invito. ff. de Reg. Jur* ibi: *Invito beneficium non datur*) sed quoad alios, quibus praecipitur, ut illud observari faciant, vel prohibetur, ne impediant. Pirhing. *h. t. n.* 2.

4 Et additur *privata*: quia *Privilegium* conceditur ob bonum privatum *Privilegiati*, certae v. g personae, particularis alicujus Collegii, Universitatis, Religionis, Monasterii, Ecclesiae, Civitatis etc. Cui ex Privilegio, favore, et gratia datur facultas aliquid agendi, vel omittendi, vel percipiendi contra, vel praeter legem, seu Jus commune: dum econtra lex communis respiciat, et feratur ob bonum totius Communitatis.

5 Dicitur insuper *contra, vel praeter Jus*: quia quod Jure communi competit, frustra per *Privilegium* impetratur. *arg. L. 1. C. de Thesauris. lib.* 10. ibi: *Superfluum est hoc precibus postular. quod jam lege permissum est.* Interdum tamen talia a Principe conceduntur ad majorem confirmationem et securitatem, ut fit c. *Quia in causa. de Procurat. etc. Etsi Christus. §. fin. de Jurejurand.* Quae tamen non sunt proprie dicta *Privilegia*, sed potius declarationes Juris communis, vel naturalis.

6 Porro *Privilegium* varia habet nomina in Jure, quae quasi sinonyma sunt. Quandoque enim etiam vocatur *Jus singulare*, *l.* 16. *ff. de Legib.* subinde *Indulgentia*, *c. Dudum.* 31. *h. t.* Item *Exceptio*, *l. Ex praestatione.* 7. *C. de Vectigal.* subinde *Specialis largitas et praerogativa*, uti *l. fin. C. de fract. et lit. expens.* subinde *Concessio*, *l. 1. prin. ff. de Testament. milit.* item *Constitutio personalis*, § 6. *Instit.* de I. N. G. et C. Item *Lex propria*, *l. Municipalem.* 41. *§. fin ff ad Municip.* Item *Rescriptum*, *Diploma*, *Indultum*, *Principale*, *Favor*, *Gratia*, *Immunitas* etc. Azorius *Instit. Mor. lib.* 5. *cap.* 22. *q.* 1.

7 Quaeritur II. Quotuplex sit *Privilegium*? Resp. cum communi Doctorum, varias esse *Privilegiorum* divisiones. Et quidem *primo* aliud *Privilegium* est *contra Jus*, ut *Exemptio* a solvendis Decimis, vel a jurisdictione Ordinarii, et hujusmodi, quae conceduntur contra Jus commune. Aliud *praeter Jus*, sive (ut alii loquuntur) *ultra Jus*: v. g. *potestas* absolvendi a Reservatis, vel dispensandi, et hujusmodi, quando videlicet ipsamet materia, seu actus privilegii non est quidem in se Jure prohibitus, sed tamen non nisi in certis personis concessus.

8 Differunt *primo*: quia *Privilegium contra Jus* dicitur proprie *Privilegium*, *arg. l. Jus singulare ff. de Legib* ibi: *Jus singulare est, quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est* Nam per *Jus* singulare intelligitur *Privilegium*, quale *loc. cit.* dicitur esse *contra tenorem rationis*, id est, contra rationem Juris communis seu legis, prout ex antecedentibus verbis liquet. Econtra Privilegium praeter Jus meretur quidem nomen *Privilegii* (cum et ipsi competat definitio *Privilegii* et sic, eo quod sit *lex privata*, et favorabilis ex speciali gratia Principis concessa) non tamen adeo stricte sumitur, ob rationem praedictam ex textu Juris desumptam, et potius dicitur beneficium Principis. *Beneficium* enim stricte sumitur pro gratia concessa a Principe praeter Jus, ut notat Abbas in *Rubrica de Rescript.*

9 Differunt ulterius, quia *Privilegium contra Jus* plerumque est strictae interpretationis, *arg. c. Porro*, et c. *Sane. de Privileg.* Alia vero *Privilegia praeter Jus*, cum sint merae gratiae ac beneficia Principis, late interpretari debent, prout fusius

diximus *Lib.* 1. *Tit. III. de Rescriptis. num.* 130.

10 *Secundo*, *Privilegium* aliud est clausum in Corpore Juris; aliud est extra Corpus Juris, seu datum per speciale Rescriptum Principis. *Privilegium clausum in Corpore Juris* dicitur, quod certis rebus vel personis concessum contra vel praeter alias leges, Corpori Juris communis insertum est: ut sunt quam plura privilegia Ecclesiarum ac personarum Ecclesiasticarum, pupillorum, studiosorum, militum, ac hujusmodi, quae passim habentur in utroque Jure. *Privilegium extra Jus* dicitur, quod per speciale Rescriptum (seu per speciales litteras Principis) cuipiam personae, loco, seu Communitati concessum est, et necdum Juri communi insertum.

11 Differunt isthaec *Privilegia* quoad effectum: nam *Privilegium in Corpore Juris clausum* non debet Judex ignorare, et si quid contra illud praecipiat, non tenetur *Privilegiatus* obtemperare, *arg. c. Cum ad quorumdam de Excessib. Praelatar.* Econtra *Privilegia extra Corpus Juris*, cum sint *Facti*, potest Judex ignorare, et si quid contra Privilegium mandet, vel aliquem contra tale *Privilegium* specialiter *extra Corpus Juris concessum* citet, tenetur *Privilegiatus* saltem pro reverentia Judicis comparere, et suum Privilegium ostendere, eique, vel ipsius Deputato in loco congruo ac securo ad legendum integraliter exhibere, prout habetur *c. cum personae. ff. de Judiciis*, ibi: *In jus vocati veniant privilegia sua allegaturi*. Alias differentias adducit Ludovicus Engel *h. t. n.* 2. sed brevitatis gratia omittimus.

12 *Tertio*, *Privilegium* aliud est *reale*, aliud *personale*, aliud *mixtum*. *Privilegium reale* dicitur, quod proxime et directe confertur rei, loco, muneri, dignitati (v. g. Praedio, Ecclesiae, Monasterio, Praelaturae, causae etc.) in consequentiam vero personis, quae talem rem, locum, officium, vel causam habent. *Privilegium personale* est, quod proxime et directe confertur personae sine contemplatione rei *arg. c. Mandata de Praesumpt.* ibi: *Quas non loco tribuimus, sed personae etc.* et alibi.

13 Differunt autem plurimum: siquidem *Privilegium reale* cum cohaereat rei, transit ad quoscunque successores, et possessores: *Privilegium autem personale personam sequitur, et extinguitur cum persona*, ut loquitur *Reg. 7. Jur* in 6. Concordat *l. Privilegia. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Privilegia quaedam causae sunt, quaedam personae: et idea quaedam ad haeredes transmittuntur, quae causae sunt; quae personae sunt ad haeredem non transeunt.* Adde *l. In omnibus. ff. eod.* ubi dicitur: *In omnibus causis id observatur, ut ubi personae conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat.* Et hujusmodi Privilegium dicitur *Privilegium singulariter personale*, eo quod uni tantum personae per se et directe concedatur.

14 Datur etiam *Privilegium mixtum*, hoc est, partim *personale*, partim *reale*, eo quod multum de natura realium participet. Talia Privilegia sunt, quae conceduntur certo Corpori aut Collegio personarum (et ideo a quibusdam *Privilegia corporalia* nuncupantur) atque haec non tantum illis competunt, qui defacto in tali Corpore vel Collegio vivunt, sed etiam transmittuntur ad eorum Successores.

15 Huc spectant *Privilegia*, quae dicuntur communiter *personalia*, et certo personarum generi conceduntur. Tale inprimis est *Privilegium restitutionis in integrum* concessum Minoribus) id est, illis, qui ante 25. annum completum in aliquo contractu graviter laesi sunt) quod etiam ad haeredes transit. *l. Non solum. ff. de Restitut. in integr* Tale est etiam *Privilegium* S. C. Vellejani concessum foeminis, ne ex fidejussione obligentur. Item *Privilegium* S. C. Macedoniani concessum filiisfamilias, ne ex mutuo sine consensu patris accepto obligentur. Adde *Privilegia* Clericorum, Studiosorum, Militum, et hujusmodi.

Caeterum in dubio, an *Privilegium* aliquod sit mere *personale*, vel reale, ex materia, causa, et tenore illius colligendum est. Quod si exinde satis cognosci non potest, videre oportet, an *Privilegium* hujusmodi sit merum beneficium et gratia, nec Juri communi, nec privato contrarium vel odiosum; illud enim, seu mere beneficium, in dubio praesumitur *reale*, utpote quod tanquam beneficium Principis permanere oportet, *c. Decet.* 16. *de Reg. Jur. in* 6. et *l. fin. ff. de Constitut Princip.* Istud vero, seu odiosum, utpote a Jure exorbitans, *personale*, et consequenter cum persona extingui censetur *arg. c. Quae a Jure.* 28. *de Reg. Jur. in* 6. Donatus *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 4. *q.* 3. *nu.* 2. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 3. *n.* 18. Palao *Tr.* 3. *Disp.* 4. *pun.* 9. §. 1. *n.* 6. 16

Quarto, *Privilegia* alia sunt *mere gratiosa*, alia *remuneratoria*. Ex his *Privilegia mere gratiosa*, seu quae ex mera concedentis gratia, non intuitu meritorum, seu in illorum compensationem proficiscuntur, habent tacitam conditionem, ut tamdiu durent, quam diu Principi, vel ejus Successori placuerit. *Privilegia* vero *muneratoria* sunt, quae intuitu meritorum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, expensarum etc. in bello, in conversione Infidelium, Haereticorum, Rebellium, Schismatis etc. exhibitorum, aut exantlatorum, tanquam in praemium, et quandam remunerationem, seu compensationem dantur: quae *Privilegia remuneratoria* etsi in dubio censeantur *personalia*, *arg. l.* 1. *ff. de Constitut. Princip.* ibi: *Quae Princeps alicui ob merita indulsit, personam non egrediuntur;* tamen etiam *realia* esse possunt, adeo ut propter merita personae unius *Privilegium* toti alicui Familiae, Religioni, Provinciae concedi valeat, et nonnunquam soleat teste experientia. 17

Quinto, *Privilegium* aliud est *perpetuum*, aliud *temporale*. *Perpetuum* est, quod vel adhaeret rei de se perpetuae; vel conceditur absque limitatione temporis. Et dicitur *perpetuum*, non quod amitti non possit, sed quia de se durat, donec revocetur, aut alia de causa amittatur. *Privilegium temporale* est, quod concessum est pro determinato tempore, v. g. ad decennium, vel ad dies vitae personae privilegiatae, ut est *Privilegium* singulariter *personale*. Huc spectat *Privilegium* datum sub conditione, quae lapsu temporis finitur: item *Privilegium* concessum a Principe, donec decesserit, vel sub clausa, *usque ad beneplacitum meum*; nam tale exspirat morte concedentis, utpote quo omnino extinguitur ejus beneplacitum, c. *Si gratiose de Rescriptis.* in 6. Secus est, si gratia vel privilegium concedatur sub clausula, *usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum*: tunc enim, quia Sedes non moritur, durabit perpetuo, nisi a Successore revocetur, prout *loc. cit.* expresse subjungitur. 18

Sexto, *Privilegium* aliud est *purum*, aliud *conventionale*. *Illud* est, quod sine aliqua conventione, et reciproca obligatione conceditur. *Istud* vero, quod interveniente hujusmodi conventione, et obligatione ad aliquod dandum aut faciendum etc. sicque quodammodo emi, aut per contractum onerosum acquiri censetur, Suarez *loc. cit. q.* 4. *num.* 9. Palao *loc. cit* §. 3. *n.* 2. 19

Septimo, *Privilegium* aliud est cuipiam *per se primo* specialiter concessum, aliud concessum *ad instar*. *Illud* est, quod cuipiam conceditur sine ordine ac respectu privilegii prius alteri concessi. *Istud* vero, quod conceditur *ad Instar* privilegii 20

prius alteri concessi, id est, eo modo ac forma, sub qua illud alteri convenit: qualia *Privilegia ad instar* plura conveniunt Regularibus communicationem privilegiorum habentibus, de qua fusius §. 3.

21 *Octavo*, *Privilegium* aliud est *commune*, seu *Communitatis*, aliud *privatum*, seu *Privatorum*. Illud est, quod primario et per se respicit bonum Communitatis, cui concessum est, etsi etiam redundet in Membra ejus. Cujusmodi sunt *Privilegia Fori* et *Canonis*, v. g. toti statui Clericali concessa. *Privatum*, seu *singulare* est, quod primario ac per se respicit bonum personarum in particulari, etsi mediate etiam redundet in bonum commune: Hujusmodi *Privilegium* est, v. g. *beneficium restitutionis in integrum Minoribus concessum*.

22 Differt autem istud *Privilegium* ab illo, quod *Privilegio communi*, seu Communitatis, tanquam favori communi et publico, privatus nequeat renuntiare, *arg.* c. *Si diligenti*. 12. *de Foro competent.* et *l. Jus publicum*. 38. *ff. de pactis*; consequenter Clericum etiam consentientem percutiens incurrat Excommunicationem, *can. Si quis suadente. can.* 17. *q.* 4. *Privato* autem renuntiare regulariter quivis potest, c. *Si de terra* 6. *h. t.* ibi: *Cum liberum sit unicuique suo Juri renuntiare*, cum Concordantiis, nisi talis renuntiatio cederet in praejudicium tertii.

23 *Nono*. Aliud *Privilegium* est *motu proprio*; aliud *ad preces*, seu supplicationem *Privilegiati* concessum. *Illud* est, et dicitur, quando Diploma Privilegii habet insertam clausulam *Motu proprio*, etiamsi forsan ad praeviam supplicationem sit concessum, c. *Si motu*. 23 *de praebend.* in 6. *Istud* 6. vero est, quando litterae *Privilegii* talem clausulam non habent. Caeterum qualis sit differentia inter haec *Privilegia*, et quid operetur clausula *Motu proprio*, vide *Lib. I. Tit. III. a num.* 202.

24 *Decimo* tandem, *Privilegium* aliud est *vivae vocis oraculo*, aliud *litteris*, vel *Rescripto Principis* concessum. *Illud* est quod Princeps oretenus duntaxat, sine scriptura concedit, vel motu proprio, vel ad instantiam partis. *Istud* vero, quod in scriptis datur. *Clem.* 2. §. *Ac deinde* ✠ *Nos etenim, de Sepult.* ibi: *Universa Privilegia verbo aut scripto concessa.* Caeterum *Privilegia vivae vocis oraculo* plura olim concessere Summi Pontifices, uti videre est apud Donatum *p.* 1. *Tom. I. tr.* 15. Ubi expresse agit de *vivae vocis oraculo*.

§. II.

De Concessione, et Acquisitione Privilegiorum; ubi etiam de tempore, quo valere incipiunt.

SUMMARIUM.

25 *Legem contra Jus illi soli condere possunt, qui legem condere valent.*
26 *Doctrina practica.*
27 *Non tantum Subditis, sed etiam aliis concedi potest* Privilegium.
28 *Ad cujus substantiam non requiritur scriptura.*
29 *Bene tamen ad ejus probationem.*
30 *De stylo Curiae etiam requiritur Scriptura saltem pro Foro externo*
31 *Num autem etiam pro interno controversia est.*
32 *Sunt quaedam, ad quorum valorem necessario requiritur scriptura, veluti facultas ingrediendi Clausuram Monialium.*
33 *Item collatio, confirmatio, et unio Beneficii.*
34 *Ac facultas non residendi in Beneficio Curato.*
35 *Ad hoc ut* Privilegium *licite concedatur, requiritur justa causa.*
36 *Non item ut valide concedatur.*
37 *Solvitur instantia.*
38 Privilegium *acquiri potest per preces.*
39 *Praescriptione, et consuetudine: Et eum. seq.*
40 *Acquisibilia* Privilegia, *sunt acquisibilia consuetudine.*
41 *Acquiritur etiam per communicationem. Remissive.*
42 Privilegium motu proprio *concessum non statim suum effectum a die concessionis habet: Et n. seq.*
44 *Probatur ex Jure.*
45 *Limitatur.*
46 Privilegium *ad praecedentes preces concessum statim a die concessionis valet.*
47 *Probatur rationibus.*
48 *Inferuntur doctrinae practicae.*
49 *Conciliantur textus Juris: Et eum. seq.*
51 *Beneficii collatio etiam absenti facta revocari amplius nequit: Et cur?*
52 *Solvuntur aliae instantiae ex Jure.*

Quaeritur I. Quis possit concedere *Privilegium*? 25
Resp. *Privilegium* praesertim *contra Jus* omnis et solus ille potest concedere, qui potest legem condere. Ratio est: Tum quia *Privilegium* hujusmodi est lex privata; ergo requirit in conferente potestatem quamdam legislativam: Tum quia per *Privilegium contra Jus* eximitur quis ab obligatione Juris, et legis communis, quod nemo facere potest, qui legem condere non valet. Glossa communiter recepta in *can. Quod autem. cau.* 25. *q.* 2.

Hinc Potestates publicae, sive Ecclesiasticae, sive saeculares, tantum in iis *Privilegia* ab obligatione legis communis quempiam eximentia concedere possunt, de quibus legem seu statuta condere, seu disponere valent, v. g. Papa extra ditionem suam temporalem per se ac directe potest dare *Privilegia* tam in spiritualibus, quam in iis, quae sunt connexa spiritualibus, ut sunt decimae etc. Praelati Papa inferiores possunt concedere *Privilegia*, quae eximunt a legibus seu statutis a se conditis, vel a suo Antecessore. Similiter Imperator, et alii supremi Principes in temporalibus tantum *Privilegia* dare possunt; quia Laici in spiritualibus se immiscere non possunt. *Can. Bene quidem dist.* 96. 26

Quaeritur II. Quibus, et quo modo, quave de causa possit concedi *Privilegium*? Resp. I. *Privilegium* non solum iis, qui vere et absolute subditi sunt, sed etiam extraneis concedi potest, dummodo materia Privilegii sit sub *Privilegiantis* jurisdictione. Ita communis Doctorum, et patet inductione. Sic quippe Imperatores multa *Privilegia*, partim in Jure communi, partim per specialia Diplomata, concesserunt Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis, quamvis non sint sub jurisdictione saecularium Principum, *arg.* c. *Quamquam. de Censibus. in* 6. Sic etiam Princeps alicui extraneo concedere potest *Privilegium*, ut in suo Territorio sit liber a praestandis vectigalibus, possit conscribere milites etc. 27

Resp. II. Regulariter loquendo, ad substantiam *Privilegii* non requiritur scriptura, sed etiam oretenus sive *vivae vocis oraculo* factum subsistit. Ita certa et communis Doctorum *arg.* c. *Institutiones.* 25. *q.* 2. et *Extravag. Etsi dominici, de Poenitent. et remiss.* ibi: *Considerans, quod plerumque contingit, suam Sanctitatem hujusmodi facultates etiam oraculo vivae vocis concedere etc.* Accedit ratio; quia nullo Jure requiritur Scriptura ad validitatem seu substantiam *Privilegii*; imo sufficit voluntas Principis sufficienter declarata. 28

Hoc tamen non obstante quandoque requiritur 29

Scriptura ad probationem *Privilegii*, ejusque firmitatem, *arg.* c. *Porro. h. t.* ubi dicitur, inspicienda esse *Privilegia*, ut eorum tenor servetur. Concordat c. *Contra morem dist.* 100. ibi: *Aut mos omnium est servandus, aut si tuae Ecclesiae aliquid specialiter dicis esse concessum, a vobis oportet ostendi*. Et infra: *Oportet aut generalitatis usum ex non scripto sequi, aut ex scriptis Privilegii se tueri*.

30 Insuper de stylo Curiae Romanae, et juxta Regulas Cancellariae Apostolicae, *Gratiae* ad expeditionem Litterarum dicuntur informes, et nulli suffragantur dispensationes, antequam super iis Litterae Apostolicae sint confectae, non obstante, quod summus Pontifex in signatura ad libellum Supplicantis per verbum *Fiat* gratiam concesserit. Ita enim quilibet Pontifex declarat in *Reg.* 27. *Cancellariae Apostolicae*, ibi: *Item, cum ante confectionem Litterarum gratiae Apostolicae sint informes: statuit, quod Judices quicunque non juxta supplicationum signatarum etc. Sed juxta Litterarum desuper confectarum tenores et formas debeant judicare. Et si Litterae minus expeditae reperiuntur, et illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per ejus Officiales ad formas debitas reducendae*. Haec ibi. Et concordat *Reg.* 52. quae inscribitur, *Nulli suffragetur dispensatio nisi litteris confectis*. Nec immerito, quia multa quandoque in Supplicationibus petuntur, quae omnia concedere non intendit Pontifex, ac proinde quaenam ab ipso concessa fuerint, ex Litteris desuper expeditis erit dispiciendum.

31 Et haec quidem loquendo pro Foro externo certa sunt, utrum autem saltem pro Foro conscientiae liceat uti dispensatione vel gratia ante Litterarum expeditionem, variant Doctores. *Negant* non pauci ob tenorem satis urgentem Regularum Cancellariae proxime relatarum. *Affirmativam* nihilo minus non improbabilem censet Engel *h. t. n.* 8. post Rebuffum, Gutierrez, Laymannum, et alios: siquidem gratia quoad substantiam (licet non quoad omnes qualitates, censetur perfecta per solam signaturam, eo praesertim, quia scriptura non est de substantia *Privilegii*, ut dictum n. 21. cum communi. Et quidem quod gratia Papalis perficiatur per solam signaturam, etiam ante expeditionem Bullarum, quae requiruntur solum ad probationem, pariter fatetur Wagnereck *ad Reg.* 10. *Cancellar.* et Barbosa *lib.* 3. *Juris Ecclesiast. univers. cap.* 13. n. 199. citans multos alios.

32 Dicitur autem notanter in Conclusione *num.* 28. posita, *Regulariter loquendo*, quia sunt nonnulla, quae ex speciali dispositione Juris de substantia requirunt Scripturam: veluti *primo*, facultas ingrediendi Clausuram Monialium nulla est, nisi ab Episcopo vel alio legitimo Superiore in Scriptis concedatur, *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 5. ibi: *Ingredi intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis etc. Sexus, vel aetatis fuerint sine Episcopi, vel Superioris licentia in Scriptis obtenta sub Excommunicationis poena ipso facto incurrenda*, prout amplius dictum *Lib. III. Tit. XXXV. a n.* 61.

33 *Secundo* ad substantiam et valorem Apostolicae Collationis, Confirmationis, et unionis Beneficiorum requiritur Scriptura, ita ut ante Litterarum expeditionum Beneficiatus censeatur intrusus, et fructus non faciat suos, *Extravag. Injunctae.* 1. *Inter communes, de Election.*

34 *Tertio* Facultas non residendi in Beneficio Curato ad sui substantiam requirit Scripturam vi *Concil. Trident. Sess.* 23. *de Reformat. cap.* 1.

35 Resp. III. Ad concessionem *Privilegii*, ut sit licita, requiritur justa causa; non autem ad hoc, ut sit valida. Ita Pirhing *h. t. n.* 12. *Prima* pars patet; quia Justitia distributiva et legalis requirit, ut nullus absque rationabili causa eximatur a Lege communi; consequenter nec absque ea detur *Privilegium contra Jus*. Neque *praeter Jus*; quia hujus sine causa facta concessio saperet prodigalitatem, et acceptionem personarum, induceretque improportionem inter membra Communitatis. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap.* 21. *num.* 2. Palao *Tr.* 3. *Disp.* 4. *pun.* 5. *num.* 1.

36 *Altera* vero pars ex eo suadetur; quia valor *Privilegiorum* pendet a sola voluntate concedentis *Privilegium*: nam sicut is absque ulla alia causa potest ejusmodi Legem valide tollere ex toto, ita et ex parte, unam vel aliam personam per speciale *Privilegium* ab ejus obligatione eximendo, saltem valide.

37 Nec dicas, Indulgentias sine causa concessas *esse* invalidas, juxta fere communem Doctorum: ergo etiam *Privilegium*. Resp. enim *negando conseq. et paritatem*. Disparitas est, quod Papa Indulgentias concedat non tantum ut Dominus, sed ut Dispensator meritorum Christi, qui non censetur in horum dispensationem nisi salubrem et rationabilem. *Extravag. Unigeniti.* 2. *de Poenit. et remiss.*

38 Quaeritur III. Quibus modis acquiri valeant *Privilegia*? Resp. Tribus praecipue, videlicet I. Ex *concessione Principis*, idque vel sine precibus, seu supplicatione ex ultronea ipsius liberalitate, vel ad preces et instantiam *Privilegiati*: ubi tamen notandum, quod per preces impetrans *Privilegium* nihil debeat exprimere falsum; et econtra necessario exprimere ea omnia, quae verosimiliter retrahere possent animum Principis a concessione *Privilegii*, ne *sub-vel obreptione* obtineatur, uti post Clarum §. *fin. q.* 59. ¶ *Debes advertere*, bene notat Donatus *Par.* 1. *Tom.* 1. *tr.* 5. Caeterum quomodo *sub-et obreptio* committatur, et deprehendatur? quos effectus habeat? et quid Juris de ea? copiose habes *Lib. I. Tit. III. §. VII. et VIII. per totum.*

39 II. Acquiri potest *Praescriptione*, seu consuetudine legitime praescripta. Textus, et Doctores *in* c. *Novit.* 13. *de Judiciis, et c. Super quibusdam de V. S.* Siquidem consuetudo legitime praescripta habet vim *Privilegii*, atque inducit jus *arg. cit. c. Novit. de Judiciis*, ubi Privilegium et consuetudo aequiparantur: ibi: *Nisi forte Juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum*. Ubi Glossa sic habet: *Nota, quod consuetudo parificatur privilegio, c. Conquestus quaest.* 3. et alibi.

40 Sic per *consuetudinem legitime praescriptam* acquiritur jurisdictio, *arg. c. Duo simul. de offic. ordinar. et c. Cum contingat. de Foro competent. cum Concordantiis.* Item per eam acquiri potest jus exigendi *Pedagia*, seu *Tributa*, c. *Super quibusdam de Verbor. signific.* Item *exemptio a Talibus*, c. *De quarta, et c. Cum olim de Praescript.* Taceo alia hujusmodi, quae tum privilegio, tum consuetudine legitime praescripta acquiri possunt. Fateor tamen cum Fagnano *in c. Cum contingat. n.* 8. *et* 11. *de Foro competent.* ac aliis Doctoribus, quod dentur nonnulla, quae quidem competere possunt ex *Privilegio* v. g. Apostolico, non tamen possint acquiri consuetudine, vel praescriptione; idque procedit praecipue tunc, quando consuetudo est a Jure reprobata, *arg.* c. *Cum instantia. de Censibus*, ubi *Privilegium* Apostolicum potest quem eximere a praestandis procurationibus, non autem praescriptio, aut consuetudo. Similia plura ad propositum vide *Lib. I. Tit. IV. a n.* 65 obi explicavimus commune axioma. *Acquisita Privilegio, sunt acquisibilia consuetudine*

41 III. Acquiruntur *Privilegia* per *Communicationem*, de qua specialiter §. *seq. per totum.*

42 Quaeritur IV. An *Privilegium* rite concessum statim habeat effectum a tempore Collationis, vel potius primum, quando devenit in notitiam *Privilegiati*? Celebris est haec controversia, quam late examinat Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. Disp.* 36. et tangit Herincx *Disp.* 4. *de Legib. n.* 69. Engel *h. t. n.* 12. et amplius *Tit. de Clandest. desponsat. n.* 17. Menochius *Cent.* 2. *de Arbitr. Judic. casu* 185 *n.* 30. *et seqq* Layman *lib.* 1. *tr.* 4 *cap.* 23. *n.* 9. *et* 10. cum aliis; in cujus resolutione multum variant Doctores propter diversos textus Juris inferius assignandos, sed probabiliter sententia utitur distinctione. Unde

43 Resp. I. Quando *Privilegium* motu proprio, et absque ulla praevia supplicatione *Privilegiati* fuit concessum a Principe, regulariter non habebit effectum suum ante notitiam, et acceptationem *Privilegiati*. Ita Sanchez, Layman, Engel, Herincx ll. cc. et communior aliorum. Ratio est: quia *Privilegium* est quaedam donatio, quae non valet ante acceptationem, *arg. l. Absenti. ff. de Donation.* prout et Beneficii Ecclesiastici collatio non dat *jus in re* ante acceptationem, *C. Si tibi absenti. de Praebend. in* 6.

44 Confirmatur id ipsum ex *cap.* 1. §. *Ex parte. De concess. Praebend. in* 6. ubi dicitur, *quod privilegia vim suam habent mox cum ad illos, quibus conceduntur, perveniunt*; et consequenter non antea, quando adhuc ignorantur a *Privilegiato*, sicque ab eodem acceptata nondum sunt. Unde in simili, si quis absenti servo scribit, ut in libertate moretur, non acquiritur servo libertas, nisi pro eo tempore, quo servus de hoc certior factus est, teste claro *l. Qui absenti. ff. de acquirend. possess.* Similiter Dignitas Consularis primum acquiritur a litteris praestitis, id est, praesentatis, *L. ult. C. de Consulibus lib.* 12. juncta Glossa *ibid.* Item donatio non confert jus aliquod Donatario ante acceptationem, et consequenter ante notitiam ipsius, *cit. l. Absenti. ff. de Donationib.* Siquidem *invito beneficium non tribuitur*, juxta *Reg.* 7. *ff. de Reg. Jur.* Omitto similia.

45 Dixi tamen notanter *n.* 43. *Regulariter non habebit effectum*. Nam excipitur casus, quando Princeps per se, ac motu proprio concedens *Privilegium*, velit illud statim habere suum effectum a die concessionis, quia hoc non excedit potestatem Principis, cum etiam leges, sive constitutiones possint trahi ad praeterita, vel ad pendentia negotia, dummodo nominatim in eis de praeteritis caveatur, *cap. ult. de Constitut.* Accedit, quod nonnulla Privilegia tantum auferant a *Privilegiato* aliquod onus, v. g. non solvendi poenam, Decimas, et hujusmodi; ergo non est ratio, cur ea non possint habere suum effectum illico a die primae concessionis, si id Princeps expresse velit, dummodo ex post facto acceptentur a *Privilegiato*: sicut a pari Legatum in Testamento relictum secuta ex post facto ejus acceptatione cedit, seu debetur Legatario a die mortis Testatoris, *l. Si tibi homo. ff. de Legatis. I.* cum Concordantiis.

46 Resp. II. Nihilo minus *Privilegium* ad supplicationem ipsius *Privilegiati*, vel Procuratoris ejus concessum, statim habet effectum a die collationis, neque opus est, ut prius innotescat *Privilegiato*. Ita supra citati Auctores. Ratio est; quia quando *Privilegiatus*, vel ejus Procurator supplicavit, et Princeps concedit *Privilegium*, statim adest ejus acceptatio, mutuusque hinc inde consensus, dum ex parte unius adest concessio, et ex parte alterius acceptatio *Privilegii*, sicque perfecta habetur donatio.

47 Confirmatur id ipsum rationibus, quibus generaliter multi Doctores, a Sanchez *loc. cit.* relati, volunt probare, *Privilegium*, vel dispensationem prodesse a tempore concessionis etiam ignoranti. Inprimis enim in *Rescriptis gratiae* (quibus annumerantur *Privilegia*) non attenditur tempus *praesentatae*, sed tempus *datae*, ita ut statim ac, cum gratiae datae sunt, habeant effectum suum, et per ea jus parti acquiratur, c. *Eam te. de Rescriptis*. Deinde Legatum in Testamento relictum acquiritur *ignoranti*, dummodo ex post facto acceptetur, seu non respuatur, *l. Cum pater. §. Surdo ff. de Legat. I.* ergo idem dicendum de *Privilegio*, saltem pro quo quis supplicavit per se, aut per suum *Procuratorem*. Insuper restitutio Deportati prodest ignoranti, *arg. l. Ejus, qui in provincia. ff. Si certum petatur*: atqui restitutio Deportati est aliquod *Privilegium*, vel gratia; ergo. Tandem etiam collatio Beneficii prodest *ignoranti*, et quamvis ei non tribuat *jus in re*, bene tamen *jus ad rem*, ut passim volunt Doctores; neque enim absque ejus, cui collatum est beneficium, dissensu, sive repudiatione potest Episcopus illud alteri conferre, c. *Si tibi absenti. de Praebend. in* 6.

48 Ex datis duabus responsionibus plura inferunt Doctores. Nam infertur *primo* cum Sanchez *loc. cit.* n. 8. et aliis, valere Matrimonium, cui simplex Sacerdos post petitam a se mediantibus litteris, aut Procuratore, atque a Parocho, vel Ordinario concessam licentiam assistendi interfuit, quamvis de dicta concessione nondum fuerit certior factus: secus dicendum, si dictam licentiam nullo modo petiverit. Infertur *secundo*, valere Absolutionem a Reservatis, vel Excommunicatione, quando licentia absolvendi per internuntium fuit petita, et a Superiore jam concessa, licet Nuntius needum redierit. Taceo similia plura. Nec obstat, quod usus talis licentiae ante acceptam certam ejus notitiam videatur illicitus ac temerarius. Resp. enim, quamvis periculosum sit atque illicitum propter defectum certae cognitionis de concessa sibi facultate tale quid attentare, nihilo minus actum gestum fore validum.

49 Quaeres autem, quomodo textus Juris *n.* 30. *et* 33. allegati possint inter se conciliari, cum priores pugnare videantur contra responsionem *secundam*, et posteriores contra *primam*. Resp. I. cum Engel *part.* 3. *Manualis Parochorum cap* 5. §. 6. *n.* 17. *et Tit. de Clandestin. Desponsat. n.* 17. in iis casibus, qui *n.* 30. referuntur, propterea requiri alterius partis notitiam, quia trahunt secum aliquam ejus reciprocam obligationem: sic enim servus manumissus tenetur ad jus Patronatus, Consul ad onera Consulatus, Donatarius ad Antidora, et vitandam ingratitudinem, *cap. ult. de Donation.* ac hujusmodi. Econtra tamen fit in casibus *num.* 33. relatis, simulque in his habetur aliquid speciale favore ultimae voluntatis, ac liberationis Deportati.

50 Ad c. *Si tibi absenti. de Praebend. in* 6 pro utraque responsione allegatum, respondeo, etiam Beneficiatum teneri ad onera Beneficii, et subjectionem Episcopi: unde collatio Beneficii facta ignoranti merito non tribuit *jus in re*, ob ejusmodi obligationem annexam, bene tamen *jus ad rem*, cum hoc non obstante libere possit dimitti, vel potius non acceptari; post acceptationem vero semel factam, per quam acquiritur *jus in re*, et quasi dominium ipsius, ut explicat Pirhing *Tit. de Praebend. n.* 55. non potest amplius dimitti beneficium sine auctoritate et consensu Superioris, c. *Admonet. de Renuntiation.* cum concordantiis.

51 Cur autem collatio Beneficii absenti facta am-

plius revocari non possit, cum tamen collatio Beneficii censeatur esse *Donatio* quaedam, *cap. 4. de Donation.* ibi: *Donationes vero, vel concessiones Ecclesiarum* simulque *Donatio* ante acceptationem Donatarii libere possit revocari, *L. 2. et l. Absenti ff. de Donation.* Cur, inquam, ejusmodi collatio Beneficii amplius revocari non possit ante acceptationem ad instar aliarum Donationum, communiter Doctores hanc assignant rationem, et disparitatem; quia Donatio rei propriae ex mera liberalitate concedentis proficiscitur, Collatio vero Beneficii Ecclesiastici est cujusdam necessitatis: nam Praelatus tenetur ex officio conferre beneficia, et collatione semel facta Collator jam est functus officio suo, et hinc merito variare prohibetur.

52 Ad id, quod *num.* 33. dicitur, in litteris, sive in scriptis attendi tempus *Datae etc.* Resp. inde quidem recte probari alteram responsionem nostram, nihil tamen inferri contra primam: nam hujusmodi Rescripta non dantur, nisi ad alicujus consultationem, relationem, vel supplicationem, sicque loquendo de litteris *gratiae* illico adest acceptatio, seu consensus ex parte *Privilegiati*. Sed neque textus ex *c. 1. de Concession. Praebend. in* 6. Urget contra responsionem secundam; quia textus ille est duntaxat allegatio partis, non decisio Juris, ac proinde non convincit; quamvis probabiliter allegetur pro priori responsione *n* 30. eo quod Papa in fine citati textus pro parte illa rescribat, sicque fundamentum ejus approbare videatur.

§. III.

De Communicatione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

53 *Communicatio quid sit?*
54 *Et quomodo fiat?*
55 *Ordines mendicantes plenam invicem habent* Communicationem Privilegiorum
56 *Nostra Minorum Religio in specie tam cum Mendicantibus, quam non Mendicantibus plenissimam habet* Communicationem Privilegiorum: *probatur ex variis Bullis.*
57 *Praesertim Clementis VIII.*
58 *Et ex aliis, Remissive.*
59 *Quomodo intelligenda sit haec* Communicatio?
60 Privilegium *uni personae privatae concessum non transit ad alios.*
61 *Neque* Privilegium *concessum Ecclesiis ad certum tempus, v. g. septennium*
62 *Neque concessum ob specialem rationem, uti est concessum loco miraculoso, Indulgentiae Portiunculae, Indulgentiae Altaris* privilegiati.
63 *Ponitur quaestio, et ratio dubitandi, utrum caeteri Mendicantes communicent cum Privilegiis Societatis JESU.*
64 *Resolvitur* Affirmative, *etiam quoad illa* Privilegia, *quae habent eam clausulam, ne alii* eis per Communicationem gaudeant.
65 *Quia Pontifices successores absolute concesserunt Communicationem: et qui?*
66 *Religiosi Mendicantes non communicant cum aliis in poenalibus, et odiosis.*
67 *Doctrina practica ad propositum: Et n. seq.*
69 *Cessante ex aliqua ratione, vel Privilegio apud eum, cui primitus concessum est, non cessat apud Communicantem*
70 *An, et quomodo* Communicantes Privilegiis *aliorum, possint illis contra hos uti? et duobus seqq.*
71 Privilegiatus *contra* Privilegiatum *non utitur* Privilegio, *quomodo intelligendum? et n. seq.*

Quaeritur I. Quid sit? et quomodo fiat *Communicatio Privilegiorum*? Resp. I. *Communicatio*, et *communicare* a ly *communis* derivatum, idem esse, ac communem facere, et conferre alicui, quod prius alteri jam fuerat concessum, ita ut *Communicatio Privilegiorum* consistat in participatione, et concessione quadam *Privilegii*; quia Superior *Privilegium*, quod uni simpliciter concesserat, etiam ad alterum extendit. Sic c. 2. *h. t. in* 6. Studio Generali Romani vigenti communicantur *Privilegia* aliorum studiorum Generalium. 53

Resp. II. *Communicatio Privilegiorum* dupliciter fieri potest, videlicet vel *absolute, plene et perfecte*; vel *imperfecte*, et *relative*. *Primo modo* fieri dicitur, dum *Privilegium*, quod prius uni Communitati, aut personae fuerat concessum, alteri *absolute, plene, ac illimitate* ita conceditur, ut illa persona, cui fit *Communicatio* de se, et per se independenter ab alio frui possit *Privilegio*, ac si ei prius specialiter esset concessum. *Altero modo* illis fit, quibus non propter se, sed ob connexionem, quam habent cum aliis, communicatur Privilegium; ut Medicis, Familiaribus, Advocatis certarum Religionum. Donatus *Tom. 1. tr. 7. q. 1.* cum communi Doctorum. 54

Quaeritur II. An? et qui Ordines, ac qualem habeant *Communicationem Privilegiorum*? Resp. I. Ordines mendicantes omnes habent inter se absolutam, perfectam, et plenissimam *Communicationem Privilegiorum*, prout omnes Doctores hac de re scribentes unanimiter docent, atque ex variis constitutionibus Pontificiis praesertim Julii II. Leonis X. et Pii V. manifeste patet. 55

Et quidem pro Ordine FF. Minorum notanda amplissima concessio Clementis VII. per Bullam, quae incipit: *Dum fructus uberes*, et refertur circa finem Compendii Privilegiorum, in qua Pontifex *motu proprio, et ex certa scientia, omnia et singula Privilegia, Immunitates, Exemptiones, Indulta, Indulgentias, peccatorum remissiones et gratias,* dicto *Minorum, et S. Clarae, ac Tertio de Poenitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque personis, locisque concessa etc. approbat, et innovat: eisque omnia et singula Privilegia, concessiones, Indulgentias, et gratias etc. quibusvis Ordinum mendicantium, vel non mendicantium Congregationibus quomodolibet concessa, et concedenda, suae professionis Regularis Observantiae non contraria, communicat in omnibus, et per omnia, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent.* Ita citata Bulla Clementis VII. B. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. et aliorum Pontificum, ut notat Herincx *disp. 4. de Legibus quaest. 6. n.* 73. 56

Hic adde Constitutionem Clementis VIII. *Ratio pastoralis* 1597. editam, et habetur in *Bullario Romano Tom. 3. Constit.* 51. *dicti Pontificis*, quae plurimum notanda est, ac sonat, ut sequitur.

Clemens Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio Pastoralis Officii nostri exigit, atque efflagitat, ut quorum Religionem, ac virtutem Sedi Apostolicae, totique Ecclesiae non modo illustrem, et praeclaram, sed utilem etiam ac necessariam esse animadvertimus, eosdem nostris, et ejusdem Sedis Apostolicae honoribus, et beneficiis libenter prosequamur. Cum vero ex bonis, et commodis spiritualibus Ord. Mendicantium, ea longe, lateque pateant, semperque patuerint, quae a sacro Ordine Fratrum Minorum de Observantia, ab ipsis fundatae Religionis initiis, in- 57

omnes Christianae Reipublicae Provincias profluxerunt, quotidieque profluunt, et promanant, faciendum nobis esse statuimus, ut in eodem Ordine, nostris et Sedis Apostolicae gratiis, atque muneribus honestando, nihil Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum benignitati ac studio concedamus.

§. I. Cum igitur pro parte dilecti filii Joann. Baptistae Moles Commissarii Generalis in Romana Curie Ultramontanae Familiae praedict. Ordin. de Observantia nobis expositum fuerit, ex ipsius Sedis benigne dignatione provenire ? ut Romanus Pontifex quandoque Praedecessorum suorum Roman. Pontif. gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata et restaurata muniat, et fulciat, et in pristinum statum reponat ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri, quasdam gratias, concessiones, indulgentias, et peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exceptiones, declarationes, facultates, multaque alia privilegia, et indulta, tam praedictis Fratrum Minorum, quam S. Clarae, ac Tertio de Poenitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus, Fratribus, Monialibus, et Sororibus, ac utriusque sexus personis, et Monasteriis, Domibus, Ecclesiis et locis quibuscunque dictorum Ordinum nunc et pro tempore existentibus, in genere vel in specie, etiam per modum Communicationis, sive extensionis privilegiorum, aliis Ordinibus, Domibus, Ecclesiis, et utriusque sexus personis Ordinum Mendicantium, et non Mendicantium existentibus concessorum concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, et approbarunt, prout in singulis concessionibus, et declarationibus, et litteris eorundem praedecessorum expeditis plenius dicitur contineri.

§. II. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, illa quae saepius Apostolica auctoritate praedicta, munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem pro parte praedicti Joan. Baptist. Moles, nobis fuit humiliter supplicatum, ut praedictis Privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et indultis, pro illorum observentia, nostrae approbationis robur adjicere, aliisque in praemissis opportune providere, et benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui omnium votis, praesertimque illorum, qui sub suavi Religionis jugo divinis laudibus, et Christianae Religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati et commoditati consulunt, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, quaecunque praemissa, ac omnia singula alia privilegia, immunitates, exceptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, et indulta spiritualia et temporalia, etiam per modum Communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis Ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus, ejusdem Fratrum Minorum Regularis Observantiae, et S. Clarae, et de Poenitent. Tertio Ordinibus etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium professione et eorundem Superiorum Ordinis Minorum Regularis Observantiae hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, ac utriusque sexus etiam singularibus personis, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et locis quibuscunque in genere et in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praedictam sub quacunque forma et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non omnibus et singulis, in eis forsan contentis clausulis, decretis, et declarationibus quibuscunque, ac singulas desuper etiam pluribus vicibus confectas litteras, et in eis contenta, et inde secuta quaecunque illorum omnium tenores et formas datas, effectus, et decreta in illis, apposita, ac si verbo ad verbum insererentur, et in his essent inserta, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, dicta auctoritate Apostolica tenore praesentium ex certa scientia (in his omnibus) in quibus decretis Concilii Tridentini non adversentur, salvis etiam decretis a nobis in favorem Fratrum Reformatorium concessis) approbamus, et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observare, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Observantiae, et S. Clarae, ac Tertio de Poenitentia nuncupato, etiam in Congregat. sub obedientia Fratrum Minorum de Observantia hujusmodi degen. Superioribus, Fratribus, Monialibus, etiam Tertiariis nuncupatis, sororibus, personis, Monasteriis, Domibus, et Ecclesiis, et locis praedictis, etiam per modum Communicationis, et extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse et debere, in judicio et extra, ac etiam in foro conscientiae, in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem Fratrum minorum, et S. Clarae, et Tertio de poenitentia Ordinibus per nos concessa fuissent, decernimus. Supplentes omnes et singulos juris et facti, ac solemnitatem etiam de juris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum, forsan omissarum, et alios quoscunque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem

§. IV. Quocirca Venerabilibus Fratribus Mantuae, et Tuy Episcopis, ac dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali Auditori, per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, vel unus eorum per se, vel alium, seu alios, faciant auctoritate nostra praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque, plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui et gaudere. Non permittentes quemquam desuper contra praesentium tenorem sub quovis praetextu et causa, etiam defectu intentionis nostrae per quoscunque quomodolibet indebite molestari, quin imo quidquid contrarium attentari vel fieri contigerit, omnia semper in pristinum reponi. Contradictores quoslibet et rebelles, etiam per quascunque poenas Ecclesiasticas, et alia opportuna juris et facti remedia, appellatione quacunque postposita, compescendo ac legitimis super his habendis, servatis processibus etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Sicque per quoscunque Judices, et Commissarios, ac S. R. E. Cardinales, nec non sacri Palatii Apostolici causarum Auditores, sublata eis quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere.

§. V. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris nostri de una, et in Concilio Generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis praesentium vigore ad judicium non trahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, ac Provincialibus et Capitularibus statutis et constitutionibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, etiam in forma Brevis per quoscunque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos, et Sedem praedictam, etiam motu proprio, ac scientia et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis quomodolibet, etiam pluries concessis, firmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis

eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ed verbum, non antem per cleusulas generales idem importentes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, eut eliqua alia exquisite forme ed hoc servauda foret, etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, ent non nisi sub certis modo et forme derogari posset, tenores bujusmodi, ec si de verbo ed verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observeta inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, Motu, scientia, et euctoritate similibus derogemos. Aut ei eliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possiot per literas Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ec de verbo ed verbum de indulto hujusmodi mentionem, ceeterisque contrariis quibuscunque.

§. VI. Verum, quie difficile foret, praesentes litteres ad singule queque loca, in qoibus forte opus esset, deferri, volumus et periter Apostolica euctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu alicujus ex Secretariis cujusvis praedictorum Praelatorum Generelium, ec Romanee Curiee Commissarii, et suorum successnrum, eut Notarii publici subscriptis, et sigillo officii alterius eorundem, eut alicujus personee in dignitate Ecclesiastica constitutae, seu Curiae Ecclesiasticee munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeetur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensee.

Detum Romae epud sanctum Petrem sub eonolo Piscatoris die vigesime Decembris 1597. Pontificatue nostri Anoo sesto.

58 Plures similes Concessiooes Remissive vide *Lib. I. Tit. XI. a n.* 45.

59 Resp. II. Haec *Communicatio Privilegiorum* currit de Praeletis ad Praelatos, de Fratribus privetis, id est sine Praelstura, ad Fratres privatos, de Conventibus ad Conventus, de Festivitatibus ed Festivitates. Ita declaravit et concessit Praedicetoribus, et FF. Minoribus Sixtos IV. et Julius II. per sequentem Bullam.

Venerebilibus Fretribus Salameutino, Pecen. et Corduben. Episcopis, et eorom euilibet.

Jolius Pepa II. Venerabiles Fratres Selutem, et Apostolicam benedictionem. Alias ed supplicationem Cherissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Regis etc. et infre, quodque in predicta Privilegiorum, gratiarum, et indultorum praefatorum Communicatione, tum universaliter per Predecessores nostros toti Ordini Minorum, quam etiam per nos particulariter predictorum Regnorum Fratribos facta, eeque quoad Absolutionem, dispensationem, vel alias ad Priorem Generalem, seu Megistrum Ordinis Praedicatorum spectare ed Magistrum, vel Vicarium Generalem FF. Minorum pertineant, et ea, quae ed Priores Conventuales, id est, Praeletos singulsrum Domorum Ordiois Praedicaturum, et eorum Vicarios similiter spectent ed Guardianos, et eorum Vicarios Ordinis Minorum, et ea, quae ad Priores, seu Vicarios, vel Superiores Vicarios, id ext, Praelatos, qui medii sunt, quocunque nomine censeantur, et vocentur, inter dictum Generalem, seu Magistrum Ordinis, et Priores Conventuales, eorumque Vicarios, simili modo spectant ad Ministros, et Vicarios Provinciales, ac Custodes, qui etiam medii sunt inter Ministrum, et Vicarium Generalem, et Guardienos, eorumque Vicarios similiter pertineent, et sicut de Potestate Praeletorum, scilicet de Praeletis ad Praelatos dictum est; ite de Congregationibus unius ad Congregationem elterius Ordinis, et de Fratribos privetis, id est, sine Praeletura ed Fratres privatos, et de Festivitetibus ed festivitates, in his cesibus, in quibus Congregationibos, vel Fratribus privatis, ent Festivitetibus unius Ordinis eliquid conceditur Congregetionibus, Fratribus privetis, ent Festivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur Congregationibus, Fratribus privetis, ac Festivitatibus alterius Ordinis, nunc et pro tempore respective concesse intelligentur. Ita qui ea, quae in honorem Senctorum Dominici, Petri Martyris, Thomee de Aquino, Catharinee de Senis, Fratribus, vel locis Praedicatorum sunt concessa, omnia ille Fratribus Minoribus preefetis, eorumque locis in Festivitatibus Seectorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardi, Boneventurae, quinque Mertyrum dicti Ordinis, qui apud Merochium mertyrii coronam edepti sunt, et S. Claree, et in aliis Festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in majori numero, quam Feste ipsorum Fratrum Praedicatorum, sint et intelligantur concessa, ad tollendam quamcunque haesitationem, et inde forte ortum scrupulum, auctoritate et tenore praefatis decleremus.

Detum Romae epud senctum Petrum sub ennulo Piscatoris die prime Junii 1509. Pontificetus nostri enno sexto.

Resp. III. Nihilo minus Privilegium concessum uni Religioso privato non communicatur eliis Religiosis. Ita communiter Doctores. Siquidem talia *Privilegia* sunt *personalia*: unde habet locum *Reg. 7. Jur. in 6. Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.* Adde, quod in elus pleromque cesset ratio concessionis, v. g. praerogetive meritorum personee hebilitas, vel hujusmodi. Et quia *diversitatem corporum diversitas saepe sequitur animorum, c. 5. de Concess. Praebend.* Quod uni prodesset, saepius alteri foret nocivum. 60

Idem dicendum de *Privilegiis* concessis eliquibus Ecclesiis ad tempus determinatum: ut sunt Indulgentiae in honorem alicujus Sancti concessae Ecclesiis, per tot vel tot ennos, nem hae non communicantur aliis Regularibus, ut notant Doctores, et praesertim Antonius de Spiritu S. *in Director. Regular. tr.* 1. *disp.* 1. *sect.* 3. *num* 42. Donatus *p.* 1. *Tom.* 1. *tr.* 7. *q.* 14. *et* 15. 61

Id ipsum juxta praefatos, et elios asserendum est de *Privilegiis*, quae concessa fuerunt ob eliquam specialem rationem: ut quando Indulgentia concesse est uni loco speciali, quia ibi est imago B. V. Mariae cum magna veneratione Fidelium, nam haec est specialis ratio illius loci, qua elii carent. Et ob hanc caosam communiter tenent Doctores, vix uno vel altero excepto, Indulgentias Portiunculae non communicari Ecclesiis aliorum Ordinum praeter Ordinem S. P. N. Francisci. Idem asserendum de Altaribus *privilegiatis* ob specialem rationem talis Alteris. Secus dicendum de Indulgentiis perpetuis, et quae continent rationem generalem. Vide Donatum *l. c.* 62

Quaeritur II. Utrum Ordines hebeant *Communicationem omnium Privilegiorum* Societati JESU concessorum? Ratio dubitandi est, quod praefate Societas habeat quaedam privilegia cum clausula, *ne illis per Communicationem fruantur caeteri Mendicantes,* uti videre est in Bulla Gregorii XIII. *Pium et utile etc.* quae est 77. inter Constitutiones dicti Pontificis, *Tom. II. Bullar. Cherubin.* ubi Papa, postquam circa Ordines ab eis recipiendos Privilegia sequentis tenoris concessit. 63

§. II. Nonnulli tamen Antistites post Concilii Tridentini decreta cos sic praesentatos, prius in hujusque, tam in minorum, quam sacrorum Ordinum hujusmodi praescripto munere exercitatos, temporumque determinatorum post susceptos descriptum finem, ante- 64

quam ad superiores Ordines ascendant, omnino expectandam, eosque in eorundem Ordinum sanctionibus, chorique officiis plene instructos, et denique super eorundem vita, moribus, aetate, et natalibus, ad Parochi inquisitionem, aut alias testimonium et certa alia requisita habenda esse contendunt, quamvis ad eosdem Ordines suscipiendos muneris alioquin omnibus idonei dimittantur.

§. III. Nos his incommodis, quantum in nobis est, occurrere volentes omnibus Episcopis, et aliis Antistibus, praesentibus et futuris in perpetuum praecipimus, atque interdicimus, ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam a Praeposito Generali dictae Societatis pro tempore existente, vel ab eo delegatis habuerint, quidquam praedictorum requirant, vel exigant, sed ipsos etiam absque ulla functione in Ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, ceremoniis Ecclesiasticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, aut aliis in aliis requisitis ad minores, ac etiam extra tempora a Jure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus etiam continuis ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines promoveant, ac si omnibus requisitis praediti essent. Nos enim illis Ordines omnes praedictos sic suscipiendi, ac praedictis Antistitibus eos ipsis conferendi facultatem tribuimus, *Tandem subjunxit sequentem clausulam*: Praesentis autem gratiae Communicationem omnibus aliis, etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate copiose participant, participareque poterunt, quomodolibet in futurum fieri prohibemus. *Quibus non obstantibus*

64 Resp. Ordines Mendicantes praefatam, et plenam habent *Communicationem omnium privilegiorum* Societati JESU concessorum, non tantum illorum, quae sine, sed etiam cum allegata, aut simili clausula ei concessa fuere, et in specie etiam *Privilegiorum* a Gregorio XIII. concessorum juxta tenorem n. *praeced.* allegatorum circa Ordines recipiendos. Diana p. 4. tr. 2. *Resolut.* 81. Roderiquez *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 55. *art.* 7. de hoc puncto fusius differens, Herincx *Disp.* 4. *de Legib. q.* 6. n. 75. Donatus p. 1. *Tom.* 1. *tr.* 7. *q.* 8. Miranda in *Manual. Praelat. Tom.* 2. *q.* 43. *art.* 5. *Conclus.* 2. Ratio est: quia subsequentes Pontifices de novo absque dictis limitationibus plenissimam concesserunt Mendicantibus, et confirmarunt *Communicationem Privilegiorum* quorum Pontificum potestati derogare non statuit ullus Antecessor juxta unanimem; *cum non habeat par in parem imperium*, c. *Exiit.* §. *Caeterum, de Verborum signific.* et alibi.

65 Quod autem Successores sine dictis limitationibus concesserint, patet ex variis eorum Bullis allegatis *Lib. I. Tit. XI. nu.* 51. Quibus accedunt Clemens VIII. utpote qui per Bullam supra *num.* 57. allegatam pro Ordine nostro de novo concessit, innovavit, et confirmavit omnia et singula *Privilegia* quibuscunque, et quomodocunque concessa, non obstantibus quibusvis *Clausulis irritativis*, *annullativis*, *cassativis*, etiam *Privilegiorum eorum revocativis*, *restrictivis*, *reservativis*, *exceptivis*, *declarativis*, *mentis attestativis*, *ac derogatoriarum derogativis* etc. prout amplius videre est in citata Bulla §. 5. Item Gregorius XIV. qui Cisterciensibus, et Cruciferis praeter cuncta alia *Privilegia* etiam in specie concessit *Privilegia Societatis JESU*, per Constitutionem, *Illius qui*, quae est 17. *in Tom. II. Bullar. Cherub.* cum quibus Cisterciensium *Privilegiis* caeteros Mendicantes, praesertim vero Fratres Minores communicare, patet ex pluribus supra allegatis Bullis, praecipue vero Clementis VIII. supra *num.* 57. allegata: ut proin prorsus nullum dubium supersit, quin caeteri Mendicantes, praesertim Fratres Minores gaudeant quoque *Privilegiis Societatis JESU*, etiam cum Clausula *n.* 93. allegata concessis.

Quaeritur III. An Religiosi *communicantes in Privilegiis*, etiam communicent in poenis, et prohibitionibus alterius Ordinis? Resp. cum communi Doctorum *negative*, ut habet novissima Regula Juris in 6. *Odia restringi*, *et favores convenit ampliari.* Unde 66

Inferes *primo.* Si in una Religione lata sit Excommunicatio Papalis contra Subornatores, hanc non extendi ad alias Religiones. Ita Herincx *num.* 81. post Portel. 67

Inferes *secundo* cum Diana *loc. cit.* quod quando Pontifices concesserunt *Privilegia Societati JESU* tali modo, ut Subditi ejus non communicent illis, nisi concedantur ipsis a suo Generali, haec limitatio non liget alios Regulares, sed inconsulto suo Generali gaudeant talibus *Privilegiis*, prout omnes concedunt. Secus dicendum, si ipsismet *Privilegiis* adderentur quaedam restrictiones ad coarctandum eorum favorem; hae enim limitationes procul dubio communicantur aliis Ordinibus, cum non communicent majorem favorem, quam sit datus a principali concessione. Ita Herincx *n.* 88. et *seqq.* id exemplificans. Ratio disparitatis est, quia hic additur restrictio potius ad subveniendum incommodis specialis Instituti Societatis, sicque ad exhibendum ipsi specialem favorem per talem limitationem. 68

Quaeritur IV. Quid Juris, si *Privilegium* alteri communicatum, penes primum *Privilegiatum* restringatur, vel usu contrario penitus aboleatur? Resp. cum Engel *h. t.* n. 11. Antonio a Spiritu S. *n.* 51. et aliis passim, id non nocere secundo *Privilegiato* per communicationem. Ratio est: quia hujus privilegium dependet quidem a priore in productione, non vero in conservatione; statim enim ut *Privilegia* concessa sunt uni v. g. Religioni, propria etiam alterius Religionis habentis *Communicationem* cum illa, effecta sunt, neque etiam vi talis *Communicationis* communicatur alteri Religioni usus, vel abusus talis privilegii (hoc enim est odiosum) sed jus eo utendi. Unde quamvis primus Ordo, cui tale *Privilegium* primo concessum est, illud per non usum vel renovationem amiserit, adhuc secunda Religio, cui fuit communicatum, potest illo uti, cum eidem jus jam fuerit acquisitum. Intellige, dummodo ante *Communicationem Privilegiorum* alteri Religioni factam, Privilegium penes primum Ordinem needum cessaverit. Siquidem in *Communicatione Privilegiorum* semper intelligitur, licet non exprimatur (frequenter tamen exprimitur) *clausula* illa, *dummodo privilegia adhuc sunt in usu*, nam alioquin, quod non amplius esset, neque communicari posset. 69

Quaeritur IV. An Religiosi *Communicantes in Privilegiis* possint his uti in judicio contra eosdem Religiosos, quibus ea primitus fuerunt concessa? Resp. *affirmative*, dummodo Religiosi *Communicantes* sint rei, vel agant de damno vitando. Ita Antonius a Spiritu S. *loc. cit. n.* 59. et alii communiter, paucis exceptis. Siquidem facta semel *Privilegiorum Communicatione* qualibet Religio aequaliter, et independenter ab alia participat illa *Privilegia*. 70

Nec obstat illud commune Dictum Juris consultorum, *Privilegiatus contra privilegiatum non utitur privilegio*, sed Jure communi, *arg. l. privilegia ff. de privileg. Credit.* ibi: *privilegia non ex tempore aestimantur, sed ex causa: et si ejusdem tituli fuerint, concurrunt.* Resp. enim cum Engel *tit. de in integrum restitut. in* 6. id verum esse, quando 71

utriusque par est causa, ut patet ex citato textu Juris. Secus autem esse, si unus certet de lucro captando, et alter de damno vitando: tunc enim is, qui indemnitatem cupit, merito praevalere debet alteri, qui ex re aliena lucrum quaerit. Idem dic de eo, qui est reus, et pulsatur in judicio: nam *favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur. l. favorabiliores ff. de Reg. Jur.* Concordat, atque utramque partem probat textus *in l. Verum. §. fin. ff. de Minorib.* ubi Summarium sic loquitur: *Si sint duo privilegiati pari privilegio, praefertur ille, qui certat de damno vitando: sed si uterque certet de hoc, est potior causa Rei: sed si sint privilegiati dispari privilegio, privilegium potentioris praeponitur.* Haec *Summarium.*

72 Alii sub aliis terminis respondent, dicendo, dictum *Axioma* habere locum, quando ex parte utriusque concurrit *Privilegium*; id est, quando sunt in casu, quo utriusque *Privilegium* valet: Secus autem esse dicunt, quando unus est *privilegiatus* tantum in genere, alter autem specialiter in casu, de quo agitur: tunc enim *Privilegium* speciale praefertur generali. Sic fit, quando una Ecclesia praescribit contra aliam Ecclesiam: una Ecclesia praescribens solum est privilegiata in genere, cum non habeat *Privilegium*, ut possit contra aliam Ecclesiam praescribere minori tempore, quam 40. annis; altera vero Ecclesia est privilegiata in specie, ac in ista causa, ut contra eam non possit praescribi minori tempore, quam 40. annis, unde nec praevalet.

§. IV.

De Innovatione, Confirmatione, et usu Privilegiorum.

SUMMARIUM.

73 Confirmatio, et Innovatio Privilegii *quid?*
74 *Dividitur in communem, seu ordinariam.*
75 *Et specialem, seu ex certa scientia.*
76 *Sumi potest* materialiter, *vel* formaliter.
77 Confirmatio ordinaria, *seu* in forma communi, *nullum jus novum tribuit.*
78 *Bene vero* Confirmatio specialis, *seu ex certa* scientia.
79 *Objicitur Decretum Congregationis.*
80 *Et respondetur ad illud.*
A casibus Bullae Coenae, et Episcopo reservatis non possunt absolvere Regulares vi privilegiorum. *Ibid.*
81 *Unde cognoscatur* Confirmationem *esse* specialem, *seu ex certa scientia?*
82 *Plurium Regularium praesertim Mendicantium Privilegia de facto sunt confirmata.*
83 *Non tantum in forma* communi, *sed etiam ex certa scientia.*
Et quidem Privilegia *Ordinis nostri amplissime sunt Confirmata per Bullam specialem Gregorii XIII. Ibid.*
84 *Item per Bullam specialem Clementis VIII.*
85 *Item per Bullam specialem Pauli V.*
86 *Quae sicut et aliae confirmatoriae Bullae, una cum Privilegiis nostris novissime iterum confirmatae fuere ab Innocentio XI.*
87 *Colligitur*, Privilegia *nostra etiamnum plene valere, quibusdam exceptis.*
88 *Quomodo sint intelligendae clausulae Confirmationi apponi solitae*: quatenus sunt in usu, *quae non sunt revocata*: item *quae* sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, non adversantur? *Remissive.*
89 *Dum Privilegia saepius confirmantur, et in una Bulla confirmatoria quaedam omittuntur, quae in alia ponuntur, non censentur esse revocata, quae fuere omissa.*
90 *Doctrina practica ad propositum.*
91 *Etiam aliorum Ordinum Privilegia specialiter sunt confirmata: referuntur aliquae* Confirmationes.
Ordines Mendicantes gaudent invicem favoribus, qui uni ex illis, vel etiam aliis Ordinibus per Confirmationem ex certa scientia *conferuntur.*

Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Confirmatio*, seu *Innovatio* Privilegiorum? Resp. I. *Confirmatio*, seu *Innovatio Privilegiorum aliud non est, quam corroboratio privilegii legitime jam habiti.* Patet definitio ex terminis, atque ex dictis supra *Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utili, vel inutili.* 73

Resp. II. *Confirmatio* est duplex, una videlicet in *forma communi*, seu *ordinaria*, alia in *forma speciali*, seu *ex certa scientia*. *Confirmatio in forma communi*, seu *ordinaria* est, qua jus seu privilegium, prout hic et nunc reperitur, corroboratur, seu confirmatur relinquendo illud in suo statu, sive jam validum sit, sive invalidum: quoniam *Confirmatio in forma communi* nullum jus novum tribuit, nec invalidum aliquid revalidat, prout amplius dictum, et approbatum habetur *cit. Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. util. a n. 4.* 74

Confirmatio specialis, seu *ex certa scientia* est, quando legitimus Superior perspecta totius rei natura, et consideratis considerandis circumstantiis *Privilegium* corroborat: quod faciendo non tantum *Privilegium* etiamnum validum corroborat, sed insuper revalidat, si ex quacunque causa cessasset revocatum, aut alias invalidum redditum fuisset, prout patet ex primum *praeced. cit. loc. a num. 4. et num.* 28 75

Quaeritur II. Quid operetur *Confirmatio*, vel *Innovatio Privilegii?* praesertim an Jus novum tribuat? Ante responsionem notandum, non esse hic quaestionem de *Innovatione* praecise *materiali*, quae Instrumenti *Privilegii* deperditi, vel corrosi, vel vetustate corrupti, aut non amplius legibilis redditi, de novo describuntur, aut aliter innovantur; (hac enim *Innovatione* nullum jus novum tribui, certum est) sed de *Confirmatione formali*, qua confirmatur, et innovatur ipsa concessio *Privilegii* a Papa, vel Principe facta H. N. 76

Resp. I. Si *Confirmatio Privilegii* fit *in forma communi*, nullum jus tribuit *Privilegiato*, sed relinquit Privilegium in suo statu, quo reperit, adeo ut si etiamnum validum existat, illud quidem corroboret, minime tamen revalidet; si aut ab initio invalidum, aut postea revocatum fuisset, aut alia de causa valere cessasset. Communis et certa, patetque ex dictis *cit. Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utili vel inutili a num. 4.* ubi *num.* 6. *ostenditur*, hujusmodi *Confirmationem* tamen non esse *inutilem.* 77

Resp. II. Si *Confirmatio Privilegii* fit in *forma speciali*, seu *ex certa scientia* verum jus novum tribuit, et non tantum valida corroborat, sed insuper revalidet, et de novo concedat *Privilegia*, quae per *non* usum, vel usum contrarium amissa, vel a Jure communi, vel ab homine, et per Constitutionem in Corpore Juris communis non clausam revocata fuere. Donatus *p. 1. tr. 11. q. 4. et 7.* Roderiquez *Tom. 1. qq. Regular. q. 8. art. 6.* Ratio est; quia *Confirmatio ex certa scientia* aequivalet novae concessioni, ac supplet omnes defectus, qui suppleri possunt, ac solent, atque in re et effectu 78

nova concessio, prout amplius dictum et probatum est *Lib. II. Tit. XXX. de Confirmat. utili, et inutili.* Et late deducit Barbosa de Clausulis frequentibus, *Clausula ex certa scientia.* Hinc Pontifices, quando de facto confirmant *Privilegia*, caute apponere solent *Clausulas* infra allegandas, ne per suas *Confirmationes in forma speciali*, seu *ex certa scientia* datas indiscriminatim derogent Constitutionibus Antecessorum, aut Decretis Concilii Tridentini.

79 Nec obstat Decretum Congregationis 1628. 17. Novemb. editum, et ab Urbano VIII. approbatum sequentis tenoris.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita censuit, per confirmationes Privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse Privilegia, prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata atque extincta, si quae habebant, absolvendi a casibus Ordinario loci reservatis, quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in Bulla quae in Coenae die Domini legi consuevit, ut puta, sublata per annuam ipsius Bullae publicationem, vires aut robur acquisivisse ex subsequentibus Privilegiorum confirmationibus; ac proinde Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam necessario exprimendi, nec intra nec extra Italiam in vim Privilegiorum, aut confirmationem ejusmodi, quae, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemquam absolvere ab eisdem casibus in Bulla Coenae, aut Ordinario loci reservatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas esse fuisse, ac fore. Ab aliis vero casibus et censuris Sedi Apostolicae reservatis; si quidem Regulares habent a Sede Apostolica facultatem absolvendi illam extra Italiam minime sublatam fuisse, iisdem Sacrae Congregationis Decretis hac de re editis, jussu sanctae Mem. Clementis VIII. *ita habetur in* Libello *intitulato* Bullae et Decreta recentiora. fol. 199.

80 Resp. enim, hoc Decretum vel intelligendum esse de *Confirmatione in forma communi*, prout post Merolam *Tom. 3. de Privileg. cap. 5. de Confirmat. num.* 61. vult Donatus *loc. cit. n.* 13. aut intelligendum esse de solis casibus Episcopalibus et contentis in Bulla Coenae, utpote de quibus solis loquitur praefatum Decretum, et quos ex speciali ratione semper respective reservatos esse vult sancta Sedes.

81 Quaeritur III. Unde cognoscatur *Confirmationem* esse in *forma speciali* seu *ex certa scientia*. Resp. Ad hanc quaestionem jam patet ex dictis *Lib. III. Tit.* XXX. *n.* 8. ubi vide.

82 Quaeritur IV. An de facto, et qualiter confirmata sint *Privilegia* Regularium? Resp. I. Certum ac indubitatum est apud omnes, Regularium praesertim Mendicantium Privilegia de facto revere pluries esse confirmata; quia Confirmatoriae praefatorum Privilegiorum Bullae authenticae passim habentur, quarum infra aliquas allegabimus.

83 Resp. II. Mendicantium *Privilegia* praesertim nostri Ordinis non tantum *in forma communi*, sed etiam *in speciali*, et *ex certa scientia* saepius confirmata existunt. Patet Conclusio rursus ex diversis Confirmatoriis Bullis authenticis. Et quidem pro Ordine nostro constat ex Bulla Gregorii XIII. *Ex benigna*, cujus Copia authentica Frisingae apud nos in Archivio habetur sequentis tenoris.

Gregorius Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex benigna Sedis Apostolicae provisione provenire dignum est, ut personae Deo devotae sub Regulari castimonia Domino militantes pia devotione proficiant, unde Romanus Pontifex quandoque per Praedecessores suos pro Religionis conservatione, et augmento, ac personarum earundem quiete, et commodo concessa approbat, et innovat, ac approbata et innovata Apostolica auctoritate communit. Sane pro parte dilecti filii Christophori de capite fontium moderni Generalis Ministri Ordinis Fratrum Minorum de Observantia Nobis nuper expositum fuit, quod cum inter Operarios, qui ad excolendam vineam Domini Sabaoth missi sunt, Dei gratia Ordo ipse Fratrum Minorum magnus probitatis, et doctrinae, ac animarum salutis fructus semper olim attulerit, et quotidie afferre conetur, et exinde pro suis sanctis studiis, honestisque laboribus, proque salute animarum ab Apostolica Sede, cujus continuo pacem, et dignitatem Ordo idem fortiter tutatus est, tam spiritualia, quam temporalia subsidia, Ornamentaque acceperit, et accipiat, quibus et sua sancta Officia, ac vitam suam Regularem facilius, atque magis expedite transigere possint, et caeterae Religiosae personae, Ordinesque alii exemplo ipsorum promptiores, alacrioresque ad sua Officia persolvenda reddantur, cumque etiam ex ipsius Sedis provisione, ac benigna dignatione provenire dignoscatur, ut Romanus Pontifex quandoque praedecessorum suorum Romanorum Pontificum gesta innovet, ac Apostolica auctoritate innovata, et restaurata muniat, et fulciat, ac in pristinum statum reponat, ac reducat, nec non propterea nonnulli Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, absolutiones etiam plenarias, libertates, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, declarationes, facultates, ac omnia et singula privilegia, et indulta tam spiritualia, quam temporalia etiam per solam Signaturam, aut per Oraculo vivae vocis tam pro foro conscientiae, quam pro foro fori tam praedictis Fratrum Minorum, quam sanctae Clarae, ac tertio de poenitentia nuncupato Ordinibus, illorumque Superioribus Fratribus, Monialibus, et Sororibus, ac utriusque sexus personis, et Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et locis quibuscunque dictorum Ordinum nunc, et pro tempore existentibus in genere vel in specie, etiam per modum communicationis, sive extensionis privilegiorum inter se, ac etiam cum aliis quibuscunque Ordinibus Mendicantibus, et non Mendicantibus concesserunt, aut jam concessa confirmarunt, et approbarunt, prout in singulis concessionibus, et litteris eorundem Praedecessorum desuper confectis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, illa, quae saepius Apostolica auctoritate praefata munita existunt, majorem obtineant roboris firmitatem, dictusque Christophorus Minister Generalis cupiat privilegia, facultates, concessiones, indulta, dispensationes, et singulas alias gratias hujusmodi etiam per Nos approbari, innovari, et confirmari pro parte Christophori Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, favoribus conservatoriis, declarationibus, facultatibus, dispensationibus, gratiis, concessionibus, indulgentiis, et indultis pro illorum observantia nostrae approbationis robur adjicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui omnium votis praesertim illis, quibus sub suavi Religionis jugo divinis

laudibus, et Christianae Religionis augmento incumbentium personarum tranquillitati, et commoditati consulitur, libenter annuimus, easque favoribus prosequimur opportunis, hujusmodi supplicationibus inclinati, praemissa ac omnia, et singula alia Privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogatives, favores, conservatories, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, et indulta spiritualia, et temporalia, etiam per modum Communicationis, et extensionis inter se, et cum aliis Ordinibus Mendicantibus, et non Mendicantibus, eisdem Fratrum Minorum Regularis Observantiae, ac sanctae Clarae, et tertio de poenitentia etiam in congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorundem Superiorum Ordinis Minorum regularis Observantiae hujusmodi obedientia degentibus, ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus, nec non Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et locis quibuscunque, in genere, et in specie, etiam per solam Signaturam, etiam vivae vocis oraculo, ut praefertur, aut alias tam per praefatos, ac quoscunque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac Nos, et Sedem praedictam, quam Imperatores, Reges, et alios Principes sub quacunque forma, et expressione verborum concessa, ac etiam iteratis vicibus approbata, nec non cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis, et declarationibus singulas desuper confectas litteras, et in eis contenta, et inde secuta quaecunque, illorum omnium tenores, et formas datas, effectus, et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes dicta auctoritate Apostolica tenore praesentium ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, quatenus sint in usu, et sacris Canonibus, et decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur, approbamus, ut confirmamus, ac innovamus, perpetuaeque roboris firmitatem obtinere, et firmiter observari, nec non Ordinibus Fratrum Minorum Regularis Observantiae, et sanctae Clarae, ac tertio de poenitentia nuncupato etiam in Congregatione sub Obedientia Fratrum Minorum de Observantia hujusmodi degentibus, Superioribus, Fratribus, Monialibus etiam Tertiariis nuncupatis, Sororibus, personis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, et locis praefatis, etiam per modum communicationis, et extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti, et gaudere, quando et quoties opus fuerit, posse, et debere in judicio et extra, ac etiam in foro conscientiae in omnibus, et per omnia, perinde ac si specialiter, ut expresse eisdem Fratrum Minorum, ac S. Clarae et tertio de poenitentia nuncupato Ordinibus concessa fuissent, decernimus, supplentes omnes et singulos juris et facti, ac solemnitatum, etiam de juris necessitate, aut alias quomodolibet requisitarum forsan omissarum, et alios quoscunque defectus, si forsan intervenerint in eisdem. Quocirca Venerabilibus Fratribus Corduben. et Leodien. Episcopis, ac dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali Auditori per easdem praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium, seu alios faciant auctoritate nostra praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque plenum eorum effectum sortiri, illisque omnes, quos concernunt, pacifice frui, et gaudere. Nos permittentes, quemquam desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet, et rebelles, etiam per quascunque, de quibus eis videbitur, censuras, et poenas Ecclesiasticas, ac alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo; ac legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus super cathedram, Bonifacii, et dudum Viennen. Concilii, ac Clementinae, Religiosi de privilegiis, et dudum de Sepulturis, ac etiam cum frequentioribus de sententia excommunicationis, ac extravagante, *Ad conditorem*. Joannis vigesimi secundi, cum aliis constitutionibus eandem praedictae materiam extravagan: tangentibus, seu concernentibus, ac regulis Cancellariae Apostolicae editis, ut in futurum edendis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris nostri de una, et in Concilio generali de duabus dietis editis, dummodo non ultra tres dietas aliquis praesentium vigore ad judicium extrahatur, aliisque Apostolicis constitutionibus, ac provincialibus, capitularibus, generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, etiam in ultimo generali, Lateranensi Concilio celebrato, aliisque Conciliis editis, nec non statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, et privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis etiam in forma Brevis per Leonem decimum, Clementem septimum, Paulum tertium, Julium etiam tertium, Paulum, quartum, Pium etiam quartum praedictos, ac etiam Pium quintum, et quoscunque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam Nos, et Sedem eandem etiam Motu proprio, ac scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac cum quibusvis irritativis, annullativis, cassativis, etiam privilegiorum eorundem revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiam quod in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus, aut non nisi sub certis modo, et forma derogari possit, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis etiam in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus: aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, caeterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret praesentes litteras, ad singula quaeque loca, in quibus forte opus esset, deferri, volumus, et pariter Apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae, seu Curiae Ecclesiasticae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die XX. Maii M. D. LXXV. Pontificatus nostri Anno Tertio.

Item ex Bulla Clementis VIII. supra pag. extensum allegata, quae etiam habetur in Bullario loco ibidem citato: Siquidem in praefata Bulla Papa expresse *ex certa scientia* confirmat omnia et singula *Privilegia* nostra sive directe, sive indirecte per *Communicationem*, vel alia ratione nobis concessa, aut obtenta, *in omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversantur*: uti videre est in citata nobis summe favorabili, lectuque digna Bulla Clementis VIII. §. 3. quae clausula. 841

ex certa scientia etiam habetur in Bulla Gregorii X. uti legenti patet.

85 Item ex Bulla Pauli V. *Injuncti nobis etc.* 1607. 19. Julii edita, cujus copia pariter plene authentica in praefato nostro Archivio Frisingensi habetur sequentis tenoris.

Paulus Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injuncti nobis Apostolici muneris ratio postulat, ut sacrarum Religionum in militante Ecclesia suaves in Domino fructus assidue praestantium paternam curam gerentes, privilegia, gratias, et indulta illis a Romanis Pontificibus nostris, et Apostolica Sede concessa, quo validius perpetuo subsistant, Apostolicae Confirmationis robore libenter communicemus. Volentes igitur universum Ordinem Fratrum Minorum sancti Francisci de observantia, ex quo uberrimi in eadem Ecclesia fructus ad ipsius Omnipotentis Dei laudem, et Christianae Reipublicae spirituale commodum, et utilitatem ab ipsius Ordinis initio semper prodierunt, et in dies prodeunt, ac ipsius Ordinis Ministrum Generalem, Superiores, et Fratres specialibus favoribus, et gratiis prosequi, ac eorum universos ac singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; Supplicationibus pro parte dilecti filii Archangeli de Messana totius Ordinis hujusmodi Ministris Generalis Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, concessiones, gratias, et indulta spritualia, et temporalia, etiam per modum communicationis, et extensionis inter se et cum aliis Ordinibus Mendicantium, et non Mendicantium eidem Ordini Minorum sancti Francisci de Observantia, ejusque Ministro Generali, Superioribus, ac Fratribus, et Sororibus, aliisque Religiosis utriusque sexus, eorumque Domibus, Monasteriis, Ecclesiis, et locis Regularibus quibuscunque per quoscunque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, et Apostolicam Sedem sub quacunque verborum forma et expressione, in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet concessa, ac pluries confirmata, et innovata, cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, decretis, et declarationibus, ac singulas litteras tam sub plumbo, quam in forma Brevis, aut alias desuper confectas, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, quatenus sint in usu, et non sint revocata seu sub aliquibus revocationibus comprehensa, et sacris Canonibus et Concilii Tridentini decretis et Constitutionibus Apostolicis, et Ecclesiasticae libertati in aliquo non adversentur, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, ac illis perpetuae, ac inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis quibuscunque, nec non dilecto Filio causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori per praesentes committimus, et mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel alium, vel alios, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte Ministri Generalis, Superiorum, et Fratrum praedictorum pro tempore existentium, aut alicujus eorum fuerit requisitus, praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque solemniter publicans, eisque et eorum cuilibet in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, et quemlibet illorum praemissorum omnium, et singulorum effectu pacifice frui et gaudere; Non permittat eos, et eorum quemlibet desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari: Contradictores quoscunque, eis auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte quomodolibet praestantes, per censuras, et poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac ejusdem Ordinis etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinis privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris, Die XIX Julii M. D. C. VII. Pontificatus nostri Anno Tertio

Similis Confirmatio etiam habetur ab Urbano 86
VIII. *In plenitudinem*, quae et aliae *Confirmatoriae* Bullae Privilegiorum nostrorum de novo confirmatae fuere ad Innocentio XI. in Bulla *Exponi nobis etc* edita 5. Septembris 1686. cujus quoque authenticam Copiam Roma communicatam habemus, ubi praemissis solitis praemittendis ad propositum ita loquitur Pontifex: *De venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum et Regularium, praepositorum consilio, et attenta relatione, quam Venerabilis etiam Frater noster Alteranus Episcopus Portuensis ejusdem S. Romanae Ecclesiae Cardinalis Cibo nuncupatus dicti Ordinis apud Nos, et Sedem Apostolicam Protector eisdem Cardinalibus super praemissis fecit praedictas Clementis VIII. quae incipiunt*, Ratio Pastoralis, *ac Pauli V. quarum initium*, Injuncti nobis, *Urbani VIII. Praedecessorum, quae incipiunt*, In plenitudinem etc. *aliorumque Romanorum Pontificum successorum litteras, super praemissis privilegiis respective emanatas, dummodo tamen sint in usu, nec sint revocatae, aut sub aliqua revocatione comprehensae, sacrisque Canonibus, et Concilii Tridentini decretis, et posterioribus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, Regularibusque Ordinis praedicti institutis non adversentur auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus etc.*

Ex quibus colliges, *Privilegia* nostra cuncta 87
etiam per *Communicationem* cum aliis tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, vel alia ratione nobis competentia omnino adhuc valere, et firma subsistere, solis exceptis illis, quae a constitutionibus Apostolicis post allegatas Bullas emanatis expresse fuere revocata, et quae sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, aut Regularibus Ordinis nostri institutis adversantur. Sed occasione hujus

88 Quaeritur V. Quomodo intelligendae sint primum allegatae praefatis Constitutionibus insertae, et reliquis Bullis confirmatoriis hoc tempore inseri solitae Clausulae, videlicet, *Quatenus*, vel *dummodo sint in usu, nec sint revocatae, sacrisque Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis etc. non adversentur?* Resp. Ad hoc quaesitum patere ex dicendis §. *seq. n.* 108. *et seqq.*

89 Interea circa *Confirmationes Privilegiorum* notandum, quod, si in una confirmatoria Bulla minus quam in alia ponatur, et aliqua Privilegia aut favores in una Bulla omittantur, et expresse non confirmentur, per hoc illa omissa non censeantur revocata, sed relinquantur in suo vigore, quem hic et nunc habent, consequenter plene valeant, si a posteriore constitutione aliqua revocata non sunt, aut Canonibus et Decretis Concilii Tridentini non adversantur; quia per Bullas *confirmatorias* nec intendit, nec solet Papa aliqua Privilegia revocare, nisi id exprimat, uti fatentur omnes.

90 Hinc colliges *Privilegia* et favores in Bulla Gregorii XIII. *n.* 83. allegata expresse posita, et in Bulla Clementis VIII. vel Pauli V. *n.* 84. *et* 85. per extensum adductis omissos, aut in his Bullis positos, et in aliis omissos plene valere, nisi revocatio posterior, vel clausula aliqua revocatoria obstet.

91 Praeter speciales Bullas *Confirmatorias Privilegiorum* Ordinis nostri, etiam aliorum Religiosorum Privilegia specialiter existunt confirmata: sic enim inter alios Clemens VIII. amplissime confirmavit Privilegia PP. Dominicanorum per Bullam, quae incipit, *Injuncti nobis etc.* et habetur per extensum apud Donatum *p.* 1. *tr.* 11. *q.* 8.

Privilegia Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum confirmavit Urbanus VIII. per Bullam *In supremo*, quam habes *Tom. V. Bullarii Cherubin.*

Cisterciensium *Privilegia* confirmavit Innocentius X. per Bullam *Exponi nobis*, quae habetur *cit. Tom. V. Constitut* 54. et sic de aliis Ordinibus praesertim Mendicantibus, qui favoribus invicem gaudent, si qui uni ex illis, vel aliis Ordinibus per *Confirmationes ex certa scientia* conferuntur, intellige, dummodo Ordo participare volens habeat Indultum communicandi cum aliorum Ordinum *Privilegiis* non tantum concessis, sed etiam concedendis in futurum, uti habet Ordo noster, et hodie omnes Mendicantes teste Donato *p.* 1. *tr.* 11. *q.* 9.

§. V.

De Extensione, et Interpretatione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

92 Extensio, *et* Interpretatio Privilegiorum *est duplex.*

93 *Alia* Extensio *dicitur* extensiva, *seu Interpretatio per extensionem.*

94 *Alia* Comprehensiva, *seu interpretatio per comprehensionem.*

95 *Rursus alia* Interpretatio *est* auctoritativa, *seu* definitiva, *alia* doctrinalis.

96 Auctoritativa, *a solo Auctore Privilegii*, Doctrinalis *vero a privatis Doctoribus fieri potest.*

Superiores Regulares docti doctinaliter interpretari valent sua privilegia, quod eis subditi stare queant. ibid.

97 *Ubi verba sunt clara, nulla admittitur* Interpretatio.

98 *Privilegium non extenditur de persona ad personam. Et n. seq.*

99 *Nisi ex subjecta materia, vel tenore privilegii aliud desumatur.*

100 *Vel alias privilegium esset inutile.*

101 *Vel communicatio non privilegiati cum privilegiato aliud requirat.*

102 *Vel fiat interpretatio comprehensiva, seu declaratio privilegii merum gratiam continentis.*

103 *Utrum stricte, vel late interpretari possint, vel debeant privilegia? Remissive.*

104 *In privilegiorum interpretatione servanda est proprietas verborum.*

105 *Juxta usitatam significationem, vel usum communem, ac secundum Jus privilegii proportionatum.*

106 *Privilegium mere favorabile salva proprietate verborum extendendum, odiosum vero restringendum est*

107 *In modernis Confirmationibus solent Pontifices apponere, quatenus sunt in usu*

108 *Quomodo intelligenda sit haec clausula?* quatenus sunt in usu.

109 *Quae privilegia, et quando censeantur per non usum, vel usum contrarium cessare, vel amitti? Remissive.*

110 *Clausula* Quatenus sunt in usu, *vel* dummodo sunt in usu, *fere nunquam obest privilegiis Regularium.*

111 *Limitatur in uno vel altero casu.*

112 *Clausula* Quatenus sunt in usu *non praejudicat Regularium privilegiis dispensandi pro Foro interno super impedimento Affinitatis ex delicto occulto.*

113 *In clausula*, Dummodo sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur, *per illa verba* dummodo sacris Canonibus non *intelliguntur Canones Corpori Juris communis inserti.*

114 *Confirmatur consuetudine.*

115 *Et ratione*

116 *Per clausulam*, Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur *a confirmatione eximuntur illa duntaxat privilegia, quae a Concilio Tridentino expresse sunt revocata.*

117 *Confirmatur per argumenta Remissive. Et n. seq.*

118 *Quomodo intelligenda clausula?* Dummodo non sint revocata.

Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit ad propositum *Extensio, et interpretatio* Privilegiorum? Resp. cum Laymano *in c. Translato de Constitut. n.* 4. et aliis communiter, quod *Extensio* duplex sit, una proprie dicta, seu *comprehensiva*. Sive, ut loquitur Fagnanus *in c. Quod nonnullis de privilegiis n.* 16. *et* 28. Duplex est *interpretatio* una per extensionem, seu *extensiva*, alia per comprehensionem, seu *comprehensiva*. 92

Extensio extensiva, seu interpretatio per extensionem est, quando Legis alicujus decisio transfertur ad alium casum, vel personas, non tantum ultra verba Legis, sed etiam praeter mentem Legislatoris, quamvis non contra mentem ejus. Et talis Interpretatio per extensionem in Legibus, ob adaequatae rationis similitudinem, tam intra quam extra judicium, recte fieri potest, ac debet; quia *de similibus idem est judicium*, c. *Cum Corporalia. de Translat. Episcopi*, et amplius declaravimus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. *XV. a num.* 370. Exemplum pulchrum hujus *Extensionis* proprie dictae habetur c. *Cum dilecta* §. *Nos igitur. De confirmat. utili.* ubi Papa constitutionem 93

Juris civilis, ut testes etiam ante litis contestationem excipiantur, si de morte eorum timeetur, ne veritas occultetur, et probandi facultas subtrahatur, ad instrumente *Privilegiorum* extendit, et ea ob paritatem retionis, si de ipsorum corruptione timeatur, etiam lite non contestate censet esse renovanda.

94 *Extensio comprehensiva*, seu interpretatio Legis per comprehensionem, et declaretionem fit, si decisio Legis transfertur ad alium casum, vel personam non comprehensem sub verbis comprehensam tamen in meote Legislatoris: Siquidem *Interpretatio* Legum potios mentis Legisletoris, quam verbis convenire debet, *arg.* c. *Humanae aures* 22. *q.* 5. et alibi, atque amplius declaravimus *cit. Lib. II. Tit. XV.* §. *XVI. a* n. 386. Unde hanc non esse propria *Extensionem* recte monet citatus Laymanus, eamque Fegnanus melius appellat comprehensionem seu declarationem.

95 Rursus alia *Interpretatio est auctoritativa*, seu *potestativa*, seu *definitiva*, ac judicialis, utpote cui in et extra judicium fides adhiberi potest, et debet. Alia *doctrinalis*, seu *magisterialis*, estque illa, qua per privatos Doctores, vel Magistros obscura verba *Privilegii*, et mene concedenti *Privilegium* declaratur.

96 Quaeritur II. A quo fieri possit *Interpretatio Privilegiorum*? Resp. Quamvis authentica Privilegiorum interpretatio superveniente dubio spectet ad Principem, vel eum, qui concessit *privilegium*, prout omnes fatentur, *arg. c. Inter alia. de Sentent. Excomm. c. Cum venissent. de Judic. juncta l. fin. C. de Legib.* temen etiam juxta unanimem *Interpretatio doctrinalis* potest fieri a Theologis, aliisque Juris doctis, ut amplius diximus *Lib. I. Tit. II. a num.* 463. Praesertim autem Privilegia Regularium possunt *doctrinaliter* interpretari a Praelatis Religiosorum, quorum interpretationi possunt Subditi tuta conscientia acquiescere, ut inter alios notat Herincx *quaest. 7. de Legib num.* 87. ubi tamen notandum, Praelatos, ut *doctrinaliter* interpretentur *Privilegium*, debere esse sufficienter doctos, aut doctiores pro consilio ad interpretandum adhibere.

97 Porro circa *Interpretationem* generaliter observandum, quando verba Privilegii sunt clara certamque habent significationem, nullam tunc adhibendam esse interpretationem, sed observendum fore tenorem Privilegii, *arg.* c. *Recepimus. h t.* ibi: *inspicienda sunt ergo privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus.* Concordat *c. Porro h. t.* ibi: *Quod totum ex inspectione Privilegiorum suorum plenius advertere potes, et secundum quod inveneris, ita observes.* Omitto similia

98 Quaeritur III. An *Privilegium* uni concessum possit extendi ad alterum? Resp. cum Fagnano *in c. Quia nonnulli. de Privileg.* nu. 2. *et* 25. *Privilegia* non extendi in personam aliam ex identitate vel majoritate rationis. Patet id *ex c. Sane. h* 1. ibi: *Temerarium est, et indignum, aliquem sibi sua auctoritate praesumere, quod Romana Ecclesia alicui, certa ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere.* Concordat *Reg. Juris.* 74. in 6. ibi: *Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum*, cum suis Concordantiis. Accedit ratio; quia vis et efficacia Privilegii non consistit in ratione, sed in voluntate Principis eximentis quempiam a communi Lege: Unde *Privilegium* dicitur *lex privata, et jus singulare* per textus *num.* 3. et *seqq.* relatos.

99 Nec obstat *c. ult. h. t.* ubi dicitur, *quod uni conceditur, aliis negari non debet.* Resp. enim cum Glossa ibid. ℣. *quod uni personae*, id verum esse, si de Jure communi quidpiam concessum est, prout ibidem est casus de muliere fluxum sanguinis patiente, et Christi vestimentum tangente: secus autem esse, si quid cuipiam competat ex *Privilegio personali.*

Intellige tamen 1. dictam responsionem, per se lo- 100
quendo, et nisi ex subjecta materia, vel tenore Privilegii, sive ex usu, aut alia Juris dispositione ejusmodi *Extensio* intelligatur, prout de se patet, et notat Pirhing *h. t. n.* 21.

Intellige 2. nisi Privilegium alioquin foret inutile 101
Privilegiato: Privilegium enim semper debet aliquid conferre, atque ita interpretari, ut non sit inutilis, frustranea, ac defectuose indulgentia Principis; *arg. c. In his de Privileg.* juncta Glossa *ibid.* ℣. *Ex indulgentia.* Hinc licet in materia dividua socius non gaudeat privilegio socii, *arg.* c. *Quidam* 32. *h. t.* Nihilo minus in materia individua generaliter Privilegium uni ex sociis concessum trahitur ad omnes ut docet, ac pluribus exemplificat Fagnanus *c. Cum propter. de Jure pat. numer.* 41. *et* 57. ne videlicet Privilegium alioquin redderetur inutile: sic enim causa individua plurium Laicorum, et unius Clerici debet agitari coram Judice Ecclesiastico.

Quin imo etiam propter communionem non *Privi-* 102
legiatus sortitur naturam *Privilegiati*, *arg. l Si communem. Quemadmodum servit. amitt* et tradit Glossa *fin. in c. un. de Jure patronat. in* 6. ac Fagnanus *loc. cit. n.* 27. id pulchre exemplificans de Jurepatronatus mixti: nam cum Patronus laicus habeat ad praesentandum duntaxat quadrimestre, et Patronus Ecclesiasticus semestre, si mixtus sit Patronatus, uterque Patronus habebit semestre. unde in *mixtis* praevalet qualitas magis favens, et per quam jus alterius non laeditur ex communione.

Intellige 3. dictam *num.* 98. responsionem de *Extensione extensiva*, et *proprie dicta*, sive (ut alii loquuntur) de *Interpretatione per extensionem*. Siquidem si Privilegium sit favorabile, ac merum beneficium Principis, fit lata interpretatio, quantum patitur verborum proprietas; ita ut habeat locum in omnibus, qui sub ampliori verborum significatione continentur, et in quibus eadem ratio concurrit; idque non per extensionem, sed per comprehensionem et declarationem, ut post Baldum aliosque notat Fagnanus in c. *Quod nonnullis de Privilegiis num.* 28. Sed occasione praemissorum mox

Quaeritur IV. Qualiter facienda sit *Interpretatio* 103
Privilegiorum? stricte nempe, vel *late*? Resp. Ad hoc quaesitum petere ex *Lib.* I. *Tit.* III. *de Rescriptis* §. 5. *a n.* 130. item *ex eodem Tit.* III. §. VII. *per totum*, ubi vide, ne fiat superflua repetitio

Quaeritur V. Quomodo in *Interpretatione Pri-* 104
vilegiorum sit servanda proprietas verborum? Ante responsionem suppono cum communi, quod *Interpretatio Privilegiorum* semper fieri debeat in propria verborum significatione, nisi major omnino sit necessaria, ut Privilegium non sit inutile, sed aliquid operetur. Ratio hujus est, quia alioquin nihil omnino certi haberetur, si verba pro libitu ad improprias significationes extendere liceret. Hoc praenotato

Resp. I. Proprietas verborum, secundum quam 105
interpretanda sunt Privilegia, desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, ac secundum Jus Privilegio proportionatum: ita videlicet, ut si sit Privilegium Papae, secundum Jus Canonicum; si vero Privilegium Principis saecularis, secundum Jus Civile fiat interpretatio. Ita cum aliis Pirhing *h. t. num.* 25. Et conformiter dictis intelligi debet commune illud dictum

Doctorum, fundatum in textibus Juris n. 97. relatis: *Privilegia non plus operantur, quam verbis exprimant*: videlicet *late* vel *stricte* acceptis, juxta quod Privilegium vel est favorabile, vel odiosum; et servata propria verborum significatione communi, vel saltem juridica, nisi specialis necessitas cogat verba impropriare.

106 Resp. II. Privilegium mere favorabile extendendum est, quantum fieri potest, salva verborum proprietate, juxta materiam subjectam, et usum juridicum: Privilegium vero odiosum est restringendum, ut quam minimum operetur, salva tamen verborum proprietate, ita videlicet, quod quidem non careat omni effectu, sed habeat praecise necessarium: prout amplius dictum est. *Lib. I. Tit. III. de Rescriptis a n.* 30. item *Tit. II.* §. *XVII. per totum.*

107 Quaeritur IV. Qualiter intelligenda sit clausula confirmatoriis Privilegiorum Bullis apponi solita, *Dummodo sint in usu*, seu *quatenus sunt in usu*? Ante responsionem notandum, quod, quamvis plures Pontifices confirmarint Regularium Privilegia, tamen jam a longo tempore, praesertim vero a tempore Gregorii VIII. soleant apponere Clausulas, *Quatenus*, vel *Dummodo sint in usu*: Item *Dummodo sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur*: Item *Dummodo non sint revocata*, ut patet ex Confirmatoriis Bullis Gregorii XIII. Pauli V. Clementis VIII. et Innocentii XI. supra allegatis. Hinc omnino praestat scire, quid importent, et quomodo intelligendae sint hae clausulae; quarum proin primam in hoc quaesito, reliquas in subsequentibus examinabimus. Itaque

108 Resp. I. Clausula, *Quatenus sint*, vel *Dummodo sint in usu*; id importat, et insinuat, quod Papa, vel alius Princeps Privilegia, quae per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, aut amissa fuere, consequenter non amplius sunt in usu, nolit de novo confirmare, seu confirmando de novo revalidare. Rodériquez *Tom. I. qq. Regul. q.* 8. *art.* 3. Donatus *Tom. I. p.* 1. *Tr.* 11. *q.* 14. Laurent. de Peyrin. in *Declarat. Privileg. Ordin. Minim. Tom.* 2. *super Constitut. I. Gregorii XIII. n.* 1. et alii. Ratio est, quia Clausula haec debet aliquid significare, et operari, cum alias frustra membranam occuparet; non apparet autem quid aliud significare aut importare deberet; ergo.

109 Quaenam autem Privilegia, et quando per *non usum*, vel *usum contrarium* censeantur esse amissa, et cessare, habetur infra §. 10. *a num.* 203. ubi *n.* 215. *et seqq.* asseritur, et probatur, quod Privilegia, quae sine aliorum gravamine concessam meram gratiam continent, per *non usum*, vel *usum contrarium* neutiquam amittantur, uti etiam enarrantur quaedam necessario requisita ad hoc, ut Privilegia in aliorum praejudicium concessa per *non usum*, vel *usum contrarium* cessasse, vel amisse dicantur. Videlicet 1. Quod fuerit occasio utendi Privilegio. 2. Quod talis occasio scienter fuerit omissa, seu quod quis sciverit se habere Privilegium agendi, vel omittendi hoc, vel aliud, et tamen neglexerit. 3. Quod voluntarie, seu libere, non vero per violentiam, infirmitatem, aut absentiam impeditus omiserit uti Privilegio. 4. Quod debito tempore fuerit voluntarius *non usus*, vel *usus contrarius* Privilegii. 5. Quod *non usus*, vel *usus contrarius* Privilegii provenerit ab iis, qui renuntiare possunt Privilegio, prout amplius *loc. cit.* ubi vide.

110 Interea hic colliges, quod Clausula, *Dummodo sint in usu*, vel *quatenus sunt in usu*, fere nunquam in aliquo obsistet Privilegiis Regularium: Tum quia pleraque eorum Privilegia sunt merae gratiae sine aliorum gravamine concessae, v. g. Privilegium absolvendi, dispensandi, suscipiendi extra tempora, vel non servatis *Interstitiis* Ordines, celebrandi in Altari *portatili*, benedicendi etc. quae et alia Privilegia in meris gratiis consistentia cum per *non usum*, vel *usum contrarium* neutiquam cessent, vel omittantur, praefata Clausula Bullae confirmatoriae inserta eis nihil obest, consequenter circa hujusmodi Privilegia non est attendenda: Tum quia Regularium Privilegia etiam cum gravamine aliorum concessa non uni personae, sed toti Religioni, vel certo generi personarum, v. g. Superiorum illius, Lectorum etc. conceduntur, consequenter etsi data occasione unus vel alter Privilegio libere non utatur, vel actum contrarium exerceat, Privilegio Communitatis minime praejudicat.

Secus foret, si Privilegium odiosum uni soli personae Regulari, vel certo alicui Monasterio in specie cum gravamine alterius esset concessum: tunc enim per *non usum*, vel *usum contrarium*, concurrentibus requisitis amitti potest. 111

Colliges ulterius: quod ex *non usu* impugnari nequeat Privilegium dispensandi super impedimento Affinitatis etiam in primo gradu, juxta dicta *Lib. IV. in Appendice* §. 11. *a n.* 542. 112

Quaeritur VII. Quomodo intelligenda sit? et quid operetur Clausula? *Dummodo sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* Resp. I. Per hujus Clausulae verba *sacris Canonibus* non intelligi sacros Canones in Corpore Juris communis clausos, seu contentos, sed intelligi Canones Concilii, ita ut sensus sit, *Dummodo sacris Canonibus Concilii Tridentini, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* Barbosa *de Clausulis Claus.* 124. *n.* 2. Roderiquez *Tom.* 1. *qq. Regul. q.* 8. *art.* 9. Donatus *Tom.* 1. *tr.* 11. *q.* 14. Miranda *Tom.* 2. *q.* 52. *art. in Respons.* cum communi et aliis aliorum. Ratio est, quia, si per citata verba *sacris Canonibus* intelligerentur Canones, et Decreta Corpori Juris communis inserta, nulla, et otiosa, sibique contradictoria esset omnis confirmatio Privilegiorum, eo quod juxta dicta supra *n.* 8. omnia Regularium Privilegia proprie dicta adversentur Juri communi; quae proin Privilegia confirmarent, et non confirmarent suis bullis Pontifices, sicque sibi contradicerent. Quare Barbosa *loc. cit. Clausula* 51. *num.* 3. post Sorb. *loc. cit.* bene advertit, neminem sanae mentis non videre, quam absurdum, et a mente Pontificum confirmantium Privilegia Regularium alienum sit, dicere per hujus Clausulae verba *sacris Canonibus* intelligi Canones Corpori Juris insertos. 113

Confirmatur: *Consuetudo est optima Legum interpres*, *l.* 37. *ff. de Legib.* atqui consuetudine et praxi totius Orbis Christiani habetur, quod Regulares valide et licite practicent sua privilegia sacris Canonibus Corporis Juris communis expresse adversis, dummodo Concilii Tridentini sacris Canonibus, et Decretis in sensu infra ponendo non adversentur. 114

Cur autem Pontifices in suis Bullis confirmatoriis adhibeant verba *sacris Canonibus*, *Decretis*. Ratio est: tum quia Concilium Tridentinum constat Canonibus et Decretis: tum quia etiam ipsa *Decreta*, et *Canones* subinde vocat, uti patet ex *Sess.* 14. *de Reformat. in fine Procemii*, ubi subsequentia Decreta de Reformatione Canones vocat illis verbis: *Sacrosancta Synodus, hos qui sequuntur Canones statuendos, et decernendos duxit.* 115

Resp. II. Plures, iique Classici Doctores infra §. *seq. num.* 139. citandi probabilissime, et solide defendunt, quod per praefatae Clausulae verba illa, *Dummodo Decretis Concilii Tridentini non adversentur*, non intendant Pontifices eximere omnia et 116

singula Regularium Privilegia, quae Concilium Tridentino, vel Decretis illius qualitercunque adversantur, sed illa duntaxat, quae a Concilio expresse fuere revocata, qualia sunt omnia, quae contraria sunt Decretis *Sess. 25. de Regularibus*, sicut et illa, quae adversantur praecedentium Sessionum Decretis positis cum Clausula *non obstantibus Privilegiis*, vel simili; uti magis dicetur infra §. *seq. a num.* 139. Ratio Conclusionis est; quia hoc ipso, quod Concilium Tridentinum aliqua Decreta fecerit cum Clausula *Non obstantibus privilegiis*, seu alia simili Clausula Privilegiorum derogatoria, seu revocatoria; alia vero sine hujusmodi Clausula, merito colligere licet, praefatum Concilium Tridentinum quoad haec Decreta nullam Clausulam Privilegiorum revocatoriam, seu derogatoriam habentia non intendisse privilegia sibi contraria revocare, sed potius intendisse ea relinquere in suo valore; alias frustra et superflue in aliquibus Decretis apposuisset derogatoriam Clausulam; atqui si intendit quoad memorata Decreta, Privilegia relinquere in suo valore, privilegia Decretis hujusmodi proprie non adversantur, uti consideranti patet; ergo.

117 Confirmatur ex Bulla Gregorii XIII. *Pium et utile*, et Bulla Pii V. *Etsi mendicantium*, per argumenta *Lib. I. Tit. XI. n.* 49. et 60. allegata: ex quibus colligitur quoque, quod Bulla Gregorii XIII. *Pium et utile*, nostris privilegiis etiam ideo non obsit quia idem Pontifex per aliam subsequentem Constitutionem de novo concessit omnia et singula nostra privilegia olim concessa, non obstante sua, et aliorum praedecessorum revocatoria, uti patet ex Bulla *nu.* 83. allegata, quae aliquot annis post Bullam *In tanta*, emanavit, cum haec jam 1573. illa vero anno 1575. fuerit edita.

118 Confirmatur Conclusio ulterius per doctrinam §. *seq.* qua ostenditur Concilium Tridentinum non revocasse omnia privilegia alicui ex suis Decretis qualitercunque contraria, sed illa duntaxat, quae in praecedenti Conclusione allegavimus.

119 Quaeritur VIII. Quomodo intelligenda sit? et quid importet Clausula, *Quatenus, et dummodo non sint revocata*, vel *sub aliquo revocatione comprehensa*? Resp. Hanc Clausulam id importare, ac significare, quod Papa solit confirmare privilegia, quae per Legem, Constitutionem, vel Decretum generale, aut speciale expresse, vel tacite fuere revocata, et de novo non amplius concessa, vel confirmata. Ita communis. Dicitur autem notanter, *et de novo non amplius concessa, vel confirmata*. Ratio est, quia etsi privilegia aliqua expresse, vel tacite per Legem, aut Decretum revocentur, tamen si de novo iterum concedantur, praesertim cum Clausula prioris revocationis derogatoria, a Clausula, *Dummodo non sint revocata*, non afficiuntur, sed ea non obstante vere confirmari censentur. Ratio patet, quia cum talis nova concessio novam importet gratiam, novumque privilegium, consequenter a priori revocatione tale novum privilegium non afficietur, ac postea, uti supponitur, necdum revocatum habeatur, nullatenus revocatum censetur, sicque sub Clausula: *Dummodo non sint revocata*, minime comprehenditur, sed ea non obstante omnino confirmatur. Hinc ad ultimam revocationem, vel concessionem attendendum, et juxta illam dicta Clausula intelligenda est.

§. VI.

De Revocatione Privilegiorum ut sic, et in specie de illa, quae facta est a Concilio Tridentino.

SUMMARIUM.

120 Privilegium *mere* gratiosum *Subdito concessum potest a Concedente, vel ejus Successore iterum revocari ex justa causa.*
Solvitur instantia de Donatione, a qua privilegium differt. Ibid.
121 Privilegium *etiam mere* gratiosum *non Subdito concessum revocari amplius nequit.*
Privilegia *ab Imperatoribus concessa Ecclesiis nequeunt amplius revocari. Ibid.*
122 *Nec* Privilegia remuneratoria, *vel per modum pacti, vel contractus etiam Subdito concessa.*
123 Revocatio Privilegiorum *alia est* tacita, *alia* expressa: *Et haec rursus alia* communis, *alia* extraordinaria.
124 *Per clausulam Generalem* communem, non obstantibus quibuscunque Privilegiis, *non censentur revocari privilegia in Corpore Juris clausa.*
125 *Neque privilegia extra Corpus Juris, si fuere concessa cum clausula, quod revocata non censeantur, nisi expresse eorum fiat mentio.*
Bene tamen per clausulam extraordinariam, Non obstantibus Privilegiis sub quacunque forma conceptis: *vel etiam* quorum eorum specialis mentio fieri deberet. *Ibid.*
126 *Per nullam ex praedictis clausulis revocantur privilegia per modum contractus, vel intuitu meritorum concessa.*
127 Revocatio Privilegiorum tacita *quid sit? et quomodo fiat?*
128 *Per Decretum, vel Legem aliquam universalem posteriorem non censentur revocari priora privilegia eidem contraria, nisi in Lege exprimatur.*
129 *Vel nisi privilegium sit in Corpore Juris clausum.*
130 *Si contra privilegium impetratur Rescriptum, nulla facta illius mentione, Rescriptum est* subreptitium.
131 *Nisi prius privilegium sit generale, et posterius speciale.*
132 *Per sententiam Privilegio contrariam non revocatur, sed ut nullum reprobatur Privilegium.*
133 *Si* Revocatio Privilegii *fit per Legem aliquam generalem, statim a tempore promulgationis habet effectum.*
134 *Si vero fit ab homine privatim, primum tunc valet, quando innotescit* Privilegiato.
135 *Proponitur status controversiae, an et quae Privilegia a Concilio Tridentino sint revocata.*
136 *Falsissimum est a Concilio Tridentino omnia Regularium privilegia esse revocata, cum plurima ab eodem sint confirmata.*
137 *Regularium privilegia omnia, quae adversantur Decretis Sess. 25. de Regularibus, sunt revocata.*
138 *Sicut et illa, quae praecedentium Sessionum adversantur Decretis clausulam privilegiorum sufficientur derogatoriam, seu revocatoriam habentibus.*
139 *Non vero illa, quae contraria sunt ejusdem Concilii prioribus Decretis absque derogatoria privilegiorum clausula positis.*

140 *Quia Lex generalis non derogat prioribus privilegiis extra Corpus Juris positis, nisi exprimat.*
141 *Et quia Concilium aliqua Decreta cum, aliqua sine derogatoria clausula ponit.*
142 *Item quia alias etiam derogaret consuetudinibus particularibus.*
143 *Et sibi ipsi contradiceret.*
144 *Probatur etiam consuetudine passim vigente.*
145 *Ponitur, et solvitur Objectio de revocatoria privilegiorum clausula a Concilio posita.*
146 *Respondetur, etiam ad Bullam Pii IV.*
147 *Regulares nec in Foro conscientiae uti possunt suis privilegiis a Concilio Tridentino expresse revocatis.*
148 *Bene vero illis, quae quidem sunt contraria alicui Decreto Concilii Tridentini, ab eo tamen non fuere revocata.*

120 Quaeritur I. An quodlibet Privilegium semel concessum possit denuo revocari a Concedente, vel ejus Successore? Resp. I. *privilegium mere gratiosum*, sive omnino gratis a Principe concessum Subdito contra vel praeter Jus commune, potest a Concedente, vel ejus Successore revocari: valide quidem etiam absque alia causa, quamvis non licite, nisi justa causa interveniat. Felinus *in c. Novit.* 13. *de Judic.* numer. 8. Sylvester *v. privilegium. num.* 10. *dict.* 7. Suarez *Lib.* 8. *de Legib. cap.* 37. *num.* 2. Sanchez *de Matrim. Disp.* 33. *num.* 5. Pirhing *h. t. num.* 187. cum communi. Siquidem haec est ordinaria natura Privilegiorum maxime *gratiosorum*, ut sub tacita revocationis conditione dari soleant, juxta dicta *n.* 17. atque desumitur *ex c. Decet. de Regul. Jur. in* 6. ibi: *Decet concessum a Principe esse mansurum.* Nam ibidem ly *decet*, quantum ad Principem ponitur proprie, ita ut decentiam importet, non necessitatem.

Nec obstat, quod Donatio inter vivos semel perfecta et acceptata non amplius revocari possit, nisi ob ingratitudinem Donatarii, *arg. cap. ult. de Donation.* cum concordantiis, prout amplius dictum *Lib. III. Tit.* 24. *de Donation.* Resp. enim, esse disparitatem inter Privilegium et Donationem: nam vi Donationis perfectae et acceptatae mox transit dominium rei donatae in Donatarium, econtra vero jus, quod cuipiam conceditur vi Privilegii omnino gratis a Principe concessi, seu mere gratiosi, non transit in dominium privilegiati, sed semper pendet a mera voluntate Principis privilegium concedentis; ideoque ab illo revocari potest (non minus, ac lex a se, vel suo Antecessore lata) valide quidem etiam sine causa, quamvis non licite ac decenter, adeoque non sine culpa saltem veniali. Pirhing, et Doctores citati.

121 Dixi in Conclusione notanter 1. *privilegium Subdito concessum*. Nam Privilegium concessum non Subdito non potest revocari amplius per ipsum Concedentem: quia postquam fuit acceptatum, transit in pactum, seu contractum, quo proprie dictum jus acquiritur privilegiato, quod non subdito auferri nequit, ut post Laymanum *cit. cap.* 23. *num.* 14. argumentatur Pirhing *h. t. num.* 186. Sive, quia tale privilegium habet vim suam non, cum pervenerit in notitiam privilegiati, *arg. c.* 1. §. *Ex parte. De concession. praebend. in* 6. Et sic non potest amplius revocari, cum sit ei jus quaesitum, et Concedens non sit dominus, seu superior, prout tenet et argumentatur Abbas in *c. Novit. illo de Judic. n.* 25. post Archidiaconum, et Joan. Andream. Idem tenet Glossa *in c. Decet. de Reg. Jur. in* 6. id exemplificans de Privilegiis, quae Principes, et Imperatores saeculares concesserunt Ecclesiis: quia (inquit) tale privilegium concessum non Subdito est contractus ab initio voluntarius, sed ex post facto est necessitas. Ita loquitur Glossa. Excipit tamen Pirhing *h. t. n.* 188. cum Felino, et Suarezio casum, quo privilegium postea vergeret in notabile damnum Principis concedentis: quia tunc privilegium potest revocari; nam conditio haec ex natura rei intelligitur inclusa in prima privilegii concessione.

Dixi notanter 2. *privilegium mere gratiosum, sive omnino gratis concessum.* Siquidem privilegia etiam Subditis data in praemium, seu remunerationem meritorum, aut praestitorum obsequiorum, item privilegia concessa per pactum, seu contractum onerosum (ut si Princeps pretio accepto privilegium concedat,) vel etiam facta per contractum lucrativum, v. g. per donationem absolutam cum translatione dominii alicujus rei, vel juris (ut cum datur, seu donatur alicui castrum, vel jus alicujus Vectigalis seu Tributi) non amplius possunt revocari, neque Subdito invito auferri, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune. Ita Pirh. *h. t. n.* 187. Engel *n.* 22. et alii passim. Ratio est; quia Princeps tenetur servare pacta cum Subditis inita: et quod datur in remunerationem praeteritorum laborum, non censetur gratis datum, sed vim pacti habet; saltem si merita aliunde non erant debita, sed liberaliter exhibita, et talia, ut Princeps ex justitia commutativa quodammodo teneatur illa recompensare; si enim merita aliunde erant debita, consequenter privilegia intuitu illorum non ex justitia, sed liberaliter concessa, tunc juxta Donatum *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 12. *q.* 9. et alios ab eo citatos possunt revocari absque gravi causa bonum commune tangente. 122

123 Quaeritur II. Quotuplex sit? quomodo fieri possit, ac soleat? Quorum? et quando facta censeatur *Revocatio privilegiorum*? Resp. I. cum Layman *loc. cit.* et aliis. *Revocatio privilegii* est duplex, una *expressa*, alia *tacita*. Prior seu *expressa* rursus est duplex, *specialis* videlicet, et *generalis*, sicque fieri potest et solet *specialiter*, et *generaliter*. *Specialis* est, quando hoc vel illud privilegium in specie revocatur. *Generalis* est, et generaliter fit, quando in genere omnia revocantur privilegia Constitutioni, aut Decreto alicui contraria. Quod iterum dupliciter fieri potest, et solet, nempe vel per communem Clausulam generalem dicendo: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis*, vel per aliam similiter generalem *fortiorem* tamen, et extraordinariam, dicendo: *Non obstantibus privilegiis quibuscunque sub quacunque verborum forma conceptis*, vel cum addito: *Etiamsi eorum mentio ad verbum fieri deberet.*

124 Resp. II. Per Clausulam communem generalem, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis*, Legis publicae insertam, absque alia expressa, et specifica mentione non tolluntur privilegia clausa in Corpore Juris, et certis personis concessa. Suarez *de Legib. lib.* 8. *cap.* 38. *n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 189. Engel *h. t. n.* 21. Layman. *loc. cit. n.* 26. et alii passim, post Glossam *in Authen. quas in provincia C. de Criminib. v. Illic omni privilegio.* Rationem dant: Tum quia privilegia clausula in Corpore Juris non sunt simpliciter *privilegia*, sed etiam Leges publicae: Tum quia correctio Jurium est evitanda, quantum fieri potest, neque facile praesumenda, nisi clare exprimatur, *arg. c. Cum expediat. de Elect. in* 6. Unde per generalem derogationem non censetur tolli jus speciale prius, habens rationem specialem, alioquin si Princeps id tollere voluisset, fecisset ejus mentionem specialem.

125 Resp. III. Insuper privilegia illa, quamvis in Corpore Juris non contenta, quibus insertum est,

quod revocata censeri non debeant, nisi fiat specialis et expressa eorum mentio, aut de verbo ad verbum, vel alio consimili modo. Haec, inquam, privilegia non censentur revocata per Clausulam illam generalem, *Non obstantibus quibuscunque privilegiis*: bene tamen, si dicatur: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quacunque verborum forma conceptis*: vel sic: *Etiamsi de verbo ad verbum debeat de ipsis fieri* mentio, aut hujusmodi. Ita post Abbatem *in c. Cum instantia. de Censib. nu.* 5. Laymen. *loc. cit. n.* 26. et alii Doctores passim, patetque ex textu Clausularum harum privilegiis vel Revocationi eorum insertarum; hoc ipso enim, quod Pontifex privilegium concedens dicat, ei non derogari nisi specialis et expressa, aut de verbo ad verbum mentio eorum fiat, vult ei non derogari, nisi talis mentio fiat: et econtra, si idem, vel Successor in Revocatione dicat, Privilegium revocari, etsi dictam Clausulam habeat, intendit revocari non obstante tali Clausula; ergo.

126 Resp IV. Per nullam ex praedictis Clausulam generalem censentur revocata privilegia per modum contractus concessa, vel in remunerationem meritorum, nisi saltem in genere addatur Clausula, *Etiamsi per modum contractus fuerint concessa, vel etiam meritorum intuitu*. Sanchez de *Matrim. lib.* 8. *Disp.* 33. *n.* 8. Suarez *de Legib. lib.* 8. *cap.* 37. *nu.* 3. Donatus *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 13. *q.* 9. Pirhing *h. t. n.* 189. cum communi aliorum. Ratio est, quia cum juxta dicta *n.* 122. talia Privilegia ordinarie revocari non possint, nisi ex causa gravi ad bonum publicum pertinente, revocata censeri non debent, nisi specialiter exprimatur. Accedit, quod talis Revocatio cedat in praejudicium tertii, auferendo ei *jus quaesitum*, consequenter non praesumitur voluntas revocandi, nisi exprimatur.

127 Resp. V. Quantum nunc attinet ad tacitam *Revocationem Privilegii*, ea fit per actum Principis directe contrarium, seu qui non potest subsistere sine Revocatione Privilegii antea concessi; dummodo possit praesumi, eum scire privilegium antea concessum, illiusque recordari, *arg. l. Idem Ulpianus. ff. de Excusationibus Tutorum etc.* ac docent passim Doctores, qui quoad hanc tacitam privilegiorum revocationem quasdam ponunt Regulas, ex quibus est

128 *Regula prima*. Per Legem generalem non censetur Princeps velle derogare particularibus locorum, vel personarum, nec aliis in Corpore Juris communis non clausis, sed alia via, v. g. per speciale Rescriptum, Indultum, Constitutionem, aut Bullam concessis privilegiis, nisi exprimat. Suarez *lib.* 8. *de Legib. cap* 39. *nu.* 2. Layman. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 23. *n.* 17. Pirhing *h. t. n.* 191. Abbas, ut alii Canonistae, *in c.* 1. *et c. Cum ordinem de Rescript* cum Glossa *in c. Veniens.* 19. *de Praescript. arg. c. Veniens. et cap.* 1. *de Constitut. in* 6. ac notat Glossa *ibid.* communiter recepta. Ratio est, quia Princeps, vel Papa praesumitur non habere notitiam talium privilegiorum in Corpore Juris non clausorum.

129 Aliud est de *Privilegiis* in Corpore Juris clausis, cum enim Princeps censetur Jura omnia in scrinio pectoris sui habere, praesumitur etiam scire, consequenter revocare privilegium in Corpore Juris clausum, si legem generalem eidem contrariam addit, uti bene advertunt Doctores citati.

130 *Regula secunda*. Si contra *privilegium* prius concessum impetretur ab alio novum *privilegium*, vel *Rescriptum* contrarium, nulla facta mentione prioris, censebitur hoc posterius esse *subreptitium*, adeoque invalidum, *arg. c. Cum ordinem* 6. *de Rescript* juncto *c. Ex parte. il.* 1. *de Officio Delegati.* et amplius declarat Glossa *fin. in c.* 1. *de Rescriptis.*

Fallit tamen haec *Regula*, si prius privilegium fuit generale, posterius vero speciale, *arg. c.* 1. *de Rescriptis.* et *c. Dudum.* §. *Nos igitur. de Praebend. in* 6. Siquidem *generi per speciem derogatur*, ut habet *Reg.* 34. *Jur. in* 6. ac notatur citatis locis. Sed hoc ipsum limitat Engel *h. t. num.* 21. nisi per speciale privilegium alteri in *jure quaesito* grave praejudicium oriretur, *arg. c. Ex tua. de Filiis Presbyterorum.* 131

Regula tertia. Per sententiam latam a Principe contra privilegium non revocatur privilegium, sed potius reprobatur; id est, tanquam *subreptitium*, vel alias infirmum rejicitur, non autem tanquam prius validum aufertur, seu revocatur, *arg. c. Suborta. de Sentent. et re judicat.* 132

Quaeritur III. Quo tempore *Revocatio privilegii* habeat vim suam, sive effectum? Resp. I. Quando Revocatio privilegii, Indulgentiarum, vel hujusmodi gratiarum, fit per Legem communem, sufficit ad ejus validitatem legitima promulgatio dictae Legis, ita ut in publicam notitiam devenire possit, neque opus est, eam singulorum auribus inculcare *arg. c.* 1. *de Postulation. praelatorum.* et cum aliis Layman *Lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 23. *num. ultim.* Unde quamvis aliqui in particulari adhuc, et quidem invincibiliter ignorent Legem, seu ejusmodi *Revocationem privilegii*, tamen illud amplius non proderit, neque valide quis eo utetur, uti bene notat Pirhing *h. t. n.* 197. 133

Resp. II. Si tamen *Revocatio privilegii* fit ab homine, sive privatim, et non per Legem communem, non prius ipsa habet effectum, antequam revocatio illa privilegii, aut alterius gratiae deveniat ad notitiam *Privilegiati*. Ita citati Auctores et alii communiter. Ratio est: tum quia alioquin possent oriri plurima incommoda; ut si Episcopus dedisset simplici Sacerdoti licentiam assistendi Matrimonio, eamque revocaret inscio illo Sacerdote. Tum quia id ipsum habetur *l. Si forte. ff. de Officio Praesidis* ibi: *Si forte Praeses Provinciae manumiserit, vel Tutorem dederit, priusquam cognoverit Successorem advenisse, erunt et haec rata.* 134

Quaeritur IV. An? et quaenam *Privilegia Regularium* revocata fuerint a Concilio Tridentino? Ante Responsionem nota, hanc Quaestionem hic temporibus summe practicam, esse non minus controversam, quam odiosam nonnullis rem perfecte vel debite non intelligentibus, vel non satis perpendentibus, vel certe erga Regulares minus affectionatis, absque ullo fundamento effutire non dubitantibus, *Regularium Privilegia* omnia, vel fere omnia per Concilium Tridentinum esse revocata; cum tamen certum sit, plurima Regularium Privilegia per memoratum Concilium minime tacta, minus revocata, etiamnum in suo pleno esse vigore. Quibusdam econtra Privilegiis olim concessis plus justo inhaerentibus, indeque *Revocationem Privilegiorum* factam nimis extenuantibus, et saltem pro Foro interno fere penitus extinguere volentibus; cum tamen rursus certum sit, aliqua Privilegia a praefato Concilio Tridentino pro utroque Foro revere esse revocata, juxta dicenda infra. Quare pro simplici et genuina veritate eruenda Quaestionem hanc Deo dante, solide et exacte discutere conabimur, praemissa tamen humillima protestatione, quod per hoc laudatum Concilium nutnime glossare, sed quid Doctores de hoc Quaestione sentiant, quidque veritati magis consentaneum sit, proponere intendamus, cuncta judicio Ecclesiae omni debita cum submissione subjicientes. Hoc notato 135

136 Resp. I. Sicut falsissimum est per Concilium Tridentinum esse revocata omnia Regularium Privilegia: ita etiam certissimum est, plurima eorum Privilegia ab eodem Concilio non esse revocata, sed adhuc in suo plene esse vigore, et ab ipsomet Tridentino Concilio confirmata. Haec Conclusio apud omnes vere Doctores est extra omnem controversiam, et ponitur tantum ad juste confundendos quosdam in hoc sane imprudentes, qui, dum Regulares in certis causis sua Privilegia humiliter, et recte allegant, ea statim indiscriminatim explodunt dicendo: Regularium Privilegia post Concilium Tridentinum non amplius valere, sed omnia ab eo esse revocata. Probatur autem breviter, et efficaciter ex ipso *Concilio Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 22. *ad finem.* ubi in plurimis Privilegia Regularium firma et illaesa asserens, ac denuo confirmans ita ait: *In caeteris omnibus praefatos Ordinum Privilegia; et facultates, quae ipsorum personas, loca, et Jura concernunt, firma sint, et illaesa.* Quid clarius ad propositum? Confirmatur universali praxi omnium Ordinum, Privilegiis suis plurimis libere utentium. Accedit, quod summi Pontifices eadem Privilegia passim confirment, et nonnulla tantum excipiant.

137 Resp. II. Omnia et singula *Regularium Privilegia* ante Concilium Tridentinum concessa, quae adversantur Decretis contentis *in Sessione* 25. *de Regularibus, et Monialibus,* ab eodem Concilio sunt revocata; consequenter Regulares omnes exacte servare tenentur illa Decreta, nisi post dictum Tridentinum novum contra illa, vel illorum aliqua haberent concessum Privilegium. Ita unanimis et certa; patetque clare ex eodem Tridentino *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 22. ubi ab omnibus Regularibus *omnia et singula in superioribus Decretis contenta observari praecipit etc. Non obstantibus eorum omnium, et singulorum Privilegiis, sub quibuscunque verborum formulis conceptis, ac Mare Magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non Constitutionibus et Regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel praescriptionibus etiam immemorabilibus etc.* Quae Privilegiorum revocatoria verba, si non de omnibus totius Concilii etiam superioribus, seu praecedentibus Decretis, saltem de omnibus et singulis Decretis *Sess.* 25. *de Regularibus,* editis intelligenda, consequenter non obstantibus Privilegiis observanda sunt.

138 Resp. III. Insuper illa ante Tridentinum concessa *Regularium Privilegia*, quae adversantur alicui, cujuscunque tandem Sessionis Concilii Tridentini, Decreto tali, quod habet supra dictam, vel similem Clausulam *Privilegiorum* revocationem, *Non obstantibus quibuscunque Privilegiis etc.* ab eodem Concilio Tridentino revocata censentur. Rursus communis et certa. Ratio est; quia, ubi Privilegiorum expressa clausula existit revocatoria, de *Revocatione* dubitare non licet; cum in claris et expressis non detur interpretatio, vel voluntatis conjectura, prout amplius diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut. a num.* 384.

139 Resp. IV. Quamvis non desint Doctores, inter quos Donatus *Tom.* 1. p. 1. *tr.* 11. *q.* 15. *a n.* 4. Peyrio. *in Declarat. Privileg. Tom.* 1. *in Constitut.* 1. *Gregorii XIII.* n. 3. qui volunt, non tantum illa Privilegia, quae adversantur alicui ex Decretis Concilii Tridentini *Sess.* 25. *de Regularib.* vel alicui ex Decretis priorum Sessionum cum expressa Clausula *Non obstantibus quibuscunque privilegiis etc.* emanatis, sed illa quoque, quae alicui cuicunque tandem totius Concilii Decreto, etiam sine ulla *Revocatione Privilegiorum* posito, simpliciter tantum adversantur, vel contraria sunt, ab eodem Concilio tacite saltem censeri revocata, consequenter non amplius valere, adeoque per Bullas confirmatorias nunquam confirmari, sed potius pro invalidis contineri in illa Clausula: *dummodo sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* Nihilo minus etiam alii, iique Classici Auctores probabilissime et solide docent, haec ultima, quae Privilegia, quae Decretis aliarum Sessionum (excepta 25. *de Regularibus*) Clausulam Privilegiorum derogatoriam expressam non habentibus contraria sunt, ab eodem Concilio non censeri revocata, nec contineri in praefata Clausula: *Dummodo sacris Canonibus, et Decretis Concilii Tridentini non adversentur.* Ita docent et Roderiquez *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 8. *art.* 7. Miranda *Manual. Praelator. Tom.* 2. *q.* 42. *art.* 3. §. *Sed alii.* Suarez *lib.* 8. *de Legibus. cap.* 18. *in fine.*

140 Probatur Conclusio *Primo.* Nulla Lex, vel Constitutio, vel decretum quantumvis generaliter, vel universaliter latum derogat particularibus locorum, aut personarum statutis, consuetudinibus, aut Privilegiis, nisi exprimat, ergo nec Concilium Tridentinum per illa derogat *Regularium Privilegiis* per sua generaliter posita Decreta illa, in quibus id non exprimit, vel Clausulam aliquam derogatoriam, seu revocatoriam non ponit. *Antecedens* est communissima et certa doctrina, uti videre est apud Barbosam *in c.* 1. *de Constitut. in* 6. et Doctores *n.* 148. citata et Jura ibi allegata, praesertim vero *c.* 1. *de Constitut. in* 6. ibi: *Quia tamen locorum specialium, et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sint facti, et in facto consistant) potest probabiliter ignorare ipsis, cum tamen sunt rationalia per Constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare.* Qui textus etsi tantum loquatur de particularibus statutis et consuetudinibus, nullam faciens mentionem de Privilegiis, tamen de iis etiam intelligi debet ob paritatem rationis cum Privilegiis, quae extra Corpus Juris habentur, currentem, cum ubi eadem ratio, eadem sit Legis dispositio, prout ample probatum habetur *Lib. I. Tit. II. de Constitut. a n.* 410.

141 Confirmatur: Concilium Tridentinum in aliis Sessionibus (dempta 25. *de Regularibus*) ponit aliqua Decreta cum Clausula derogatoria consuetudinum, vel privilegiorum contrariorum, aliqua sine tali Clausula; ergo signum est, per haec ultima Decreta nolle Concilium derogare particularibus locorum, aut personarum consuetudinibus, vel Privilegiis, sed velle illa juxta naturam omnium aliarum Legum, et Constitutionum, ac Decretorum intacta, et in suo vigore relinquere: cum alias in aliquibus Decretis superflue apponeret Clausulam Privilegiorum derogatoriam, vel revocatoriam, quod dici nequit *arg. c.* 10. *de privil. in* 6. *Item l.* 112. §. 1. *ff. delegat.* 1. *juncta gloss. in can. si Romanor.* §. *membranas dist.* 19. et alia glos. *in cap. solita* §. *tanquam, de Major. et obed.* cum concord. et degeneraret a natura omnium aliarum Legum.

142 Confirmatur *secundo*: Communis, et indubitata doctrina est apud omnes fere Doctores, ipsos etiam Adversarios Conclusionis, quod Concilium Tridentinum per sua Decreta generalia sine ulla Clausula derogatoria posita non deroget particularibus locorum et personarum consuetudinibus et statutis; ergo nec Privilegiis, quae extra Corpus Juris habentur; cum de his eadem, quae de illis habeatur ratio, consequenter eadem Juris dispositio per dicta, et Jura *n.* 140. citata.

143 Confirmatur *tertio*: Dicere, quod Concilium Tridentinum saltem tacite revocet cuncta Regularium Privilegia, quae alicui cuicunque tandem

Decreto illius etiam sine ulla Clausula derogatoria posito sunt contraria, est dicere, quod idem Concilium prorsus omnia Regularium proprie dicta Privilegia revocet et sibi ipsi expresse contradicat, atqui hoc dici nequit, ergo. Probatur *Major*. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Reformat.* expresse decernit, quod Sacratissimi Canones et Leges Ecclesiasticae omnes ab omnibus indistincte debeant observari: ibi: *Quapropter sciant universi sacratissimos Canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte esse observandos*; ergo dicere, quod per quodvis Decretum etiam sine Clausula derogatoria positum deroget cunctis Privilegiis tali Decreto contrariis, easque tacite revocet, est dicere, quod prorsus omnia Regularium Privilegia proprie dicta revocet, eo ipso, quod cuncta Regularium Privilegia proprie talia, sint contra Jus commune, et sacros Canones, consequenter huic ultimo Decreto contraria, utpote quod expresse vult, ut sacri Canones ab omnibus indistincte et exacte observentur; atqui dicere, quod Concilium Tridentinum omnia Regularium Privilegia revocet, est dicere, quod sibi ipsi contradicat, cum *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 20. expresse contrarium dicat, per textum supra *n.* 136. allegatum: ergo.

144 Confirmatur *quarto*: Consuetudo est optima Legum interpres, c. *Cum dilectus*. 8. *Consuetud.* atqui videmus passim vigere consuetudinem, quod Regulares libere utantur suis Privilegiis, quae nec per Decreta in *Sess.* 25. nec per aliarum Sessionum Decreta expresse sunt revocata, etsi caeteroquin contra aliquod ejusdem Concilii Decretum sine derogatione Privilegiorum positum militent, ergo.

145 Objicies contra doctrinam Conclusionis num. 139. positae, et hucusque probatae. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *de Regularib. cap.* 22. per textum supra *num.* 137. allegatum praecipit cuncta sua Decreta etiam a Regularibus observari, *non obstantibus eorum quibuscunque privilegiis etc.* ergo per hanc clausulam derogavit omnibus Regularium Privilegiis, quae alicui cuicunque tandem Decreto illius adversantur. Resp. Concilium Tridentinum *cit. loc.* derogare duntaxat Regularium privilegiis, quae adversantur alicui ex Decretis *in Sess.* 25. *de ipsis Regularibus* positis, utpote, quae non obstantibus privilegiis observari ibidem praecipit: non vero derogare per illam Clausulam privilegiis, quae militant contra aliquod Decretum in praecedentibus Sessionibus absque derogatione privilegiorum positum: Idque colligitur tum, quia ibidem non praecipit, ut observentur omnia contenta *in superioribus Sessionibus*, sed N. B. *in superioribus Decretis* Sessionis 25. de Regularibus specialiter habitae: Tum ex ipso textu *cit. cap.* 22. hoc ipso enim, quod Concilium ibi in terminis expressis praecipiat, ut *omnia et singula in superioribus Decretis contenta* a Regularibus cunctis, non obstantibus privilegiis observentur, manifeste indicat, se tantum loqui de omnibus et singulis Decretis dictae *Sessionis* 25. *de Regularibus*, ex destinato factis, non vero de omnibus et singulis Decretis totius Concilii; cum non omnia et singula, sed paucissima tantum priorum Sessionum Decreta Regulares concernant: Legatur *cap.* 22. *Sessionis* 25. *de Regularibus* attente, et clare apparebit, quod, dum ibi sancta Synodus praecipit, ut non obstantibus privilegiis omnia et singula in superioribus Decretis contra Regulares observentur, certe ibidem non intelligat omnia et singula in toto Concilio contenta, utpote Regulares in paucis concernentia, sed de omnibus et singulis contenta in Decretis ejusdem Sessionis 25. *de Regularibus* specialiter habitae.

146 Objicies *secundo*: Bullam Pii IV. *In Principis Apostolorum Sede*, et refertur *Tom. II. Bullarii, fol.* 135. estque *Ejusdem Pontificis constitutio* 94. ubi Papa omnia et singula etiam Regularia quorumcunque privilegia sub quacunque excogitabili forma, et ex quacunque causa concessa, universaliter ac indistincte revocat, et annullat in omnibus et singulis, in quibus illa statutis, et Decretis Concilii Tridentini contrariantur; ergo non tantum privilegia Decretis *Sess.* 25. *de Regularibus*, vel alicui ex prioribus Sessionibus Decreto cum expressa derogatione privilegiorum posito adversantia, sed etiam illa revocat, quae alicui cuicunque tandem Decreto dicti Concilii contrariantur. Resp. cum Roderiquez *cit. Tom.* 1. *q.* 8. *art.* 7. et aliis: Hanc Bullam minime obesse Conclusioni *num.* 139. positae. Ratio est; quia dicta Bulla per suam Clausulam vult quidem, ut non obstantibus privilegiis, omnia Decreta Concilii Tridentini exacte observentur, sed non in alio sensu, quam in quo observari vult ipsum Concilium; eo quod Lex, vel Constitutio aliqua, quae fit ad corroborandam aliam, (qualis est praefata Constitutio aliqua Pii IV. respectu Decretorum, et Legum dicti Concilii, utpote quae fuit edita in majus robur, majoremque observantiam eorundem Decretorum, uti patet ex illis verbis Bullae: *Nos, quibus inprimis cordi est, tam sancta, et Ecclesiae Dei saluberrima Decreta, suos, ut par est, effectus ubique consequi, et ab omnibus obedienter observari etc.*) necessario debeat intelligi, et interpretari juxta sensum et mentem Legis, quam corroborat, ita ut easdem limitationes, et extensiones, quas habet, vel recipit corroborata, recipere etiam debeat corroborans, uti cum Glossa bene advertit Felinus; cum enim referens se ad aliquid, debeat intelligi secundum id, ad quod se refert, *arg. l. In Testamento. ff. de condit. et demonstrat.* etiam Bulla Pii IV. referens se ad Decreta Concilii, debet secundum mentem, et sensum dictorum Decretorum intelligi, et applicari; consequenter, quia ipsa Decreta Concilii sine clausula privilegiorum derogatoria posita non derogant privilegiis juxta dicta, nec ipsa Bulla corroborans dicta Decreta eisdem derogat, sed ea eodem modo et sensu relinquit in suo valore, quo ea relinquuntur a Decretis.

147 Quaeritur V. An Regulares saltem in Foro conscientiae possint suis privilegiis uti, a Concilio Tridentino expresse revocatis, vel eidem contrariis? Resp. I. Quamvis non desint docentes, Regulares uti posse privilegiis etiam expresse revocatis a Concilio Tridentino, tamen *Negativa* hodie est certa quoad illa privilegia, quae post Concilium de novo non sunt concessa, eo quod sententia contraria hodie sit damnata ab Alexandro VII. in illis terminis: *Regulares possunt uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata a Concilio Tridentino.* Expresse autem a concilio revocata sunt omnia et sola illa, quae sunt contraria alicui ex Decretis *Sess.* 25. *de Regularib.* vel etiam alicui priorum Sessionum Decreto cum expressa Clausula privilegiorum sufficienter derogatoria posito.

148 Resp. II. Non tantum in Foro interno, sed etiam externo valide et licite utuntur Regulares privilegiis, quae sunt contraria alicui ex praecedentibus Decreto sine ulla privilegiorum derogatoria clausula posito. Patet Conclusio per jura, rationes et Doctores a *n.* 139. positos.

§. VII.

De Privilegiis vivae Vocis Oraculo concessis; ac Revocatione et Valore illorum:

SUMMARIUM.

149 Vivae Vocis Oraculum *quid?*

150 *Pro Foro interno ejusdem est valoris cum Privilegiis in scriptis dato.*

151 *Non item pro Foro externo, nisi probetur.*

152 *Privilegia* Vivae vocis oraculo *concessa hodie pro utroque Foro sunt revocata, aliquibus exceptis.*

153 *Bulla Gregorii XV. revocatoria.*

154 *Et Urbani VIII. etiam* Oracula *ad instantiam Regum, vel testimonio Cardinalium probata revocantis.*

155 *Privilegia* Vivae Vocis Oraculo *concessa illa, quae probantur testimonia illorum Officialium, aut Ministrorum Papae, quibus de gratiis a Pontifice concessis fides haberi solet, et debet, pro utroque Foro adhuc valent.*

156 *Probatur ex Bulla Urbani VIII.*

157 *Inter Officiales praefatos possunt etiam esse Cardinales, et revera sunt, si ad id a Pontifice deputantur, vel Protectores Ordinis existunt.*

158 *Plura adhuc existunt valida* Oracula vivae Vocis: *et quae?*

159 *Oracula Vivae Vocis concessa ante Leonem X.*

160 *Item ante Gregorium XIII.*

161 *Et Clementem VIII. concessa adhuc valent.*

162 *Et quidem omnia quoad Forum internum, non tamen omnia quoad Forum externum.*

163 *Oracula vere concesso post Urbanum VIII. omnia, et singula valent pro Foro interno.*

164 *Non tamen pro Foro externo, nisi sufficienter in illo probari valeant.*

149 Quaeritur I. Quid? et cujus valoris sit Privilegium *vivae vocis Oraculum?*

Resp. I. *Vivae vocis Oraculum* esse Privilegium, quod Princeps, v. g. Pontifex *sola voce*, seu oretenus duntaxat concessit; quamvis subinde, ut etiam pro Foro externo probari, et practicari valeat, postea in scripturam redigatur, et testimonio authentico ab iis, quibus ex officio incumbit, fide dignum reddatur. Ita in re communis, patetque ex terminis.

150 Resp. II. Gratiae et privilegia *vivae vocis Oraculo* concessa quoad substantiam pro Foro interno sunt ejusdem valoris, quanti sunt privilegia in scriptis concessa. Rursus communis, textu claro can. *Institutionis. 7. caus.* 25. *q.* 2. patetque ex dictis supra *h. t. n.* 28. ubi diximus et probavimus, ad essentiam et substantiam privilegii non requiri scripturam, consequenter quoad substantialem vim et efficaciam *Oraculum vivae vocis* idem valere, quantum valet privilegium in scriptis concessum. Accedit Leonem X. specialiter concessisse nostro Ordini, quod *vivae vocis Oracula* non sint minoris valoris et efficaciae, quam privilegia per Bullam concessa, uti videre est in nostro *Compendio Privilegiorum.* ✠. *Oracula vivae vocis.*

151 Dicitur autem notanter *pro Foro interno*; quia ut etiam pro Foro externo practicari valeant, non sufficit, illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut testimonia authentico concessio illorum probetur; Donatus *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 15. *q.* 2. *n.* 5. pateque ex Constitutione *Julii II.* Romani Pontificis et *Regul. Cancellariae* 58. Ratio est: quia alias quivis dicere posset, se habere privilegium *vivae vocis Oraculo* concessum, sicque praetextu *Oraculi vivae vocis* eludere Leges et Canones in Foro externo non sine perturbatione boni communis.

Quaeritur II. An? et quae *Oracula vivae vocis* de facto sint revocata? et quae non? Resp. I. Omnia et singula privilegia quibuscunque Capitulis, Collegiis; Ordinibus, vel personis eorum a quocunque tandem Pontifice usque ad Urbanum Papam *vivae vocis Oraculo* concessa hodie pro utroque Foro sunt revocata, ita ut nec in Foro interno, nec externo amplius uti liceat hujusmodi privilegiis *vivae vocis Oraculo* concessis; etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de iisdem vere concessis Cardinales propria manu scriptum testimonium ferant; nisi per Officiales, et Ministros illos, quibus incumbit ratione Officii, Gratiis, Privilegiis, et favoribus per Pontifices oretenus, seu *vivae vocis Oraculo* concessis, aut in futurum concedendis fidem facere, et authentisare, ac quibus Officialibus propterea fides haberi solet, et debet, sint authentisata. Ita hodie unanimis, et certa ob claras et expressas *Revocationes* a Gregorio XV. et Urbano VIII. factas. Enimvero Gregorius XV. per suam Constitutionem *Romanus Pontifex in specula*, quae est 27. in *Tom. III. Bullarii Cherubin.* universalem *vivae vocis Oraculorum* fecit *Revocationem* sequentem. 152

Gregorius XV. Papa.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex in specula militantis Ecclesiae divina providentia constitutus, gratias et indulta a se, et Praedecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis Officii debitum moderatur, aut revocat, prout rerum et temporum qualitatibus debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire. 153

§. I. Itaque Motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, Omnia et singula indulta, facultates, privilegia, gratias, et concessiones quascunque spirituales et Ecclesiasticas, tam ad forum interius, quam ad exterius spectantes, ac tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, a Sede Apostolica, quae tamen vivae vocis Oraculo hactenus quantoecunque, et qualitaecunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, quibusvis Collegiis, Capitulis, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Societatibus, etiam Societatis JESU, ac Congregationibus quibuslibet, sive eorum, et earum respective Praepositis, Decanis, Magistris, Ministris, Praelatis, Prioribus, Rectoribus generalibus, vel Provincialibus quocunque nomine nuncupatis; Superioribus etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi praedictae immediate subjectis, cujuscunque dignitatis praeeminentiae, aut quovis privilegio munitis, non tamen ad supplicationem Regum concessis, in iis, videlicet, quae non sunt sortita effectum, tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, et annullamus, ac revocata, cassata, sublata, abrogata, et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuo fore, et esse, neque imposterum cuipiam suffragari posse, vel debere, neque aliquem iis de caetero uti ullo modo posse, etiamsi expressa, et specifica mentio etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus, et declaramus.

§. 2. Firmis tamen, et in suo robore permanentibus omnibus indultis, et aliis concessionibus praedictis vivae vocis Oraculo S. R. E. Cardinalibus ad ipso-

rum, vel eliorum quorumcunque favorem proprie S. R. E. Cardinalium menu firmatis, pro ipsis, vel eliis factis, et de qeibue iidem S. R. E. Cardinal. testimonium in seriptis praebuerunt.

§. 3. Decernentes, praesentes litteras, et in eis contente qeaecunque, etiam ex eo, quod quicoeque in praemissis interesse habentee, seu habere praetendentes, ad hoc vocati, et auditi non fuerint, de sobreptiouis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, seu alio quocunque defecto notari, impugnari, redargui, ad jus vel controversiem revocari, ad terminos juris reduci, aut adversae illas, quodcunque juris, gratiae, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

§. 4. Sicque per quoscunque Judices ordinari oe et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos at Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibut quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, ut inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praemissis quibuvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, et Congregationibus praedictis, eorumque Praepositis, Decanis, Magistris, Ministris, Praelatis, Prioribus, Rectoribus, et aliis Superioribus praedictis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliss in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifice, expressa, at individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, at ad verbum insertis habend. illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium transcriptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra illud, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

§. 7. Quodque easdem praesentes litteras, seu illarum exempla ad Valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae affixae, omnes ita arctent, et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris, die 2. Julii, 1622. Pontificatus Nostri Anno 2.

154 In qua tamen Bulla quoad §. 1. et 2. bene advertendum, quod licet ibidem a Revocatione excipiantur *vivae vocis Oracula* ad supplicationem Regum concessa, nec non illa, de quorum Concessione Cardinales in scriptis testimonium ferunt, tamen juxto tenorem Conclusionis *num.* 152. positae, etiam haec non amplius valeant, eo quod illa quoque expresse revocaverit Urbanus VIII. in sua Constitutione: *Alias Felicis recordationis Gregorius XV.* quae est 21. inter Constitutiones dicti Urbani VIII. *in Bullario Cherubini*, ubi §. 2. Revocationem etiam praefatorum *Oraculorum* sequentibus verbis exprimit. *Omnia et singula Privilegia vivae vocis Oraculo*, et *NB. S. R. E. Cardinalium quorumcunque manu firmata etc. quibuscunque etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Regum et Principum quorumcunque cassamus, annullamus etc.* Caeterum cum tota Bulla praecipue pro revocandis primo dictis *Oraculis* edita est, reliquum sat longum Bullae tenorem huc ponere supersedemus, et Lectorem *ad Bullarium Cherubini* remittimus.

Resp. II. Privilegia *vivae vocis Oraculo* concessa illa, quae per Officiales et Ministros, quibus vi Officii sui de gratiis et privilegiis per Pontifices oretenus concessis vel concedendis fides haberi solet et debet, authenticata, seu de quibus praefati Officiales testantur, eaque revera fuisse concessa, testimonium ferunt, consequenter, quae vere authentica existunt, non sunt revocata, sed omnia et singula, eaque sola a quocunque tandem Pontifice fuerint concessa, in utroque Foro adhuc valent, valideque et licite practicari possunt. Communis et certa. Ratio est; quia ita expressa declaravit idem Urbanus VIII. in Constitutione, quae etiam incipit, *Alias Felicis recordationis*, quatuor tamen post praecedentem Constitutionem annis primum edita, et centesima quadragesima prima existit *in Bullario Cherubini*, ubi Pontifex postquam per extensum addesit supra *n.* 153. allegatam Constitutionem Gregorii XV. suamque propriam *n.* 154. citatam, postea §. 3. sic statuit. 155

§. 3. Cum autem pro tempore existentibus nonnullis nostris, et Sedis Apostolicae Officialibus, seu Ministris, qui eorum Officiorum, seu munerum ratione, de gratiis concessionibus, et dispositionibus quibuscunque per Nos faciendis, mandatisque, et jussionibus nostri exequendis, aliisque rebus, et negotiis gerendis, Nobiscum diversa tractant per se, seu de eorum mandato faciendo, gerenda et executioni demandanda vivae vocis Oraculo commiserimus, et in dies circa ea, quae ad cujuslibet eorum Officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, committamus; Nos firmitati gestorum de mandato nostro per eosdem Officiales, seu Ministros validitati, eorumque Officialium, seu Ministrorum securitati consulere volentes, motu proprio, certaque scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine Officiales, seu Ministros praedictos, quibus aliae ante emanatae praedictas Constitutiones ex Officiorum suorum auctoritate, et praerogative de Oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habitu fides haberi solebat, quoad ea, quae ot praefertur, ad cujuslibet eorum Officium, seu munus, quo funguntur, pertinent, in litteris etiam nostris praedictis super revocatione Oraculorum hujusmodi emanatis minime comprehensos fuisse, nec esse, nec comprehendi debere declaramus, et decernimus: et ad abundantiorem cautelam eosdem Officiales, seu Ministros adversus easdem Constitutiones, quatenus opus sit, restituimus, et plenarie reintegramus in omnibus, et per omnia, perinde ac si quoad illos praedictae Constitutiones non emanassent. 156

Ex qua proin Constitutione satis probata habetur Conclusio *n.* 165. posita: simulque patet, quare in antecedenti Conclusione *num* 152. posita notanter addiderimus limitantem Clausulam: *Nisi per Officiales, ut Ministros illos etc.* Ubi notandum, quod inter hos bene etiam esse possint Cardinales, adeo, ut, etsi absolute loquendo Cardinalis cujuscunque testimonium de Oraculo concesso non sufficiat pro valore *Oraculi*, sufficiat tamen, si alicui Cardinali, ut de illo testetur, a Papa specialiter committitur; vel ei Protector Ordinis, de quo testatur, existit; quia etiam tali ex Officio a Pontifice commisso incumbit, de iis saltem, quae talem Ordinem concernunt, testari, ut post Peyrinum bene advertit Donatus *Tom.* 1. *tr.* 16. *q.* 12. 157

158 Infertur I. Plurima adhuc valere Privilegia *vivae vocis Oraculo* concessa; quia plura habentur debite authenticata, consequenter sub *Revocatione* Gregorii XV. et Urbani VIII. non comprehensa. Cujusmodi *Oracula* sunt omnia illa, quae in nostro Compendio Privilegiorum ab Hieronymo e Sorbo juxta Decreta Concilii Tridentini, et alias Constitutiones Pontificias reformato, comprehenduntur, et signantur sub littera majori O. Sciendum namque quod Privilegia, quae in dicto comprehensa sequuntur, seu notantur sub praefata littera majori O. indicant *vivae vocis Oraculum* vere *authenticum*: signata vero sub littera parvi o, *vivae vocis Oraculum* non *authenticum*.

159 Infertur II. Privilegia *vivae vocis Oraculo* concessa ante tempora, vel tempore Leonis X. item concessa ante Gregorium XIII. imo etiam ante Clementem VIII. hodie adhuc saltem pro Foro interno valere. Ratio inprimis de concessis usque ad Leonem X. est, quia illa non sunt revocata per Gregorium XV. et Urbanum VIII. Siquidem Leo X. concessit, quod Fratres Minores Regularis observantiae secura conscientia possint uti omnibus a Sede Apostolica sive per Bullas, sive per Brevia, sive *vocis vivae Oraculo* concessis privilegiis, prout ea in libris Ordinum reperiuntur. Et pro majori conscientiarum securitate pro Foro interno omnia de novo concessit *vivae vocis Oracula authentica*: uti videre est in nostro Compendio privilegiorum; atqui *vivae vocis Oracula* vere *authentica*, seu testimonio Officialium ad id deputatorum comprobata non sunt revocata, uti patet ex dictis n. 155. et sequentibus, ergo.

160 Ex eadem ratione; quia videlicet non sunt revocata, valida adhuc existunt *vivae vocis Oracula* usque ad tempora Gregorii XIII. et ab ipsomet concessa; eo, quod hic Pontifex Minimorum, et nostri Ordinis Privilegia cuncta, etiam *vivae vocis Oraculo* concessa, per specialem Bullam *ex certa scientia*, et *de Apostolicae potestatis plenitudine* confirmaverit, et innovarit, sicque de novo concesserit; enim confirmatio Privilegiorum *ex certa scientia*, novum jus, novamque Concessionem efficiat per dicta supra 19. Concessio autem Privilegiorum per Bullam facta revocata non sit; uti bene ad propositum argumentatur Peyrinus *Tom.* 2. *Privileg. cap.* 12.

Nec obstat, quod dicit Bordonus *Tom.* 2. *Resolut.* 31. *n.* 6. videlicet, quod *Confirmatio Oraculorum* non mutet naturam eorum. Respondetur enim, hoc verum esse, si *vivae vocis Oraculo* confirmentur et innoventur novo *vivae vocis Oraculo*, secus tamen, si dicta *Oracula* confirmentur et innoventur per Bullam *ex certa scientia*, tunc enim atque acquirunt novam naturam, et novum esse, nam ex *vivae vocis Oraculis* evadunt *Privilegia scripta*, eorumque naturam assumunt, uti bene observat Pellis. *Tr.* 8. *cap.* 1. *n.* 132.

161 Pariter etiam Clemens VIII. *ex certa scientia* confirmavit, et innovavit, consequenter ob clausulam, *ex certa scientia*, de novo concessit omnia Ordinis nostri Privilegia, a quocunque Pontifice sive per Bullam, sive *vocis Oraculo* concessa: adeo, ut *vivae vocis Oracula* ante ipsum concessa per Bullam ipsius evaserint *Privilegia Bullata*, ac per consequens revocationi Gregorii XV. et Urbani VIII. minime subjecta.

162 Dicitur autem notanter in Illatione secunda *num.* 159. posita, *saltem pro Foro interno*: Tum quia Leo X. *vivae vocis Oracula* de novo concessit pro Foro duntaxat interno: Tum quia etsi Gregorius XIII. et Clemens VIII. omnia et singula *Oracula vivae vocis* confirmarint, et de novo concesserint per Bullam juxta dicta *num.* 160. *et* 161. ibi tamen omnia et singula concessa probare non possumus, consequenter omnia et singula pro Foro externo non valent, sed illa tantum, de quibus vel authentice constat juxta dicta: vel reliquia, quae quidem in libris Ordinum reperiuntur; caeteroquin tamen in specie tanquam authentica probari non possunt (qualia sunt omnia, quae in nostro Compendio littera minoris o. signantur) pro solo Foro interno valentibus, utpote pro hoc solo a Leone X. confirmatis.

Infertur III. *Vivae vocis oracula* post Urbanum VIII. concessa valere, et quidem pro Foro interno omnia et singula, de quibus sufficienter constat, quod fuerint concessa, etsi de iis testimonium authenticum ab Officialibus supra dictis non habeatur, sed alii fide digni Superiores, Generales, Provinciales, Procuratores Generales, aut alii hujusmodi fide digni, in quorum praesentia Papa privilegium oretenus concessit, de illis testimonium ferunt. Ratio patet, quia cum par in parem non habeat imperium, consequenter Constitutiones Gregorii XV. et Urbani VIII. manus Successorum non ligent, et nec ad eorum novas concessiones se extendant, procul dubio hujusmodi subsequentes concessiones *vivae vocis Oraculo* factae in Foro conscientiae valebunt, si de eorum concessione quocunque testimonio fide digno constat. Accedit, quod dictae Constitutiones ex professo, et praecise loquantur de *oraculis* ante concessis, minime vero concedendis, uti legenti patet. 163

Verum, ut talia *vivae vocis oracula* post Urbanum VIII. concessa etiam pro Foro externo valeant, non sufficit quodvis caeteroquin fide dignum testimonium de eorum concessione, sed debet esse tale, quale ad probandum in Foro externo alias requiritur, et sufficit; quamvis absolute necesse non sit testimonium supra *num.* 155. allegatum Officialium, sed sufficiet etiam aliud caeteroquin in Jure sufficiens; cum probatio per testimonium dictorum Officialium ab Urbano VIII. praescripta, solum ad probanda Oracula praecedentia, non item futura concedenda se extendat, per rationes *num. praecedenti* allegatas. 164

§. VIII.

De Amissione Privilegiorum per interitum personae, aut rei privilegiatae, ac propter abusum, demum superveniens, lapsum temporis, et cessationem causae.

SUMMARIUM.

165 *Ratio Rubricae.*
166 Privilegium personale *perit per interitum personae* privilegiatae.
167 *Non item per mortem, vel depositionem ab officio illius, qui Privilegium absolute concessit. Et num seq.*
169 *Secus tamen esset, si privilegium non absolute, sed cum certa limitatione, vel usque ad bene*placitum nostrum *fuisset concessum.*
170 *Privilegium concessum sub Clausula*; usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae, *vel* donec *revocavero, non exspirat morte concedentis.*
171 *Si res, cui privilegium inhaeret, perit sine spe restitutionis, perit etiam privilegium.*
172 *Prout contingit, si auctoritate Superioris destruitur Ecclesia, v. g. sine spe restitutionis.*
173 *Secus vero, si perit res cum spe restitutionis*

Et duobus n. seq. cum certa declaratione.
176 *Privilegium etiam amittitur per* abusum.
177 *Assignantur varii privilegii* Abusne.
178 *Inter quos est, quando* Privilegiati *ex causa privilegii sumunt occasionem peccandi.*
179 Abusu *non ipso facto, sed per sententiam primum amittitur Privilegium, nisi in Jure aliud exprimatur.*
180 *Privilegium revocari potest, si incipit cedere in grave praejudicium aliorum, vel Communitatis.*
181 *Privilegium cessat etiam* lapsu temporis, *ad quod duntaxat fuit concessum.*
182 *Sicut etiam, si perit conditio, ad cujus durationem fuit concessum.*
183 *Privilegium cessat etiam* cessante causa.
184 *Puta* finali, *non item impulsiva.*
185 *Si Privilegium est contra Jus commune, vel tertii.*
186 *Simulque tractum successivum habet.*
187 *An causa finalis non tantum* negative, *sed etiam* contrarie *cesset.*

165 Quia non solum *Revocatione*, sed pluribus aliis de causis contingit amitti Privilegia, ut bene notat Glossa *can. Privilegium.* 11. *q.* 3. et amplius patebit ex dicendis. Hinc

166 Quaeritur I. An privilegium amittatur non solum per *interitum personae privilegiatae*, sed etiam *privilegiantis*? Resp. I. Certum est Privilegium singulariter *personale* amitti per interitum personae, utpote cui adhaeret, juxta Reg. 7. Jur. in 6. *Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona*, una cum Concordantiis *n.* 13. addectis.

167 Resp. II. Nihilo minus Privilegium absolute, et sine limitatione concessum non perit per mortem, vel depositionem ab officio ipsius *Privilegiantis*, sive concedentis privilegium. Ita communis Doctorum. Siquidem *Donatio* et gratia simpliciter facta et acceptata non pendet in conservari ab influxu donantis seu concedentis, et habetur *c. Si super gratia. de Offic. Delegat. in* 6.

168 Et hoc quidem non tantum in beneficii, sed etiam in privilegiis, dispositionibus, et aliis gratiosis licentiis et facultatibus jam actu concessis, valde esse notandum, recte ait Engel *Tit. de Rescriptis. n.* 20. Donatus *Tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 12. *q.* 5. citans concordem Doctorum, et amplius vide *Lib. I. Tit. III de Rescriptis.* §. *XI. a n.* 250.

169 Dixi notanter, *privilegium absolute concessum etc.* Nam aliud esset, si privilegium detur non simpliciter, sed cum aliqua conditione, aut determinatione ad certum tempus, puta, ad dies vitae, vel duratione officii: nam clarum est, ejusmodi deficiente conditione, vel elapso tempore etiam cessare Privilegium, vel gratiam. Sin si Princeps concedat privilegium, vel quamcunque gratiam, sub Clausula, *usque ad beneplacitum meum*, illud cessabit in morte ejus, utpote per quam exspirat omnino beneplacitum ipsius, textu claro *h. Si gratiose. de Rescriptis.* in 6. et amplius diximus *Lib. I. Tit. III. de Rescript.* §. *XI.* a *n.* 262.

170 Secus dicendum, si Papa det gratiam *usque ad Apostolicae sedis beneplacitum: tunc enim, quia Sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo*, prout ibidem subditur. Addit Laymanus *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 23. *n.* 11. post Navarrum, Covarruviam et alios, similiter non extingui gratiam morte Concedentis, quam hic concessit sub Clausula, *donec revocavero*, quia actus revocationis est novus et positivus, et consequenter dum a concedente, dum viveret, non fuit exercitus, manet Privilegium post ejus mortem.

Verba autem illa, *usque ad beneplacitum, donec voluero*, significent perseverantiam voluntatis, quae per mortem extinguitur, ut dictum.

Quaeritur II. Quando *per interitum rei privilegiatae* amittatur Privilegium? Resp. I. Quamvis Privilegium *reale* cohaereat rei, sicque per destructionem rei etiam pereat Privilegium, juxta Reg. 42. Jur. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis*: hoc tamen non est indistincte intelligendum, sed tunc demum procedit, si res privilegiata destruatur sine spe restitutionis. Ita Zoesius *h. t. n.* 43. Engel *n.* 14. post glossam c. *Privilegium. de Reg. Jur. in* 6. quibus proinde *arg. l. aede sacra.* 73. *ff. De contrahend. Empt.* 171

Infertur I. Quod si res, Ecclesia, vel alius locus privilegiatus destruatur auctoritate Superioris, absque spe restitutionis, illico pereat Privilegium ejus, ac proinde non sit ulterius vocandus v. g. Clericus Ecclesiae illius. 172

Quod si vero per vim Hostium, ruinam, vel alium casum fortuitum locus, vel alia res privilegiata, puta, Ecclesia, fuerit destructa cum spe tamen refectionis, conservantur ejus privilegia et jura, per textus mox citandos, sed cum discrimine. Nam si jus vel privilegium adhaeret pavimento, remanet continuo: ut Consecratio loci sacri, quae etiam salva manet loco destructo, *l. Æde sacra. ff. de contrah Emption.* ibi: *Æde sacra terrae motu diruta, locus Ædificii non est profanus.* 173

Si autem usus juris, vel privilegii praecise requirat ipsam rem privilegiatam, puta Ecclesiam, adeo ut alibi non possit haberi, tunc quidem pro tempore suspenditur privilegium, exstructa tamen Ecclesia iterum reviviscit, *arg. c. Pastoralis.* 7. *q.* 1. et *l. Cum loca. ff. de Religiosis, et sumpt. fun.* ex notat citatus Zoesius n. 44. 174

Et dixi notanter, *adeo, ut alibi non possit haberi*: nam si usus privilegii posset alibi haberi, tunc privilegium ne quidem suspenditur, sed per habitudinem ad locum manet in personis, quae uti possunt tali privilegio, etiam in alio loco, *arg. c. Quia Monasterium. de Religios. domib.* ubi Monasterium hostilitate desolatum unitur alteri Monasterio *cum omnibus rebus suis, et quae ei competunt actionibus*; et consequentes adhuc remanserant illi talia jura, non obstante sua destructione, quibus dein alter Abbas uti poterat per habitudinem ad dictum Monasterium licet destructum. 175

Quaeritur III. An? et quando *per abusum* perdatur privilegium? Resp. I. Certum est, *per abusum* posse perdi privilegium, textu claro, c. *Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Quae verba etiam habentur, can. *Ubi ista. dist.* 74. et c. *Ut privilegia. h. t.* ac alibi. 176

Resp. II. cum Zoesio hic *n.* 38. *Abusus* proprie significat defectum in ipso usu privilegii, vel in his, quae ipso concernunt. Et hoc contingit inprimis per excessum, utendo privilegio ultra ejus limites, alio tempore, loco, aut in materia, vel persona non concessis. Exemplum hujus refert *cit. c. Ubi ista dist.* 74. unde c. *Ut privilegia. h. t.* dicitur: *Quaedam in eisdem privilegiis duximus declaranda, ne minus sane intellecta pertrahantur ad abusum, propter quam possint merito revocari.* Quin imo qui *astute*, id est, *malitiose* voluntatem Principis interpretatur, *infamis* efficitur. *L.* 2. *C. de Legibus.* 177

Deinde fit *Abusus privilegii*, quando quis ex causa privilegii accipit occasionem peccandi. Exemplum habetur *c. Contingit. de Sentent. Excomm.* ubi Clerici privilegio Clericali ad illicite abutentes, et post trinam monitionem se non corrigentes, perdunt privilegium Clericale. Idem accidit, si quis fini ipsius privilegii per pravos mores repugnat, *arg.* 178

c. *Recolentes. de statu Monach.* et c. *Ex parte. de Clericis conjugat.* et c. *Ex parte. h. t.* ubi Clerici laice viventes privantur privilegio Clericali. Quia enim hujusmodi *Abusus* sunt culpabiles, merito puniuntur per subtractionem privilegii: *cum malitiis hominum indulgeri non debeat, sed potius obviari,* ait. c. *Ex parte h. t.*

179 Resp. III. Non tamen semper ipso Jure amittitur privilegium per *Abusum*, sed per sententiam et revocationem est auferendum. Ita Zoesius *loc. cit.* post Suarezium, et desumitur ex textibus *n.* 72. *et* 73. relatis. Interdum tamen ipso facto amittitur, quando de Jure expressum est: ut si quis spe immunitatis in Ecclesia crimen committat, c. *ult. de Immunitat. Ecclesiast.* aut si Clericus Tyrannidi et enormitatibus se immisceat: nam ipso facto amittit privilegium Clericale, c. *Cum non ab homine,* et c. *Perpendimus. de Sentent. excomm.* ac amplius explicat Glossa *ibid.*

180 Quaeritur IV. An? et quomodo *propter enorme damnum superveniens* amittatur privilegium? Resp. cum Engel *h. t. num.* 16. Si privilegium cedere incipiat in grave aliorum, vel Communitatis detrimentum, saltem per sententiam revocari potest. Desumitur hoc ex c. *Suggestu. de Decimis.* Ubi Summarium sic habet: *Revocatur privilegium, si ex post facto incipit enormiter esse nocivum.* Concordat c. *Cum sint. de Clericis non resident.* ubi privilegiati super absentia, per subtractionem proventuum redire coguntur ad ministerium Ecclesiae, quae patiebatur ministrorum defectum, non obstantibus Apostolicis indulgentiis.

181 Quaeritur V. An? et quando privilegium cesset *per lapsum temporis?* Resp. cum communi, id locum non habere in *privilegio temporali*: nam istud elapso tempore, ad quod privilegium concessum, et restrictum est, illico finitur, *arg. c. de Causis de Offic. Deleg.*

182 Huc reducitur *Amissio Privilegii* sub conditione concessi: nam cessante conditione, cessat etiam privilegium. Siquidem tale privilegium datum est solum ad tempus indeterminatum tamen, id est, tamdiu duntaxat, quamdiu durat ipsa conditio, sub qua concessum est.

183 Quaeritur VI. An? et quando cesset privilegium *propter cessationem causae?* Resp. cum Communi, privilegium cessare *propter cessationem causae*, ob quam datum est: nam ut dicitur c. *Cessante* 60. *de Appellat. cessante causa cessat effectus.*

184 Intellige hoc de causa *finali*, quae est principalis causa privilegii, ita ut ab ea dependeat privilegium, et in *fieri*, et in *facto* ac conservari, ut sine qua Princeps privilegium nullo modo concessisset. Limita tamen id 1. quoad causam solummodo impulsivam. Nam cessante solum causa *impulsiva*, quae tantum secundario movet Principem ad concessionem privilegii, non idcirco cessaret; cum in ea non nitatur.

185 Limita id 2. cum Zoesio *h. t. num.* 32. et Pirhing *num.* 169. ut locum habeat solum in privilegio, quod derogat Juri communi, aut alterius tertii, ad cujus conservationem etiam requiritur causa. Siquidem privilegium *praeter Jus*, seu quod continet merum beneficium Principis, ad sui conservationem non requirit aliam causam praeter liberalem concessionem: quin imo juxta Reg. 16. Jur. in 6. *Decet concessum a Principe beneficium esse mansurum.*

186 Limita 3. Ut habeat locum duntaxat in privilegio *tractum successivum* ad actum seu effectum reiterabilem habente: nam si privilegium in unica tantum actione consistat, puta in dispensatione super Matrimonio, jamque habeat suum effectum consummatum, v. g. actualem dispensationem concessam super Matrimonio, manebit salvum, etiamsi postmodum causa cesset, et ad casum devenerit, a quo inchoari non posset. Siquidem, ut habet Reg. 73. Jur. in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

Limita 4. cum Engel *h. t. num.* 21. Zoesio, Pirhing, et aliis, ut hic modus amittendi privilegium tunc praecipue procedat, quando finis seu causa privilegii non tantum cessat *negative*, sed etiam *contrarie*. Ubi nota, quod tunc causa privilegii cesset *negative*, quando ratio, quae movet Principem ad concessionem privilegii, non amplius subsistit, usus tamen ejus non est injustus. *Contrarie* vero tunc dicitur cessare causa finalis privilegii, quando usus propter mutationem materiae et circumstantiarum factus est iniquus ac injustus: nam cum privilegium de re illicita sit nullum, cessabit, quamprimum causa ejus *contraria* cessat; ut verificetur in proposito illud, quod in simili dicitur *l. Urionus. ff. de Fidejussoribus*, ibi: *Ut quemadmodum incipere alias non possunt* (intellige privilegia cum tali injustitia) *ita nec remaneant.* 187

§. IX.

De Amissione Privilegii per Renuntiationem: et quando, ea fieri possit.

SUMMARIUM.

188 *Personale privilegium amittitur Renunciatione privilegiati.*

189 *Ad amissionem privilegii personalis requiritur acceptatio concedentis privilegium.*

190 *Privilegio in favorem Communitatis, Dignitatis, aut loci concesso per privatum renuntiari non potest.*

191 *Sic Clericus renuntiare nequit privilegio Fori, aut Canonis.*

192 *Nisi in casibus Jure expressis.*

193 *Nec Religiosus privilegio Ordinis, vel Monasterii.*

194 *Privilegio in favorem duorum concesso unus altero invito renuntiare nequit.*

195 *Potest tota aliqua Communitas, vel Religio renuntiare privilegio sibi concesso, quod eidem vel non est utile, vel est indifferens. Et duobus num. seqq.*

196 *Non autem, si talis Renuntiatio cederet in praejudicium Ecclesiae, vel Communitatis, in quo casu etiam unus de Capitulo contradicens impedire potest Renuntiationem.*

197 *Quod si privilegium incipiat esse nocivum, per se cessat.*

198 *Datur praescriptio contra privilegium Ecclesiae, et qualis?*

199 *Superiores Generales, et Provinciales in Capitulis congregati, possunt explicare, limitare, vel abrogare usum privilegiorum, vel ei renuntiare, ex speciali privilegio nostro Ordini.*

200 *Et Societati Jesu concesso.*

Circa praesentem modum amittendi privilegia, certum est, quod privilegium alicui personae particulari in ejus solius favorem concessum, per ejus liberam, et expressam Renuntiationem amittatur: *cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare*, ut c. *Si de terra. h. t.* et alibi. Unde et *l. Si quis in conscribendo. C. de pactis,* dicitur: *Regula est Juris antiqui, omnes licentiam habere, iis* 188

quae pro se introducta sunt, renuntiare Verumtamen *qui juri suo semel renuntiat, non potest posten ad illud pervenire arg. c. Cum inter de Election.* et *concordat c. Quam perienlosum 7. 11.*

189 Intellige hoc, postquam ex *Renuntiatio* e concedente Privilegium fuit acceptata. nam ante hujoe acceptationem poterit Privilegiatus mutata voluntate, non obstante *Renuntiatione*, uti privilegio, *arg. c. Licet de procurat. in* 6. ubi dicitur, quod procurator, qui constitutus ab absente rennit acceptare mandatum, possit poenitere, seu mutata voluntate illud acceptare, quamdiu mandans in eadem persistit voluntate, quod in dubio praesumitur. Ita Zoesius *num.* 34. *h. t.* Pirbing *n.* 173. et alii. Et haec videntur certa, sed mox ulterius

190 Quaeritur I. An pariter privilegium principaliter concessum in favorem alicujus Communitatis, Dignitatis, vel loci, possit renuntiari a personis particularibus cum ejusdem praejudicio? Resp. *Negative.* Patet id ex c. *Si diligenti. de Foro competent.* ibi: *Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactis derogare non potest.* Hinc ibidem allegatur illud receptum: *Pacto privatorum juri publico minime derogatur.*

191 Sic Clerici etiam volentes, et quamvis proprium eorum juramentum accesserit, non possunt renuntiare privilegio *Fori*, vel sibi constituere Judicem laicum, prout decisum habetur *cit. c. Si diligenti. de Foro competent.* Neque possunt renuntiare privilegio *Canonis*, textu claro *c. Contingit* 36. *de Sentent. excommunicat.* ibi: *Cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus*, ut ibidem subditur.

192 Nec obstat, quod Clericus *facto* possit renuntiare Privilegio Clericali, nempe immiscendo se enormitatibus, *c. Cum non ab homine etc. Perpendimus de Sentent. Excommun.* Vel per dimissionem habitus, et Tonsurae usque post trinam monitionem, c. *In audientia* et *c. Contingit* 45. *de Sentent. Excommun.* Nam talia sunt Jura specialiter statuta *in odium Clericalis excessus, et terrorem atque correctionem similium*, cit. c. *Cum non ab homine.* Simulque *frustra Legis auxilium invocat, qui committit in legem*, ut ibidem dicitur.

193 Similiter Religiosi non possunt renuntiare Privilegio *Exemptionis* suae Religionis sine consensu Papae, qui eos ab aliorum Ordinariorum jurisdictione exemit, suaeque protectioni immediate subjecit, *arg. c. Cum tempore de Arbitris.* Quamvis nihilo minus multi graves Doctores velint apud Engel *h. t. n.* 18. posse Religiosos *exemptos* subjicere sese Episcopo, ut ab eo absolvantur a peccatis et censuris, vel dispensetur cum ipsis in voto, juramento, vel irregularitate, casu quo Episcopus, non autem Praelatus Ordinis, talem facultatem habet: ne alioquin, quod ob gratiam eorum concessum est, in ipsorum retorqueatur dispendium, contra *reg.* 61. *Jur. in* 6.

194 Addit Fagnanus *in cit. c. inter alia de immunitat. Ecclesiast. n.* 89. generale esse, ut Privilegio in favorem duorum concesso alter altero invito renuntiare non possit, *arg c. Ad Apostolicam de regularib.* juncta Glossa ibidem, ℣. *Monasterii* Siquidem *in re communi, potior est conditio prohibentis*, juxta Reg. 56. Jur. in 6.

195 Quaeritur II. An saltem tota aliqua Communitas, v. g. Religio, Praelatus cum Capitulo, Civitas, vel Conventus, possint renuntiare Privilegiis sibi concessis? Resp. *Affirmative*, *arg. c. Cum accessissent. de Constitut.* et *c. Pro illorum de Praebendis.* Unde et hic locum habet illud commune dictum: *quilibet suo juri renuntiare potest*, item, *beneficio nemo uti cogitur* per dicta supra *n.* 3.

196 Intellige, dummodo talis *Renuntiatio* non cedat in Ecclesiae, vel aliorum praejudicium. Nam Privilegio Ecclesiae nemo potest renuntiare, *arg.* c. *Contingit. il.* 2. *de Sentent. Excommun.* et notat Fagnanus *in c. inter alia de immunitat. Ecclesiast. n.* 88. Imo generatim loquendo non potest Praelatus, Capitulum, vel Conventus renuntiare juri acquisito per privilegium, statutum, vel consuetudinem, si tale jus Ecclesiae sit utile, ac honorificum, adeo ut vel unus solus aliis de Capitulo contradicere possit, ac *Renuntiationem* impedire; non obstantibus iis, quae alioquin doceri solent toto Titulo, *De his, quae fiunt a majori parte Capituli.* Quin imo si omnes contra facerent, Superior v. g. Episcopus posset, ac deberet impedire, quatenus id cedit in damnum Ecclesiae. Ita Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 23. *nu.* 10. Pirbing *h. t. n.* 174. post Innocentium, et alios. De quo vide etiam *Lib.* I. *Tit.* XXI. *a n.* 544.

197 Igitur Praelatus cum Capitulo illis solum renuntiare potest Privilegiis, ac juribus aliis, quae Ecclesiae non sunt utilia, vel saltem indifferentia. Quod si Privilegium nocivum esse incipiat, per se cessat, ita ut observari non debeat, juxta *reg.* 61. *jur. in* 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Ita citati Doctores.

198 Verumtamen id publicae utilitatis causa, atque ad evitandas lites, et ne jura ac dominia rerum diutius maneant in incerto, receptum est, ut propter negligentiam Praelati currat contra Ecclesiam *Praescriptio* 40. annorum, *arg* c. *De quarta etc. Ad aures de Praescription. etc. Accedentibus. de Privilegiis.* Intellige, nisi Ecclesia illa gaudeat Privilegio Praescriptionis centenariae, ut Ecclesia Romana, contra quam non nisi centenaria Praescriptio currit, *arg. c. Cum vobis de Praescription.* Imo etiam quidam Ordines specialiter sunt privilegiati, ut contra eos non currat nisi *Praescriptio* 60. annorum, ut concessum est ab Eugenio IV. Ordini S. Benedicti, atque Ordinibus Mendicantibus concessum esse notant Lessius *lib.* 2. *de Justit. et jur. cap.* 6. *dubit.* 7. Engel *Tit. de Praescription nu.* 33. Molina, et alii. Verum de Praescriptione hac late vide *Lib.* II. *Tit.* XXVI. *de Praescription.*

199 Resp. II. Leo X informatus, quod sint nonnulla vivae vocis Oracula concessa Ordini Fratrum Minorum, quorum aliqua aliquibus temporibus fuerunt utilia, sed forte praesentibus non sunt, nec futuris erunt: ac propterea aliqua sunt in aliquibus locis necessaria, et aliqua non, concessit, ut non solum Generalis in suo Generali, sed etiam quilibet Provincialis in suo Provinciali Capitulo de consensu ejusdem Capituli, vel majoris partis, declarare possit, et valeat, utrum ab usu alicujus concessionis vivae vocis Oraculo factae abstineri debeat: post quam quidem declarationem tam Fratres, quam Moniales, ac si concessio hujusmodi per suam Sanctitatem suspensa vel revocata fuisset, concessione eadem imposterum non utantur. Ita Leo, ut videre est *in Compend. Privileg.* ℣. *Oracula vivae vocis.*

200 Idem etiam de aliis scriptis Privilegiis dicendum esse, recte docet Roderiquez *Tom.* 1 *regular n* 9. *art.* 2. Idque probat ex concessione Gregorii XIII. facta Societati Jesu, et ratione, quia, cum interpretativa voluntas totius Ordinis, vel Provinciae contineatur in Capitulis generalibus, et Provincialibus, quidquid ab istis fit, a toto Ordine, vel Provincia fieri censetur: quae tota utique Privilegio renuntiare potest. Id, quod etiam consuetudine et praxi Ordinum comprobatur.

§. X.

De Amissione Privilegiorum per non Usum, vel Actum contrarium, ubi etiam de Privilegiis in specie Usu adhuc vigentibus.

SUMMARIUM.

201 *Privilegia alia sunt* affirmativa, *alia* negativa.
202 *Alia sunt* concessa cum gravamine aliorum: *alia mere* gratiosa sine allius gravamine.
203 *Per* non usum, *aut* usum contrarium *dupliciter amittuntur Privilegia, videlicet vel via* Praescriptionis, *vel* tacitae Renuntiationis.
204 *Aliqua ex praefatis via non Usum amittuntur Privilegia* affirmativa *concessa cum gravamine aliorum.*
205 *Ad quod tamen requiritur I. Quod Privilegiatus habuerit occasionem utendi Privilegio.*
206 *Et notitiam illius.*
207 *Et* libere, *id est, sine ulla coactione, aut impedimento illo uti omiserit?*
208 *Et quidem tempore ad Praescriptionem requisito, si hac via omitti dicatur.*
209 *Privilegia* affirmativa, *quae sunt merae gratiae (uti sunt etiam Indulgentiae) nunquam amittuntur* per non Usum.
210 *Probatur ratione.*
211 *Et solvitur instantia.*
212 *Privilegia* negativa *mere gratiosa non amittuntur per* non Usum.
213 *Bene tamen concessa* cum onere aliorum.
214 *Dummodo Usus contrarius* voluntarie,
215 Libere *seu* sponte,
216 *Et ab eo fiat, qui Privilegio expresse renuntiare potest.*
217 *Per expressam Renuntiationem unico actu perdi potest Privilegium, sicut etiam via Praescriptionis, si caetera concurrunt.*
218 *Via tacitae Renuntiationis Privilegium regulariter loquendo non quidem amittitur Unico actu;*
219 *Tamen etiam per unicum actum amittitur, si Privilegium non habet tractum successivum, nec effectum iterabilem, sed in unico actu contrario consistit.*
220 *Item si ex conjecturis colligere licet, quod quis per usum contrarium velit renuntiare Privilegio etiam tractum successivum habente.*
Statuta jurata contravenientes Capitulares censentur illi renuntiare. Ibid.
221 *Quamvis Privilegium habens tractum successivum via* tacitae Renuntiationis *per unicum actum ordinarie quidem non amittatur, datur tamen Adversaria quasi possessio ad praescribendum*
222 *Ut Privilegia* affirmativa *aliis onerosa habentia tractum successivum per non* Usum *amittantur via Praescriptionis requiritur, et sufficit tempus ad Praescriptionem ordinarie requisitum.*
223 *Possunt amitti via Praescriptionis.*
224 *Quantum tempus requiratur in specie?*
225 *Requiritur etiam, quod adsit occasio notitiae, et libertas utendi Privilegio.*
226 *Privilegia negativa aliis onerosa amitti possunt per actum contrarium via Praescriptionis, et tacitae Renuntiationis.*
227 *Tempus ad hoc requisitum quale?*
228 *Doctrina practica ad propositum. Et num. seq.*
229 *Respondetur ad* c. Si de terra h. t.
231 *Status Quaestionis de Privilegiis hodie valentibus.*
232 *Multa centena Privilegia partim pro utroque, partim pro Foro interno adhuc valent, utpote nec ullibi revocata: Et duobus seqq.*
235 *Compendium nostrorum Privilegiorum fuit exacte reformatum juxta Decreta Concilii Trident. et Constitutiones Pontificias.*
236 *Valent etiam adhuc plurima vocis Oracula: et quae?*
237 *Causae* Amissionis *Privilegiorum parum obsunt Privilegiis nostris.*
238 *Privilegia scripta, seu Bullata, et Oracula authentica in nostro Compendio reperta valent pro utroque Foro.*
239 *Paucis exceptis, illis nempe, quae per novas Constitutiones pro certa materia editis, sunt revocata.*
240 *Plura de Privilegiis Remissive.*

Nota *primo* cum Laymano *Lib. 1. tract. 4. cap. 23. et seqq.* Pirh. *h. t. n.* 175. et aliis, Privilegia quaedam esse *affirmativa*, quibus videlicet datur facultas aliquid agendi. Quaedam vero *negativa*, quae nempe in non faciendo consistunt; ut est Privilegium immunitatis a solvendis Decimis vel Tributis, Privilegium exemptionis a jurisdictione Ordinarii etc. 201

Rursum Privilegia tam *affirmativa*, quam *negativa* alia esse concessa cum gravamine aliorum, ut quoad *negativa* apparet in allatis exemplis. Quoad *affirmativa* vero in Privilegio imponendi Tributa, exigendi Decimas. Alia vero sunt merae gratiae, et in nullius praejudicium cedentes, ut est *affirmativum* Privilegium celebrandi ante auroram, dispensandi in irregularitatibus, absolvendi a casibus Reservatis, comedendi carnem in Quadragesimae, item *negativum* Privilegium non interessendi Processionibus. 202

Nota *secundo*, dupliciter intelligi posse, quod Privilegia amittantur *per non Usum* Privilegii, aut contrarium actum. I. Per modum Praescriptionis, si nimirum concurrentibus caeteris requisitis, tempore ad Praescriptionem sufficienti, et, oblata simul occasione utendi privilegio, quis eodem non est usus; aut post actum contrarium sine protestatione factum decurrit tempus ad Praescriptionem sufficiens ac *necessarium*. II. Per tacitam Renuntiationem: qui enim sciens et volens, ac non coactus, absque protestatione actum Privilegio contrarium exercet, praesumitur *in* Foro externo renuntiare juri suo ac privilegio, si caetera etiam requisita concurrunt. His notatis 203

Quaeritur I. An, quando? et quae privilegia *affirmativa* amittantur per *non Usum*? Ante responsionem scito notanter, hic quaeri de privilegiis *affirmativis*; quia haec sola per *non Usum* amittuntur, sicuti econtra *negativa* amittuntur per *actum contrarium*. Hoc notato Resp. I. Privilegia *affirmativa* concessa cum gravamine aliorum v. g. exigendi Decimas, imponendi Tributum etc. per *non Usum*, si caetera requisita concurrunt, *amittuntur* vel via Praescriptionis, vel tacitae Renuntiationis. Communis et certa, *arg. c. Cum super.* 23. *de Offic. Delegat.* ibi: *Cum noluerit, quod poterit.* et *L.* 1. *de Nundinis*, ibi: *Nundinis impetratis a Principe non utendo qui meruit, decennii tempore usum amittit.* Item *c. Si de terra, de privileg.* ubi dicitur: *De privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis; cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare.* Ratio est; quia etiam aliae obligationes servitutes tam *reales*, quam *personales*, v. g. transeundi per alienam viam taliter amit- 204

tontur, ut amplius dictum est *Lib. II. Tit· XXVI. de Praescription.*

205 Resp. II. Ad hoc, ut Privilegia *affirmativa* cum gravamine aliorum concessa amittantur per *non Usum*, plura requiruntur. Patet Conclusio inductione. Inprimis enim requiritur, quod fuerit occasio utendi privilegio, et tamen eo usus non fuerit Privilegiatus; haec enim ubi deest, non amittitur privilegium, etsi per mille annos nullus exerceatur actus Privilegii, uti fatentur omnes, *arg. l. Artilicinius. ff. de Servitut. Rustic. praed.*

206 *Secundo*, ut scienter omittatur Usus privilegii, id est, ut quis sciet se habere privilegium, et tamen data bona occasione, eo uti omittat; qui enim ignorat, se habere privilegium agendi hoc aut illud, non amittit, si illo uti omittat. Innocent. *in c. Accedentibus. princip. h. t.* Donatus *Tom.* 1. *p.* 1. *Tr.* 12. *q.* 6. *n.* 6. Pirhing *h. t. num.* 175. cum communi aliorum, *arg. l. His, qui usumfructum. ff. Quibus modis ususfructus vel usus amittitur.*

207 *Tertio* requiritur, ut Privilegiatus sponte et voluntarie omittat uti privilegio, si enim quis violenter, aut ob infirmitatem vel absentiam ab *Usu* impeditur, privilegium non amittit. Glossa *in cit. c. Ut privilegia.* 26. *h. t.* §. *semel in anno.* Donatus *loc. cit. n.* 6. Pirhing *loc. cit.* et communis aliorum, fuitque aliquoties decisum teste Donato. Ratio horum est; quia deficiente uno ex his requisitis nulla adest culpa, ob quam Privilegiatus Privilegio privari possit, nec indicium voluntariae Renuntiationis, nec sufficiens via Praescriptionis, ut consideranti patet.

208 *Quarto* requiritur sufficiens tempus, si via Praescriptionis amitti dicatur, de quo tempore infra *num.* 224.

209 Resp. III. Privilegia *affirmativa*, quae sunt merae gratiae, atque in nullius gravamen cedunt, v. g. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi, et hujusmodi, per merum non Usum nunquam amitti. Glossa *in c. Ut privilegia h. t.* §. *Semel in anno.* Layman citans Suarezium, et Pirh. *h. t. n.* 176. Engel hic *n.* 19. Bassaeus §. *Privilegium.* 3. *n.* 16. post Bonacinam, Roderiques, et alios. Idemque nonnulli extendunt ad Indulgentias perpetuas, quae per longum tempus non amplius fuerunt usitatae, idque ob paritatem rationis.

210 Accedit ratio: Quia inprimis hujusmodi Privilegia non amittuntur via praescriptionis, cum nemo sit qui contra hujusmodi Privilegia non onerosa praescribere possit. Neque amittuntur per tacitam Renuntiationem, quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi: unde cum in similibus *non Usus vel Usus contrarius* sit actus liberae facultatis, qui non inducit praescriptionem, vel Renuntiationem, non videntur talia privilegia per eum amitti, dummodo habeant causam successivam et effectum iterabilem. Hinc in simili *Voluntarias c. de Excusat. Tutorum*, dicitur: *Voluntariae tutelae munera Privilegiis nihil derogant*: id est, si quis contra suum privilegium sponte suscipit unam Tutelam, non idcirco censetur renuntiasse Privilegio, ita quasi deinceps posset compelli et aliam imposterum suscipere.

211 Quod si objicias contra hanc doctrinam textum *num.* 104. relatum. Resp. Privilegium celebrendi Nundinas numerari inter privilegia *onerosa*; quia Mercatoribus in tali loco existentibus Nundinae sunt onerosae, eo quod ob copiam adventantium Mercatorum non possint merces suas pretio cariore distrahere. Vel certe hoc est speciale de privilegio Nundinarum; quia specialiter expressum in Jure, ut non nisi sub tali conditione a Principe concedatur: quod proinde tanquam odiosum non est extendendum ad alia privilegia *merae gratiae*, quibus talis conditio neque ex Jure scripto, neque ex consuetudine annexa est.

Quaeritur II. An? quando? et quae privilegia negativa amittantur per *Usum contratrium*? Resp. I. 212
Privilegia *negativa* mera gratiosa, v. g. non jejunandi, nunquam amittuntur per Usum contrarium. Suarez *lib.* 8. *de Leg. cap.* 35. *num.* 22. Pontius *lib.* 8. *de Matrim. cap.* 18. *num.* 25. Pirhing *h. t. num.* 283. cum Communi per Rationes et Jura *nu.* 210. allegata.

Resp. II. Contra Privilegia *negativa* cum onere 213
aliorum concessa, v. g. non solvendi Decimae, vel Tributum, amitti possunt per *Usum contrarium.* Suarez *loc. cit. cap.* 34. *n.* 20. *et cap.* 35. *n.* 1. *et* 2. Pontius *loc. cit. nu.* 9. Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 23. Pirhing *h. t. n.* 178. cum communi et certa aliorum, *arg. c. Cum accessissent. de Constitut.* ubi Statutum quodpiam auctoritate Apostolica in favorem Canonicorum confirmatum, mandat Papa in suo robore conservari, *nisi postea dicti Canonici contravenerint*; et consequenter hi actu contrario dictum privilegium seu favorem amisissent. Possuntque amitti vel via praescriptionis, vel tacitae Renuntiationis per dicta *num.* 203.

Verum, ut per tacitam Renuntiationem amittan- 214
tur, requiritur *primo*, ut quis scienter, et voluntarie exerceat actum contrarium animo renuntiandi privilegio: nam si quis ignorat se habere privilegium, vel illius immemor agit contra illud, aut expresse protestetur, se nolle per hoc renuntiare, aut praejudicare suo privilegio, non amittit illud. *L.* 1. *C. De his, qui sponte suo munere publico.* Abbas *in c. Cum accessissent. de Constitut. n.* 7. et ibi Felinus *nu.* 30. *Limitat.* 5. Layman *loc. cit. n.* 11.

Secundo, ut sponte et libere agat per dicta supra 215
num. 207.

Tertio, ut fiat ab eo, qui privilegio expresse re- 216
nuntiare potest. Ratio patet, quia qui expresse renuntiare non potest privilegio, multo minus tacite id valebit. Quinam autem, et quomodo renuntiare possint privilegio? habes supra §. IX.

Quaeritur III. An privilegium cum onere aliorum 217
concessum etiam per unicum actum amitti valeat via tacitae Renuntiationis? Et dico notanter, *via tacitae Renuntiationis*: nam inprimis certum est per unicum actum Renuntiationis expressae amitti privilegium, juxta dicta superius §. IX. Insuper per unicum actum contrarium absque protestatione factum potest amitti privilegium via praescriptionis, si postea elabatur tempus ad praescriptionem sufficiens, per dicenda infra.

Resp. I. Regulariter quidem non sufficit unicus 218
actus ad amissionem privilegii via tacitae Renuntiationis; id tamen fieri potest in certis casibus. Ratio *primae partis* sequitur ex hactenus dictis: unde Summarium ex Salyceto desumptum *in l. Voluntariae. C. de Excusat. Tutor.* ponit hanc Regulam: *Per unum actum contrarium quis non perdit in aliis privilegium habens effectum reiterabilem et successivum.*

Altera vero pars, nempe privilegium quando- 219
que perdi unico actu contrario, probatur inductione. Sic enim inprimis perditur privilegium unico actu contrario, si id non habeat tractum successivum, neque effectum reiterabilem, *arg. c. Cum accessissent. de Constitut.* ubi Indultum Apostolicum extinguendi Primiceriatum fuit unico actu extinctionis completum.

Secundo perditur privilegium etiam habens tra- 220
ctum successivum et iterabilem effectum, per unicum contraventionem seu actum contrarium, si aliae conjecturae concurrant, ex quibus Renuntiatio privilegii absolute colligitur. Exemplum hujus

ponit Layman in *c. Cum accessissent. de Constitut. n* 13. de statuto et privilegio jurato, quando nempe Capitulares jurarent, se observaturos tale Statutum et privilegium: nam si postea contravenient etiam unico actu *Capitulariter* gesto, censentur id facere animo tollendi statutum vel privilegium, ne alioquin agere contra juramentum, sicque rei esse perjurii conveniantur. Omitto nonnulla alia.

221 Resp. II. Quamvis privilegium habens tractum successivum et effectum iterabilem, v. g. non solvendi Decimas, vectigalia, et hujusmodi, per unum actum contraventionis regulariter non amittatur: exinde tamen datur Adversario quasi possessio in ordine ad praescribendum contra privilegiatum. Ita Engel *h. t. num.* 20. post Suarezium, et Barbosam. Inde enim fit, quod propter unicum actum contrarium sine protestatione factum amittatur privilegium via praescriptionis, si postea elabatur tempus ad praescriptionem sufficiens, alias enim ut habetur *Reg.* 3. *Juris in* 6. *sine possessione Praescriptio non procedit.*

222 Quaeritur IV. Quanto tempore censeatur privilegium amissum per *non Usum*, vel *Usum contrarium?* In resolutione hujus quaestionis mire varient Doctores ob apparentem quandam textuum utriusque Juris diversitatem, ut videre est apud Glossam in *c. Cum accessissent de Constitut.* ⅌. *Contravenerint.* et Engel *h. t. nu.* 19. ubi in re tam perplexa apertiorem Juris declarationem optat. Resp. I. Ut privilegia *affirmativa*, quae sunt aliis onerosa, habentque causam successivam, vel actum iterabilem, *per non Usum*, si tamen occasio aderat, amittantur via praescriptionis, tantum temporis requiritur, quantum ad praescriptionem. Patet hoc ex terminis, quia alioquin talia privilegia non amitterentur via praescriptionis.

223 Caeterum posse privilegia amitti per *non Usum* via praescriptionis, patet ex eo; quia sicut omnes aliae obligationes, ac servitutes tam reales quam personales sic amittuntur, si quis jure suo pro temporum occasione nunquam utatur, sicque alter rem ut liberam possidens contra ipsam praescribat: ergo a pari potest praescribi contra Privilegia, quatenus illi, in quorum praejudicium tendunt, praescribunt exemptionem a tali onere per tempus a Jure definitum.

224 Porro tempus ad praescriptionem varium est pro diversitate causarum, uti patet ex *L. II. Tit. XXVI. de praescript.* Caeteris tamen dimissis breviter nota, quod ad praescribenda bona immobilia (quibus annumerantur jura et actiones ad immobilia) privatorum, *cum titulo* requiratur spatium decem annorum inter praesentes, et viginti annorum inter absentes, *arg.* §. 1. *Instit. de Usu capt.* et alibi. *Sine titulo* autem requiratur spatium triginta annorum, *arg. L. Sicut in rem. C. de Praescription.* 30. *et* 40. *annorum.* et *c. Sanctorum. de praescript.* Contra Ecclesiam vero non valet praescriptio, nisi sit annorum quadraginta, imo subinde requiritur major, juxta dicta *loc. cit.* §. *VI.*

225 Dixi tamen notanter *num.* 222. *Si tamen occasio utendi aderat.* Nam si occasio utendi privilegio sese nunquam offerat, illud per *non usum* minime amittitur, juxta dicta *num.* 205. ut si quis habeat *jus gladii* ex privilegio, atque non fuerit usus etiam tempore longissimo, eo quod nullum Malefactorem ceperit, non idcirco perdidit hoc privilegium. Idem dic, si quis per absentiam, infirmitatem, aut per violentiam ab ejus usu impeditur, privilegio non sit usus, aut privilegium ignorarit, per dicta a *num.* 205.

226 Resp. II. Privilegia *negativa* aliis onerosa, v. g. exemptio a Decimis, vel jurisdictione Ordinarii, possunt juxta jam dicta per *actum contrarium* amitti vel via praescriptionis, si post actum contrarium sine protestatione factum elabatur tempus sufficiens ad praescriptionem vel per tacitam Renuntiationem: nam in Foro externo praesumitur quis juri ac privilegio suo renuntiare, qui sine necessitate cogente, et absque protestatione actum ei contrarium exercet, ut bene probat Glossa communiter recepta *in c. Gratiam. de Offic. Delegat.* ⅌. *Recessum.*

Resp. III. Quantum temporis requiratur, ut privilegium censeatur amissum *ob actum contrarium* per viam tacitae Renuntiationis, Jura satis clare non exprimunt, nihilominus probabiliter dici potest per viam tacitae Renuntiationis regulariter eodem tempore amitti Privilegia, quo per actus contrarios solet derogari Juri communi. Ita indicat Glossa *in c. Accedentibus. h. t.* dicens: *Et ita perditur privilegium eodem tempore, quo et praescribitur contra Jus commune.* Accedit ratio; quia Privilegium est *lex privata*; ergo si Juri communi tanto vel tanto tempore derogetur, multo magis Privilegio, prout amplius discurrit Engel *h. t. num.* 9. Cum quo proinde 227

Inferes *primo*, concordando Jura Juribus, quod Privilegium contra Jus Civile concessum, per *non usum* ut habita occasione utendi, amittatur lapsu decennii, *arg. L.* 1. *ff. de Nundinis*. nam ad derogandum Legi Civili sufficit decennium *arg. L.* 1. *C. Quae sit longa consuetudo.* 228

Econtra Privilegium Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis concessum, ac usu aliquando receptum, non amittitur nisi spatio 40. annorum, *arg. c. Accedentibus. h. t.* Nam ad derogandum Legi Ecclesiasticae, ac usu aliquando receptae, requiritur tempus 40 annorum, *arg. c. Auditis. de praescript* et *c. Cum Ecclesia de Causa possess.* atque cum communiori DD. diximus *Tit. de Consuetudine* §. *V.* 229

Quomodo autem praemissis non obstet *c. Si de terra h. t.* ubi Monasterium per 30. annos solvens Decimas censetur renuntiasse juri Privilegii, quo exemptum erat a solvendis Decimis, conatur solvere Engel *loc. cit.* id explicans de Privilegio, usu nunquam recepto, eo quod Monasterium illud a sui erectione Decimas semper solvisset: nam etiam Leges Ecclesiasticae usu nunquam receptae abrogantur decennio, multo magis annis triginta. 230

Quaeritur V. Quaenam Privilegia in specie pro Regularibus Mendicantibus praesertim Ordinis nostri adhuc valeant, et subsistant, ita ut nec revocata, nec per non *usum*, aut *actum contrarium*, Renuntiatione, Praescriptione, aut alia via sint amissa? consequenter vel in utroque, vel saltem in Foro interno eis uti liceat? Ante responsionem nota, quod etsi resolverimus, Privilegia in specie e potiori compendiose saltem adducere, tamen quia opus aggredientes vidimus, opus fore integro novo Tomo ad id praestandum, mutata intentione, per aliquas Conclusiones universales, et remissione ad Compendia Privilegiorum satisfacere quaestioni conducens duximus. Quare 231

Resp. I. Plurima, imo multa centena Privilegia in specie Regularibus Mendicantibus praesertim Ordinis nostri per diversos Pontifices concessa etiam pro utroque Foro adhuc vere valida existunt, valideque, et licite practicari possunt. Ratio conclusionis est, quia tam in nostro, quam Societatis Jesu, et aliorum Ordinum Compendio, et recollectione Privilegiorum maxima copia illorum in specie allegari possunt, quae nec sunt revocata, nec per *usum contrarium*, vel *non usum*, Renuntiationem, Praescriptionem, vel aliam viam amissa fuere. 232

Et quidem quod plurima nulli revocationi sint 233

subjecta, inde patet: Tum quia nunquam hus usque facta est, nec unquam fiat aliqua universalis revocatio omnium privilegiorum; quia licet plures a variis Pontificibus in certa materia editae sint Constitutiones revocatoriae Privilegiorum, hujusmodi Constitutionibus contrariorum, tamen plurima adhuc alia, et quidem, ut diximus, multa centena privilegia dantur, quae a dictis Constitutionibus, utpote in alia materia emanatis, minime tanguntur.

234 Pariter licet etiam Concilium Tridentinum in diversis Sessionibus in specie et expresse revocerit aliqua privilegia, ac insuper omnia Ejusdem *Sessionis 25. de Regularibus* contraria juxta dicta superius; tamen non obstante, quod praefata per Concilium Tridentinum, et multa alia per Constitutiones supra dictas vere sint revocata, adhuc multa centena alia existunt, quae nec praefato Concilio, nec supra dictis Constitutionibus sunt contraria; consequenter ab eis minime revocata, uti videre est inter alia in *nostro Compendio privilegiorum* reformato per P. Hieronymum a Sorbo.

235 Notandum siquidem specialiter, quod dictum *nostrum* privilegiorum Compendium omni debita cum reverentia et obedientia erga S. Sedem, juxta Decreta Concilii Tridentini, et aliorum Constitutionum Papalium fuerit reformatum, et sic reformatum editum, adeo ut nullum in illo reperiatur privilegium a Concilio Tridentino, vel aliqua Constitutione Pontificia usque ad Clementem VIII. revocatum, et tamen multa centena in illo reperiantur privilegia, etiam nulli posteriori Constitutioni Pontificiae contraria, nec per aliam causam amissa, uti legenti patebit. Pariter res se habet de Compendio privilegiorum Societatis Jesu recenter edito, sicut et de aliis.

236 Rursus, licet Gregorius XV. et Urbanus VIII. universaliter pro utroque Foro revocerint omnia *vivae vocis Oracula* non vere *authentica*, seu de quibus testimonium Officialium et Ministrorum superius allegatorum non constat; tamen *non* obstante dictorum Pontificum revocatione, plurima *Oracula* adhuc valent: Tum quia plurima habentur vere *authentica*, omnia videlicet illa, quae in nostro privilegiorum Compendio signata sunt majori Litera O. juxta dicta *supra*. Tum quia omnia *vivae vocis Oracula* in libris Ordinis nostri reperta, etsi testimonio praefatorum Officialium non *authentisata*, Leo X. saltem pro Foro conscientiae, novo *vivae vocis Oraculo* vere authentico de novo concessit, et eadem etiam Gregorius XIII. et Clemens VIII. ex certa scientia per specialem Bullam de novo confirmarunt et concesserunt, consequenter fecerunt, quod dicta nostra *Oracula* in libris Ordinis nostri reperta Gregorianae, et Urbanae revocationi non subjaceant, et consequenter adhuc saltem in Foro conscientiae valeant, juxta dicta *supra*. Cum *Oracula* vere *authentica*, vel quae per novam Bullam denuo sunt concessa, evadant privilegia scripta, et per consequens a dictis Pontificibus nullatenus revocata.

237 Porro saepe dicta magna copia privilegiorum parum vel nil minuitur non *Usu aut usu contrario*, aut renuntiatione illorum, aut alia amissionis causa; Tum quia plurima ex eis sunt mere gratiosa, quae non *Usu*, aut *Usu contrario* minime cessant per dicta *supra*. Tum quia pleraque sunt data Ordini, Dignitati, Officio, aut Communitati, quibus per privatos renuntiari nequit: Tum quia alia amissionis causa facile probari nequit, et interea *privilegiati* sunt in possessione privilegiorum. Hinc ad Quaestionem *n.* 231. positam pro praxi

238 Resp. II. Omnia et singula privilegia *scripta*, seu *Bullata*, item omnia et singula *vivae vocis Oracula* vere *authentica*, quae in nostro reformato privilegiorum Compendio reperiuntur, et nova aliqua Constitutione post Clementem VIII. circa certam materiam expresse revocata non sunt, et contra quae causa aliqua amissionis probari non potest, adhuc pro utroque Foro valent. *Vivae vocis Oracula* vero plene non *authentica*, et ex libris tamen Ordinis nostri ibidem adducta, valent pro solo Foro interno, utpote pro hoc solo ab allegatis Pontificibus de novo concessa etc. Patet tota Conclusio ex dictis, quam pro compendiosa et practica notitia solum adducere, de reliquo Lectorem scire cupientem, num et quale in hac vel illa materia privilegium habeamus, ad saepe allegatum reformatum nostrum Compendium privilegiorum ordine Alphabetico compositum remittere expediens duximus.

Dicitur notanter, et *nova aliqua Constitutione* 239
post Clementem VIII. revocata non sunt; quia aliqua respective tamen valde pauca in dicto Compendio reperiuntur privilegia, quae a novis Constitutionibus fuere revocata, utpote contraria hujusmodi Constitutionibus in illa materia, circa quam fuere edita cum Clausula *Non obstantibus quibuscunque privilegiis etc.* uti erat privilegium super *Altari portatili* celebrandi Missam in quovis etiam saeculari loco, quod fuit revocatum a moderno Pontifice juxta dicta *Lib. III. Tit. XLI. a n. 4.*

Et haec de materia privilegiorum dicta sufficiant; 240
qui plura de his desiderat, consulat Quaestiones Regulares Roderiquez, Manuale Mirandae, Hiacynthum Donatum, Peyrinam, Lezenam, et alios integros Tomos de privilegiis scribentes. Nobis properandum ad alia.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

1 *Purgatio Canonica quid?*
2 *Olim fiebat per juramentum ad sepulchra, vel Reliquias Sanctorum.*
3 *Vel per sumptionem Eucharistiae.*
4 *Hodie vero fit per juramentum* Illius.
5 *Et quorumdam Compurgatorum, ita ut ille de veritate, hi vero de credulitate jurent.*
6 *Peregrino creditur sine Compurgatore: et quomodo?*
7 *Purgatio Canonica non nisi a competente Judice indici potest.*
8 *Ut legitime alicui indicatur, requiritur I. Ut talis de crimine publice sit diffamatus, aut suspectus.*
9 *II. Et quidem verosimiliter.*
10 *III. Ut fama ortum non habet a Malevolis.*
Propter scandalum vitandum receditur a Jure communi. Ibid.
11 *IV. Requiritur, ut crimen, vel innocentia aliter probari non possit.*
12 *V. Ut crimen non sit notorium.*
13 *VI. Et diffamata persona sit alias fide digna.*
Plebeis, et vilibus non inducitur Purgatio Canonica, sed Tortura. Ibidem.
14 *Judex potest Purgationem Canonicam indicere vel ex officio, vel ad instantiam partis.*
15 *Et quidem non solum super crimine, sed etiam super macula, defectu, aut impedimento.*
16 *Diffamatus in Purgatione deficiens, punitur ut reus: et qualiter?*

17 *Purgationis rite factae effectus qui?*
18 *Ordinarie de tali crimine non amplius potest accusari.*
19 *Nisi nova indicia emergant; vel Accusator suam prosequatur injuriam; aut probare vult, Diffamatum perjurasse.*
20 *Purgatio Canonica hodie fere in desuetudinem abiit, excepto officio Inquisitionis.*

1 Quaeritur I. Quid sit, et quomodo fieri debeat *Purgatio Canonica*? Ante responsionem nota *Purgationem Canonicam* ut sic quantum ad propositum, aliud non esse quam *ostensionem innocentiae de objecto sibi crimine*. Et haec duplex est, videlicet *Canonica* et *vulgaris*, quarum posterior reprobatur a Jure, ut dicemus *Tit. seqq.* De priore autem, sic dicta, quia a SS. Canonibus est adinventa et approbata, *hoc Tit. et cau. 5. quaest.* 5. ferme per totum, bis notatis, Resp. 1. quod Canonica Purgatio sit innocentiae alicujus criminis, de quo quis diffamatus est, *Canonice* seu juxta praescriptum SS. Canonum facta ostensio.

2 Resp. II. Quamvis olim varios fuerit modus *Purgationis Canonicae*, v. g. per juramentum tam a Reo, quam Accusatore praestitum ad sepulchra, vel Reliquias Sanctorum, *can. Habet.* 6. *can. Mennam*, 7. *can. Quanto* 8. *can.* 2. *q.* 7. praesertim vero illorum, qui miraculis magis clarebant; eo quod mirabili harum Reliquiarum virtute, vel intuitu meritorum talium Sanctorum Deus saepe mirabiliter patefecerit innocentiam, vel crimen, et perjurium Diffamatorum, vel Accusatorum, prout plures testantur SS. Patres apud Baronium *ad Annum Christi* 412. *a n.* 24.

3 Item per susceptionem S. Sacramenti Eucharistiae, vel celebrationem Missae, *arg. can. Saepe* 23. *et can. fin. cau.* 2. *q.* 5. quia praesumebatur, nullum tam temerarium fore, ut reus et conscius criminis a se commissi in sui condemnationem auderet sumere Corpus et Sanguinem Christi, praesertim cum in signum innocentiae sumi oportuerit, in haec verba: *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie: cit. can. saepe.*

4 Nihilo minus praefati, et alii modi *Purgationis Canonicae* justis de causis sublati, et alia forma ejusdem introducta, et hodie servanda est, illa videlicet, quae scribitur c. *Quotiens* 5. *h. t.* vi cujus imprimis Purgandus sive Reus, tactis sacrosanctis Evangeliis debet jurare, quod crimen illud, de quo infamatus est, nec per se, neque etiam per substitutam personam, aut alium suo nomine scienter illud perpetraverit. Et notanter sic dicitur, non enim sufficit Reo de criminibus infamato jurare, quod sit immunis ab illis criminibus, hoc enim verificaretur per veram peractam poenitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur: sed quia hoc nemo scire potest, juxta illud Job. cap. 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea*, cum Concordantiis. idcirco juramentum esset temerarium, indiscretum, et ineptum ad *Purgationem Canonicam*, prout id ipsum expresse reprobatur *cap. ult. h. t.*

5 Deinde sunt adhibendi Compurgatores, plures vel pauciores juxta qualitatem Personae, delicti ac infamiae; nam hic numerus est arbitrarius, et a Judice taxandus, *arg. c. Inter h. t.* ubi quatuordecim Compurgatores propter magnitudinem criminis objecti requiruntur, sed *cap.* 1. *eod.* requiruntur duodecim, et *c. Ex tuarum eod.* septem, vel quinque, quamvis et pauciores sufficere possent, *arg. c. Cum dilectus. h. t.* et *c. Cum in juventute. eod.* duo Abbates fuerunt deputati, ut notat Pirhing *h. t. num.* 11. Debent autem hujusmodi Compurgatores esse vicini ipsius Rei, qui vitam et conversationem ipsius agnoscant, simulque personae honestae ac bonae famae, *c. Cum P.* 7. *et c. Cum in juventute.* 12. *h. t.* qui jurabunt, quod credant, *Purgandum* non commisisse crimen objectum, sed quod credant, ipsum verum jurasse. Unde patet discrimen inter juramentum *Purgandi*, et *Compurgatorum*: nam ille debet jurare *juramento de veritate*, quod nempe objectum crimen non commiserit; Compurgatores vero jurant *de credulitate*, *c. Quotiens.* 5. et *c. De Testibus.* 13. *h. t.*

6 Porro si quis Peregrinus, aut alias ignotus, ita ut Compurgatores de vita et honestate ipsius notitiam habentes acquirere non possit, eidem soli, si alias fide dignus censetur, creditur, ita tamen ut non tantum juret, se crimen non commisisse, sed etiam juret, se Compurgatores habere non posse. Abbas *in c. Inter. h. t. n.* 7.

7 Quaeritur II. A quo? et quando indici possit, vel debeat *Purgatio Canonica*? Resp. I. *Purgatio Canonica* indici potest a solo Judice competenti, qui de crimine alias cognoscere potest, aut debet, adeo, ut si a non Judice indicta fiat, minime valeat, et perinde sit, ac si facta non fuisset. Communis, et certa, *arg. c. Nos inter.* 6. *et c. Inter.* 10. *h. t.* item *c. Licet.* 5. *de Officio Legat.*

8 Resp. II. Ad hoc, ut alicui *Purgatio Canonica* indici possit, aut debeat, plura requiruntur. Et quidem I. Quod per accusationem, vel alias de crimine publice diffamatus, vel verisimiliter suspectus sit, ita ut fama illius etiam apud probos honesta laesa existat. Innocentius *in c. Nos inter.* 6. *h. t.* Sylvester *V. Purgatio. n.* 2. Pirh. *h. t. n.* 7. cum communi, *arg. c. Si quis* 4. *c. Quotiens* 5. *et seqq. h. t.* Ratio est; quia *Purgatio canonica* ideo praecipue introducta est, ut casu, quo crimen, vel innocentia Diffamati alio modo probari nequit, per Purgationem detegatur, quatenus tollitur publicum scandalum populi, dum vel reus inventus condemnatur, vel suspicio criminis deletur, atque infamia Rei convertitur in bonam famam, *arg. c. Inter.* 10. *h. t.*

9 II. Requiritur, ut infamia, aut suspicio non sit levis, sed verisimilis et gravis, aut vehemens, casu quo ob eam *Purgatio* indicitur, communis *arg. c. Si quis.* 4. *h. t.* ibi: *Si verosimilibus suspicionibus fuerit propulsatus, Canonice se expurget*, et *c. Inter.* 10. *eod.* et *Vehementem suspicionem etc.*

10 III. Requiritur, quod, si ob publicam infamiam indicitur *Purgatio*, infamia ortum habeat a personis honestis, et fide dignis; quia orta a malevolis non sufficit ad indicendam Purgationem, nisi Diffamatus ipsemet pro ea instaret, aut nisi etiam taliter orta infamia generaret publicum populi scandalum, quod aliter quam per *Purgationem Canonicam* sedari non posset, *arg. c. Inter.* 10. *h. t.* Ratio posterioris est; quia propter scandalum vitandum receditur a Jure communi *c.* 2. *de Novi operis nuntiat. c. Teneamur.* 6. *de Praebend. et c.* 2. *de Praescript.*

11 IV. Requiritur, ut crimen, aut innocentia per Testes, aut alios idoneos modos probari non possit, *c. Inter* 10. *h. t.* ibi: *Accusatore, et Testibus deficientibus.* Ratio est, quia *Purgatio Canonica* e Jure est introducta in subsidium aliarum probationum.

12 V. Requiritur, ut crimen non sit notorium, *c. Cum dilectis Filiis* 15. *h. t.* ibi: *Si crimen notorium existebat, non erat illi indicenda Purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda*; quia notoria non indigent probatione, imo nec excusatione, *arg. can. de Manifesta. can.* 2. *q.* 1. et *c. Evidentia.* 9. *de Accusat.*

13 VI. Requiritur, ut persona diffamata caeteroquin sit fide digna, et de perjurio committendo mi-

nime suspecta, textu claro *c. 1. h. t.* et ibi Glossa; imo Farinacius *Praxi Crimin. q. 94. n. 64.* cum aliis bene notat, cum *Purgatio* indicitur, debere insuper esse talem personam, cujus fama, et existimatio populo Christiano necessaria videtur, aut utilis, aut cujus crimen generaret majus scandalum, uti sunt Episcopi, Praelati Ecclesiastici, Praedicatores Verbi Dei, Sacerdotes, vel alii viri honesti, *arg. cit. c. 1. h. t.* Viles siquidem, vel plebei, ei per accusationem, vel alias, publice diffamati, aut graviter suspecti existunt, deficientibus aliis probationibus non per *Purgationem canonicam*, sed per torturam quaestionibus subjiciendi sunt; quod etiam praxis habet, et merito, cum apud hujusmodi viles plerumque sit periculum perjurii.

14 Caeterum concurrentibus supra dictis requisitis potest Judex *Purgationem* indicere vel ex officio *c. 1. et seqq. h. t.* per totum, vel ob instantiam Diffamati.

15 Et quidem non tantum de Crimine, sed etiam de macula, vel defectu naturali, aut impedimento obstante ad Ordines v. g. Beneficia etc. *arg. c. Accedens. 14. h. t.* et ibi Glossa ℣. *Purgatione.* Abbas *n. 1. h. t.*

16 Quaritur III. Quid juris, et qualis effectus sequatur si quis in Purgatione sibi indicta deficiat? vel econtra si eam rite faciat? Resp. I. Si quis diffamatus de crimine post indictam sibi a suo legitimo Judice *Purgationem Canonicam* defecerit in ea, vel quia ipse jurare noluit, vel certe, quia non invenit Compurgatores, qui, praestito de credulitate juramento, eum expurgare valeant, tanquam convictus de crimine, auctorque criminis puniendus est, *cit. c. Inter. §. fin. h. t.* et *c. De hoc.* et *c. Insinuatum, de Simonia.* Ratio est; quia praesumptio verisimilis, quae ex infamia Rei orta est, Reo in *Purgatione* deficiente, transit in sicientiam vi cujus Judex procedere potest ad sententiam, et infligere poenam saltem extraordinariam, prout amplius diximus *Lib. II. Tit. XXIII. §. 3.* imo juxta aliquos etiam ordinariam, Menochius *lib. 5. praesumpt. 41. n. 3.* Farinacius *Praxi Criminal. q. 86. n. 5.* Konig *de Praesumpt. n. 5* praesertim in Judicio Ecclesiastico, ubi etiam ordinaria poena non est mortis aut mutilationis, Pirhing *h. t. n. 37.*

17 Resp. II. *Purgationis* legitime factae plures sunt effectus Patet inductione. Nam *primo* legitime se purgans illico est absolvendus a crimine, declarandus innocens, et in statum pristinum restituendus. *Secundo* statim debet absolvi a suspensione, casu quo ob infamiam criminis ei inflicta est, *c. Ex tuarum. 8.* et *c. Inter. 10. h. t. Tertio* mox evadit vir boni testimonii, *cit. c. Ex tuarum. 8. h. t.* ejusque infamia tollitur, fama econtra, vel existimatio reintegratur, praesertim si vitam etiam bonis moribus adornat, *cit. c. Inter. 10. h. t.*

18 *Quarto*, quod ordinarie loquendo de eodem crimine accusari amplius nequeat Glossa, Hostiensis, et alii communiter: Tum ne de eodem delicto ejusdem hominis saepius quaeratur contra *l. Licet. 6. ff. Nautae, Caupones etc.* Tum quia Jusjurandum non minoris auctoritatis est, quam res judicata, *l. Jusjurandum 2. ff. de Jurejurando.*

19 Dicitur autem notanter *ordinarie loquendo*, quia limitatur praecedentis numeri doctrina in casu, quo concurrentibus novis indiciis nova infamia, vel Accusator adsit. Abbas *in c. Ex tuarum 8. h. t. num. 5.* Item in casu, quo quis suam, aut suorum injuriam prosequitur, *l. Si cui. 7. §. ff. de Accusat.* vel doceret Infamatum purgando se, perjurasse, *l. Admonendi. 31. ff. eod.* vel priorem Accusatorem fuisse praevaricatum, *l. Praevaricationis 3. §. 1. ff. de Praevaricat.*

20 Plura de *Purgatione Canonica* dicere non praestat, eo quod magna ex parte jam in desuetudinem abierit; quamvis in Officio Inquisitionis adhuc vigere dicatur.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

1 *Purgatio vulgaris quid?*
2 *Est illicita, et reprobata a Jure pluribus ex causis.*
3 *Solvitur objectio ab exemplis Sanctorum.*
4 *Ex veteri Testamento desumpta.*

1 Quaeritur quid? et an licita vel valida sit *Purgatio vulgaris*? Resp. I. *Purgatio vulgaris* sic dicta a *Vulgo*, eo quod ipsa nullo Jure, sed a *Vulgo*, fabricante diabolo, fuerit adinventa, *c. Monam 2. q. 1.* est temeraria probatio innocentiae, vel per duellum, vel per ferventis, aut frigidae aquae, ignitique ferri contactum, aut alia simili vulgari adinventione, ea conditione, ut victus in duello, vel ferro candente adustus, aut aliter laesus habeatur ut reus; sin minus, reputetur innocens, *c. 1. et seqq. tot. h. t.*

2 Resp. II. *Purgatio vulgaris* tanquam illicita reprobata est, et damnata a SS. Canonibus, *cit. c. Monam. et c. Monomachiam. 2. q. 5.* nec non toto praesenti *Titulo*, et quidem tribus de causis. *Primo*, quia per eam non raro contingebat quempiam damnari, qui revera innocens erat, de quo refertur casus *cap. 2. h. t. Secundo*, quia per *Purgationem* hujusmodi *vulgarem* Dominus Deus tentari videtur, *cap. ult. h. t.* et *c. Monomachiam. 2. q. 5. Tertio*, quia est inventa a Diabolo *c. Constituisti.* et *c. Monam. 2. q. 5.* Hinc Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 19 de Reformat.* ait: *Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur.*

3 Nec refert, quod multi Sancti ad hujusmodi *Purgationem* se obtulerint; suque suam innocentiam Deo miraculose concurrente ostenderint. Respondetur enim, id ex speciali instinctu Divino factum esse, quo absente id facere sine tentatione Dei non licet, *per Jura allegata.*

4 Dices, Deus ipse hujusmodi *Purgationem* in veteri Testamento praescripsit. *Num. cap. 5. ℣. 18.* sicut et Concilium Moguntinum sub Rabano celebratum. *can. 24.* ibi: *Qui Presbyterum occiderit etc. ac negaverit, si liber est. cum septuaginta duobus jurat: si servus, super duodecim vomeres ferventes se expurget*, ergo. Resp. *Purgationem* illam in antiquo Testamento praescriptam fuisse *Caeremonialem*, quam quia Deus praecepit, eidem etiam assistentiam saltem tacite promisit: jam vero cum *Caeremonialia*, consequenter etiam promissio assistentiae Divinae cessarint, ea non amplius licet uti. Ad Concilium dico, ei per sacros Canones derogatum esse.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, et Damno dato.

1 *Ratio Ordinis.*

1 Quia crimina et excessus, de quibus hactenus egimus, fiunt subinde cum injuria et damno.

hinc praecedentes Titulos sequens recto ordine sequitur.

§. I.

De Injuriis.

SUMMARIUM.

2 Injuria *large et proprie loquendo quid?*
3 *Requiriter ad eam dolus, seu malus animus.*
4 *Hinc ab injuria, et actione injuriarum immunes sunt omnes, qui sunt doli incapaces, sunt et qui correctionis causa verba injuriosa adhibent.*
Correctionis causa raro expedit verba contumeliosa adhibere.
5 *Verba ex se injuriosa proferens praesumitur dolo proferre.*
6 *Injuria fieri potest tam absenti, quam praesenti, idque vel verbis.*
7 *Vel Scripto.*
8 *Vel Facto.*
9 *Hinc Injuria alia dicitur verbalis, alia scripta, alia realis, alia levis, alia atrox.*
10 *Potest quis non tantum in se ipso, sed etiam in alio praesertim sibi subdito Injuriam pati, et propterea agere.*
11 *Injuriam passus potest contra injuriantem instituere actionem injuriarum vel Civiliter, vel Criminaliter.*
12 *Actio injuriarum quomodo Civiliter instituatur.*
13 *Et quomodo Criminaliter?*
14 *Qui semel unam assumpsit, ad aliam transire nequit.*
15 *Poena injuriarum, praesertim Libelli famosi.*
16 *Ratione injuriarum institui potest etiam actio Palinodiae, seu recantationis, et quidem vel sola, vel cumulative cum alia.*
17 *Datur actio injuriarum etiam contra illum qui verum, occultum tamen crimen objicit.*
18 *Nisi Reipublicae intersit illud manifestari.*
19 *Ex actione injuriarum condemnatus, ipso facto contrahit infamiam.*
20 *Exceptis nonnullis casibus: et n. seq.*
22 *Actio injuriarum variis tollitur, veluti* I. *Remissione, seu condonatione tacita, vel expressa.*
23 *Quam tamen facere nequit subjectus potestati alterius hoc dissentiente, bene vero dissentiente illo.*
24 II. *Morte tam injuriantis, quam injuriati.*
25 III. *Praescriptione anius anni.*
26 *Nisi sit injuria realis, vel scripta.*
27 IV. *Retorsione.*
28 *Injuriam passus tenetur quidem injuriato ignoscere.*
29 *Non tamen tenetur remittere actionem injuriarum, sed etiam, in Foro conscientiae instituere potest, et subinde.*
30 *Non tamen semper tenetur.*
31 *Plerumque laudabilius, sanctius, et utilius est remittere, quam instituere actionem injuriarum.*
32 *De obligatione injuriam inferentis remissive.*
33 *In utroque Foro licitum est retorquere injuriam?*
34 *Si fiat cum moderamine inculpatae tutelae: et n. seq.*
36 *Et in continenti: potest etiam subinde post intervallum.*

1 Quaeritur I. Quid sit? et quibus modis infertur *injuria*? Resp. I. Quamvis generaliter loquendo *injuria* ex eo dicta, quod non Jure fiat, sit, et dicatur omne illud, quod contra justitiam et aequitatem fit, seu quod non Jure fit: *pr. Institut. h. t. et l.* 1. *ff. de injuriis*, ibi: *Omne enim, quod non Jure fit, injuria fieri dicitur*: tamen specialiter, et ad praesens *injuria* sumitur pro contumelia, seu pro delicto per quod dolo malo infertur alteri contumelia, ut *L.* 1. *ff. h. t.* ibi: *Specialiter autem injuria etc.* Dicitur *Contumelia*, quae per quandam vilipensionem, despectum, vel contemptum honor, respectus, et infamia alterius laeditur, Contumelia enim a *contemnendo* dicitur, *pr. Institut. h. t.* 2

Dicitur autem notanter *dolo malo*: cum enim juxta dicta *injuria* ad praesens sit contumelia, seu quaedam vilipensio, despectus, vel contemptus alterius, omnino requiritur ad eam malus dolus, seu malus animus, et propositum alterum injuriandi, id est, dicendi, vel faciendi, quod in illius vilipensionem, despectum, et probrum, honorisque detrimentum vergat, *L.* 3. §. 1. 2. *et* 3. *ff. h. t.* et *L. Si non convitii.* 5. *C. eod.* 3

Hinc infertur, *injuriam* non inferre, et consequenter actioni injuriarum non *subjici* sequentes: I. infantes, et impuberes, furiosos et mente captos *l. Illud.* 3. §. 1. *ff. h. t.* II. Eos, qui per jocum quid injuriosum faciunt, et dicunt, *cit. l. Illud.* 3. §. 3. *ff. h. t.* III. Illos, qui vi officii, aut status sui causa moderatae castigationis, vel correctionis et emendationis injuriosum quid in alterum committunt aut faciunt, uti Ludimagistri, Praeceptores respectu suorum discipulorum, Parentes respectu liberorum, Domini respectu famulorum, Mariti respectu uxorum, Superiores respectu subditorum etc. *l. Item apud Labeonem.* 15. §. 38. *ff. h. t.* ibi: *Si quis corrigendi animo, aut emendandi non tenetur.* Et probatur etiam exemplo Christi, qui Petrum vocavit *Sathanam* Matth. 16. et Discipulos euntes in Emaus *stultos, et tardos corde*; et Paulus Galatas vocat *insensatas*, Cretenses *semper mendaces.* Notat tamen recte S. Augustinus *lib.* 2. *de Sermone Domini in monte, cap.* 30. raro et non nisi ex magna necessitate hujusmodi injuriosas objurgationes esse adhibendas, utpote quibus plerumque magis exacerbantur, quam emendantur subditi. 4

Caeterum aliae personae mentis, et doli capaces si quid suapte natura injuriosum alteri faciant, aut dicunt, dolo seu injuriandi animo fecisse praesumuntur, adeo ut asserenti se tantum per jocum, aut alias nullo injuriandi animo fecisse, incumbat probatio. Clarus §. *injuria. n.* 10. Menochius *de Praesumpt. lib.* 5. *Praesumpt.* 3. *n.* 47. Pirhing *h. t. n.* 2. *arg. l. Si non convitii.* 5. *C. h. t.* et ibi glossa *v. Probare potes*: sicut econtra si verbum vel factum ex se injuriosum non est, onus probandi illi incumbit, qui asserit id animo injuriandi factum esse, *l. Ei incumbit.* 2. *ff. de Probat. l. Actor.* 23. *c. eod. l. qui in alterius.* 42. *ff. de R. I.* quae probatio per conjecturas fiet: Zoesius *in ff. h. t. n.* 4. 5

Resp. II. *Injuria* tribus, verbo videlicet, scripto, et facto inferri potest. *Verbo* fit, quando quis de altero sive absente, sive praesente quid probrosum aut injuriosum oretenus profert, objiciendo, vel enunciando defectum morum, aut naturae, quod, e. g. sit fur, homicida, adulter, spurius, quae injuriosa prolatio *Convitium* dicitur, *arg. l. Item apud Labeonem.* 15. §. 7. *ff. h. t.* ibi: *Convitium non tantum praesenti, verum absenti quoque fieri posse, Labeo scribit.* Clarus *loc. cit. n.* 1. Farinacius in *Praxi Criminal. q.* 150. *n.* 22. et 24. 6

Scripto fit, dum quis libellum, carmen, factum, aut historiam in alterius contemptum, probrum, vel infamiam in litteris evulgat, *l. Lex Cornelia.* 5. §. 9. *l. Item.* 15. §. 29. *ff. h. t.* Quod si hujusmodi 7

scriptura omisso nomine Auctoris in vulgus spargitur, *Libellus famosus* dicitur, *L. un. C. de Libell. famos.* vulgo *Pasquill.*

8 *Facto* fit, dum quis alterum verberat, vulnerat, domum ejus violenter ingreditur, vel aliud quid in contemptum, probrum, aut infamiam illius facit *l. Cornelia. 5. prin. ff. h. t. l. Item. 15. §. 25. ff. eod.*

9 Hinc alii dividunt *injuriam* in *verbalem*, et *realem*: et utramque in *levem*, et *atrocem*; quae ex circumstantiis desumitur, Evadit autem *injuria atrox*, vel ratione ipsius facti, ut si etiam plebejus vulneratur, aut fustibus caeditur. §. 9. *Institut. h. t.* et *l. Praetor edixit, 7. in fine ff. h. t.* vel ratione *personae injuriantis* v. g. filii vasalli, *cit. §. 9. Institut. h. t. l. Si unius. 17. §. 3. ff. eod.* vel *injuriatae*, *l. Atrocem. C. h. t.* vel ratione *loci*, ut si quis in templo, vel loco Judicii injuriam infert, *cit. §. 9. Institut h. t.*

10 Resp. III. Injuriam quis pati potest non tantum in se ipso, sed etiam in certis personis aliis sibi conjunctis, aut potestati suae subjectis; uti in filiofamilias pater, in uxore maritus, in servo Dominus, ita ut hi etiam proprio nomine instituere valeant actionem injuriarum, *l. 1. §. 3. ff. h. t. §. Patitur. 2. et §. Servis instit. eod.* Farinacius *Praxi Criminal. q. 15. n. n. 253.* Pariter si Clerico, vel Religioso *injuria* infertur, ratione illius, quasi Ecclesiae, vel Monasterio illatae agere potest Episcopus, vel Superior Regularis. Farinacius *loc. cit. n. 291.* Engel *h. t. n. 7.*

11 Quaeritur II. An? quando? et qualem actionem in Foro externo pariat *injuria* alteri illata? Resp. I. *Injuria* alteri illata facit, quod *injuriatus* contra Injuriantem instituere possit actionem injuriarum, idque, vel Civiliter, vel Criminaliter, prout voluerit. Communis et certo textu expresso §. *in Summam. 10. Institut. h. t.* ibi: *In Summa sciendum est, de omni injuria eum, qui passus est posse vel Criminaliter agere, vel Civiliter.*

12 *Civiliter* agere dicitur *injuriam* passus, si pro injuria sibi illata praetendit ad suum privatum Commodum, seu interesse certam Summam pecuniariam, tantam videlicet, cujus jacturam libentius, quam probrum, seu despectum per Injuriam sibi causatum sustinuisset, §. *In Summam. 10. Institut. h. t. l. Constituit. 37. §. 1. ff. eod.* cum Concordantiis: solet tamen Judex praetensam hujusmodi taxam moderare, testus et interpretes in §. *Poena autem*, et §. *Atrox. Instit. h. t.* vel etiam ab Actore juramentum exigere, quanti revera aestimet injuriam sibi illatam, *c. Olim. 7. h. t.* et ibi Glossa ℣. *Taxatione.* Quamvis praxis quorundam Tribunalium habeat, ut absque juramento aestimetur, et taxetur *injuria*, ac proinde attendenda sit locorum praxis et consuetudo, uti bene advertit Hannoldus *de J. et J. Tom. 1. Tr. 2. n. 573.*

13 *Criminaliter* vero agit, quando a Judice petit, ut Reus vel poena pecuniaria arbitrio Judicis pro qualitate *injuriae* taxanda, et Fisco applicanda, vel in corpore puniatur, *cit. §. In Summam 10. Instit. h. t. l. fin. ff. h. t.* cum concordantiis, Bartol. *in l. 3. et l. fin. ff. de privat. Delict.* Clarus §. *injuria n. 7.* Mynsinger *Centur. 4. Observat. 4. n. 5.* ubi tamen bene advertit, vi factae a Carolo V. *Ordinat. Camer. Imper. p. 2. Tit. 28.* ob *injuriam verbalem* hodie plerumque non agi ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris praestandam per *Palinodiam*, seu ad *injuriae verbalis* recantationem, seu revocationem infra *n. 16.* explicandam; cui concordare videntur Jura Bavarica *Landrecht Tit. 46. art. 2.*

14 Verum etsi juxta dicta liberum sit *injuriato* civiliter, vel criminaliter agere contra *injuriantem*, tamen si unam v. g. *civilem* actionem instituit, ad aliam *criminalem* nempe regredi non potest, et econtra, *arg. l. Quod Senatusconsultum 6, §. h. 2.*

Caeterum poena Criminalis *injuriarum* ordinarie est arbitraria Judicis, *cit. 2. §. In Summam. Institut. h. t.* excepta Injuria per *Libellum famosum* illata, utpote cujus poena est *Capitalis*, *l. un. C. de famoso Libello*, quam tamen poenam Capitalem non de ultimo supplicio, sed de poena *Exilii*, vel deportationis explicat Harprecht, *in §. 1. Institut. h. t.* nisi crimen per Libellum famosum alicui imputatum esset *Capitale*; tunc enim poenam *Talionis* imponendam vult Constitutio criminalis *Caroli V. ann. 110.* 15

Resp. II. Praeter actionem injuriarum datur etiam actio ad *Palinodiam* ob Injuriam verbalem, quae ad hoc tendit, ut *injurians* verba injuriosa recantet, seu revocet, et fateatur, verba injuriosa a se prolata, vera non esse etc. quae actio ex Ordinatione Camerali *Caroli V. p. 2. Tit. 28.* introducta, et usu passim recepta est, ut etiam concordant Statuta Bavarica *Landrecht Tit. 46. art. 2.* Et haec actio ad *Palinodiam*, etsi in casu *injuriae verbalis* loco actionis Injuriarum plerumque adhiberi sola valeat, et soleat, juxta dicta supra *n. 13.* tamen etiam cum actione Injuriarum ad aestimationem cumulari potest, ut post Gailum *lib. 1. Observat. 65. n. 5.* et Mynsinger *Centur. 2. Observat. 98. n. 10.* bene docet Klingensperger *Institut. lib. 4. Tit. 4. q. 13.* eo quod actio ad *Palinodiam* sit rei persecutoria, *Actio* autem *injuriarum* ad aestimationem sit poenalis; actiones vero ad diversum finem cumulari posse, constet ex §. *Caeterum Instit. Si quadrupes pauperiem.* 16

Resp. III. Datur actio Injuriarum etiam contra illum, qui alteri objicit occultum crimen, vel defectum verum, nisi Reipublicae intersit, tale crimen manifestari. Clarus §. *Injuria n. 19.* Covarruvias *variar. Resolut. lib. 1. cap. 11. n. 6.* Faebio. *Controvers. lib. 9. c. 10.* Ratio est; quia quando publica utilitas aliud non exposcit, quivis habet jus ad suam famam, ita ut ab alio per manifestationem delicti occulti violari absque injuria non possit; cum inhumanum ac injuriosum sit, absque justa causa alterius occultos defectus, vel delicta magno animo manifestare. 17

Nisi Reipublicae intersit; enim vero ob utilitatem publicam, imo etiam ad avertendum praejudicium tertii licitum est manifestare occulta alterius delicta et defectus, v. g. quod quis sit fur, ne aliis noceat, quod sit leprosus, vel quod inhabilis sit ad Officium etc. *arg l. Eum qui. 18. ff. h. t.* ubi habetur, aequum non esse, ut condemnetur, qui nocentem infamavit, cum delicta nocentium nota esse expediat. 18

Resp. IV. Qui ex actione Injuriarum sive *Civili*, sive *Criminali* condemnatur, ipso Jure est infamis, *l. 1. et l. Athletas. 4. ff. De his, qui notantur infamia. l. Decurionis. 5. et l. Injuriam 10. C. eod.* ibi: *Injuriarum ex persona quoque servi damnatus infamia notatur.* Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Injuria omnino levis esset, ut cum aliis vult Harprecht §. *In summa Instit. h. t. n. 96.* quamvis Clarus contrarium doceat §. *Injuria. n. 8.* 19

Porro declinat infamiam actione injuriarum *Civiliter* conventus, si auctoritate Judicis ante sententiam transigat cum *injuriam* passo, *l. Furti. 6. §. Pactusque. 3. in fin. ff. De his, qui notantur infamia*; sicut etiamsi Reus *Civiliter* conventus per Procuratorem stat in Judicio, et in Procuratorem fertur sententia, *cit. l. Furti. §. Si quis aliena. 2. ff. De his qui notantur infamia*, et *l. Laicus. 21. ff. eod.* Secus foret, si *Criminaliter* conveniretur, quia *Criminaliter* convento non licet per procuratorem se defendere, *l. fin. 2. h. t.* 20

Rursus ab *infamia* immunis est actione injuriarum conventus, si Judex in sententia famam et honorem reservat, quod ex causa rationabili non tantum potest, *arg. Quid ergo. 13. §. Poena gravior. 7. ff.* 21

De his, qui notantur infamia; sed etiam ex consuetudine et statutis particularibus multorum locorum debet, Harprecht §. *in summa. n.* 118. *Instit. h. t.*

22 Quaeritur III. Quibus modis tollatur *actio injuriarum*? Resp. quinque potissimum. I. *Condonatione* seu remissione per *Injuriatum* facta, vel expresse, puta per verba expressa, per pactum, aut transactionem etc. vel etiam tacite, ut si Injuriam passus, illam integro anno in memoriam non revocat, cum posset, aut cum Injuriante antiquam familiaritatem restaurat, ad convivium invitat etc. *l. Non solum.* 11. §. 1. *l. Sed si.* 17. §. 6. *ff. de Injuriis et famosis libellis.*

23 Notandum tamen circa remissionem *Injuriae*, quod ille, qui sub potestate alterius est, v. g. Filiusfamilias respectu patris, Religiosus respectu superioris, Uxor respectu mariti, non possit injuriam remittere invito illo, sub cujus potestate est; econtra vero Pater, vel Praelatus possit remittere injuriam illatam filio vel subdito etiam his reclamantibus. Layman *lib.* 3. *p.* 2. *cap.* 6. *n.* 7. Engel *h. t. n.* 13. Konig *h. t. num.* 16. *arg. l. Sed si unius* 17. §. 10. 12. *et seqq. ff. de Injuriis.* ubi tamen §. 10. recte fit limitatio illis verbis: *Interdum tamen putamus etsi pater remittat, injuriarum actionem filio dandam, ut puta, si patris persona vilis abjectaque sit, filii honesta; neque enim debet pater vilissimus filii sui contumeliam ad suam utilitatem metiri.*

24 II. *Morte* tam *Injuriantis*, quam *Injuriati* ante litem contestatam contingente. Ratio est: quia *Injuriarum actio neque haeredi, neque in haeredem datur, l. Injuriarum.* 28. *ff. eod* nisi sit conjuncta cum *Damno dato*, per dicenda infra.

25 III. *Praescriptione* unius anni, *l. Si non convitii.* 5. *C. de injuriis*, ibi: *Cum injuriarum actio annuo tempore praescripta sit.* Ratio est, quia Injuriarum actio praetoria est, quae anno utili extinguitur, uti habet communis Doctorum *pr. Instit. de perpet. et tempor. act.*

26 Intellige tamen doctrinam *praeced. num.* de *Injuria verbali*, quia actio ob *Injuriam realem*, qua quis verberatus, pulsatus, aut domo vi ejectus est, durat perpetuo, Mynsinger hic *Observat.* 7. *num.* 7. sicut etiam *Actio injuriae* scriptae, Gailus *lib.* 2. *Observat* 140. ubi testatur de praxi Camerae Imperialis. Et quidem actionem Injuriarum Criminalem ob Libellum famosum perpetuum esse omnes fatentur. Pariter perpetua, utpote lege nova, et per consuetudinem introducta censetur actio ad *Palinodiam*. Harprecht *in* §. *fin.* Institut. *h. t. num.* 17. Klingensperger *lib.* 4. *tit.* 4. *q.* 42.

27 IV. Tollitur Actio injuriarum per *Retorsionem*; si nempe Injuriam verbalem passus, eam retorquet in Injuriantem, v. g. Si quis ab alio vocatus fur, adulter, spurius etc. dicit, *Tu mentiris: aut tu ipse talis es, donec talem me esse probes.* Harprecht *in* §. *Haec actio* 10. *instit. h. t. n. n.* 9. Klingensperger ubi supra *q.* 15. *arg. l.* 1. *ff. Quod legat.* Ratio est; quia per retorsionem censetur satisfactum *Injuriato*: satisfactione autem tollitur actio Injuriarum, *l. Sed si* 17. §. *Si ante* 6. *ff. h. t.*

28 Quaeritur II. Num etiam? et quando in Foro conscientiae quis possit aut teneatur instituere *actionem injuriarum*, vel ad *Palinodiam*? Resp. I. Quamvis injuriam passus teneatur Injurianti ignoscere in hoc sensu, quod nullum odium, nullamque vindictae cupiditatem adversus illum habere, vel fovere, minus re ipsa vindicare se valeat, tamen non tenetur eidem remittere injuriam, vel ignoscere in tantum, ut omnem etiam *actionem* injuriarum, vel ad *Palinodiam* remittat, sed potest, imo subinde tenetur ad tuendam suam famam et honorem, harum actionem aliquam pro libitu assumere. Communis, et certa *Prior pars* de vitando odio, et vindicta clare patet, ex praecepto Christi *Matth.* 5. insinuata.

Altera pars desumitur inprimis ex Verbo Divino, *Eccles.* 41. *Curam habe de bono Nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.* Dein ex *can. Non sunt* 65. *caus.* 11. *q.* 3. ibi: *Non sunt audiendi, sive viri sancti, sive foeminae, quando reprehenso, in aliquo negligentia sua, per quam fit, ut in malam veniant suspicionem, unde suam vitam longe abesse sciunt, dicunt, sibi coram Deo sufficere conscientiam existimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam crudeliter contemnentes; cum occidat animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei (quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis, quae casta est, displicet vita Sanctorum) sive etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam, et in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra*, et *can. Nolo* 10. *cau.* 12. *q.* 1. ibi: *Duae res sunt conscientia et fama; conscientia necessaria est tibi, fama proximo suo. Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est.* Ratio jam est insinuata supra in textu *can. Non sunt audiendi.* cui accedit, quod praeter scandalum et praejudicium aliorum, ac nonnunquam etiam boni communis (ad quod promovendum mala fama notatus plerumque inhabilis est) ex laesione famae et honoris per *injuriam* causata plerumque sequatur etiam grave damnum proprium ipsius *injuriati*, quod avertere per licita media utique poterit, et subinde tenebitur *injuriatus*. 29

Dicitur notanter: *imo subinde tenetur*, quia non semper tenetur quis instituere *Actionem injuriarum*, sed potest ex humilitate, vel alia virtute, aut justa causa Injuriam et omnem actionem Injuriarum ex toto remittere, imo se ipsum infamare confitendo, et propalando occulta sua delicta, vel defectus, prout fecisse constet S. Augustinum, et S. Franciscum. Ratio est, quia homo est dominus famae suae et honoris, ita ut ex justa causa possit illam negligere; dummodo non vergat in praejudicium aliorum, prout jam diximus et probavimus in Theologia nostra Morali *Tr.* 7. *Dist.* 5. *n.* 7. 30

Imo si *injuria* levis est, vel talis quod ob notoriam *injuriati* probitatem hominis verisimiliter non sint credituri, vel cujus suspicio per probitatem, vel aliam viam facile evitari, aut aboleri potest, non tantum licet, sed etiam expedit, et laudabile, sanctum, et meritorium est, ipsaque vita Christi, et Sanctorum suadet, injuriam potius patienter tolerare, ac dissimulare, quam actione instituta eam avertere velle; praesertim cum in hujusmodi circumstantiis illa via magis, quam ista, fama bona acquiratur, et conservetur, ac aedificatio potius, quam scandalum proximi sequatur: Hinc illud Taciti: *Vitia contempta exolescunt, si irascaris, agnita videntur.* 31

Caeterum ad quid in conscientia obligetur sit *injuriam* inferens, vide apud Theologos, et in Theologia nostra Morali *Tract.* 9. *Dist.* 6. *q.* 4. 32

Quaeritur III. An, et qualiter licitum sit *injuriam* retorquere? Resp. Quamvis vindictae causa non sit licitum referre, seu retorquere Injuriam: tamen ad defendendum honorem et famam in utroque Foro licita est retorsio *injuriae*, si fiat in continenti, et cum moderamine inculpatae tutelae. Ita Abbas *c. Cum te. n.* 15. *de Sentent et re judicat* Layman *lib.* 3 *Tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 2. et alii Ratio *primae partis* est, quia sicut non est licitum, percutere eum, qui me percussit, si non fiat ad justam defensionem, se ad vindictam, *arg. l. Si ex plagis* §. 2 *ff ad Legem Aquiliam* ita non licet inferre *injuriam* ulla- 33.

renti; quia nemini licet propria auctoritate se ulcisci *l. Nullus c. de Judaeis* ibi: *Ne quisquam sibi ipsi promittere valeat ultionem.*

34 *Altera pars* ex eo probatur. Quia omni Jure licitum est, vim vi repellere, *l. Ut vim. ff. de Justit. et jur.* et *l. Scientiam ff. ad Legem Aquiliam*, ibi: *Vi vim defendere omnes Leges omniaque Jura permittunt*, et *c. Olim. de restitut. spoliat.* ergo pariter licet, retorquere *injuriam* in inferentem, dummodo id fiat servato moderamine, quantum necesse est ad necessariam defensionem honoris sui. Neque in tali casu tenebitur quia *actione injuriarum*, quia non animo injuriandi, sed sui honoris defendendi gratia retorsionem fecisse praesumitur.

35 Quod si vero Provocatus novam Injuriam inferat Provocanti, effutiendo convitium, quod non spectat ad ejus innocentiam defendendam, sed concernit aliud factum, uti si per injuriam appellatus fur, Injuriantem vocaret adulterum, consequenter moderamen inculpatae tutelae excederet, atque illicite ageret, *injuriae* reus esset, adeo, ut utique competat *actio injuriarum* adversus alterum, uti notat Abbas *loc. cit.* et Pirhing *h. t. n.* 6. et habetur etiam in Jure Bavarico *Landrecht tit.* 4. *art.* 6. idque demitur ex *c. Veniens* de jurejurand. ibi: *Alternatim vitia inferendo certarunt.*

36 Dicitur autem notanter, *si fiat in continenti*, quia si post notabile intervallum fiat, videtur sapere vindictam, consequenter esse illicitam, casu quo praesenti irrogatur injuria. Quod si vero absenti, vel in scriptis, vel per Notarium, vel Testes irrogatur, non est necesse, ut in continenti retorqueatur; cum aliquod intervallum sit necessarium ad hoc, *ut retorsio* commode expediri valeat, *arg. l. Sive ingenua.* 2. §. 43. *ff. ad S. C. Tertyll.*

§. II.

De Damno dato, et Represaliis.

SUMMARIUM.

37 *Damnum datum quid?*

38 *Dari, vel inferri potest non tantum ex dolo, sed etiam ex culpa Juridica, lata, levi, et levissima.*

39 *In Foro externo ex quavis etiam levissima culpa Juridica oritur obligatio resarciendi Damnum.*

40 *Exemplificatur.*

41 *In Foro interno ad resarciendum damnum tenetur, non tantum qui ex dolo.*

42 *Sed etiam qui ex culpa illud intulit.*

43 *Non tamen ante sententiam Judicis, si ex culpa levi, vel levissima, vel alias absque peccato, seu culpa Theologica illud dedit;*

44 *Post sententiam vero etiam in Foro interno tenetur.*

45 *Doli, seu culpae Theologicae incapax, et adhibens diligentiam debitam in nullo Foro tenetur ad resarciendum aliquod damnum.*

46 *Sicut nec, qui illud jure intulit.*

47 *Ratione damni litigans damnificator tenetur etiam ad expensas litis,*

48 *Si temere litigavit.*

49 *Ob damnum casu contingens, nullus tenetur.*

50 *Ob damnum datum competit Actio ex Lege Aquilia ad illius resarcitionem, et insuper quantum interest, damnum datum non fuisse.*

51 *Subinde competit haec actio etiam ad duplum, et quadruplum.*

52 *Actio ex effuso, vel dejecto quid importet, et contra quem competat?*

Quaeritur I. Quid ad propositum sit, et quot modis contingere *damnum datum*? Resp. I. Nomine *damni dati* hic non intelligitur illud, quod infertur 37
amotione rei alienae, et lucri causa, uti contingit in furto, rapina, usuris etc. de quo agitur *Tit. de Furtis, de Raptoribus, et usuris etc.* sed nomine *damni dati* intelligitur, id quod infertur corruptione, vel deterioratione rei alienae, sive animatae, sive inanimatae absque lucro vel incommodo *damnificantis*; ut si quis alterius animalia occidat, domum, vel segetes incendat, et hujusmodi, ob quale damnum de Jure datur Actio *Aquiliae*, vi cujus damnum debet resarciri, et aestimatio rei destructae restitui, *L.* 1. *et seqq ff. ad Legem Aquil.*

Resp II. *damnum* varie dari, seu inferri alteri potest, videlicet, non tantum *ex dolo*, sed etiam ex 38
culpa Juridica lata, levi, ac etiam levissima, *l. in Lege Aquilia* 44. *ff. Ad Leg Aquil.*

Quaeritur II. Qualis tam pro Foro externo, quam 39
interno oriatur obligatio resarciendi *damnum datum*? Resp. I. Non tantum ille, qui cum injuria, et dolo, seu nocendi animo, sed insuper, qui ex culpa sua, etiam levissima *damnum* proximo intulit, tenetur ad satisfactionem *damni illati* Ita habetur *c. ult. h. t.* ibi *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hac imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere oportet. nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere.* Haec ibi. Concordat textus *l. In Lege ff. ad Legem Aquil* ibi: *In L. Aquilia etiam levissima culpa venit* Ratio est. tum quia *factum cuique suum, non alteri nocere debet l. Factum ff. de reg. Jur.* Tum quia potior debet esse causa, ejus, qui damnum absque omni sua culpa patitur, quam alterius, qui sua culpa damnum intulit, etsi forsan levissima.

Hinc qui per incuriam non extinxit ignem, sicque 40
incendit domum, tenetur, *arg. l. Si servus §. Si Fornicarius ff. ad Leg. Aquil.* Idem dic, si quis inconsiderate quidpiam dejecit ex alto, unde alicui transeunti damnum illatum est, ubi tenetur etiam ad resarciendum, *arg. l. Si putator ff ad Legem Aquil.* in qua generaliter dicitur: *culpam esse, cum quod diligenter provideri poterit, non esset provisum.* Similiter si Medicus servi curationem reliquerit, aut imperite curaverit, *Lege Aquilia* tenetur, §. *Praeterea instit. de lege Aquil* quia *imperitia culpae adnumeratur l. imperitia ff. de Reg. Jur.* Caupo, vel Rector navis in cujus domo, vel navi furtum est factum, *l. item exterior.* 3. *instit. de Obligat. ex quasi delicto etc.*

Resp. II. Loquendo de Foro interno, certum est, 41
non tantum eum, qui dolo malo, seu nocendi animo, sed etiam illum, qui ex culpa juridica lata alteri *damnum infert*, ad resarciendum illud teneri De dolose inferente damnum, nemo dubitat ob clara Jura *c. Si quis* 6. *c. Olim* 7. *h. t.* cum Concordantiis.

Alteram partem de Damnificante ex culpa lata te- 42
nent Innocentius, et interpretes *in c. Sicut* 6. *de Homicid.* Sylvester *V. Culpa n.* 5. *et* 6. Palao *tr.* 23. *d sp.* 3. *p.* 1. *n.* 7. Molina *disp.* 293. *n.* 7. et communissima aliorum. Ratio est, quia culpa lata supponit gravem culpam Theologicam, dum nempe omittitur illa diligentia, et cautela, quam adhibere solet, et ad grave damnum proximi avertendum, quilibet jure naturae tenetur, indeque si illam omittat, causa morsfis censetur fuisse damni.

Resp. III. Quamvis non desint Doctores, veluti 43
Covarruvias *de Sponsal. p.* 2. *cap* 6. §. 8. *num.* 15. Zoesius *in ff. ad leg Aquil. n.* 6. et alii volentes ex quavis etiam levissima culpa Juridica, in conscientia

quoque oriri obligationem resarciendi *Damnum datum*, tamen Lugo *Disp. 7. de Jur. et Justit. sect.* 3. *et* 4. Lessius *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 24. Schmalzgrueber *lib.* 4. *Instit. Tit.* 3. *q.* 9. et alii communius, et probabilius docent, quod si quis absque peccato mortali, vel veniali, adeoque sine culpa Theologica damnum infert, ante sententiam Judicis in Foro interno sive conscientiae non teneatur ad damnum resarciendum. Ratio est, quia alioquin ejusmodi Leges essent nimis rigidae, et in Foro animae vix practicabiles, neque naturae seu conditioni humanae accommodatae, adeoque injustae, *arg. c. Erit autem. Dist.* 4. ubi ad justitiam legis inter alia requiritur, quod sit *possibilis secundum naturam etc.* id est, non contineat onus grave, et attenta fragilitate humana importabile, praesertim si id non exigat boni publici emolumentum, cui quantum ad propositum sufficienter providetur, eo quod praedictae personae in Foro externo, et in conscientia saltem post sententiam Judicis obligentur.

44 Nec dicas. Si talis non tenetur in conscientia ante sententiam Judicis, ergo neque post ipsam, quia potius ejusmodi sententiam erit injusta. Respondetur enim negando *consequentiam*; nam cum ejusmodi leges, volentes resarciri *Damnum* etiam ex culpa levi, vel levissima illatum, justissimis de causis sint positae, partim ut quilibet invigilet amplius, ne sua vel suorum culpa Damnum aliquod proximis inferatur, sicque pax communis, et publica tranquillitas conservatur; partim ut praecaveatur innumeris fraudibus et malitiis hominum, quae in Foro externo sunt difficilioris probationis; sententia Judicis conformiter dictis legibus lata, merito etiam in Foro conscientiae obligat, non obstante, quod antea necdum adfuerit talis obligatio resarciendi damnum sine omni culpa Theologica illatum.

45 Resp. IV. Quando *Damnum* inferens, vel incapax culpae fuit, ut furiosus, vel infans: vel saltem in praecavendo damno prius omnem diligentiam adhibuit; aut damnum non sua incuria intulit, is non tenetur ad recompensationem. *Prima pars* habetur *c. Illud.* 15. *q.* 1 et *l. Sed etsi. ff. ad Legem Aquil.* unde damnum a furioso vel infante illatum reputatur inter casus fortuitos, nisi culpa alicujus alterius praecesserit. Impubes autem si est doli capax tenetur, ut *ll. cc.* notatur.

46 *Secunda pars* patet ex *cap. ult.* §. *fin. h. t* juncto §. 4. et 5. *Instit. de Leg. Aquil.* cum Concordantiis. *Tertia* vero ex eo liquet: quia nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur, *l. Nullus. de Reg. Jur.* et *nemo damnum facit, nisi id qui facit, quod facere jus* non *habet*. Hinc damna in bello justo hostibus illata resarcienda non sunt; quia omni Jure vim vi repellere licet, *l. Scientiam. ff. ad Legem Aquil.* Similiter non tenetur, *qui in suo fundo fodiens vicini fontem averterit, si non animo nocendi vicino, sed suum agrum meliorem faciendi, id facit*, textu claro *L.* 1. §. *Denique Marcellus. ff. de aqua pluvia arcend.*

47 Resp. V. Non solum *Damnum illatum* tenetur Reus resarcire, sed etiam temere litigans condemnandus est victori in expensas litis, quando sententia fertur pro parte praesente, et quidem in causis pecuniariis. Ita tenet Pirhing *Tit. de poenis nu.* 8. *et seqq* atque desumitur ex c. *Calumnia de Poenis. De caetero in causis pecuniariis victus victori in expensas condemnatur.*

48 Et hoc intellige non solum, quando alter per calumniam vel dolum litigat, sed etiam si absque dolo temere tamen et inconsulto litigaverit, quod quidem in dubio semper praesumitur contra victum. Si vero talis justam causam litigandi habuit, non debet condemnari, *arg. c. Sacro.* 48. §. *Verum. de Sentent. excommunic.* et *l. Qui solidum.* §. *Etiam ff. de Legatis II.* ac tenet glossa magna, *Finem litibus. de Dolo et contumac.* Alioquin autem expensae, in quas victus condemnari debet victori, sunt taxandae a Judice secundum qualitatem litigantium, praemisso tamen per victor in juramento, quod revera tantum expenderit, *arg. c. Olim. de Injuriis.*

Resp. VI. In nullo Foro tenetur aliquis resarcire *Damnum*, quod casu omnino fortuito, qui praevideri, et evitari non potuit, contingit. Unanimis, et certa, c. *Unic. de Commodato*, et *l.* 1. §. 4. *ff. de Obligat. et Act.* 49

Quaeritur III. qualis detur Actio ob *Damnum* datum? Resp. juxta jam dicta, dari Actionem ex *Lege Aquilia*, quae licet tria Capita contineat, tamen *primum*, et *tertium* duntaxat de facto sunt in usu, ita ut vi *primi Capitis*, si *Damnum datum* importat occisionem hominis, vel pecudis, id est animalium, quae gregatim pascuntur, uti boves, oves, sues etc. detur aestimatio occisi animalis non tantum, quanti fuit tempore interitus, sed etiam quanti tertio fuit per totum annum; ac insuper aestimatio omnis damni, quod occasione occisionis hominis, vel animalis, vel rei alterius deterioratae, destructae etc. contingit, §. 10. *et subsequentibus Instit. Ad Legem Aquil.* Ratione *tertii Capitis* tenetur ad resarciendum damnum, sive vulnerando hominem, aut pecus, sive deteriorando vel destruendo rem etc. illatum, ac insuper in specie, si animal, quod gregatim non pascitur, veluti canes, aves, serae etc. occidat, petitur aestimatio rei deterioratae, aut peremptae, quanti retro in proximis triginta diebus fuerat, §. *Illud autem.* 14. *Instit. eod.* 50

Porro etsi in Actione ex *Lege Aquilia* regulariter loquendo solum petatur aestimatio *Damni*, et quantum interest *Damnificantis*, damnum datum non esse, *Prin. et* §. 10. *Instit. h. t. Ad Legem. Aquil.* tamen dantur casus, in quibus ad plus convenitur *Damnificans*, uti ad duplum, qui clam alterius arbores succidit, *l. Furtum.* 7. §. *fin. et l.* 8. *ff. Arborum furtim caesarum.* Et in quadruplum, qui per vim infert damnum, *L.* 2. *ff. De vi bonorum raptorum.* Item ad quadruplum ille, qui tempore calamitoso, puta incendii, tumultus, ruinae, naufragii etc. damnificat, *l.* 1. *prin.* et *l.* 3. §. *Non solum ff. de Incendio, ruina etc.* De quibus amplius Civilistae, vide etiam Engel *h. t. n.* 36. 51

Actioni ex *Lege Aquilia* affinis est actio ratione ejectionis, vel effusionis, vi cujus ille, qui inhabitat domum, vel cubiculum, ex quo aliquid in publicam plateam, per quam vulgo transitur, effusum et ejectum, indeque alteri damnum illatum est, convenitur in duplum, licet inhabitator non effuderit, vel ejecerit; idque ideo, ut *Damnificatus* sui damni damnificationem facilius consequatur; cum alias saepe impossibile foret, probationem contra illum facere, qui effudit, vel ejecit; contra quem tamen ipse habitator, qui damnum resarcivit, habet Actionem pro suo interesse, *l.* 1. *et seqq. ff. De his, qui dejecerunt*, et ibi Doctores, Engel *h. t. num.* 36. 52

TITULUS XXXVII.

De Poenis.

SUMMARIUM.

1 *Ratio continuationis.*

1 Quia in praecedentibus Titulis actum est de variis delictis, recto ordine sequitur Titulus de *Poenis*; quia bonum commune requirit, ne delicta maneant impunita.

§. I.

De Poenis in genere.

SUMMARIUM.

2 *Definitur* Poena.
Ubi nulla culpa, ibi nulla poena. Ibid.
3 Poena *alia est* Civilis, *alia* Criminalis *alia* Conventionalis, *alia* Legalis, *alia* Judicialis.
4 Criminalis *alia pecuniaria*, *alia corporalis*: Corporalis *alia capitalis*, *alia non capitalis*: *quae hae?*
Ultimum supplicium quid? Ibid.
5 *Poena ordinaria, et extraordinaria: pro extraordinaria potest etiam ultimum supplicium imponi.*
6 *Poena negativa et positiva quid?*
7 *Regulariter loquendo Judex inferior non potest augere vel minuere Poenas a Jure statutas.*
8 *Bene tamen Princeps supremus.*
9 *Et ex rationabili causa etiam Judex inferior.*
10 *In Poenis arbitrariis debet Judex procedere juxta qualitatem delicti.*
Arbitrium Judici relictum, semper debet esse regulatum. Ibid. et n. 11.
12 *Poena arbitraria potest etiam ultimum supplicium esse.*
13 *In dubio pars est eligenda circa impositionem Poenarum*
14 *Ita tamen, ut graviora delicta non nimis clementer puniantur.*
15 *Transgressores Legis incurrunt poenam illius etsi talem poenam ignorent.*

2 Quaeritur I. Quid, et quotuplex sit *Poena*? Resp. I. Proprie loquendo, *Poena est noxae vindicta*, *l. Aliud est* 131. *ff. de Verbor. signific.* Id est, Poena est supplicium, quo quis ob delictum afficitur: siquidem ut dicitur, *can.* 4. *dist.* 3. Poena proprie dicitur laesio, quae punit et vindicat, quod quisque commisit, seu per culpam delinquit. Nam sine culpa regulariter nemo punitur, quia Poena est mensura culpae, juxta illud Deuter. 25. *Pro mensura peccati erit et plagarum modus*: simulque poena constituitur in emendationem hominum, *l. Si poena ff. de Poenis*, quae ratio deficit, in eo, qui non peccavit. Dixi *regulariter*, nam in crimine laesae Majestatis filii etiam innocentes, in detestationem paterni criminis puniuntur, *l. Quisquis C. ad Legem Juliam Majestat.* et idem fit in nonnullis aliis casibus, ubi subest justa causa puniendi, ad terrorem caeterorum v. g. etiam innocentes. Unde *Reg. Jur. in 6.* notanter utitur aliqua limitatione dicendo: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

3 Resp. II. *Poenae* inprimis aliae sunt *Civiles*, aliae *Criminales*. *Poena Civilis* dicitur, quae non tendit ad vindictam publicam, sed ad privatum commodum partis laesae, (et hoc ipso stricte loquendo, non est Poena proprie dicta, bene tamen minus proprie talis) Et haec subdividitur in *Conventionalem*, *Legalem*, et *Judicialem*. *Poena Conventionalis* dicitur, quae ex conventione partium, veluti si quid datum vel factum non fuerit, committitur ac praestari debet; de quo fit sermo *c. Constitutus h. t. Poena Legalis* est poena civilis, quae a lege imponitur, vel pro reparatione *Damni illati*, vel propter contumaciam, aut contemptum. Tandem *Poena Judicialis* est, quae a Judice infertur. *Poena* rursus alia est *Spiritualis Ecclesiastica*, haecque alia *vindicativa*, alia *Medicinalis*, de quibus infra.

Poena Criminalis est, quae tendit ad vindictam publicam. Et haec rursum varie dividitur, videlicet in *temporalem*, et *perpetuam*, in *pecuniariam*, et *corporalem*: item in *capitalem*, et *non capitalem*, de quibus plura infra. *Capitalis* est, quae adimit vitam hominis vel naturalem, vel civilem. Cujus species, plures enarrantur *l. Capitalium poenarum.* 28. *ff. h. t.* Inter quas sunt *ultimum supplicium*, quo vita naturalis adimitur, *l. Ultimum.* 21. *ff. eod.* ibi: *Ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur.* Item damnatio ad *metallum*, et *deportatio*, quibus aequiparatur *exilium perpetuum*, et *Bannus Imperialis*. *Poena non capitalis* est, qua quis salva vita naturali, et civili coercetur, uti sunt *Relegatio*, *fustigatio*, *membri amputatio*, *incarceratio*, *stigmatis inustio*, *cit. l. Capitalium.* 28. §. 1. *ff. h. t.* 4

Rursum *Poena* alia est *ordinaria*, alia *extraordinaria* sive *arbitraria*. *Poena ordinaria* dicitur, quae a Jure est expressa, ac determinata; sive quam lex, princeps, aut consuetudo induxit, seu praescripsit. *Extraordinaria* vero, sive arbitraria est, quae nulla Lege, statuto vel consuetudine est definita, sed extra ordinem a Judice imponenda juxta arbitrium et prudentiam ipsius pro qualitate delicti, ac variis ejus circumstantiis, prout fit, quando Lex actum quidem prohibet, sed poenam non statuit, aut saltem hanc determinat, sed Judici determinandam relinquit. 5

Ulterius *Poena* alia est *latae*, alia *ferendae sententiae*, alia *positiva*, quae videlicet aliquam externam actionem ad sui executionem requirit; alia *negativa*, quae scilicet talem actionem pro executione non requirit. 6

Quaeritur II. An, et quatenus Judex possit augere, vel minuere *Poenas*? Resp. I. Regulariter loquendo et sine causa Judex Inferior nequit poenas ordinarias, seu Jure taxatas remittere, vel commutare, multo minus augere. Engel *h. t. nu.* 3. Zoesius *n.* 10. Pirhing *num.* 3. et communis. Ratio est; quia Judex tenetur servare aequitatem legalem, debetque non de legibus, sed secundum leges judicare; nam ut dicitur *c. In istis. dist.* 4. *In istis temporalibus legibus, cum fuerint institutae et confirmatae, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.* Idem fusius habetur *c. Summopere.* 11. *q.* 3. Hinc *L.* 1. §. *Sed non. ff. Ad S. C. Turpilianum* dicitur: *Facti quidem quaestio in arbitrio judicantis est, poenae vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur*, cum concordantiis. 7

Dixi notanter 1. *Judex inferior*: Siquidem Princeps supremus, puta, Rex, vel alius, cui jus aggratiandi, vel remittendi *Poenas* ex privilegio et consuetudine competit, uti hodierno tempore id competit Principibus, ac Statibus Imperii, licite potest Reo poenam vel imminuere, vel omnino remittere, hoc ipso, quod lege humana Superiores censeantur, *l. Princeps.* 31. *ff. de Legib.* quamvis etiam his cavendum sit, ne [illegible] sua indulgentia jus publicum vel privatum [illegible], vel relinquendo scelera impunita, scandalum [illegible] occasionem liberius peccandi praebeant 8

Dixi 2. *Regulariter loquendo et sine causa*: siquidem ob speciales circumstantias potest inferior poenas ordinarias, et lege praescriptas imminuere, aut etiam aggravare, *l. Aut facta. ff. de Poenis.* ubi inter alia dicitur, quantum ad hoc *Scelera consideranda esse septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, eventu.* Sic potest Judex minuere poenam Lege taxatam ratione aetatis, 9

quae nondum sufficiens est ad subeundam poenam, vel ratione imprudentiae, *l. Fere. ff. de Reg. Jur.* ibi: *Fere in omnibus poenalibus judiciis, et aetati et imprudentiae succurritur.* Item ratione senecturis, *arg. c. Tontae. dist.* 86. vel ob paupertatem, si est Poena pecuniaria; imo et ob qualitatem personae, aut alias circumstantias prudenti Judicis arbitrio pensandas, poterit poena minui; et econtra potest etiam poena aggravari, quoties nimirum ob ejusmodi circumstantias crimen aggravatur, prout amplius habetur *cit. l. Aut facta ff. de Poenis*, cum concordantiis. Et quia Jura tribuunt bene facultatem ex causa poenas temperandi vel aggravandi, Judices in sententiis criminalibus id observantes, non censentur agere contra legem, sed servare legem, cum ex generali potestate sibi per leges concessa alterent poenas pro exigentia circumstantiarum delicti. Fagnanus c. *Canonum statuta. num.* 116. *de Constitut.*

10 Resp. II. *Poenae arbitrariae*, seu quae nulla lege sunt definitae, debeat regulari ex qualitate delicti, ac personarum. Ita Sebastianus Guazzinus *Tract. Ad defensam Inquisitorum. Tom.* 2. *Defens.* 33. *cap.* 4. *n.* 7. post Gomez, et alios. Unde (subdit citatus Auctor) quotiescunque poena erit arbitraria, Judex rationem habere debet ad qualitatem delicti et personarum, sicque considerare debet senectutem, juventutem, furorem, ebrietatem, iram, ignorantiam, magnam virtutem, excellentiam, et utilitatem Reipublicae, et semper debet inclinare in mitiorem partem, nisi Reus esset solitus delinquere. Ratio horum omnium est; quia poena arbitraria relinquitur determinanda arbitrio prudentis Judicis: atqui arbitrium hujusmodi debet esse rationi, et Juri conforme, *arg. l. Non possunt. ff. de Legib.* non enim arbitrium hic accipitur pro arbitrio libero, et absoluto ac pleno voluntatis, sed pro arbitrio regulato a recta ratione, sive pro arbitrio boni viri, quod solet explicari per ly *Si justum putaveritis* etc. *arg. l. Societatem. ff. pro Socio.*

11 Num autem hujusmodi *Poena extraordinaria, seu arbitraria* possit se extendere ad poenam majorem, aut etiam ad poenam mortis, disputant Doctores. Et quidem loquendo de poena mortis, Jason *l. Qui jurisdict. num.* 4 *ff. de Jurisdict. omn. judic.* videtur tenere *negativam*, nisi ejusmodi Judex sit supremus, ut puta Princeps, *arg. l.* 1. *ff. de Furibus.* Verum communior Doctorum sententia est, quod quamvis de Jure, vel consuetudine non sit imposita poena mortis, si tamen atrocitas et qualitas delicti ob speciales circumstantias id expostularet, possit Judex etiam poenam mortis imponere; secus autem non. Ratio est; quia poena est imponenda secundum qualitatem delicti, *arg. c. Non asseramus.* 14. *q.* 1. Et ita tenet Glossa §. *In summa.* ℣. *Extraordin. Instit. de Injuriis.* Zoesius *h. t. num.* 15. allegans Abbatem, Engel *h. t. num.* 2. Guazzio. *Defens.* 33. *cap.* 16. cum aliis, quos citat.

12 Solum nota cum citato Guazzino *num.* 2. et Engel *h. t. n.* 5. post Vallensem §. 4. *n.* 3. et alios, quod hodie ex praxi omnes poenae, ubicunque locorum factae, sint arbitrariae, ac proinde possit hoc tempore Judex moderari poenas Legum pro varietate circumstantiarum, locorum, personarum. Verum hoc intelligendum arbitror conformiter dictis *num.* 9. Nam si delictum non haberet aliquando causam aggravantem, vel minuentem, Judex teneretur sequi poenam Legis, nec esset locus arbitrio, cum virtute arbitrii Judici concessi non possit Judex aliquid facere, quod non sit Juri et rationi consonum per textus *num.* 7. allegatos, et late probat Menochius *de arbitrar. Judic. quaest.* 9. *num.* 3. *et quaest.* 77. *num.* 4. *et quaest.* 87. *num.* 2. Igitur tunc solum erit locus *Poenae arbitrariae*, quando haec vel non est lege aut consuetudine determinata, vel saltem aliqua causa extrinseca, sive intrinseca delicto adhaeret, ob quam ea videatur minuenda vel aggravanda.

Hoc tamen adde, quod stante dubio, aut diversa 13
Legum intelligentia Judex semper debeat in mitiorem partem declinare, juxta allegata Juris axiomata. *In obscuris minimum est sequendum, Reg.* 30. *Jur. in* 6. Item, *in poenis benignior interpretatio facienda est*, juxta *Reg.* 49. *Jur. eod.* Et *in poenalibus causis benignius interpretandum est*, *l. Factum. ff. de Reg. Jur.* Nam, ut dicitur *c. Alligant.* 26. *q.* 7. *Melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem.*

Nihilominus tamen circa Reos in gravioribus 14
criminibus legitime convictos, non nimis clemens esse debet Judex juxta illud Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*; ne videlicet Malefactores sensim multiplicentur, ipsique liberati graviora perpetrent delicta ad gravem Reipublicae, perniciem. Attendenda igitur erit doctrina, *l. Respiciendum. ff. de Poenis*, data Judicibus in haec verba: *Respiciendum est judicanti, ne quid aut durius aut remissius constituat, quam causa deposcit: nec enim aut severitatis, aut clementiae gloria affectanda est, sed propenso judicio, prout quaeque res expostulat, statuendum est, plane in levioribus causis promtiores ad lenitatem Judices esse debent, in gravioribus poenis severitatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.* Haec ibi.

Quaeritur III. An, et quando *Poena latae*, vel ferendae sententiae obliget in conscientia? Resp. ad hoc quaesitum patere *Lib. I. Tit. II.* §. 9. *per totum.*

Quaeritur IV. An quis excusetur a *Poena* ex 15
eo, quod legem culpabiliter quidem transgrediatur, ignoret tamen poenam transgressoribus positam. Resp. *Negative.* Responsio patet ex dictis *Lib. III. de Simonia.* §. 13. *a num.* 321.

§. II.

De Poenis Ecclesiasticis in specie, praesertim vero de Privatione Beneficiorum, Depositione, Degradatione, Infamia, et Irregularitate.

SUMMARIUM.

16 *Definitur* Poena Ecclesiastica, *seu* Canonica.
17 *Afferuntur plures species illius.*
18 *Aliae sunt* medicinales: *et quae?*
19 *Aliae* vindicativae: *et quae?*
20 *Inhabilitas ad Beneficia quid sit? et quomodo obliget.*
21 *Privatio Beneficiorum quid? et ex quibus causis proveniat? quando, et quomodo obliget? Remissive*
22 *Depositio simplex, seu verbalis, et Degradatio quid?*
23 *Subinde non tantum ex parte imponitur, v. g. ab Officio duntaxat, vel Beneficio.*
Qui deponi jubetur ab Officio, deponendus etiam est a Beneficio. Ibid.
24 *Sed non econtra.*
25 *Depositio in Jure absolute prolata indicat Depositionem verbalem totalem ab omni munere Clericali.*
26 *Consequenter ab omni Beneficio et Officio, et inducit perpetuam inhabilitatem ad Beneficium.*
27 Depositio *quomodo differat a Privatione Beneficii, et a Suspensione?*

16 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Poena Canonica*, seu *Ecclesiastica*? Resp. I. Quamvis communiter recepta sit definitio *Poenae Canonicae* a Doctore nostro subtili data in 4. *dist.* 15. *q.* 1. §. *In ista quaestione*, illis verbis: *Poena Canonica est poena inflicta per Canones, vel secundum Canones prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico, qui alias sibi liceret*: prout jam diximus, et explicavimus in Theologia nostra Morali, *Tr.* 13. *q.* 4. *a.* 15. Nihilominus quia dantur plures Poenae Ecclesiasticae per SS. Canones praescriptae, quibus praefatae definitionis ultima verba non conveniunt, ideo *Poenam Canonicam*, seu *Ecclesiasticam* magis large, ut prout omnes Ecclesiae poenas comprehendit, definiendo, et omittendo ultima praefatae definitionis verba, bene dicitur: *Poena Ecclesiastica seu Canonica est, quae ab Ecclesia, seu potestate Ecclesiastica per Canones, vel secundum Canones infligitur.* Definitio patet ex terminis, sola notanda verba per *Canones*, quibus verbis indicatur poena ipso Jure, seu ipso Canone jam imposita, consequenter jam latae sententiae existens; et vel *secundum Canones*, quibus verbis innuitur poena per sententiam primum juxta praescriptum tamen SS. Canonum ferenda: si enim his conformiter non infligeretur a Judice, foret injusta.

Resp. II. Etsi rursus apud communem Theologorum *Poena Canonica* septem duntaxat numerat species sequentes, videlicet *Depositionem*, *Degradationem*, *Infamiam*, *Irregularitatem*, *Excommunicationem*, *Suspensionem*, et *Interdictum*, prout *loc. cit.* in Theologia nostra Morali annotavimus, tamen sumendo *Poenam Canonicam*, seu *Ecclesiasticam* in sensu definitionis *num. praeced.* datae; *Poena Ecclesiastica*, seu *Canonica* ad propositum bene dividitur in *eam*, quae imponitur in Foro interno, seu poenitentiali (de qua *Tit. seq.* et in eam, quae infligitur in Foro externo, seu judiciali: quas poenas rursus subdividuntur in *vindicativas*, et *medicinales*. 17

Medicinales sunt, quae propter culpam imponuntur ad hoc, ut per eam fidelis emendetur, et a contumacia desistat, et sunt ipsae Censurae Ecclesiasticae, *Excommunicatio* videlicet, *Suspensio*, et *Interdictum*, de quibus infra *Tit. XXXIX.* per totum ex professo. 18

Vindicativae sunt, quae tenduot ad vindictam Delinquentis, ac propterea propria *Poenae* dicuntur juxta definitionem *num.* 16. datam: quarum plures, praecipue vero sequentes inveniuntur in Jure Ecclesiastico, videlicet, I. *Inhabilitas* ad Beneficia, Dignitates, et Officia Ecclesiastica. II. *Privatio* illorum prius rite obtentorum. III. *Depositio.* IV. *Degradatio.* V. *Infamia.* VI. *Irregularitas.* VII. *Poena pecuniaria.* VIII. *Carcer*, seu *Incarceratio.* IX. *Detrusio* in arctum Monasterium. X. *Tortura.* XI. *Verberatio*, seu *flagellatio.* XII. *Exilium*, seu *relegatio.* XIII. *Confiscatio bonorum.* De quorum sex prioribus, utpote magis spiritualibus in praesenti; de reliquis vero in sequenti §. agemus. Hinc 19

Quaeritur II. Quid sit *Inhabilitas* ad Beneficia, Dignitates, et Officia Ecclesiastica? et quomodo obliget? Resp. *Inhabilitas isthaec est poena Ecclesiastica, qua quis inhabilis, et ineptus redditur ad valide recipiendum Beneficium, Officium etc. Ecclesiasticum*, adeo ut collatio ipso facto, et ante omnem sententiam sit nulla. Communis et certa, patetque ex dictis *Lib. I. Tit. II. de Constitut.* §. 10. *n.* 346. ubi generaliter docuimus poenas ab ipso Jure impositas, quae nullam externam executionem requirunt, sed potius in negatione et carentia, seu abstinentia consistunt, statim obligare in conscientia. Vide ibidem. 20

Quaeritur III. Quid, quotuplex, et quomodo intelligenda sit, ac quomodo obliget *Privatio* Beneficii, Dignitatis etc. Resp. I. *Esse poenam Ecclesiasticam, qua quis privatur Beneficio, Dignitate, vel Officio Ecclesiastico prius rite obtento*; quae poena quot modis, et ex quibus causis proveniat? et quos effectus habeat? quomodo, et quando obliget in conscientia? vide *Lib. III. Tit. V. de Praebend. et Dignit.* §. *XII. per totum.* 21

Quaeritur IV. Quid, et cujus effectus sit *Depositio simplex*, seu *verbalis*? ac ob quae crimina contrahatur? Resp. I. *Depositio verbalis*, (quae etiam *Degradatio verbalis*, dicitur) est *poena Ecclesiastica*, qua Clericus quis perpetuo privatur Ordine et munere Clericali, v. g. Sacerdotali, et Episcopali, non quidem quoad characterem, cum sit indelebilis, *can. Ostenditur* 30. *dist.* §. *de Consecrat* sed quoad exercitium Ordinis, celebrationem, absolutionem etc. et hoc ipso etiam ab Officio et Beneficio. Suarez *de Censuris, disp.* 30. *sect.* 1. Navarrus *Manual cap.* 27. *num.* 11. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *cap.* 4. *a num.* 1. Barbosa *de Offic. et po-* 22

testat. Episcop. allegat. 110. *a num.* 1. cum Communi, *arg. c. At si Clerici.* §. *de Judiciis. c. Ut Clericorum.* 13. *de Vita et honestat. Clericor. c. Insinuatum* 13. *de Simon. c. Latores.* 4. *de Clerico excomm. minist.* cum Concordantiis

23 Dicitur autem notanter *Depositio verbalis absolute accepta* : quia in Jure *Depositio* subinde non absolute et totaliter, sed ex parte duntaxat, v. g. *a* solo Beneficio, vel *a* solo Officio imponitur ; cui definitio praefata non convenit, cum non *totalis*, sed tantum *partialis* sit, et ut talis servari debet ; ita tamen, ut etsi in Jure jubeatur quis deponi *a* solo Officio, nulla facta mentione de Beneficio, exinde ab ipso etiam Beneficio indirecte etiam deponendus sit, hoc ipso, quod Beneficium datur propter Officium, uti cum Glossa *in can.* 1. *can.* 1. *q.* 3. *princ.* et Suarez *loc. cit. num.* 14. bene observat Layman. *loc. cit. n.* 2.

24 Quod si tamen in Jure quis *a* solo Beneficio deponi juberetur, hoc ipso ob Officio, et Ordinibus depositus, vel deponendus non esset. Layman. *loc. cit.* Suarez *loc. cit. arg. c. Odia restring.* et c. *In poenis. de Reg. Jur. in* 6.

25 Caeterum si praecise, et sine addito a Jure quis jubetur deponi, intelligitur *Depositio verbalis totalis* a munere clericali, quae fieri solet, et debet per sententiam ordine ferendam ; cum haec proprie, et simpliciter loquendo sit depositio. Barbosa *loc. cit. num.* 2. plures alios citans, *arg. c.* 2. *h. t. in* 6.

26 Porro haec *Depositio* semper etiam secum trahit privationem ab omni Officio, et Beneficio, hoc ipso, quod privatus Ordine et munere Clericali Officium, vel exercitium aliquod Ordinis vel muneris Clericalis habere, consequenter Beneficio, quod propter Officium datur, frui amplius non possit. Et quoniam *Depositio* ex se est perpetua, hoc ipso etiam ad omne Beneficium perpetuo inhabilis evadit *Depositus*, uti cum aliis bene observat Suares *de Censuris disp.* 30. *sect.* 1. *num* 5. volens *Depositionem* quamlibet etiam a solo Beneficio importare perpetuam inhabilitatem ad quodvis Beneficium.

27 Colliges, qualiter *Depositio* differat a *Privatione* Beneficii, et a *Suspensione* : a *Privatione* quidem differt, quia haec praeter alios suos effectus ex natura sua non reddit inhabilem ad alia Beneficia ; bene vero *Depositio* : a *Suspensione* vero, quia haec ex natura sua non est perpetua, sed medicinalis, nec privat ipso Jure Beneficio, sed administratione duntaxat, et perceptione fructuum ad tempus, uti patebit ex dicendis infra *Tit. XXXIX.*

28 Notandum tamen hic, quod, etsi juxta dicta *Depositio verbalis* ex natura sua sit perpetua, tamen Episcopus possit peractam poenitentiam dispensare possit cum *Deposito*, eumque restituere in statum pristinum, si ob Adulterium, vel aliud minus crimen depositus fuit Abbas *in c. At si Clerici.* 4. *h. t. n.* 5. et ibi Barbosa *n.* 8. Gonzalez *n.* 1. Layman *loc. cit. n.* 5. textu expresso *cit. c. At si Clerici h. t.* ibi: *De Adulteriis vero, et aliis criminibus, quae sunt minora, potest Episcopus cum Clericis post peractam poenitentiam dispensare.*

29 Nec obstat, quod *Depositus* sit infamis, *can. Infames.* 17. *can.* 6. *q.* 1. cum infamibus autem solus Papa dispensare possit, *arg. c. Cum te.* 23. *de Sentent. et re judicat. l.* 1. *ff de Postulat* Resp. enim, quod quamvis directa famae restitutio soli Papae, aut supremo Principi competat, tamen indirecta famae restitutio, et quae per quamdam consequentiam fit, etiam ab alio fieri queat, *cit. l.* 1. §. 10. ℣. *Pro quo ff de Postulat* Hinc etsi Episcopus in poena infamiae dispensare directe non valeat, nihilominus quia per Jura citata potest dispensando tollere poenam *Depositionis*, indirecte etiam tollere poterit poenam *infamiae* inde ortam. Abbas *in cit. c. At si Clerici.* 4. *de Judiciis. num.* 15.

30 Resp. II. Quamvis crimina, ob quae poenam *Depositionis* Jura imponi volunt, sint varia ; veluti, *Adulterium, Concubinatus, Simonia notoria, Stuprum, Incestus, Furtum, Perjurium, Homicidium*, et his graviora crimina, imo et minora, uti in Titulis de his criminibus habetur, et desumitur etiam ex c. *At si Clerici.* 4. § *de Adulteriis, de Judiciis.* Barbosa *de Offic. et potestat. Episc. Allegat.* 110. Sa ℣. *Depositio.* Pirhing *h. t. num.* 19. cum communi Doctorum, praxis tamen et consuetudo in plerisque locis jam obtinuit, quod poena *Depositionis* non nisi propter crimina valde enormia, et publice valde scandalosa prudenti Judicis arbitrio dignoscenda infligatur ; uti bene advertunt Abbas *in c. At si Clerici. de Judiciis num.* 33. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Palao *tract.* 29. *disp.* 4. *pun. ult. num.* 4. Cujusmodi utique foret *homicidium* voluntarium et praemeditatum, *Adulterium*, vel *Stuprum* violentum, *Furtum* sacrilegium rei pretiosae, continuata post factas monitiones, *Fornicatio* notoria, *arg. c. Si autem.* 6. *de Cohabit. Cleric. et mulier.* Concilium Trident. *Sess.* 22. *in Decreto de observandis in Decreto Missae*, ubi expresse mandatur Episcopis, *ut neminem, qui publice et notorie criminosus sit, sancto Altari ministrare permittant*, cum Concordantiis

31 A quo autem, et quomodo fieri possit, ac debeat, dicetur infra *a num.* 39.

32 Quaeritur V. Quid? cujus effectus sit *Degradatio*, et ob quae crimina infertur? et qualiter infligatur? Resp. I. *Degradatio*, quae etiam *Depositio realis* vocatur) est poena Ecclesiastica, qua Clericus Ordine, et munere Clericali, consequenter etiam omni Beneficio et Officio, nec non privilegio Fori et Canonis, per sententiam solemniter et authentice perpetuo privatur, et traditur Curiae saeculari, ab eadem juxta leges puniendus. Barbosa *loc. cit. n.* 4. cum Communi et certa aliorum, *arg. c. Cum non ab homine. de Judic.* c. *Degradatio.* 2. *de Poenis in* 6.

33 Dicitur autem notanter primo *per sententiam* : Tum quia non infligitur ipso Jure, sed a Judice Ecclesiastico, et per sententiam Canonicam debet imponi. Tum quia ad *Degradationem* requiritur certa solemnitas a Jure praescripta, praesertim c. *Degradatio. de Poenis in* 6.

34 Dicitur secundo in definitione Degradationis, *nec non privilegio Fori et Canonis.* Siquidem per *Degradationem*, seu *realem* (non tamen per solam verbalem Depositionem) privatur quis omni privilegio Clericali tum Fori, tum Canonis. Privilegio quidem Fori, in quantum ejicitur a Foro Ecclesiastico, et traditur Curiae saeculari, ita ut sit constitutus sub jurisdictione Magistratus saecularis, a quo proinde, quasi esset Laicus, possit capi, incarcerari, atque juxta Leges Civiles de commissis criminibus puniri : quamvis, ut habetur c. *Novimus. de Verbor. significat.* dum Clericus degradatus propter sua delicta *traditur Curiae saeculari, debeat Ecclesia efficaciter intercedere, ut circa mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Privatur etiam Clericus degradatus privilegio Canonis, ita ut ejus invasor, aut percussor, quamvis injustus, non incurrat Excommunicationem latam in percussores Clericorum, *arg. cit. c. Novimus.* ibi : *Degradatus tanquam exutus privilegio Clericali, saeculari Foro per consequentiam applicatur.* Concordat c. *Degradat. de Poenis in* 6. ibi: *Degradamus, et exuimus te omni Ordine, Beneficio, et Officio*

Clericali. Dum econtra *Degradatus* verbaliter duntaxat, et simpliciter depositus privilegium Clericale retineat. Glossa *in cit. c. 2. de Poenis in 6. ℣. Privilegio Clericali*, et ibi Barbosa *n. 9.*

35 Quaeritur VI. Ob quae crimina imponatur poena *Degradationis* et traditionis Curiae saeculari? Non defuerunt, docentes, quod in omnibus delictis, pro quibus secundum Leges imponitur poena mortis naturalis, quoad Clericos succedat poena *Degradationis* et traditionis Curiae saeculari: eo quod in hujusmodi delictis atrocissimis non invenitur aliqua poena Canonica, qua Reus possit condigne puniri; cum secundum Canones nunquam imponatur poena mortis corporalis, *arg. c. Clericus.* et *c. Sententiam. Ne Clerici et Monachi etc.*

36 Sed hanc opinionem rejicit Fagnanus *in c. Cum non ab homine de Judiciis. n.* 60. Quia, inquit, Ecclesia habet poenam carceris perpetui, quae proportionatur poenae mortis naturalis, saltem quando detrusus debet sustentari pane et aqua, sive ut loquitur textus *in c. Novimus. §. fin. de Verbor. signific. Pane doloris, et aqua angustiae.* Sic enim Clericus delinquens non est impunitus, imo acrius affligitur; quia minor est poena statim mori, quam diu affligi, et salutem non sperare, *arg. c. Nihil enim. il. 2. de Consecrat. dist.* 5.

37 Resp. proinde *cum* citato Fagnano *n.* 38. *et seqq.* Poenam *Degradationis* imponi tantum in casibus a Jure expressis. Probatur id ex eo; quia Lex Civilis in multis casibus imponit Laico pro certis flagitiis poenam mortis; Lex Canonica vero aliam poenam, quam *Degradationis actualis*, et traditionis Curiae saeculari: Sic enim Laicis imponitur poena mortis, *l. Quamvis hoc, 2. C. Ad Legem Juliam de Adulteriis* ibi: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Et tamen pro *Adulterio* Clericus secundum Canones non degradatur, sed simpliciter deponitur, et in Monasterium detruditur, *c. Si quis Clericus. dist.* 81. Item pro Rapto Lex Civilis imponit Laico poenam *ultimi supplicii, L. un. C. de Raptu Virginum*: sed Clerico imponitur non poena *Degradationis*, sed *Depositionis, can. de Puellis.* 36. *q.* 2. Omitto alia exempla, quae refert Fagnanus *loc. cit. num* 83. *et seqq.*

38 Porro Crimina, pro quibus Jure Canonico Clericis imponitur poena *Degradationis* et traditionis Curiae saeculari, sunt sequentia: I. *Haeresis, c. Excommunicamus. §. Damnati etc. Ad abolendam. de haereticis.* II. *Crimen falsificationis* litterarum Apostolicarum *c. Ad falsariorum. de Crimine Falsi.* III. *Crimen insidiarum*, et conspirationis in proprium Episcopum, *c. Si quis Sacerdotum*, et *c. Statuimus.* 11. *q.* 4. IV. *Crimen assassinatus* in Clerico, *arg. c. Pro humani de homicidio in* 6. V. *Incorrigibilitas Clerici* post servatos aliarum poenarum gradus, *arg. c. Cum non ab homine. de Judiciis.* VI. *Crimen nefandum contra naturam*, ex Constitutione B. Pii V. quae incipit: *Horrendum illud scelus.* VII. et VIII. *Celebratio Missarum*, vel *Auditio Confessionum a non Presbyteris*, ex Constitutione 81. Clementis VIII. at incipit: *Etsi alias etc.* IX. *Falsificatio Monetarum* in Italia, per Constitutionem Urbani VIII. quae incipit: *In suprema.* De quibus plura Fagnanus *loc. cit. n.* 68. *et seqq.*

39 Quaeritur VII. A quibus? et quomodo fieri possit, et debeat tam *verbalis*, quam *realis Depositio*, seu *Degradatio*? Resp. I. *Depositio simplex seu verbalis* a proprio delinquentis Clerici Episcopo saltem confirmato, etsi nondum consecrato (cum non sit actus Ordinis, sed Jurisdictionis) vel ejus Vicario Generali fieri potest et debet, uti colligitur ex Concilio Trident. *Sess.* 14. *de Reformat. cap.* 4. Et quoniam Sede vacante Capitulum in jurisdictione Episcopi succedit *c. His quae* 11. *et c. Cum olim de Majorit. et obedient.* ab eodem Capitulo, vel ipsius Vicario Generali de speciali Capituli mandato fieri etiam poterit. Castro Palao *Tract.* 29. *Disp.* 4. *p. ult. n.* 7. et alii communiter.

Resp. II. *Degradatio realis*, seu actualis et solemnis, non nisi ab Episcopo consecrato fieri potest. Barbosa *de Offic. et potestat. Episc. Allegat.* 110. *n.* 24. Layman *loc. cit. n.* 5. cum Glossa communiter recepta in *c. Transmissum. de Election ℣. De talibus, arg. cit. Concil. Trid. Sess.* 23 *cap* 4. ibi: *Per se ipsum.* Ratio est; quia, uti ibidem bene notat Glossa, *Degradatio realis* videtur actus Ordinis Episcopalis, consequenter non nisi ab Episcopo consecrato fieri potest. 40

Resp. II. Quamvis olim tam ad *Depositionem simplicem*, quam *Degradationem* Clerici *realem* necessarius fuerit certus numerus Episcoporum, ita quidem ut existente Reo Presbytero, sex Diaconi, aut Subdiaconi, tres alii Episcopi una cum proprio praesentes esse debuerint, *can. Felix.* 4. *can. Si autem.* 5. *cau* 15. *q.* 7. juncto *c.* 1. *de haereticis in* 6 tamen hodie ad utrumque sufficit, ut loco Episcoporum tot adsint Abbates usum *Mitrae*, et *Baculi* habentes, vel his deficientibus totidem alii in Dignitate constituti, aetate graves, et scientia praeclari Clerici. Sic enim novissime statutum habetur a Concilio Tridentino *Sess.* 13. *de Reformat. cap.* 4. ibi: *Cum vero tam gravia nonnunquam sint delicta ab Ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem e sacris Ordinibus deponendae, et Curiae saeculari sint tradendae: in quo secundum sacros Canones certus Episcoporum numerus requiritur: quos si omnes adhibere difficile esset, debita Juris executio differretur: et quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur: propterea statuit et decrevit Episcopo per se, seu illius Vicarium in Spiritualibus generalem, contra Clericum, in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, et per se ipsum etiam actualem atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus et gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum praesentia, in num. a Canonibus definito, requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum Mitrae et Baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate aut Dioecesi reperiri et commode interesse possint: alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quae aetate graves, ac Juris scientia commendabiles existant* 41

Porro iis, sive Episcopis, sive Abbatibus, sive aliis Clericis, qui juxta dicta necessario praesentes esse debent, non tantum *consultivum*, sed etiam *decisivum* votum competit, ita ut sine ipsorum voto et assensu Episcopus nec ad *Depositionem*, nec ad *Degradationem* venire valeat, *can. Episcopus. can.* 15. *q.* 7. *c. Non potest.* 3. *de Sentent. et re judicat.* Etiam post Concilium Tridentinum, cum ab ipso circa hoc punctum nil sit immutatum, uti cum Communiori recte observat Barbosa *loc. cit. n.* 26. 42

Et quamvis juxta receptam sententiam ad *Depositionem verbalem*, seu *realem* Clerici in *Minoribus* constituti sufficiat consensus majoris partis praesentium Requisitorum, eo quod regulariter loquendo, et ubi aliud de Jure specialiter non requiritur, quaecunque a majori parte fiunt, ab omnibus geri censeatur, *c. De his, quae a majori.* et *l. Quod major.* 19. *ff. ad Municipal.* 43

Idque ob paritatem rationis. Sylvester ℣. *Degradatio. num.* 1. *et* 3. cum Glossa in *c. Cum olim de Sentent. et re judicat.* ℣. *Praesentes.* extendit etiam ad *Depositionem* Clerici in *Majoribus* constituti; tamen probabilior, et communior sententia est, saltem ad Sacerdotis *Depositionem* requiri unanimem consensum praesentium Requisitorum. 44

Barbosa sit. *Alleg.* 110. *n.* 28. Abbas *in c. Non potest* 3. *de Sentent. et re judicat. num.* 16. Felinus nu. 5. Imola, et alii, *arg. cit. c. Non potest.* ubi expresse requiritur *concors Sacerdotum sententia*, qui terminus *concors* non nisi in unanimi verificatur, *arg. c. In causis* 3. *de Election.* ubi factum *concorditer* opponitur facto *a majori parte.*

45 Resp. IV. Modus, et forma solemnitatis, quae in *degradatione* servari debet, praescribitur c. *degradatio* 2. §. *Actualis vero h. t. in* 6. et Pontificali Romano, vi cujus, postquam a praesentibus requisitis assistentibus per Episcopum *degradatio* decreta est, Clericus *degradandus* sacris vestibus indutus, in manibus habens instrumenta Ordinis, a quibus degradatur, competentia, ad Episcopi praesentiam ducitur: Episcopus autem assistentibus sibi supra dictis Ecclesiae Praelatis, et praesente Judice saeculari, in Ecclesia vel alio loco sacro, Ordine retrogrado, id est, incipiendo ab illo, quod in ultima Ordinatione acceperat, usque ad primum, quod datur in collatione *primae Tonsurae*, cum vestibus, et ornamentis sacris cum certa verborum forma exuit, et tandem caput radit, ac praemissis efficacibus et seriis intercessionibus, ut citra mortis periculum sententia circa eum moderetur, tradit Judici saeculari: prout amplius habetur *cit. c. degradatio* § *h. t. in* 6. Actualis vero, sive solemnis coelestis militiae militis, id est, Clerici degradatio, cum ad eam fuerit procedendum, fiet, ut exauctorizatio ejus, qui militiae deserit armatae; cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris ejicitur, privatus commodo et privilegio militari. Clericus igitur degradandus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum seu ornamentum ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in Officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi praesentiam adducatur: cui Episcopus publice singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quaevis alia, quae illi, juxta morem ordinandorum Clericorum, in sua Ordinatione ab Episcopo fuerint tradita, seu collata singulariter auferat; ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum et traditum fuit ultimo inchoando et descendendo gradatim degradationem continuet, usque ad primam vestem, quae datur in collatione primae Tonsurae: tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne Tonsura seu Clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in Degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem illis oppositis, quae in collatione Ordinum sunt prolata dicendo Presbytero haec vel similia verba in remotione planetae. Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sacerdotali privamus, sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens. In ablatione ultimi, quod in collatione Ordinum fuit primum infra scripto, vel alio simili modo pronuntiet, sive dicat: Auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, et deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni Ordine, beneficio, et privilegio Clericali.

46 Dicitur autem notanter: *praemissis efficacibus intercessionibus*, quia, quamvis multi, inter quos etiam Soarez est, velint, Episcopum non incurrere Irregularitatem, etiamsi sine hujusmodi intercessione tradat *degradatum* Curiae saeculari; Tum quia *in c. Novimus de V. S.* dicta intercessio ad evitandam Irregularitatem non praescribitur; et vel inde ea omissa Irregularitas non contrahitur, utpote, quae non nisi in casibus a Jure expressis incurritur, c. *Is qui* 18. *de Sentent. excommun. in* 6. Tum quia *c. Episcopus* 3. *Ne Clerici, vel Monachi in* 6. eum, qui causam sanguinis justitiae alterius delegat, Papa ab Irregularitate absolvit, nulla facta mentione de tali intercessione vel protestatione contra poenam sanguinis, dummodo hanc non demandet: tamen securius est, ut talis intercessio praemittatur, praesertim quia ea, etsi non sub Irregularitate, tamen expresse praescribitur. *c. Novimus de V. S.*

47 Caeterum ex his colliges, quomodo *depositio*, et *degradatio* differant. Nam quamvis hae duae poenae Canonicae in multis conveniant, adeo ut quandoque pro eodem accipiantur, differunt tamen, quod *degradatio actualis* habeat talem et majorem solemnitatem, includat etiam actionem sceleris, privationem omnis privilegii Clericalis, ac traditionem Curiae saecularis; non item *depositio verbalis*. Item quod *depositio* etiam ab Episcopo non consecrato, ejusque Vicario generali, item Sede vacante a Capitulo, et illius Vicario generali fieri possit, *degradatio* vero a solo Episcopo consecrato juxta dicta.

48 Addit Fagnanus *in c. Requisivit de Ordinatis ab Episc. n.* 74. quod ab Officiis et Dignitatibus Ecclesiasticis non fiat *solemnis degradatio*, sed *verbalis* tantum *depositio* seu privatio per sententiam. Nam ut declarat Pontificale Romanum: *Proprie loquendo quis a dignitatibus et honoribus deponitur, sed ab Ordinibus degradatur.* Et ratio diversitatis est; quia Officia et dignitates sicut nuda voluntate et verbo conferri, et ita auferri possunt: at in collatione Ordinum non sufficit sola voluntas et verbum, sed opus est facto. Hoc idem Fagnanus *in c. Cum contingat de Aetat. et qualitat. Ordin. n.* 60. ait: quod *solemnis degradatio* nil aliud sit, quam *actualis depositio* ab Ordinibus susceptis.

49 Quaeritur VIII. Utrum Judex saecularis contra Clericum *degradatum* sibi traditum possit instituere novum processum? vel formatum a Judice Ecclesiastico pro revisione, an juste formatus fuerit, petere? vel utrum teneatur stare formato a Judice Ecclesiastico? Resp. I. Certum est, quod Judex Laicus non possit indagare de valore et justitia Processus, quem in degradando Clerico formavit Episcopus, quia est materia mere spiritualis, et actus Ordinis Episcopalis, de qua materia cognoscere non valet Laicus, c. *decernimus* 2. *c. quanto* 3. *c. Si Judex* 12. *de Sentent. excommun. in* 6. cum Concordantiis.

50 Ex eadem ratione certum etiam est, quod contra Clericum *degradatum* non possit instituere novum Processum, si delictum est mere Ecclesiasticum, uti sunt *Haeresis, Apostasia, sacrilega celebratio Missae*, vel *auditio Confessionis Sacramentalis*, uti cum communi recte docent Abbas *in c. Ad abolend.* 9. *de Haereticis* et ibi *n.* 12. Felinus *nu.* 5. Clarus *q.* 97. *nu.* 7. prout etiam supra *Tit.* VIII. *de haereticis, a nu.* 55. ubi multa ad propositum doctrinae praecedentis et praesentis numeri habes.

51 Resp. II. Si crimen, ob quod Clericus fuit *depositus*, est mixti fori, ita ut de illo per Laicum commisso alias cognoscere valeat Judex Laicus, cujusmodi sunt *Simonia, adulteratio Monetae etc.* Judex saecularis non tenetur stare Processui per Judicem Ecclesiasticum facto, sed, si vult, potest (etsi non teneatur) novum Processum *degradatum* instituere, eumque prout invenerit, Legibus conformiter judicare, et punire. Abbas *in c.* 1. *de Offic. Ordin. n.* 14. Clarus §. *fin. q.* 36. *n.* 7. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *cap.* 5. *n.* 6. *arg. Novell* 123. *cap.* 21. § *Si vero crimen*. Ratio est, quia cum in tali casu crimen mixti fori sit, et Judex de valore Processus a Judice Ecclesiastico facto non indaget, sed absolute novum juxta Leges instituat, nullo modo materiae, aut Jurisdictioni spirituali et Ecclesiasticae se immiscet.

§. III.

De Infamia.

SUMMARIUM.

52 Infamia *quid?*
53 *Alia est* Facti, *alia* Juris: *Et haec alia ipso Jure et Facto contrahitur, alia per Judicem infligitur.*
54 Infamia Juris *ipso Jure vi SS. Canonum incurritur per delicta, ob quae de Jure Civili eadem contrahitur, nisi sit specialis limitatio.*
55 *Allegantur delicta ob quae Jure Civili* Infamia Juris *ipso facto contrahitur.*
56 *Delicta, ob quae de Jure Canonico contrahitur* Infamia *ipso Jure.*
57 *Ob delictum occultum nulla contrahitur* Infamia.
58 *Qui per sententiam Judicis evadant* Infames.
59 Infames *ipso Jure sunt irregulares.*
60 *Excluduntur a Dignitatibus praesertim Ecclesiasticis.*
61 *Actibus legitimis, et muneribus publicis.*
62 *Ac etiam ab Haereditate Testamento relicta, si agatur de inofficioso.*

52 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit, *Infamia?* Resp. I. *Infamia est privatio, seu diminutio bonae famae;* sive ut loquuntur Juris-Consulti, *Infamia est laesae dignitatis status, vita, et moribus reprobatus l. Cognitionem* 5. §. 1. *ff. de Extraord. Cognit.*

53 Resp. II. *infamia* duplex communiter assignatur, videlicet *infamia juris* et *infamia facti*. Haec posterior accidit, quando quis tale aliquid perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud probos, et honestos viros laeditur, licet ab ipso Jure expresse non notetur aliqua infamia, nec per sententiam irrogetur, *arg. l. Neque Famosis* 2. *C. de Dignitat. infamia vero juris* est, quae ipso Jure infligitur, seu decernitur in certa Crimina committentes. Idque adhuc fit dupliciter, ita videlicet, ut vel ipso Jure et Facto *infamia* contrahatur, vel primum per sententiam *Judicis* secundum Juris declarationem infligatur.

54 Quaeritur II. Ob quae crimina ipso *Jure*, et *Facto* contrahatur *infamia juris?* Resp. I. Regulam esse generalem, Jure Canonico omnes eos censeri *infames*, quicunque Jure Civili habentur *infames*; nisi *infamiam* Jure Civili introductam Canones specialiter sustulerint. *Prior pars* habetur clare ex *c. Omnes* 6. *q.* 1. ubi Hadrianus Papa inquit: *Omnes vero infames dicimus, quos Leges saeculi infames appellant.* Concordat *c. infames* 6. *q.* 1. ibi: *infames esse dicimus, omnes, quos Ecclesiasticae vel saeculi leges infames pronuntiant. Altera vero pars probatur ex c. ult. De secundis nuptiis,* ubi *infamia* Jure Civili *L.* 1. *C. de secundis nuptiis* decreta mulieri intra annum luctus nubenti fuit sublata.

55 Resp. III. Jure Civili *infamiam juris* ipso Jure et facto contrahunt, sequentes videlicet. I. Qui, sive viri, sive foeminae, quaestuaria prostitutione lenocinium exercent, *l. Athletas* 4. §. 2. *ff. de his, qui notant. infam. l. Palam* 43. *ff. de ritu nupt.* II. Qui operam suam ad pugnandum cum bestiis locant, *l.* 1. §. 6. *ff. de Postulat.* III. Qui quaestus causa etiam cum homine ad privatum certamen descendunt, *l. Quod ait.* 2. §. 1. *ff de his, qui notant. infam.* IV. Qui ex praefato quaestu histriones, ac turpes ludos agunt, *eod. l.* et §. *fin.* V. Qui bina Sponsalia, vel binas Nuptias eodem tempore constitutas habet, *l. Quid ergo* 13. *ff. eod.* VI. Qui promissoriam contractum Juramento apposito factum, cum posset, non observat, *l. Si quis major.* 41. *C. de Transact.* VII. *Haeretici, Authen. Gazaros. C. de Haereticis.* VIII. Usurarius manifestus, et usuras usurarum exigens, *l. Improbum* 20. *C. Ex quibus causis infamia irrogatur etc.*

Resp. IV. Jure Canonico *infames* ipso facto sunt 56
praeter specificatos *sum praeced.* etiam illi, qui uti tales declarantur, *can. infames.* 17. *cau.* 6. *q.* 1. illis verbis: *infames esse personas dicimus, quae pro aliqua causa notantur infamia, id est, omnes, qui Christianae Legis normam abjiciunt, et statuta Ecclesiastica contemnunt; similiter Fures, sacrilegos, et omnes Capitalibus criminibus irretitos, sepulchrorum quoque violatores, et Apostolorum seu Successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, et omnes, qui adversus patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur: similiter incestuosos, homicidas, perjuros, raptos, maleficos, veneficos, adulteros, et de bellis publicis fugientes, et qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiae abstrahunt injuste, et qui fratres calumniantur, et accusant, et non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, et omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, et omnes, quos Ecclesiasticae vel saeculi leges infames pronuntiant.* Quibus accedunt alia delicta, de quibus suis in Titulis agitur.

Notandum tamen, quod etsi non desint Docto- 57
res volentes, *infamiam* ex necessitia etiam occultis delictis oriri; quia Infamia perpetrationi et non manifestationi criminis imposita est, uti cum aliis argumentatur Sylvester ℣. *irregularitas. quaest.* 14. tamen probabilius est, eam non nisi ex crimine manifesto oriri, eo, quod *infamia* sit bonae famae seu aestimationis apud alios diminutio, quae utique non sequitur, ubi crimen est occultum. Abbas *in c. Ex tenore* 4. *de Temporib. Ordin. num.* 4. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap.* 26. *num.* 1. cum Communi, quod si tamen crimen cum tempore evulgatur, illico completa adesse censetur *infamia* cum suis effectibus etiam ante ullam criminis declarationem.

Quaeritur III. Quinam sint *infames* sententia 58
Judicis? Resp. Omnes *accusatos*, et condemnatos de publico delicto, id est, tali, cujus accusatio cuivis est permissa §. 1. *institut. de public. Jud.* veluti sunt, *Proditio*, *Crimen falsi*, *Adulterium l. infamem ff. de public. Judic.* Item *Rapina*, *Furtum*, *expoliata Haereditas*, *injuria* etc. licet enim haec posteriora crimina non censeantur publica, sed privata, tamen per sententiam Judicis condemnatoriam irrogant *infamiam*, *l. infamem. l. Decuriones* 5. *l. Furti* 8. *l. Si expilasse.* 10. *C. Ex quibus causis irroget. infam.* quam etiam ille incurrit, qui pretio conductus accusare omittit: Item de dolo malo vel calumnia, aut praevaricatione in publico Judicio commissa condemnatus, *l. Fustibus* 6. *C. Ex quibus caus. infamia irrogat.* ob quae crimina condemnatos *infamis* efficitur, etsi in sententia nulla fiat mentio de *infamia*, ut cum aliis bene notat Perez *in C. Ex quibus caus. infamia irroget. nu.* 12. dummodo sententia per appellationem non sit suspensa, sed jam abierit in rem judicatam. Sylvester ℣. *Infamia num.* 10. Molina *de I. et I. disp.* 9. *n.* 4. *et deducitur ex l. Furti* 6. §. 1. *ff. de his qui infamia notant.*

Quaeritur IV. Qui sint effectus *infamiae?* Resp. se- 59
quentes potissimum. I. *infames* sunt irregulares, ita ut neque Ordinem suscipere, nec in suscepto ministrare valeant *can. fin. dist.* 51. *can. infames can.* 6. *q.* 1. Navarrus *cap.* 27. *n.* 204.

60 II. *Infamia* tam ex turpitudine Facti, quam e Jure proveniens excludit e dignitatibus et honoribus praesertim Ecclesiasticis juxta *Regul.* 85. *Jur. in* 6. ibi: *Infamibus non pateant portae dignitatum*, et *l. Neque famosis.* 2. *C. de Dignitat.* eo quod Dignitatse et reliqua Beneficia Ecclesiastica non nisi ab illis administrari debeant, qui probatae sunt vitae et integrae existimationis, *c. Inter dilectos de Excess. Praelat.*

61 III. *Infamia* ulterius excludit ab actibus legitimis, et publicis muneribus, ac officiis, Judicis, Assessoris, Advocati, Accusatoris, imo etiam Testis, *c. Testimonium.* 54. *de Testib. l. Testium.* 3. §. *ff. eod.*

62 *Infames* repelluntur ab haereditate Testamento relicta, non tantum si parentes, sed etiam si fratres, aut sorores de inofficioso agant, *l. Fratres* 27. *C. de Inoffic. Testament.* et ibi Brunneman. *n.* 1.

§. VI.

De Irregularitate.

SUMMARIUM.

63 Irregularitas *quid* ?
64 *Quomodo differat ab Excommunicatione*, *et Suspensione.*
65 Irregularitas *alia est* ex delicto, *alia ex* defectu.
66 Irregularitas *nunquam contrahitur*, *nisi in casibus a Jure expressis : Et num. seq.*
67 *Vel ubi diuturna Ecclesiae consuetudo illam induci vult.*
68 *Recensentur delicta*, *ob quae* Irregularitas *contrahitur.*
69 *Veluti sunt* reiteratio Baptismi.
70 Violatio Censurae.
71 Indebita susceptio Ordinis.
72 Haeresis, et Apostasia a Fide.
73 Homicidium, et mutilatio injusta.
74 Omnia delicta inducentia Infamiam Juris.
75 *Dummodo sint publica.*
76 Irregularitas ex Infamia *subinde ex parte cessat post peractam poenitentiam.*
77 *Recensentur* Irregularitates ex defectu.
78 *Veluti sunt defectus animi.*
79 *Quo referuntur etiam Neophyti.*
80 *Recensentur defectus corporis* Irregularitatem *inducentes : et quatuor num seq.*
85 Irregulares ex defectu natalium *quinam ? Et duobus num. seqq.*
88 Irregulares ex defectu aetatis *qui* ?
89 Irregulares ex defectu libertatis *qui* ?
90 *Et* Sacramenti.
91 Irregulares ex defectu lenitatis, *seu concurrentes ad justum homicidium*, *aut mutilationem quinam ?*
92 *Irregularitatis effectus sunt. I: Privatio Ordinis suscipiendi.*
93 *Privatio usus Ordinis jam suscepti.*
94 *Privatio Beneficii suscipiendi.*
95 *Papa super quavis* Irregularitate *dispensare potest.*
96 *Episcopus vero super ea*, *quae provenit ex delicto occulto Excepto homicidio sicut et Capitulum Sede vacante.*
97 *Praelati Regulares saltem Mendicantes in suis Subditis quoque dispensant.*

63 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *irregularitas* ? Ante responsionem nota, *irregularitatis* nomen derivari a ly *irregulare*, quod significat aliquid intra regulam non contentum. In proposito tamen sumitur magis stricte, scilicet pro impedimento Canonico, quo quis excluditur a susceptione vel *executione* Ordinum. Et definitur a nostro Doctore Subtili. 4. *sent. dist.* 25. *q.* 1. dicendo: quod sit *inhabilitas ad susceptionem Ordinum*, *et executionem actuum Ordinis.* Siquidem praecipuus *irregularitatis* effectus est, per modum inhabilitatis alicujus impedire Ordinum susceptionem, et susceptorum usum. Ex hoc modo *irregularitas* est una ex septem *Poenis Canonicis* ; et dicitur poena saltem large loquendo, juste dicta.

Differt autem *irregularitas* ab Excommunicatione et Suspensione non obstante, quod et hae impediant ab Ordinum susceptione vel receptione. 64
Tum quia *irregularitas* non est Censura Ecclesiastica, sicut Excommunicatio et Suspensio, imo quandoque contrahitur absque ulla causa. Tum quia ipsa directe impedit susceptionem et executionem Ordinum, et quidem (quantum est ex se, ac nisi per legitimam dispensationem, vel cessante aliunde defectu tollatur) in perpetuum : Excommunicatio autem impedit quidem susceptionem et executionem Ordinum, sed indirecte tantum ac mediate, in quantum separat hominem totaliter a communione Fidelium, sub qua etiam comprehenditur communicatio in Sacramento Ordinis susceptione et receptione. Suspensio autem id ipsum facit, sed ad tempus duntaxat, ut ex infra dicendis patebit. Hoc praenotato

Resp. II. *Irregularitatem* communiter dividi in *irregularitatem ex delicto*, et in *irregularitatem ex defectu.* Differunt autem hae duae species quod *irregularitas* orta *ex defectu*, saepius absque dispensatione tollatur sublato defectu : *irregularitas* autem *ex delicto* semper maneat, donec legitime in ea dispensetur. 65

Quaeritur II. In quibus casibus generatim loquendo contrahatur *irregularitas* ? Resp. cum Communi, in iis duntaxat, qui sunt Jure expressi. Ita clare desumitur ex *c. Is qui de Sentent. excomm. in* 6. ibi: *Licet in hoc temere agat*, *irregularitatis tamen* (*cum id non sit expressum in Jure*) *laqueum non incurrit.* 66

Quin imo ex hoc textu recte post alios infert Laymanus *lib.* 1. *tr.* 8. *part.* 5. *cap.* 1. *n.* 5. Irregularitatem non ab homine per sententiam, sed solo Jure communi seu Pontificio, non item particulari sive Episcopali imponi posse. Quin etiam (subjungit idem Auctor) defectus ille ob quem *irregularitas* incurritur, debet esse specifice nominatus in Jure : neque ab uno ad alium casum ob similem, vel majorem rationem extensio fieri potest. Nam quia odiosa est et poenalis restringenda est, non laxanda juxta *c. Odia. de Reg. Jur.* in 6. ac proinde qui dicit aliquem irregularem, debet dare causam Juris, inquid Fagnanus *c. Si quis Presbyter. de Cleric. excommun. n.* 5. 67

Interim tamen negari vix potest, aliquas *irregularitates* sine Jure expresso ex communi Doctorum consensu, et diuturna Ecclesiae consuetudine fuisse introductas : siquidem consuetudo est *optima Legum interpres* ; simulque, si est rationabilis et diuturna, est constitutiva Juris, habetque vim Legis. Layman. *loc. cit.*

Quaeritur III. Quaenam sint *irregularitates* ex delicto? Resp. Ex sequentibus capitibus eas oriri, nempe ex reiteratione Baptismi, ob violationem Censurae Ecclesiasticae, ex indebita susceptione Ordinum, ex delicto Haeresis, ex aliis delictis *infamiam* inducentibus, et tandem ex Homicidio. De quibus omnibus singillatim hic dicemus dempto Homicidio, de quo late diximus supra *Tit. XII. de Homicidio n.* 22. 68

Porro itaque oritur *irregularitas* ex Baptismo 69

serio, atque scienter reiterato, tam ex parte Baptizantis, quam Rebaptizati, *arg. c. Ex litterarum. de Apostatis*, et *c. Qui in qualibet. 1. quaest. 7.* et alibi. Haec tamen Irregularitas non incurritur ob reiterationem Sacramenti Confirmationis, cum id Jure cautum non sit, ut bene observavit Doctor noster subtilis, *4. dist. 6. quaest.* 8. Idem dicendum, si Rebaptizatio fiat sub conditione, *non esse baptizatus etc.* quamvis temere, et non praemissa inquisitione debita, utrum Baptismus antea rite fuerit collatus necne, id accidat, siquidem Leges poenales debent intelligi cum effectu; non autem fit reiteratio Baptismi sub illa conditione collati, si ipse antea fuit valide collatus. Plura circa hanc *irregularitatem* vide *Tit. IX. de Apostatis, et reiterantibus Baptisma a num.* 34.

70 *Secundo oritur irregularitas ex violatione Censurae Ecclesiasticae*, de qua Irregularitate amplius vide *Tit. XXVIII. de Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante a num.* 5.

71 *Tertio contrahitur irregularitas* ex indebite susceptione Ordinum: ut si quis *furtive* fuerit ordinatus; nam talis non potest in Ordine suscepto ministrare, neque ad altiorem Ordinem promoveri, nisi cum eo legitime fuerit dispensatum, ut dicitur c. 1. *et* 3. *De eo, qui furtive etc.* et amplius habes *Tit. XXIX. De eo, qui furtive, a nu.* 10. Similiter, qui ab Episcopo excommunicato, interdicto, aut suspenso, Simoniaco, Schismatico, prout ex pluribus textibus Juris probat Navarrus *loc. cit. n.* 241. Omitto alios casus.

72 *Quarto*, Haeretici, Apostatae a Fide, Schismatici, eorumque fautores, ac receptores (id est, qui favent haereticis, vel Schismaticis formaliter sumptis, seu qua talibus) sunt *irregulares*, *arg. c. Quicunque de Haereticis. in 6* et *c. Saluberrimum. 1. q. 7.* et alibi. Requiritur nihilominus ad hanc *irregularitatem* incurrendam Haeresis externa, id est, signo exteriori sufficienter manifesta. De qua *irregularitate* vide *Tit. VII. de Haereticis. §. 3. a num.* 234. et *Tit. IX. de Apostatis. a num.* 4.

73 *Quinto* inducitur *Irregularitas* ex homicidio et mutilatione, de qua late egimus *Tit. XII. de Homicidio voluntario et casuali, a n.* 22.

74 *Sexto*, omnes illi, qui sunt *Infames infamia Juris* (de quibus supra *a num.* 65. diximus) simul prohibentur promoveri ad Ordines altiores, *arg. c. infames 6. q.* 1. ibi: *Hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi.*

75 Ubi tamen notandum, quod licet alias *irregularitas* etiam ex occulto delicto externo contrahatur, *arg. c. Nisi cum pridem.* 10. §. *Nos tamen de Renuntiat.* et *cap. fin. de Temporib. Ordinat.* juncto Concilio Tridentino *Sess. 24 de Reformat.* ubi conceditur Episcopis facultatem dispensandi in *Irregularitate* ex delicto occulto (excepto homicidio) proveniente. Nihilominus cum Crimen occultum non pariat *Infamiam*, vel saltem tollatur per solam poenitentiam, juxta dicta *num.* 57. non incurritur praefata Irregularitas, nisi crimine *infamiam Juris* inducentia sint publica, dummodo excipiatur homicidium. Ita cum pluribus aliis Layman *loc. cit. cap. 4 num* 8. et desumitur ex *cap. fin. de Temporib. ordinat.* ibi: *Si praeposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (praeter reos homicidii) post poenitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri.*

76 Quin imo haec *irregularitas* ex Infamia proveniens, solum impedit ascensum ad Ordines altiores, non vero post peractam poenitentiam impedit ministerium in Ordinibus jam susceptis, *arg. cit. c. infames.* 6. *quaest.* 1. Quod intellige, nisi aliunde crimen inducat irregularitatem impedientem ministerium in Ordinibus jam susceptis, prout fit in haeresi, in homicidio, in violatione Censurae Ecclesiasticae per exercitium Ordinis etc.

Quaeritur IV. Quaenam sint *irregularitates ex defectu*? Resp. Esse sequentes, videlicet, quae proveniunt I. vel ex defectu animi. II. vel corporis. III. vel natalium. IV. vel aetatis. V. vel libertatis. VI. vel Sacramenti ex Bigamia. VII. Lenitatis. De quibus omnibus, etsi jam ex professo actum sit *Lib. I.* et praesertim *Tit. XIV.* nihilominus partim breviter recapitulando, partim remissive de iis agemus. 77

I. Itaque sunt et censentur *irregulares ex defectu animi*, qui vel carent usu rationis, vel habent defectum omnimodae scientiae: hi enim Jure etiam naturali Divino arcentur a suscipiendis Ordinibus, utpote inepti ad munus tale subeundum singulis Ordinibus correspondens. 78

Huc adde *Neophytos*, id est, ex lege Judaica, vel Ethnica nuper conversos ad fidem Christianam et baptizatos *arg. cap.* 48. *dist.* 48. ubi et hujus ratio additur illis verbis: *Evidens namque est Apostolicum praeceptum, dicens. Non Neophytum, ne forte elatus in judicium incidat, et laqueum Diaboli*, 1. Timoth. 3. 79

II. Sunt et censentur *irregulares ex defectu corporis*; qui ita sunt corpore vitiati, ut vel absolute non possint peragere Ordinis ministeria, vel non sine aliorum horrore. Ita desumitur ex *can. Illiteratos. dist.* 39. ibi: *Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus praesumat ad Clericatus Ordinem promovere.* Ubi glossa V. *imminutos*, addit ly *enormiter*. Concordat c. *Presbyterum.* et c. *Tua nos de Clerico aegrotant.* cum Concordantiis. 80

Sic Presbyter, cui medietas palmae cum duobus digitis per praedonem fuit abscissa, Missam celebrare non permittitur, quia *nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri potest*; quamvis caeteris officiis Sacerdotalibus fungi valeat c. *Presbyterum. de Clerico aegrotante.* 81

Similiter censetur *irregularis* propter notabilem deformitatem, cui oculus erutus est, *arg. c. Si evangelia. dist.* 55. ibi: *Nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundum Canones Sacerdotii jura concedi.* Aliud foret dicendum de eo, qui caret solo visu dextri oculi, modo habeat utrumque oculum integrum: vel qui habet visum brevem, aut non videt sine perspicillis, quia hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem. 82

Dixi notanter, *qui caret solo visu oculi dextri.* Nam utrum carens visu oculi sinistri (quem stylus Romanus *oculum Canonicum* appellat, eo quod necessa sit videre ipso, ut celebrans Canonem Missae sine indecora, et nimia faciei conversione legere possit) sit *irregularis*, major est difficultas. Et quidem affirmat communior Doctorum; alii vero id limitandum censent, si absque notabili deformitate seu indecentia *Canonem* legere nequeat. 83

Porro *irregularis* non est, qui sex digitos in manu habet: neque qui uno digito ex minoribus caret: neque gibbosus, nisi gibbositas sit conjuncta cum magna deformitate: neque claudus, nisi sit magna gressus deformitas, ita ut baculo vel pede ligneo uti debeat, quod indecorum foret in Altaris ministerio. In dubio autem, an corporis defectus sit enormis, ita ut magnam deformitatem atque *irregularitatem* inducat, nec ne, ad ordinarium praelatum pertinet judicium. Plura circa hoc Layman *cap. 7. de irregularitatib.* 84

III. Sunt, et censentur *irregulares* ex defectu natalium, qui sunt illegitime nati, *arg. cap. 1. de Filiis Presbyt.* cum concordantiis. Et haec *irregularitas* 85

introdueta est partim in detestationem paterni scèleris; partim ob turpitudinis notam; quam filius ex tali nativitate juxta communem hominum existimationem contrahere censetur; partim quia timetur, ne filius paternae incontinentiae imitator existat, ut observat Glossa *in cap. fin. de Filiis Presbyt. in* 6. ℣. *Defecta*.

86 Intellige *primo*, nisi tales per subsequens matrimonium legitimentur, *arg. c. Conquestus. et c. Tanta. Qui filii sint legitimi etc.* et alibi. Quia subsequens Matrimonium fictione Juris retrahitur ad tempus conceptionis, *l. Nativitatis*. Idque favore liberorum, prout amplius declaravimus *Lib. IV. Decretalium. Tit. Qui filii sint legitimi*, *n.* 14. *et* 15.

87 Intellige *secundo*, nisi *Illegitimus* Religionem intraverit: Nam tunc filii illegitimi possunt ad sacros Ordines promoveri, non tamen ad aliquam Praelaturam, ut habetur *cit cap.* 1. *ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur: nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes: Praelationem vero nullatenus habeant.*

Caeterum de hac *Irregularitate* amplius vide *Lib. I. Tit. XVII. de Filiis presbyteror. non ordinandis.*

88 IV. Sunt et censentur *Irregulares ex defecta aetatis*, illi qui nondum habens legitimam aetatem ad receptionem Ordinem requisitam, de qua novissime plura statuit Concilium Tridantinum *Sess.* 23. *cap.* 11. *et* 12. *de Reformat* quae Irregularitas tam diu durat, quam diu durat talis defectus aetatis, *arg. cap. ult. de Temporib. Ordinatio.* cum Concordantiis. Adveniente autem legitima aetate absque alia dispensatione cessat.

89 V. Ex defectu *libertatis* inducitur *Irregularitas* pluribus in casibus. Primo in Servis seu Mancipiis, ut patet ex toto *Tit. XVIII. libri I De servis non ordinand.* et alibi. *Secundo* in conjugatis: nam conjugati non admittuntur ad Ordines sine licentia uxoris, votum continentiae emittentis, c. *Uxoratus. De conversione conjugatorum Tertio* obligati ad ratiocinia, et hujusmodi, de quibus plura Doctores. de qua *Irregularitate* vide *Tit. XIX libri I. Decret. De obligatis ad ratiocinia non ordinandis.*

90 VI. Contrahitur *Irregularitas ex defectu Sacramenti*, *seu Bigamiae*, de qua vide *Lib I Tit. XXI. de Bigamis non ordinandis.*

91 VII. *Irregularitas* contrahitur *ex defectu lenitatis*, quam omnes homicidium vel mutilationem etiam justam mandantes cooperantes ad eam incurrunt, de qua *Irregularitate* late vide *hoc Lib. Tit XII. §. III a num* 75.

92 Quaeritur V. Quos effectus pariet *Irregularitas*? Resp. Tres potissimum. Quorum *primus* et principalis est privatio Ordinis suscipiendi, *can. Curandum.* 6. *can. Si cujus uxorum* 8. *dist.* 34. cum Concordantiis, etiam *primae Tonsurae*. Navarrus *de Temporib. ordinat. Consil.* 24. *num.* 1. Garcias *p.* 7. *cap.* 12. *num.* 30.

93 *Secundus* effectus est privatio usus, seu exercitii Ordinis jam suscepti alicujus, vel si totalis est, cujuscunque, *arg. c. fin de Temporibus Ordinat. c. Ad audientiam, de Homicid* cum Concordantiis.

94 *Tertius* effectus est privatio Beneficiorum obtinendorum, si *Irregularitas totalis est*, *arg. c. Dudum.* 12. *de Elect. c. fin. de Cleric. duell* Ratio est; quia hoc ipso, quod Beneficium datur propter Officium, *c. fin. de Rescript. in* 6. et *Irregularis* Officii divini capax non sit, etiam Beneficiam obtinere non potest, *arg. c fin. de Cleric excom Minist.* Ex cujus Capituli textu Sylvester ℣. *Excommunicatio* 4. *num.* 4. Palao *Tract.* 29. *disp.* 6. *p.* 5. *n.* 27. Suarez, Layman, et alii deducunt, collationem Beneficii *Irregulari* factam, esse quidem irritandam, non tamen ipso Jure irritam.

Ratio est; quia sicut *Irregularitas* non nisi in casibus Jure expressis datur, *cit. c. Is qui.* sic quoque eidem effectus alii, quam qui in Jure expressi, tribuendi non sunt.

Quaeritur VI. Quorum dispensatione, vel alias tollatur et esset *Irregularitas*? Resp. I. Summus Pontifex super quavis *Irregularitate*, sive ex *delicto*, sive ex *defectu* proveniente dispensare potest. Unanimis, et certa. Ratio est: quia quaevis non nisi Jure Ecclesiastico est introducta, *can. Sunt quidam.* 6 *can* 25. *q.* 1. *c. proposuit.* 4. *De concess. Praebend.* In Jure autem Ecclesiastico Papam dispensare posse, palam est. 95

Resp. II. Episcopi quoque in omnibus *Irregularitatibus* ex delicto occulto provenientibus, et ad Forum contentiosum non deductis (excepta ea quae ex homicidio voluntario provenit) cum suis subditis per se, aut Vicarium suum generalem speciali mandato ad id praeditum dispensare possunt, textu expresso Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* quae potestas, quia Jure ordinario Episcopis competit, etiam ad Capitulum Sede vacante transit, uti et competit Abbatibus, ac aliis Praelatis jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus cum Abbate in *c. Unum.* 7. *de Foro competent. num* 13. et Felino *in c. Eam quae de Rescript.* bene docet, Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disp.* 22. *n.* 10. 96

Resp. III. Praelati Regulares saltem Mendicantes cum subditis suis saltem pro Foro conscientiae dispensare possunt super quavis *Irregularitate* etiam ex Bigamia et homicidio (dummodo hoc notorium non sit) Roderiquez *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 34 *art.* 13. et videre est passim *in Compendiis Privilegiorum.* Imo *Irregularitas ex defectu natalium* orta per ipsam Professionem Religiosam tollitur, ita tamen, ut etsi ad Ordines, tamen ad Dignitatem aliquam promoveri non valeat. *c.* 1. *de Filiis Presbyteror.* 97

§. V.

De Poenis Ecclesiae magis temporalibus.

SUMMARIUM.

Quaeritur. Quaenam? et qualiter in usu sint Ecclesiasticae *Poenae temporales*? Resp. I. *Poenae* 98

Ecclesiae temporales sunt sequentes. Videlicet I. *Poena pecuniaria* II. *Verberatio*, III. *Tortura*. IV. *Exilium*, seu *Relegatio*. V. *Incarceratio*. VI. *Arctum Monasterium*. VII. *Confiscatio bonorum*. De quarum singularum natura et usu, singulares sequentes Conclusiones. Hinc

99 Resp. II. *Poena pecuniaria* in hoc consistens, quod Delinquens, loco alterius poenae, vel una cum alia certam summam pecuniariam solvere debeat, licite et valide a Iudicibus Ecclesiasticis imponi potest, ita tamen, ut regulariter loquendo non ipsi Iudici, sed causis piis applicetur. Covarruvias *lib.* 2 *Variar. Resolut. cap.* 9 *num.* 8. Abbas *in c. Licet.* 3. *h. t. num* 8. et ibidem Fagnanus *num.* 97. Barbosa *n.* 4. Farinacius *Prax. Criminal. q.* 19. *num.* 51. et alii communiter *arg. Statuimus* 35. *cau.* 16. *q.* 1. c. *Dilectus.* 8. *de Offic. Ordin.* c. *Postulasti.* 14. *de Judaeis*, ubi poena pecuniaria expresse etiam praescribitur, ibi: *Ipsum poena pecuniaria punias, vel alia temporali.* cum Concordantiis. Ratio est; quia haec poena subinde magis quam alie e Delinquentibus timetur, indeque ad coercende crimina nonnunquam magis deservit. Unde etiam praxi fere ubique recepta cernitur.

100 Dicitur tamen notanter; *ita tamen ut regulariter loquendo, non ipsi Judici* etc. licet enim olim satis recepta fuerit doctrina Covarruviae *loc. cit. num.* 9. distinguendo dicentis, quod in casibus et delictis, pro quibus ex Lege statuta, aut consuetudine *Poena pecuniaria* est definita, possit eam Judex sibi applicare, nisi ex eodem statuto aut consuetudine in causas pias, vel in compensationem injuriae, vel damnum passum esset convertenda. In illis vero casibus, in quibus Judex solo arbitrio suo *Poenam pecuniariam* imponit, eam sibi applicare nullatenus valeat; cum in his, non item in illis casibus avaritiae suspicio subsistit.

101 Tamen hodie post Concilium Tridentinum praefata distinctio non amplius procedit, sed absolute tenendum est, *Poenas pecuniarias* a Judicibus Ecclesiasticis impositas, causis et piis locis applicari debere. Barbosa *de Offic. et potest. Epise Allegat.* 107. *nu* 19. Diana *p* 10. *tr* 1. *resolut* 42. *Adhaec omnia quanta, in Summ. Bullar.* §. *Poenae pecuniariae. pag.* 105. Ratio est: qui ita expresse statuitur a dicto Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de Reformat. cap* 3. ibi: *Liceat eis* (Judicibus Ecclesiasticis) *si expedire videbitur, in causis civilibus ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam Clericos per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exactae fuerint, assignentur etc. procedere, et causas definire.* Accedunt Declarationes Cardinalium, quas refert Barbosa et Diana *loc. cit.* quae etiam habent, quod, nisi Episcopus sit pauper, poenas pecuniarias nec possit applicare fabricae Ecclesiae Cathedralis, aut domus Episcopalis, sed debeat illas aliis locis piis applicare.

102 Nec obstant, qui objiciuntur, textus Juris *c. Irrefragabili.* 13. § *fin. de Offic. Ordin c. Ut Clericorum.* 13. *De vita et honestat. Cleric.* et *c. Licet.* 3. *h. t.* ubi expresse prohibitum videtur, pro delictis poenas pecuniarias imponere: Tum ne avaritiae detur locus: Tum ne delicta invalescant; quia *nullam Reus pertimescit culpam, quam redimere numeris existimat, can Pauper* 72. *cau.* 11. *q.* 3. Respondetur enim praefatis Juribus prohiberi solum poenas pecuniarias, quae ex avaritia, et lucri cupiditate, aut non observato ordine judiciario imponuntur, minime vero, quae piis causis, et locis applicantur. Ad rationem respondetur, eam procedere, si concreta crimina ordinarie sola pecuniaria poena plecterentur, non vero, si in spectatis personae et delicti circumstantiis fiat, et ubi appareat, hanc poenam magis aut aeque timeri quam corporalem servire.

Illud tamen notandum, quod si Episcopus re- 103
re esset pauper, sufficientem ex redditibus Episcopatus sustentationem pro suo statu non habens, posset *poenas pecuniarias* sibi, fabricae Ecclesiae Cathedralis, aut domus Episcopalis applicare: prout allegatis Cardinalium Declarationibus recte docet Barbosa *loc. cit.* et in Concil. Trident. *loc. cit. numer.* 25.

Resp. II. Per *Verberationis*, seu *Flagellationis* 104
poenam intelligitur verberatio moderata, ne ad sanguinis effusionem deveniatur c. 1. *de Calumniat* et *c. In Archiepiscopat.* 4. *de Rapt.* quae etsi in plerisque locis in desuetudinem abierit, tamen adhuc fieri potest, prout dictum jam est *Tit. II de Calumniat. n.* 10.

Resp. II. Per *Torturam* intelligitur gravior poe- 105
na corporis afflictiva ad hoc imposita, ut Reus ad fatendam veritatem adigatur: Cui licet de Jure antiquo Clerici non potuerint subjici, prout ex *l. Militiae.* 8. *c. De quaestionib.* et etiam *Concil. Matisconensi I. can.* 19. desumitur; tamen hodierna Tribunalium Ecclesiasticorum consuetudine et praxi recepta, Clerici etiam Sacerdotes torqueri possunt, prout cum aliis observet Farinacius *Prax. Criminal. quaest.* 9. *num.* 7. Guacinus *Defens. Reorum.* 35. *cap.* 10. *num.* 3. qui tamen recte monet, ob praesumptionem innocentiae fundatam in Ordinis et status dignitate, majora quam in Laico requiri criminis indicia. Addit Clarus §. *fin. q* 64. *num* 24. Clericos praesertim Sacerdotes, si torquentur, mitius quam Laicos torqueri debere ob reverentiam statui debitam; qualiter in nostro Ordine fieri possit et debeat *Tortura* vide *Tit. I. a num* 472.

Resp. IV per poenam *Exilii*, seu *Relegationem* 106
ordinarie intelligitur sola *Relegatio* extra Dioecesim, quam Episcopus contra Clericum delinquentem adhibere hodie adhuc potest, et solet. c. 1. *de Calumniat. can. Cum beatus.* 8. *dist.* 45. cum Concordantiis, quod si Episcopus ob gravitatem delicti etiam civitatis et patriae Jura Clerico adimere, sicque perfectum *Exilium* in eum decernere velit, brachium saeculare ad id implorare debet, *c. Si quis.* 2. *de Clerico excommunicat* juncto Concilio Tridentino *Sess.* 24. *de Reformat cap.* 8 eo quod penes Ecclesiam non sit Exilium tam strictum indicere. Barbosa *in cit c. Si quis. n.* 4.

Resp. V. *Incarceratio* seu *Carcer* dupliciter de- 107
cerni potest contra Reum etiam Clericum, videlicet *primo* solius Custodiae causa, quando nempe Clericus suspectus est de fuga, c *Clericos* 15. *de Sentent. excommunic. in* 6. vel ne impediat aut subornet testes, prout aliis allegatis bene docet Lodovicus de Ameno *Practica Criminal. Tit. Reus.* §. 2. *nu.* 6. quo tamen in casu locus Carceris quantum circumstantiae admittunt, debet esse honestus, et corporis non afflictivus: simulque praecedere informatio saltem extrajudicialis de infamia Rei, vel indiciis criminis ad constituendum Reum sufficientibus, eo quod *Incarceratio* etiam solius custodiae causa afferre soleat infamiam et praejudicium non facile reparabile. Jason *in l. Si se.* 4. § 6 *ff. de Judiciis.* Felinus *in c. Cum super.* 17. *de Sentent et re judicat.* Ludovicus de Ameno *loc cit.*

Secundo decernitur, et erripitur pro *Poena*, in 108
quo casu proprie formaliter dicitur quis incarcerari, et esse in Formali Carcere, in quo sensu, etsi de Jure communi ad perpetuos Carceres detrudi potuerint soli servi, *l. Servi.* 10. *C. de Poenis*, non item liberi homines, *l. Incredibile.* 6. *C. eod.* Jure tamen Ecclesiastico, et recepta praxi hodierna *formalis Carcer* tam perpetuus, quam temporalis pro poena infli-

gintellas, c. *Excommunicamus* 15. *de Haereticis*. c. *quamvis* 3. *h. t. in* 6. ibi: *Quamvis ad reorum custodiam non ad poenam Carcer specialiter deputatus esse noscatur, nos tamen non improbamus, si subjectos tibi Clericos confessos de criminibus, vel convictos (eorum excessibus, et personis, caeterisque circumstantiis provida deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad poenitentiam peragendam.*

109 Ubi notandum, Quod *Carcer perpetuus* Clerico in poenam decerni non possit, nisi ob crimina in Jure expressa, vel ob quae in saeculo poena mortis infligitur, uti cum Innocentio *in* c. *Tuae* 6. *h. t.* notat ibidem Abbas *num.* 5. In quo casu etsi ob criminis valde enormis atrocitatem *Carcer* exasperari possit, ita, ut non nisi *pane doloris et aqua angustiae* sustentetur, c. *Novimus*. 27. *de V. S.* et contra vitae subsidium, mortis solatium innectit, c. *Felicis* 5. §. *Si quis vero h. t. in* 6. tamen vitae necessaria non sunt subtrahenda.

110 Qualiter in Ordine nostro circa incarcerandos procedi debeat: et quos effectus *Carcer formalis* in poenam impositus secum trahat, vide Statuta generalia *cap* 5. *et cap.* 6. item Ludovicum de Ameno *in Practic. Criminal. Tit. poenarum genera a nu.* 73.

111 Resp. IV. *Detrusio in arctum Monasterium* antiquo Jure solita, c. *Pervenit*. 1. *de Adulterio* c. *Inter* 10. *de Purgat. Canon* c. *Tuae*. 6. *h. t.* cum Concordantiis hodie in desuetudinem abiit, et loco illius vel *Triremes*, vel *Carceres perpetui* infliguntur. Lagunaus in c. *Cum non ab homine*. Farinacius *in Prax. Crimin. q.* 119. *n.* 155.

112 Resp. VII *Confiscatio bonorum* Clericis quoque imponi potest, c. *urgentis* 10 *de Haereticis* c. *Cum secundum* 19. *ibidem in* 6. c. *Super* 25 *de V. S.* ita tamen, ut bona confiscata applicentur Ecclesiae, in qua Clericus Beneficium habuit, *arg.* c. *Excommunicamus* 13. §. *Damnati de Haereticis*, quod si Clericus nullum Beneficium habuit, bona illius confiscata veniunt ad *Fiscum* Ecclesiae vel Episcopi, convertenda in pios usus. Farinacius *Prax. Crimin. q.* 190. *a n.* 154. notat tamen Sanchez *lib.* 2. *Moral.* c. 30. *n.* 25. quod si Clericus Beneficium non habet, Fiscus saecularis, quoad bona Clerici patrimonialia aegre cedat.

TITULUS XXXVIII.

De Poenitentiis, et Remissionibus.

SUMMARIUM.

1 *De hac Rubricae Remissive, excepto Sigillo Confessionis.*
2 *Sigillum Confessionis quid? Et quinam ad illud teneantur?*
3 *Poena violantis Sigillum olim praeter depositionem erat perpetua peregrinatio, vel detrusio in arctum Monasterium*
4 *Hodie vero praeter depositionem est Carcer perpetuus.*
5 *Ad quam tamen incurrendam poenam requiritur, ut violans Sigillum sit Sacerdos*
6 *Verum aliquod peccatum mortale, vel veniale in specie revelans.*
7 *Idque praesumptuose, seu graviter peccaminose.*
8 *Manifestat alicui alteri, quam poenitenti*
9 *Judex in causa Violati Sigilli est solus Ecclesiasticus, et quidem ordinarius violantis Sigillum.*
10 *Solvitur objectio desumpta ab exemplis contrariis.*
11 *Ad formandum processum contra violatorem Sigilli non requiritur licentia poenitentis.*
12 *Si violator sigilli fatetur se reum, punitur poena ordinaria.*
13 *Si dicit, se peccatum vi notitiae aliunde habitae manifestasse, probare debet, unde illam notitiam habeat.*
14 *Si dicit, se cum licentia poenitentis revelasse peccatum, debet probare licentiam sibi datam, casu, quo poenitens est delator.*
15 *Secus est, si aliquis est accusator.*
16 *Etiamsi poenitens sit accusator, creditur Confessario, si est caeteroquin integrae famae, et vitae.*
17 *Si caeteris paribus dubium est, creditur Confessario.*
18 *Ad probationem violati sigilli sufficiunt testes singulares.*

Agitur hoc Titulo praecipue de virtute et Sacramento *Poenitentiae*. Verum quia haec materia penitus Theologica est, et de hac Theologi ex professo tractant, nil de ea hic agentes lectorem ad Theologos, et nostram Theologiam Moralem remittimus, illa duntaxat breviter tangentes, quae circa Sigillum Confessionis Sacramentalis ad Jus Canonicum spectare videntur, videlicet de Judicio, et Poenis frangentium Sigillum Confessionis. Hinc 1

Quaeritur I. Quae *sint* poenae violantium sigillum confessionis Sacramentalis? Ante responsionem suppono, et naturam, et gravissimam obligationem servandi sigillum Sacramentale, seu non revelandi sed secreta tenendi peccata cuncta, quorum notitiam ex sola confessione sacramentali, etiam simulata, vel alias invalida, vel occasione confessionis sacramentalis habemus, adeo, ut etsi ad illud principaliter, et primario obligetur sacerdos confessionem sacramentalem percipiens; secundario tamen, et per accidens etiam reliqui quicunque tandem ad idem teneantur, ad quos notitia alicujus peccati in confessione sacramentali detecti, sive immediate, sive mediate, sive juste, sive injuste devenit, ut proin praeter alias etiam sequentes graviter teneantur ad sigillum videlicet, qui potestate absolvendi carentes, peccata bona fide confitentis, vel ex ignorantia, vel malitia exceperunt, qui confitenti prope adstantes unum vel plura peccata illius etiam contra voluntatem suam, vel ex industria audierunt: qui alterius peccata ex confessione scripta et sic in confessionali deposita legerunt: Illi, quibus confessarius vel ex inadvertentia, garrulitate, vel malitia manifestavit peccata confitentis. Illi, quos confessarius de licentia poenitentis ratione peccatorum in confessione auditorum consuluit: Illi, a quibus petita est licentia absolvendi aliquem a casibus reservatis: Item qui ex necessitate peccata sua altiori voce confitentem v. g. surdastrum, aut moribundum, aut in naufragio constitutum audierunt. Item internuntii et interpretes poenitentium: et alii similes, de quibus etiam Theologiam nostram moralem vid. *tr.* 14. *Dist.* 9. *q.* 3. quo supposito 2

Respond. I Propter grandem, et toti Ecclesiae summe praejudiciosam malitiam violationis sigilli sacramentalis Ecclesia semper subjecit et adhuc subjicit gravissimis poenis sacerdotes sigillum sacramentale violantes, adeo, ut antiquo Jure ab ordine sacerdotali deponi, et quovis stabili mansione privati perpetuo ignominiose circumire debuerint. *Can sacerdos.* 2. *Dist.* 6. *de Poenitentia* ibi: *qui hoc fecerit* (sigillum videlicet violaverit) *deponatur, et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat;* quae tamen peregrinandi poena utpote in opprobrium Ordinis clericalis, et spirituale damnum peregrinantis 3

ob circumvagationem continuam vergens agnita, postea mutata fuit in perpetuam detrusionem arcti Monasterii, poena Depositionis manente c. *omnis Utriusque* 12. §. *caveat. h. t.*

4 Verum quia hodie detrusio in monasterium abiit in desuetudinem, et loco illius sufficta est detrusio in perpetuos carceres juxta dicta supra Tit. XXXVII. n. 111. Idco ordinaria poena violantis sigillum sacramentale praeter depositionem hodie est carcer perpetuus, ita tamen, ut requiratur ad eam condemnatoria sententia. Lugo *de Poenit. Disp.* 23. *nu.* 147. Fagundez *de Praecept. Ecclesiae* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 2. per Jura citata.

5 Resp. II. Ut propter violationem sigilli quis praefatam Poenam, Depositionem videlicet, et perpetuos Carceres incurrat; sequentia requiruntur, videlicet I. ut violans sigillum sit sacerdos: quia citatis c. *sacerdos*, et *c. omnes utriusque* 12. *h. t.* solis sacerdotibus poena memorata imponi jubetur, consequenter tanquam odiosa depositio ad alios extendi non debet. Hinc poenae praefatae non subjacent adstantes, qui audita peccata confitentis aliis revelant, vel qui eorum notitiam ex schedula confessionis scripta habent, et produnt, vel qui ea a confessario inique revelante audiere etc.

6 II. Requiritur, ut sacerdos revelet verum aliquod mortale vel veniale peccatum in specie v. g. homicidii, jactantiae, vel in genere dicat, talem confessum fuisse peccatum mortale; Diana *Tract.* 11. *p.* 5. *resolut.* 51. Suarez *de Poenit. disp.* 33. *sect.* 8. *arg. cit. cap. sacerdos. et c. omnis etc.* ubi de solis peccatis fit mentio, consequenter de solis illis intelligenda venit Juris dispositio; hinc licet illi, qui alia etsi alias sub sigillum cadentia, veluti defectus natalium, vel aliud quidpiam probrosum, aut praejudiciosum poenitenti revelant, gravissime peccent, gravique arbitraria Judicis et quidem graviori poena plectendi sint, quam violantes secretum naturale, ordinariae tamen poenae violantis sigillum non subjacent: prout cum aliis bene observant DD. cit.

7 III. Requiritur, ut peccatum revaletur *praesumptuose*, id est graviter malitiose *arg. c. omnis utriusque* 12. § *caveat. h. t.* ibi: *praesumpserit revelare.* Hinc licet ille, qui ex ignorantia, inadvertentia, vel in ebrietate, consequenter non praesumptuose, nec graviter peccaminose contra sigillum revelat aliquod peccatum, aliqua extraordinaria poena puniri valeat, tamen ordinariae non subjacet; nisi forsan in foro externo contra ipsum praesumeretur, eum cum sufficiente advertentia, consequenter praesumptuose, ac graviter peccaminose egisse; quae praesumptio in foro externo utique fit, nisi sigillum violans aliud ex circumstantiis probet: cum alias poena ordinaria a quovis facile eluderetur dicendo, se ex inadvertentia fuisse locutum.

8 IV. Requiritur, ut quis peccatum non ipsi poenitenti peracta confessione, extra illam sine ipsius licentia objiciat, sed alicui alteri revelet; quia revelare proprie non dicitur nisi is qui secretum sibi commissum alteri prodit; quare extra confessionem objiciens peccatum ipsi poenitenti, ordinariae poenae non subjacet, sed extraordinariae duntaxat. Granad. *de Sacram. controvers. et tr.* 11. *Disp.* 8. *n.* 3.

9 Quaeritur II. quis sit Judex in causa violati sigilli? quomodo procedere debeat? quales probationes in ea requirantur, admittantur, et sufficiant. Resp. I. solus Ecclesiasticus et quidem Episcopus ordinarius Rei est Judex in causa violati sigilli sacramentalis, quod solus Ecclesiasticus, minime vero laicus hujus causae sit Judex, tenet cum communi aliorum Lugo, ubi supra *nu.* 48. Gobath *quinar. Tract.* 5. *nu.* 200. Et ratio est; quia cum causa violati sigilli ex annexo Sacramento, atque ex natura sua spiritualis, et Ecclesiastica sit, soli Ecclesiastico, non item laico Judici competit c. *Dearnimus* 2. c. *quando* 3. *de Judiciis* c. *ut inquisitioni* §. *Prohibemus de Haereticis.*

10 Non obstant exempla in contrarium Jacobi Regis Aragoniae, qui Episcopo Gerundensi sigillum sacramentale violanti linguam a tergo extrahi jussit, teste Altreta *lib.* 2. *Eccles discipl. cap.* 19. *n.* 2. Et senatus Tholoseni, qui sacerdotem sigilli violatorem in furcam agi, et cadaver ipsius igne cremari fecit, ut refert Raynaud. *Praxi Spirit. histor.* 13. Resp. enim praefatos vel ex delegatione Apostolica, vel in sacerdotes prius degradatos processisse, alias contra immunitatem Ecclesiarum egisse; cum nulla etiam Imperialis vel Regalis auctoritas habeat potestatem judicandi, et condemnandi personas Ecclesiasticas, nisi ad hoc auctoritate Ecclesiastica delegentur, vel persona Ecclesiastica degradata potestati Laicae tradatur *can. nullus* 2. *can. clericum* 3. *et c. nau.* 11. *q.* 1. *c. At si clerici* 4. *c. cum non ab homine* 10. *de Judic. cum concord.*

11 Resp. II. Ad hoc, ut Judex Ecclesiasticus contra sigilli violatorem processum instituere valeat, non requiritur licentia poenitentis, cujus peccata fuerunt sacrilege revelata. Ita cum aliis docet, et satis efficaciter probat Stoz *Tribunal. Poenit. lib.* 2. *q.* 4. *a. n.* 288. contra Gobath *arg. cit. can. sacerdos* 2. *dist.* 6. *de Poenit. et c. Omnes utriusque h. t.* ubi prorsus nulla facta mentione de habenda licentia poenitentis praecipitur, ut poenae ibidem praescriptae inferantur violatoribus sigilli. Ratio est, tam quia ex isto processu nullum emergit praejudicium poenitenti, nec irreverentia Sacramento; cum ex una parte notitia peccati ex violato sigillo habita, nullo modo noceat poenitenti, utpote qui propterea nec inquiri, nec puniri potest, adeo, ut notitia illa periode se habeat, ac si non adesset; uti fatentur omnes: Tum, quia per istum processum potius evitatur, quam causatur irreverentia Sacramenti, fidelesque potius animantur, quam absterreantur a confessione sacramentali, videntes, in sigilli violatores tam severe procedi. Tum quia obligatio sigilli introducta, et poenae violatoribus statutae sunt non tantum in bonum privatum alicujus poenitentis, sed in favorem ipsius Sacramenti, ac totius Ecclesiae, qui favor a privato consensu unius privati poenitentis non dependet. Tum etiam quia violatio sigilli est crimen publicum *arg. c. si quis suadente, caus.* 17. *q.* 4. utpote sacrilegium, quod criminibus publicis annumeratur *l. si quis* 10. *C. de Episcopo et Cleric.* consequenter non attento privatorum assensu, vel dissensu puniendum venit.

12 Resp. III. Si quis via inquisitionis, aut denuntiationis vel accusationis de violatione sigilli judicialiter interrogatus se reum fateatur, alia probatione opus non est, *arg. l. generaliter* 13. *a. de numer. pecun. c. fin. de cohabit. cleric. et mulier.* cum propria confessio sit optima probatio, per vulgaria.

13 Si vero dicat, se peccatum non ex aliqua confessione, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare, qua via, et modo illius notitiam acquisivit: in qua probatione si deficit, et tamen in negatione violati sigilli perseverat, ex praesumptione violati sigilli punitur poena extraordinaria. Sylvester v. *Confessio* 3. n. 6. Abbas in c. *omnis h. t. n.* 26. Lugo *loc. cit.* 151. nisi aliunde plene convincatur; tunc enim ut convictus utique sentire debet poenam ordinariam.

14 Si autem fatetur, se quidem peccatum ex confessione, sed cum licentia poenitentis revelasse, onus probandi hanc licentiam incumbit revelanti, saltem in casu, quo poenitens ipsum accusat, aut alias negat, se licentiam dedisse: prout cum aliis bene advertit Lugo *loc. cit.* eo quod licentia

hujusmodi sit quid facti, quod non praesumitur, sed probari debet ab allegante. c. *Cum in Jure* 31. *de off. deleg. et l. In bello* 12. *ff. de capt. et postlim.*

15 Dicitur autem notanter, *si poenitens est accusator*; quia si tertius aliquis accusat, vel defert, ei incumbit, alias probationes afferre ob praesumptionem stantem pro confessario; qui bonus, et sigillum servans praesumitur, donec probetur contrarium *c. unic. de scrutin. cap. final. de Praesumpt. et l. Merito* 51. *ff. pro socio.*

16 Imo etiamsi poenitens sit accusator, vel neget, se dedisse licentiam manifestandi peccatum, creditur confessario, licentiam sibi datam asserenti, casu, quo revelatio peccati parum vel nil praejudicat poenitenti, simulque confessarius sit vir prudens, nec non integrae famae ac vitae. Secus foret, si revelatio facta esset multum damnosa poenitenti, vel tertio, praesertim si poenitens existeret probatae vitae et conversationis; tunc enim poenitenti contra confessarium credere, et hunc tanquam sigilli violatorem extraordinaria saltem poena castigandum esse, bene cum aliis observat Diana *p. 1. tr. 11. resolut.* 52.

17 Porro si caeteris paribus dubium existat, confessario potius asserenti, quam poenitenti neganti licentiam datam, credendum esse, bene cum aliis docet Mascardus *de probat. conclus.* 951. *n.* 30. ex illa ratione, quod in factis, quae ad officium Judicis spectant, et aliter fieri non possunt, pro Judice praesumatur. *arg. can. Hoc etiam.* 37. *can.* 2. *q.* 6. *et can. Absit.* 14. *cau.* 11. *q.* 3.

18 Caeterum ad probationem violati sigilli sufficere etiam testes singulares cum aliis recte docet Tanner. *Tom* 4. *disp.* 6. *q.* 9. *n.* 120. et Stoz *Tribunal. Poeniten. lib.* 2. *q.* 4. *a n.* 281. Tum ob enormitatem delicti summe praejudiciosi; tum quia ordinarie difficilis est probationis; dum sacrilegi Violatores sigilli, pluribus simul praesentibus non facile sigillum violant.

19 Ad hanc Rubricam pertinet quidem etiam tractare de potestate absolvendi tam a communibus, quam reservatis peccatis; qui tamen de hac materia tractabimus infra *Tit. seq.* §. *fin.* ubi de potestate absolvendi a censuris agemus, lectorem illuc remittimus.

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti.

1 *Ratio Ordinis.*

1 **P**ost poenas vindicativas sequuntur poenae Ecclesiasticae spirituales, *Censurae* videlicet Ecclesiasticae, quae sunt *Excommunicatio*, et *Interdictum*: De quibus singillatim per plures agemus Paragraphos, prius tamen sit.

§. I.

De Natura et Divisione Censurae.

SUMMARIUM.

2 Censura *unde derivetur?*
3 *Quid sit?*
4 *Est poena spiritualis.*
5 *Medicinalis.*
6 *Non nisi a potestate Ecclesiastica imponi potest.*
7 *In specie quinam inferre possint* Censuram?
8. *Et ob quam causam.*
9 Excommunicatio major, *vel alia* Censura *gravis non infligitur, nisi propter peccatum mortale.*
10 *Externum.*
11 *Contra praeceptum Ecclesiasticum.*
12 *Contumaciter, seu cum aliqua contumacia commissum. Et num. seq.*
14 *In quo consistat haec contumacia?*
15 *Censura solis Christianis, non vero Infidelibus.*
16 *Bene autem haereticis infligi potest.*
17 Censurandus *debet esse rationis capax.*
18 *Et jurisdictioni* Censurantis *subjectus.*
19 *Episcopi in generali sententia Suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur.*
20 *Reges, et Imperatores ab Episcopis* Censura *ligari non valent.*
21 *Ad incurrendum* Censuram *a Jure, aut Decreto generaliter latam, non praerequiritur aliqua monitio. Et num. seq.*
23 *Bene tamen citatio ad hoc, ut se defendere possit.*
24 *Ad infligendam Excommunicationem ab homine praerequiritur monitio trina.*
25 *In scriptis facta, et Excommunicato intimata, vel publice affixa.*
26 *Eadem monitio requiritur ad infligendam Excommunicationem a Jure latam ferendae sententiae.*
27 *Nisi delictum, et contumacia essent notoria.*
28 *Suspensio et Interdictum aliquando sine monitione imponuntur.*
29 A Censura *excusat probabilis ignorantia Facti.*
30 *Et Juris; ac num. seq.*
32 *Doctrina practica ad propositum.*
33 *A Censura etiam excusat gravis metus.*
34 *Nisi violatio Legis cederet in damnum boni publici, aut cederet in contemptum Legis, aut potestatis, vel auctoritatis Ecclesiasticae.*
35 Censura *jam lata invalida est, si* Censurans *caret Jurisdictione.*
36 *Vel eam impeditam habet per propriam Censuram, vel Appellationem.*
37 *Insuper invalida est Censura ex defectu Ordinis, vel citationis.*
38 *Vel justae causae, qua deficere potest: quia vel adest, non tamen probata habetur: Et num. seq.*
40 *Vel deest, et tamen probatur in Foro externo.*
41 *Innocens Censuratus, v. g. excommunicatus secundum allegata, et probata, in Foro externo pro tali habere se debet: Et num. seq.*
43 *Quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere posset.*
44 Censura *est, triplex, videlicet* Excommunicatio, Suspensio, *et* Interdictum.
45 *Quaevis harum alia est a Jure, alia ab homine, alia latae, alia ferendae sententiae. Et num. seq.*

Notandum prius, nomen *Censura a censendo* derivatum, olim apud Romanos denotasse tum officium, tum sententiam *Censoris* mores corrigentis, et poenam decernentis. Quare occasione posterioris acceptionis factum est, quod *censura* hodie adhuc significet correctionem quandam et punitionem, juxta illud Juvenalis Satyra 2. *Dat. veniam corvis, vexat censura columbas.* H. N. 2

Quaeritur I. Quid sit censura et sic? Respond. I. *Censura* et sic est poena Ecclesiastica spiritualis, medicinalis, per potestatem Ecclesiasticam contumaciter delinquenti christiano inflicta, privans usu quorundam bonorum spiritualium ad hoc, ut corrigatur, et a contumacia desistat. 3

Ita in re communis. Et patebit ex declaratione singulorum verborum.

4 Dicitur inprimis, *Poena spiritualis*, tum ob differentiam poenarum corporalium vel temporalium, v. g. poenae pecuniariae, exilii, carceris etc. Cujusmodi poena non est *Censura*, utpote quae neque corporis afflictionem, nec privationem bonorum temporalium principaliter intendit; etsi per accidens et secundario has etiam secum trahat, ut dum v. g. Excommunicatio privat communione politica et civili, privatione fructuum Beneficii etc. uti cum aliis bene advertit Avila *de Censur. p.* 1. *dub.* 4. *n.* 2.

5 Dicitur *Medicinalis*; quia Censura non est poena vindicative sceleris jam patrati, sed potius est poena medicinalis intendens futuram correctionem Delinquentis, id est; inobedientis potestati Ecclesiasticae sub *Censura* aliquid praecipientis, vel prohibentis, *arg.* c. 1. *de Sentent. excommunicat. in* 6. ibi: *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem facta fuerit, non contemnat.*

6 Dicitur, *per potestatem Ecclesiasticam imposita*; quia, cum potestas mere saecularis spiritualia tractare nequeat, *can. Judicatum.* 5. *dist.* 89. c. *Decernimus.* 2. *de Judic.* cum Concordantiis, potestas ferendi *Censuram* soli potestati Ecclesiasticae, et quidem Jure Divino competit, juxta illud Matth. 16. *Quaecunque alligaveritis super terram etc.* et 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus*, hoc est, a fidelium communione segregatus. Hinc jam e tempore Apostolorum hac potestate constanter usa est Ecclesia, ut fideles a contumaci et rebelli inobedientia reducens et avertens, ad obediendum salutaribus suis praeceptis et sanctis legibus magis promptos efficeret.

7 Quaeritur II. A quibus in specie infligi possit *Censura*? Resp. In specie potestas ferendi *Censuram* inprimis praecipue incumbit Summo Pontifici, et Episcopis, *c.* 1. *et* c. *Conquerente.* 16. *de Offic. Ordinat.* juncto Concilio Trident. *Sess.* 6. *cap.* 3. *et Sess.* 14. c. 4. *de Reformat.* Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli, c. *His, quae de Majorit.* Legatis Sedis Apostolicae in territorio suae Legationis, *c. Novit.* 7. *de Officio Legati*, *ut* c. *Legatos.* 2. *eod. in* 6. Capitulis Cathedralibus Sede vacante, *arg.* c. *Unicum de Majoritat. in* 6. Vicario generali non tantum Episcopi, sed etiam Capituli Sede vacante, c. *Venerabilibus.* 7. *h. t. in* 6. Praelatis, et Praepositis Ecclesiarum Collegiatarum, et aliis habentibus jurisdictionem in Foro Ecclesiae externo, *arg. c. Quaerenti.* 20. *de V. S.* et c. 1. *h. t. in* 6. Item Abbatibus, et reliquis Superioribus Regularibus non solum Generalibus, et Provincialibus, sed etiam per se loquendo localibus, ut puta, Prioribus, Rectoribus, Guardianis respectu suorum subditorum, c. *Cum in Ecclesiis.* 10. *de Majoritat.* c. *ult. de Statu Monach.* c. *Sicut tuis.* 33. *de Simonia.* juncta glossa ℣. *Anathematis, de Simonia.* Et tandem Conciliis Generalibus, et Provincialibus in sua Provincia aut natione: sicut et Congregationibus et Capitulis omnium et Provincialibus Religionum, Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 5. Suarez *de censur. disp.* 2. *sect.* 2. Palao *Tract.* 29. *disp.* 1. *sect.* 4. *a n.* 2.

8 Quaeritur III. Ob quam causam ferri possit *Censura*? Resp. I. *Excommunicatio major.* et alia Censura gravis non nisi ob culpam mortalem externe contra Ecclesiasticae potestatis praeceptum contumaciter commissam infligi potest. Communis, et certa. Et quidem quod requiratur culpa gravis, seu peccatum mortale, patet; quia poena, ut sit justa, debet esse proportionata culpae, consequenter cum *Excommunicatio* sit gravissima poena, *c. Cum non ab homine.* 10. *de Judiciis*, gravem utique requirit culpam, *arg. can. Nemo. Episcopus.* 39. *can. Nullus* 40. *cau.* 11. *q.* 3. *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Reformat. cap.* 3.

9 Dicitur autem notanter in Conclusione, *Excommunicatio major, vel alia Censura gravis*; quia Excommunicatio minor licet ea non adeo levi, videlicet passivo quorundam Sacramentorum usu privet, c. *Nobis.* 2. *de except.* nihilominus quia facile a quovis Sacerdote tolli potest, *n. Nuper.* 29. gravis *Censura* non reputatur, et ideo ob solam etiam venialiter peccaminosam communicationem cum publice denuntiato *Excommunicato* contrahi potest, prout cum communi aliorum bene observat Palao *Tract.* 29. *disp.* 2. *pun.* 18. *n.* 7. Pariter propter levem culpam quandoque etiam imponi potest levis aliqua *Suspensio* v. g. ab uno actu electionis, a Missa celebranda per unum vel alterum diem, prout notat Pirh. *h. t. n.* 27. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *n.* 2. Navarrus, Suarez, ut alii.

10 Dicitur ulterius, *externam*; quia cum Ecclesia non possit cognoscere peccata mere interna, ea neque judicare ac punire valet, sed relinquitur soli Deo puniendum, Navarrus *cap.* 27. *n.* 56. Suarez *loc. cit. disp.* 4. *sect.* 1. cum communi, *arg. can. Cogitationis.* 14. *de Poenit. dist.* 1. *c. Sicut tuis.* 33. *in fine c. Tua nos. de Simonia.*

Nec obstat *Clement.* 1. §. *Verum. de haeretic.* ubi excommunicantur Inquisitores aliquid facientes ex amore, vel odio: quia intelligi debet textus non de solo interno odio vel amore, sed prodeunte in actum externum vitiosum indicem pravi affectus interni. Palao *Tract.* 29. *disp.* 1. *pun.* 7. *num.* 4. Covarruvias in *Regul. peccatum, part.* 2. *num.* 7.

11 Dicitur ulterius *contra potestatis Ecclesiasticae praeceptum commissam*; quia ob peccatum solo Jure naturali aut divino prohibitum nulla contrahitur *Censura*, cum haec sit poena inobedientiae, contemptus, et contumaciae contra potestatem Ecclesiasticam, uti de *Excommunicatione* patet ex c. 1. *h. t. in* 6. illis verbis Christi: *si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus et publicanus.* De reliquis *Censuris* vero ex c. *Ex parte.* 23. *de V. S.* Notandum tamen, multa peccata Jure Divino et naturali, simul etiam Jure Ecclesiastico, et quidem sub *Censura* esse prohibita.

12 Dicitur insuper in Conclusione *num.* 8. posita, *Contumaciter commissam*, quia ad incurrendam Censuram omnino requiritur contumacia seu inobedientia contumax, qua Delinquens monentis seu praecipientis Ecclesiasticae potestatis auctoritatem spernere censetur, ut cum communi bene observat Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 9.

13 Nec obstat, quod quis non solum ob contumaciam, sed etiam ob aliam causam excommunicari possit, c. *Qua fronte de Appellat.* ibi: *Sane, si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa interdicto, et Excommunicatione tenetur adstrictus.* Resp. enim cum Abbate *ad cit. num.* 10. etiam ad Excommunicationem semper requiri contumaciam, quae sit causa immediata Excommunicationis, sive praecesserit aliud delictum, sive non. Et hoc ultimum idcirco additur, quia potest *in aliquem interdicti, vel Excommunicationis sententia proferri pro contumacia tantum*, quia scilicet citatus stare noluit Juri, *cit. c. Ex parte de V. S.* Quod si vero aliud delictum praecesserit, ac proin Excommunicationis sententia proferatur non tantum propter contumaciam, sed etiam propter illam causam aliam, sive ob delictum aliud, in eo casu tale delictum appellatur causa Excommunicationis non immediata, sed mediata duntaxat.

14 Caeterum dum dicitur, ad incurrendam *Censuram*

requiri contumaciam, non est intelligendum, quasi requireretur contumacia expressa ac formalis; sufficit enim contumacia virtualis, et contemptus Ecclesiae interpretativus in hoc consistens, quod quis sciat, aliquid per Legem, aut legitimum superiorem Ecclesiasticum sub *Censura* esse prohibitum, et tamen illud facere praesumat, talia enim jam censetur contemnere auctoritatem praecipientis.

15 Quaeritur IV. Quibus possit *Censura* infligi? Resp. *Censura* non nisi in delinquentes Christianos, rationis capaces, et Jurisdictioni ferentis *Censuram* subjectos ferri potest. Communis et certa. Probatur inductione. Dicitur primo *non nisi Christianos*; quia Judaei, Pagani, Saraceni, et alii infideles, hoc ipso, quod Ecclesiae potestati non subsint, nulli *Censurae* subjiciuntur, juxta illud D. Pauli: *Quod mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* 1. ad Corinth. 5.

16 Aliud est de Haereticis: hi enim, quia per Baptismum januam Ecclesiae ingressi, potestati ejusdem subjecti manent, *Censuris* omnino subjacent, si legem vel praeceptum Superioris sui Ecclesiastici v. g. Papae sub *Censura* positum transgrediuntur, *arg. can. de Judaeis.* 5. *dist.* 45. *c. Majores.* 3. *de Baptismo.* Palao *Tract.* 29. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 1. Laymann ubi supra *cap.* 4 *n.* 2.

17 Dicitur secundo *rationis capaces*: quia infantes, furiosi, amentes hoc ipso, quod rationis, verae culpae, et contumaciae capaces non sint, neque *Censurae* capaces existunt juxte omnes.

18 Dicitur tertio *Jurisdictioni saltem delegatae ferentis Censuram subjectos*; quia cum *par in parem non habeat imperium*, c. *Innotuit. de Elect.* nec inferior in Superiorem c. *Cum inferior.* 16 *de Majorit.* palam est, requiri subditum ferentis *Censuram*. Hinc quia Papa nulli subest, omnis *Censurae incurrendae* incapax est.

19 Porro ex speciali Juris constitutione lata sententia generali Suspensionis, aut Interdicti non ligantur Episcopi, nisi specialis eorum fiat mentio, c. *periculosam.* 4. *h. t. in* 6.

20 Imperatorem quoque, et Reges, ob suae dignitatis Excellentiam *Censura* aliqua ab Episcopis ligari non posse cum Sylvestro ℣. *Censura. num.* 10 et aliis docet Palao *Tract.* 29. *Disp.* 1. *pun.* 6. *num.* 3.

21 Quaeritur V. An, et qualis praemitti debeat monitio, et quaenam alia requirantur ad *Censuram* legitime ferendam? Resp. I. Ad incurrendam *Censuram* e Jure, vel per generalem sententiam pro avertendis futuris culpis latam, seu quando Jure, vel per sententiam aut Decretum generale sub *Censura* ipso facto incurrenda aliquid prohibetur, nulla ad eam incurrendam praerequiritur monitio. Communis et certa, *arg. c. Reprehensibilis de Appellat.* et ibi Glossa. Ratio est; quia cum Jus sit publicum, ipsummet continuo monet, ubi ab illo aliquid sub *Censura* prohibetur; nisi forsan monitionem praecedere Jus ipsum expresse vellet: prout velle videtur *Clement.* 1. *de Decim.* item *Clement.* et §. *fin. de Statu Monach*

22 Porro etsi ad incurrendam *Censuram* ab ipso Jure latam nulla praerequiratur monitio, sed possit et debeat Judex Ecclesiasticus delicto commisso Delinquentem sine alia monitione publice denuntiare, vel declarare *censuratum*, v. g. excommunicatum. *arg. c. Conquesti.* 22. ℣. *Nuntietis. H. T.* Tum ut publice confusus citius resipiscat: Tum quia vitare debet Fideles (si *Censura* Excommunicationis ligatus est) quod congrue fieri nequit, nisi eum excommunicatum publice esse constet, Laymann. *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 2. *n* 5

Nihilominus debet citari, ad hoc, ut defendere se possit, si forsan causam habeat excusantem a *Censura*, Engel *h. t. num.* 9. Navarrus *eod. Consil.* 9. *n.* 4. qui non immerito volunt, denuntiationem seu declarationem Excommunicationis a Jure latae esse nullam, nisi talis citatio delinquentis praecedat, per Textum et Glossam *Clement.* 3. *de Censuris*, *et Clement.* 2. *de Poenis*, nisi delictum et contumacia Delinquentis non resipiscentis notoria esset, cum enim in tali casu non praerequiratur monitio ad ferendam *Censuram* juxta dicenda infra *num.* 27. multo minus requiretur citatio ad declarandum excommunicatum. 23

Resp II. Ad incurrendam saltem Excommunicationis *Censuram*, quae ab homine fertur, omnino necessaria est praevia monitio, seu comminatio illius Communis et certa, *c. Reprehensibilis.* 26 *de Appellat* c. *Sacro* 24 *h t c. Romana. c. Statutum. c Constitutionem eod. in* 6 Et quidem haec monitio ordinarie debet esse trina cum competenti intervallo dierum *cit. c. Constitutionem. h. t. in* 6. Glossa *in c. Sacro* 24 ℣ *Competenti*, et *c. Reprehensibilis, eod* ℣. *Contumacia*; vel saltem debet esse una tribus aequivalens, id est, complectens tres monitiones cum trino, eoque competenti intervallo, *arg. l. Contumacia* 53. § 1. *ff de Re judicat.* Ratio est; tum ut contumacia Delinquentis magis appareat · tum ut habeat spatium vel ad satisfactionem praestandam, vel suam defensionem proponendam. 24

Porro ut monitio haec legitime fiat, debet fieri in scriptis, ut vult Palao *Tract.* 29 *Disp.* 1. *punct.* 5. nu. 9. et coram testibus tradi, vel legi ipsi personae excommunicandae, c. *Sacro* 24 *h. t.* ibi: *Personis praesentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio*: nisi forsan talis malitiose se absconderet, aut declinaret, et fugeret: tunc enim sufficit, si monitio, seu comminatio praevia scripta ad ejus domum, vel valvas Ecclesiae, vel alio in publico loco affigatur, c. *Quoniam* §. *Porro ut lite non contestata, et Clemen. Causam* 3. *de Election.* Suarez *de Censuris. disp* 3. *sect.* 11. Covarruvias *in c. Alma Mater p.* 1. § 9 n. 4. 25

Resp. III. Monitio praevia necessario requiritur, etiamsi Excommunicatio a Jure ferendae tamen sententiae sit posita, *arg. c. Reprehensibilis.* 26 *de Appellat* ubi universaliter et indistincte praecipitur, ut praemittatur canonica monitio, nisi *Censura* e Jure imposita sit latae sententiae ipso facto incurrenda. 26

Limitatur tamen Conclusio in casu, quo Delinquentis crimen, et contumacia est notoria; nam universaliter ubi excessus est notorius, accusatione, examinatione, et probatione opus non est, *can. Manifesta* 15. *et seqq. cau.* 2. *q.* 1. *c. Bonae.* 23. ℣. *Porro. de Election. c. Evidentia* 9. *de Election.* consequenter nec ad ferendam Excommunicationem saltem a Jure comminatam in tali notitia contumaciae, monitio praevia necessaria est, Abbas. *in c. Ad nostram.* 7. *de Jurejurand.* Suarez. *loc. cit. n.* 18. Laymann *loc. cit. n.* 6. *in fine.* 27

Dicitur autem notanter in Conclusione *num.* 24. posita, *saltem Excommunicationis*, quia *Censura* Suspensionis, et Interdicti aliquando non merae *Censurae*, sed ut poenae vindicativae imponuntur, et imponi possunt nulla comminatione praemissa, *arg. c. Cum in cunctis.* 7. §. *fin. de Election. c Sacro. h. t. c.* 1. ℣. *Exemplum eod. in* 6. Palao *loc. cit. pun.* 5. *nu.* 5. 28

Quaeritur VI. An? et quando ignorantia, metus, vel alia causa excuset ab incurrenda Censura? Resp. I. Ignorantia facti, qua quis ignorat id, quod facit, esse tale, quod sub *Censura* est prohibitum, excusat a *Censura*, v. g qui ex ignorantia putat Clericum, 29

quam percutit, esse Laicum, non incurrit *Censuram*. communis, et certa, *c. Si vero de Sentent. Excommunicationis*, ibi: *Si vero aliquis in Clericum aurientem comam, manus injecerit violentas, propter hoc non debet Excommunicatione notari, dummodo ipsum Clericum esse ignoraverit*, adeo ut a *Censura* immunem reddat etiam probabilis dumtaxat ignorantia *Facti*, ut explicat ibidem glossa. Ratio autem Conclusionis est; quia ignorantia, quae omnino affectata aut supina non est, excusat a contemptu, et contumacia, *l. Si ignorans*, 5o. *ff. Locati*. consequenter etiam a *Censura*; cum haec non nisi in contumaces feratur per dicta supra.

30 Resp. II. Invincibilis quoque, vel saltem probabilis ignorantia Juris Ecclesiastici praecipientis, vel prohibentis quidpiam sub *Censura*, ab ea incurrenda excusat. Rursus communis D. D. satisque clare patet ex c. 2. *de Constit. in* 6. ubi dicitur: *Ut animorum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, seu supina*. Quae decisio, cum favorabilis sit, multumque rationabilis, non tantum in statutis Ordinariorum, sed etiam in Constitutionibus Pontificiis locum habet. nam etiam Papa Ordinarius est, et quidem Ordinarius Ordinariorum.

31 Nec obstat, quod Delinquentes contra alias Leges sub certa poena aliquid prohibentes, eadem poena juste plectantur, etsi ignorent poenam, sub qua Lex aliquid prohibet. uti experientia et praxi ubique recepta constat in Latronibus, Adulteris, Incestuosis, prout etiam nos supra *Tit. III. de Simonia n.* 3*11*. jam probavimus. Nam disparitas est circa Censuras, et poenas vindicativas, quod ad has nulla requiratur contumacia, sed sola sufficiat inobedientia erga Deum, vel Legislatorem humanum, ob quam tum in vindictam sceleris, tum ad terrorem aliorum pro bono et tranquillitate communi infliguntur poenae scienter agentibus contra Legem divinam, aut humanam, etsi ignorent poenam Legis. *Censura* vero utpote poena Medicinalis requirit contumaciam in hoc consistentem, quod quis sciat, aliquid sub *Censura* esse prohibitum, et tamen illud committat, sicque contumaciter agat contra Legem Ecclesiasticam, eamque quasi contemnat, Sylvester *v. Ignorantia. n.* 14. Navarrus *in Manual cap.* 17. *n.* 174. atque etiam diximus supra *de Simonia. loc cit.*

32 Infertur proin, quod, si aliquis sciat, opus aliquod esse prohibitum vel praeceptum, probabiliter tamen ignoret, ei esse annexam *Censuram*, eam non incurrat; consequenter rustici, et alii simplices homines ex hac ratione saepe excusantur a *Censura* per generalem Legem, Canonem, aut Decretum Ecclesiasticum imposita, eo quod eam hic et nunc latam rarissime sciant; dummodo excipias Excommunicationem in percussores Clericorum latam, utpote fere omnibus etiam rusticis notam; item alias Excommunicationes communiores, vel publice denuntiatas.

33 Resp. III. A *Censura* insuper regulariter excusatur, qui ex metu gravi mortis, mutilationis, infamiae, gravis jacturae bonorum etc. transgreditur Legem Ecclesiasticam sub *Censurae* poena positam, Pirhing *h. t. num* 47. Suarez. Layman, et alii communiter. Ratio est; quia Leges Ecclesiasticae regulariter loquendo non obligant cum periculo vitae, membrorum, vel alterius gravis damni, juxta communem Doctorum, arg. ... *de Reg. Jur.* ibi: *quod non licitum in lege, necessitas facit licitum*. Accedit ratio; quia lex humana debet esse secundum naturam humanam, id est, humanae fragilitati accommodata, id autem non esset, si ordinarie obligaret cum periculo tam gravi damni.

34 Dicitur autem notanter, *regulariter*: quia in casibus extraordinariis, quando videlicet observatio Legis humanae moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cederet in contemptum Fidei, vel Legis, aut potestatis Ecclesiasticae, transgrediens ex gravi metu etiam vitae Legem sub censuram positam non excusatur ab illa: uti bene cum aliis docent Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 5. *nu* 9. Suarez *de Censuris Disp.* 6. *sect.* 3. et alii. Ratio est; quia cum in talibus casibus nullus metus eximet ab observatione Legis Ecclesiasticae, prout cum aliis amplius diximus in Theologia nostra morali *Tract.* 2. *dist.* 4. *q.* 3. *a. a.* 21. ita etiam non excusat a *Censura*.

35 Resp. IV. A *Censura* etiam contra se jam lata quis immunis, et illa invalida est, ita ut nullum producat effectum, triplici ex capite, videlicet I. Ob defectum Jurisdictionis, si nempe fertur ab eo, qui vel absolute in *Censurandum* caret jurisdictione ferendi *Censuram*; vel jurisdictionem quidem sed impeditam habet per Excommunicationem, vel Suspensionem sibimet inhaerentem, siquidem excommunicatus, vel suspensus alium excommunicare non potest, *can. Audivimus. cau.* 24. *q* 1. juncta Glossa *ibid.* Quid autem habeat potestatem et jurisdictionem ferendi *Censuram* habes supra *n.* 6 *et* 7.

36 Idem dicendum foret, si Praelatus habeat Jurisdictionem suspensam per Appellationem legitime interpositam, ante sententiam Censurae absolute latam; ut si is ferat, seu potius comminetur *Censuram* contra Sempronium, quod nisi intra tot v. g. dies satisfecerit, hoc vel illud omiserit, aut praestiterit, noverit se esse excommunicatum; Sempronius vero ante elapsum terminum praefixorum dierum appellet: tali enim casu Sempronius *Censuram* Excommunicationis non incurreret, etiamsi sub *Censura* injunctum minime adimpleret. Ratio est; quia, quod bene *notandum*, licet Appellatio post Censuram praesertim Excommunicationis acta, et absolute jam latam, seu inflictam, effectum illius minime impediat, vel suspendat, textu claro c. *Is cui.* 20. *de Sententia Excommunicat. in* 6. ibi: *Sane sicut Excommunicatio, sic ab officio, vel ingressu Ecclesiae lata Suspensio per Appellationem sequentem minime suspenduntur*, tamen *Censurae* effectus quivis per Appellationem suspenditur, si quis contra eam nondum absolute, sed conditionate dumtaxat latam seu comminatam in tempore legitime appellet, textu claro c. *Praeterea* 48 *de Appellat.* et jam dictum est *Lib. II. de Appellat. n.* 112.

37 II. Redditur *Censura* invalida ob neglectum substantialem ordinem; ut si Judex eam ferat, nulla nec unica quidem praemissa admonitione; vel si omittatur citatio Rei, isque ad sui defensionem non admittatur, juxta dicta supra *n. n.* 21.

38 III. *Censura* contra aliquem lata est, invalida ob defectum justae, aut sufficientis causae juxta dicta supra *num.* 8. Porro sufficientia, vel justitia causae tripliciter potest deficere. videlicet *primo*, si nec a parte rei adest, nec secundum allegata et probata praesumitur adesse; ut si quis excommunicetur, quod eleemosynam tribuerit, vel quod fecerit id, quod facere illicitum et pravum non est. Quamcumque Excommunicatio utique invalida est, cum contineat errorem intolerabilem, uti Jura loquuntur c. *Per tuas de Sentent. excommun.* et c. *Venerabilis § Potest eod. tit.*

39 Deinde potest justitia, vel sufficientia causae deesse, siquidem causa a parte rei adest, crimen v. g. revera commissum est, de eo tamen Reus nec confessus, nec legitime convictus habetur; etsi

enim in tali casu causa subsistat secundum se, tamen non subsistit secundum Judicium, seu Forum externum; consequenter sententia *Censurae* ob talem nec probatam, nec confessam causam est nulla, nullusque effectus *Censurae* saltem in Foro externo.

Tertio potest taliter deficere causa, quod quidem a parte rei prorsus non subsistat, tamen ut existens juridice probatur per falsos testes v. g. vel falsa instrumenta, vel gravi metu extortam falsam confessionem putati Rei: in quo casu etsi talis Reus coram Deo Censuram aliquam non incurrat, nec effectibus ejus subsit, tamen in Foro externo habere se debet pro *Censurato*; prout magis patebit ex sequentibus. Nam

41 Quaeritur VII. An? quando? et quomodo *Censurae* Excommunicationis v. g. et effectibus ejus quis subjaceat? vel ab eis immunis sit? qui vel absque ulla vere subsistente causa, adeoque innocens, vel saltem sine legitima causa censuratur, v. g. excommunicatur? Resp. Quamvis ille, qui vel absque ulla vere subsistente causa, consequenter penitus innocens, vel saltem absque sufficienti legitima causa censuratur, v. g. excommunicatur, reipsa coram Deo, et in foro conscientiae *Censuram*, excommunicationem v. g. non incurrat, nec effectibus illius subjaceat, consequenter communibus Ecclesiae suffragiis, aliisque spiritualibus commodis et favoribus privatus minime existat etc. (cum talis *Censura* ob defectum causae revera nulla sit) nihilominus si secundum allegata et probata in Judicio censetur nocens, et causa ad *Censuram* sufficiens adesse debet *Censura* in Foro externo, et in facie Ecclesiae tam a *Censurato*, quam ab aliis servari, donec vel ab ea praesumptus Reus fuerit absolutus, vel innocentia ipsius, atque error Censurae publice innotuerit, Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 3. Covarruvias *in c. Alma mater p.* 1. §. 7. *num* 5, Pirhing *h. t. n.* 41. cum communi aliorum, *arg. can. Si quis a propria* 11. *can.* 11. *q.* 3 *et c.* 1. *eod. can. et q.* ibi; *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta fuerit, timenda est* Concordat *c. Inquisitioni* 44. *h. t.* ubi innuitur, et ob sanctam observantiam Legis divinae, ex justa tamen praesumpta causa in Foro externo communicatus Censuram in eodem Foro servare cogitur.

42 Ratio est: Tum quia in Foro externo adest causa saltem praesumpta: Tum quia hoc necesse est ad publicam utilitatem et disciplinam, ipsamque Judicis ex officio, secundumque allegata, et probata judicantis auctoritatem, consequenter ad bonum publicum tuendum, cui bono bonum privatum merito postponi debet. Et certe si etiam in Foro externo *Censura* servari in tali casu non deberet, malevolis lata aperiretur porta, quaslibet *Censuras* contemnendi; cum dicere possent, se coram Deo esse innocentes, quamvis in Foro externo per allegata et probata nocentes sint.

43 Infertur, quod si Clericus a parte rei coram Deo innocens excommunicetur secundum allegata et probata, in Foro externo Irregularitatem non incurrat, si ita excommunicatus Ordinem aliquem exerceat, quia revera Excommunicatio fuit nulla; si tamen id facere deprehendatur, vel de hoc in Judicio accusetur, vel conveniatur, tanquam *irregularis* condemnari potest: cum enim in Foro externo censeatur excommunicatus, tanquam irregularis declarari debet, si in tali Excommunicatione Ordinem exercuisse demonstretur. Imo si monitus ab exercitio Ordinis v. g. celebratione Missae desistere nollet, tunc de novo excommunicari posset, propter suam inobedientiam, contumaciam, et apparentem contemptum potestatis Ecclesiasticae.

Quaeritur VIII. Quotuplex sit *Censura Ecclesiastica*? Resp. I. *Censurae Ecclesiasticae* proprie tales tantum sunt tres, videlicet *Excommunicatio*, *Suspensio*, et *Interdictum*. Ita communissima Doctorum contra Sotum, et alios paucos, etiam *cessationem a Divinis*, et *Irregularitatem* Censuris annumerantes, Conclusio nostra patet ex *c. Quaerenti.* 21. de V. S. ubi Papa interrogatus, quid per *Censuram Ecclesiasticam* intelligatur, respondet, *quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, et excommunicationis sententia valeat intelligi.* 44

Resp. II. *Censura* quaevis dictarum dividitur ulterius in eam, quae est a Jure, et in eam, quae est ab homine. Illa est, quae per sacros Canones, Constitutiones, aut Decreta, vel statuta tanquam Jura Ecclesiastica imposita semper manet etiam mortuo Conditore Canonum. Ab homine est, quae a Judice, vel Praelato Ecclesiastico per modum mandati aut sententiae Judicialis fertur, ab eoque sic dependet, ut ejus Jurisdictione per mortem, vel alio modo extincta, a nemine amplius incurratur, quamvis illi, qui ante finitam hujusmodi Jurisdictionem Censura ab eo innodati fuere, ligati adhuc maneant. Layman. *lib.* 1. *tr.* 5 *p.* 1. *cap.* 2. Palao *Tract.* 29. *Disp.* 1. *pun.* 2. *num.* 2. 45

Rursus dividitur *Censura*, praesertim quae e Jure, in *latae*, et *ferendae sententiae*. Censura *latae sententiae* est, quae ipso facto, seu criminis perpetratione, et mandati Ecclesiastici transgressione incurritur absque sententia condemnatoria. *Ferendae sententiae* Censura est, quae quidem in Jure statuta jam habetur, tamen a Delinquente non statim ipso facto, seu mandati transgressione incurritur, sed requirit sententiam Judicis condemnatoriam, debetque primum a Judice infligi. Unde autem colligatur, seu dignoscatur, *Censuram* aliquam esse *ferendae*, vel *latae sententiae*, dicemus infra §. *III. a num.* 79. 46

§. II.

De Excommunicatione ut Sic, et de Excommunicatione Majori in specie.

SUMMARIUM.

62 III. *Privatio praesentiae, seu assistentiae Missae, vel aliis Divinis Officiis.*

63 *Concionem tamen etiam in Ecclesia audire, et ibi orare potest, tempore, quo Divina ibi non peraguntur, tenetur etiam privatim suas Horas canonicas recitare.*

64 IV. Effectus est privatio sepulturae Ecclesiasticae.

65 V. Inhabilitas ad quaevis Beneficia, et Officia Ecclesiastica.

66 VI. Est privatio distributionum quotidianarum.

67 Non item fructuum grossorum.

68 VII. Est inhabilitas impetrandi Rescriptum aliquod a Sede Romana.

69 VIII. Est privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticae.

70 Qui tamen effectus locum non habet Excommunicatis toleratis, *nisi contra ipsos excipiatur.*

71 IX. Est privatio communionis Forensis, seu actuum ad Judicium *externum pertinentibus.*

72 Excepto Reo, qui ut talis in Judicio stare potest, et debet.

73 X. Est privatio communionis politicae.

74 XI. Quod insordescens per annum in Excommunicatione censeatur suspectus de Haeresi, et nonnunquam convictus de crimine

75 Qui effectus etiam toleratos Excommunicatos afficiunt.

76 *Solvitur instantia ex Bulla Martini V.*

77 *Ob gravem, et urgentem causam excusatur quis a Lege hos effectus imponente.*

47 *Excommunicatio* juxta nominis ethymologiam idem est, ac *extra communionem separatio.* In proposito tamen sumitur pro Censura Ecclesiastica, qua quis a communione Fidelium separatur: prout cum communi Doctorum *Excommunicationem* ut sic definitur Scotus 4. *dist.* 19. *q. un.* §. *De quinto*, ubi ait: *Excommunicatio* simpliciter, quae est sola *Major*, est exclusio alicujus a communione Fidelium.

48 Porro *excommunicatio* alio nomine dicitur *anathema*: graece significat separationem alicujus a caeteris partibus: et quidem frequentius, prout ejusmodi separatio fit ab Ecclesia tanquam alicujus exsecrandi et maledicti; prout Haereses atque Haeretici, aliique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur.

49 Interim licet *excommunicatio* et *anathema* essentialiter non differant (utraque enim importat alicujus separationem a communione Ecclesiae) differunt tamen quoad solemnitatem. Nam *excommunicatio* quandoque incurritur ipso Jure, quandoque profertur per sententiam Judicis in scriptis comprehensam; *Anathema* vero infligitur cum aliis caeremoniis, ad terrorem caeterorum praescriptis, *can. Debent.* 11. *q.* 3. Siquidem debent duodecim Presbyteri circumstare Episcopum, et lucernas ardentes in manibus tenere, quas post latam *Anathematis* sententiam, in terram projiciunt, et pedibus conculcant: cui solemnitati aliae quoque maledictiones et execrationes verbales addi solent. Hinc *c. Cum non ab homine. de Judiciis.* Clericus depositus incorrigibilis primum excommunicari, deinde vero crescente contumacia *anathematis* mucrone feriri jubetur. His praenotatis,

50 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *excommunicatio*? Resp. *Excommunicatio ut sic* est Censura Ecclesiastica, qua homo Christianus a Communione seu corpore Fidelium excluditur, et bonis, quae illi inter se communicant, privatur. Ita in re communis, *arg. can. Omnis Christianus.* 32. *cau.* 11. *q.* 3. ibi: *Omnis Christianus, dilectissimi, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanae traditur: quomodo? scilicet quia extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur; unde illos, quos Apostolus Satanae esse traditos praedicat, excommunicatos a se esse, demonstrat.* Concordat *can. Canonica.* 107. *ead. cau. et q.* juncto *c. Si quem* 59. *de V. S.* Dicitur Censura loco generis. Additur *qua homo Christianus*, quia Infideles, cum nunquam baptizati, consequenter Ecclesiam nunquam adhuc ingressi sint, neque membra Ecclesiae existant, nequeunt excommunicari; bene vero Haeretici, utpote baptizati, et Ecclesiam ingressi. Reliquae particulae ponuntur loco differentiae. Qualiter autem *excommunicatio* communione, aliisque bonis Fidelium privet, patebit ex dicendis infra *de effectibus excommunicationis a n.* 54.

Resp. II. *Excommunicatio* praeter divisionem, quam cum aliis Censuris communem habet, juxta dicta supra §. *praeced.* Specialiter dividitur in *majorem*, et *minorem*. *Excommunicatio major* est Censura Ecclesiastica, qua Christianus activa et passiva communione Fidelium, bonorumque inter se simpliciter, et quasi ex toto privatur. Est donec in re communis, praesertim Doctoris Subtilis *in* 4. *dist.* 19. *q. un.* § *de Quinto*. Patebitque ex dicenda infra a *num.* 54. 51

Excommunicatio minor est Censura Ecclesiastica, qua homo Christianus privatur perceptione Sacramentorum, *c. Si quem de sentent. excommun.* juncto *c. Si celebrat. de Clerico excommun.* atque amplius declarabitur *infra* agendo specialiter de hac Excommunicatione §. *V.* 52

Interea notandum, quod, quandocunque in Jure Decreto, aut sententia aliqua simpliciter nominatur, aut profertur terminus *excommunicatio*, semper intelligatur *excommunicatio major*, textu expresso *c. Si quem.* 59 *h. t.* ibi: *Si quem sub hac forma verborum*: illum excommunico, *vel simili excommunicari contingat, dicendum est, eum majore excommunicatione ligatum esse.* 53

Quaeritur II. Quinam sint effectus *excommunicationis majoris*? Resp. Plures, et graves. Patebit inductione infra a *num* 60. ponenda, postquam prius pauca pro faciliori, et clariori intelligentia *excommunicationis majoris*, et effectuum illius, ex S. Bonaventura declaraverimus, varietatem Communionis Fidelium, vel potius bonorum, quibus inter se communicant, explicando. Notandum itaque, triplicem esse *Communionem Fidelium*, qua inter se communicant, videlicet pure *internam*, pure *externam*, et *mixtam*. 54

Communio Fidelium pure *interna* consistit in fide, charitate, et gratia, qua inter se copulantur, et vinciuntur. Ratione cujus unionis, vel communionis potest unus Fidelis alteri de congruo impetrare specialia beneficia, eique si caeteroquin capax est, applicare proprias satisfactiones, et certos fructus suorum bonorum operum, juxta illud David. Psalm. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te*, et illud in Symbolo Apostolico, *Credo Sanctorum communionem.* 55

Communio Fidelium mere *externa* est, quae consistit in externo Fidelium convictu, colloquio, contractibus, et aliis commerciis externis, indeque mere politica est. 56

Communio Fidelium inter se *mixta* est, quae in exterioribus quibusdam actionibus, et caeremoniis Ecclesiasticis consistens, internum fructum spiritua- 57

lem ex sua propria Institutione operatur: quo spectant inprimis tam activus, quam passivus usus Sacramentorum, id est, administratio et perceptio eorum. Item communia Ecclesiae suffragia, quae in Sacrificio Missae, aliisque publicis Ecclesiae officiis ac functionibus, puta Horis Canonicis, Benedictione cinerum, palmarum, et hujusmodi pro universali Ecclesia funduntur. Quibus adde satisfactionem Christi, et Sanctorum, quae ex communi thesauro Ecclesiae per Indulgentias Ecclesiae applicantur, de quibus *Communionibus* vide etiam Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 3. *n.* 2. Covarruviam *in c. Alma mater. prin. num.* 3.

58 Notandum ulterius, certum esse apud omnes, quod Excommunicatio non privet *Communione pure interna*, seu bonis internis; quia Ecclesia non vult, neque potest privare bonis et virtutibus Fidei, et Charitatis; cum gratia, et charitas habitualis non nisi per propriam culpam mortalem, minime vero per poenam cujuscunque tandem auferri valeat: et dum etiam per propriam culpam mortalem amittitur, recuperari potest per contritionem perfectam, manente adhuc Excommunicatione, qua forsan innodatus existit, textu expresso *c. A nobis.* 28. *ꝟ. Vinculum. h. t.* imo interna Fides et Spes manere possunt in excommunicatis etiam actuali culpae mortali adhuc subjectis.

59 Insuper certum est, Excommunicationem non privare fructu Orationum, et aliorum bonorum operum, quae alii fideles proprio nomine, et privata intentione excommunicatis applicant, sed illo duntaxat fructu, quae ex orationibus et sacris actionibus nomine Ecclesiae peractis cuivis fideli non excommunicato obveniunt, ut proin quivis licite et meritorie, simulque fructuose pro excommunicato possit privatim orare, et pia opera peragere etc. His notatis addúcamus effectus in specie, quos producit Excommunicatio ex eo, quod privet *Communione* Fidelium. Itaque

60 I. Effectus *majoris Excommunicationis* est, privare hominem *Communione mixta* supra *num.* 57. allegata, id est, communibus Ecclesiae suffragiis, seu fructu et bonis spiritualibus, quae ex actionibus, orationibus Ecclesiae factis cuivis fideli alias obveniunt, de quibus supra *cit. num* 57. *arg c. Sacris. h. t.*

61 II. Effectus *Excommunicationis majoris* est privare excommunicatum usu activo et passivo Sacramentorum, ita ut sine peccato mortali nec recipere, nec administrare possit ullum Sacramentum; etiamsi in occulto duntaxat excommunicatus, et vitandus non esset, ac insuper per contritionem perfectam apud Deum in gratia jam existere. Ratio est: quia ageret in re gravi contra Ecclesiae praeceptum, quo cuivis excommunicato, donec absolvatur, graviter prohibitus est usus Sacramentorum, *arg. c. Cum illorum.* 32. *h. t.* et *c. fin. de Cleric. excomm. minist.* cum Concordantiis.

62 III. Effectus est assistentia divinorum Officiorum, ita ut excommunicatus absque peccato mortali interesse non possit, vel aliis divinis Officiis, puta, publicis Orationibus, Horis Canonicis, Processionibus, Benedictioni olei, candelarum, aquae, chrismatis etc. *c. Significavit.* 18. *c. Responso.* 43. *h. t. ac. Latrones. c. fin. de Cleric. Excommun. ministro.* cum Concordantiis. *Clement.* 2. *§. Nonnulli h. t.*

63 Concionem tamen in Ecclesia audire permittitur, tempore quo nulla Missa, vel aliud divinum Officium ibidem peragitur; idque ideo, ut citius ad poenitentiam, et deponendam contumaciam, praestandamque satisfactionem, et obedientiam Ecclesiae recitetur, *c. Responso.* 43. *h. t.* et ibi Doctores. Potest etiam privatim orare, imo tenetur privatim recitare Horas Canonicas, ad quas alias ut Clericus vi Ordinis, Beneficii, vel Professionis Religiosae obligatus est. Layman ut supra, *n.* 6. Navarrus in *Manual. cap.* 27. *n.* 103.

64 IV. Effectus est privatio sepulturae Ecclesiasticae, *c. Sacris.* 12. *de Sepultura*, *c. Consuluisti.* 7. *de Consecrat. Eccles.* et *Clement.* 1. *de Sepult.* cum Concordantiis: quem, sicut et alios effectus intellige non tantum de excommunicatis vitandis, sed etiam non vitandis, prout amplius diximus *Lib. III. Tit. XXVIII. de Sepultur. a num.* 84. ubi vide.

65 V. Effectus est incapacitas, et inhabilitas ad Dignitates, Beneficia, et Officia Ecclesiastica quaecunque obtinenda, adeo ut quaevis Collatio, praesentatio, electio, confirmatio, et institutio alicujus excommunicati ad Beneficium sit ipso Jure nulla et irrita, *c. Postulasti.* 7. *de Cleric. excommun. ministr.* ibi: *Cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis Excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt. nec illi ea valent licite retinere, nisi forsan cum eis misericorditer fuerit dispensatum; cum ea non fuerint Canonice consecuti.* cum Concordantiis. Ratio est, quia Beneficium datur propter Officium divinum, cujus cum excommunicatus incapax sit, etiam ad Beneficium inhabilis est. Quo non obstante valet excommunicatus Beneficium ante Excommunicationem rite obtentum retinere; imo etiam possessionem capere Beneficii prius obtenti. Ratio est; quia a Jure solum irritatur actus, quo acquiritur jus in Beneficio, sive titulus illius, quem jam acquisitum apprehensio possessionis supponit.

66 VI. Effectus est privatio distributionum quotidianarum. Ratio est; quia hae tantum dantur praesentibus publicae persolutioni Officii divini; cui cum excommunicati praesentes esse nequeant, etiam distributiones quotidianas percipere non possunt, *arg c. un. de Cleric non resident. in* 6. juncto Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. Garcias *de Benefic p* 7. *cap.* 13. *n.* 125. Moneta *p.* 2. *de Distribut. q* 15. *n.* 18.

67 Fructibus tamen grossis Beneficii ipso Jure non privat, Glossa *in c. Pastoralis.* 53. *ꝟ. Subtrahuntur, de Appellat.* Sanchez *lib* 3. *de Matrim. disp.* 51. *n.* 12. Layman ubi supra *n.* 9 et communiori et veriori aliorum, contra Abbatem in *cit. c. Pastoralis. n.* 17. Gutierrez *lib.* 1. *qq. Canon. cap.* 1. et alios. Ratio est; quia nullo Juris textu privatio horum fructuum ipso facto infligitur; textus enim citatus *c. Pastoralis, et illi proventus Ecclesiasticis merito subtrahuntur*, commode intelligi potest de sententia ferenda, consequenter ita intelligi debet, *arg. c. Odio de Reg. Jur.*

68 VII. Effectus est, quod excommunicatus Rescriptum aliquod sive gratiae, sive justitiae a Sede Apostolica impetrare non valeat; et impetratum ipso Jure sit nullum, nisi in ipsa causa Excommunicationis, vel Appellationis ad excommunicati defensionem impetratur, *c. Dilectus.* 26. *de Rescript* et *c.* 1. *eod. in* 6 atque amplius diximus *Lib. I. Tit. III. de Rescript. §. II. a num.* 39. ubi vide.

69 VIII. Effectus est privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticae, ita, ut tam in externo, quam interno foro acta Jurisdictionis ab excommunicato facto ipso Jure sint nulla, *can. Audivimus.* 4. *cau.* 24. *q.* 1. *c. Ad probandum.* 24. *de Sentent. et re judicat.* cum Concordantiis. Hinc excommunicatus non potest alium excommunicare, *cit. can. Audivimus*, neque conferre Beneficia, *arg c. un. Ne Sede vacante. in* 6. neque eligere, *c. Cum dilectus. et c. Cum inter. h. t. de Elec-*

esion. ubi Electio a suspensis celebrata censetur irrita; omnis autem excommunicatus hoc ipso est etiam suspensus ab Officio.

70 Vult tamen Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 21. Pirhing *h. t. n.* 8. Laymao *lib.* 1. *tr.*5. *p.*2. *cap.*4. *n.*13. at alii, praefatum octavum effectum ipso facto in vitandis duntaxat excommunicatis, non item in toleratis locum habere, ita ut tolerati praelatos, et alios Jurisdictionis suae actus libere exercere valeant, nisi contra ipsos tanquam excommunicatos sicque minus idoneos excipiatur, *arg. c. Ad probandum. de Sentent. et re judicat.* Ratio est: quia ex una parte hoc ipso, quod excommunicatus aliquis toleretur, etiam sustinentur acta ipsius (nisi specialis opponatur Exceptio) ne alioquin plura incommoda, et inconvenientia sequantur, quae Concilium Constantiense sublata voluit per dicenda infra. Ex altera vero parte dictum Concilium excommunicatos nullatenus in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari voluit; ergo sicut antehac, ita et nunc, facta saltem Exceptione et oppositione, acta ipsorum sunt invalida.

71 IX. Effectus est privatio Communionis Forensis sive actuum pertinentium ad Judicium externum sive Ecclesiasticum, sive Laicale, tam civile quam criminale, ita, ut in nullo horum excommunicatus possit esse Judex, Actor, Advocatus, Tabellio, Testis etc. quod intellige de solis excommunicatis vitandis, de toleratis enim procedit doctrina *num. praeced.* allata; adeo ut acta ab eis tanquam Actoribus, Advocatis etc. facta valeant, si nemo contra illos tanquam inhabiles ad standum in Judicio excipiat, econtra vero si excipiatur, irrita existant, *arg c. A nobis. de Except. et c.* 1. *eod. in* 6. Ex quamvis Judex excommunicatos vitandos a Judicio repellere graviter teneatur, textu expresso, *c. Decernimus.* 8. *h. t.* ac etiam toleratos repellere possit per Jura citata, tamen hos repellere non tenetur, nisi Excommunicatio notorie sit, vel aliquis contra eos excipiat.

72 Limita tamen praefatum effectum in Reo, ut pote qui etiam ut vitandus excommunicatus, in quovis Judicio stare potest et debet; cum alias accusari et conveniri in Judicio non posset, consequenter ipse a sua malitia commodum reportaret, *c. Intelleximus.* 7. *de Judiciis.*

73 X. Effectus est privatio Communionis politicae cum fidelibus, ita, ut cum eis nec contrahere, vel commercia aut negotia habere, nec cum eis cohabitare, convenire, familiariter conversari; officiosum colloqui valeant, nec fideles cum ipsis, *can. Sicut* 16. *can. Cum seqq. can* 11. *q.* 3. *c. Nuper.* 29. *c. Aliquando* 41 *h. t.* cum Concordantiis, de quo tamen effectu plura §. IV.

74 XI. Effectus est, quod si quis per annum in Excommunicatione insorduerit, id est, pertinaciter persisterit, de haeresi reddatur suspectus, ita, ut contra illum tanquam de haeresi suspectum procedi possit, uti statuitur in Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de Reformat. cap* 3. ac insuper si nullum impedimentum allegat, seque purgare recuset, etiam condemnari valeat ut Haereticus, *c. Cum contumacia de Haeretic. in* 6. Ratio est, quia talis videtur omnino contemnere potestatem Ecclesiae, cujus Claves et Excommunicationem non timet, nec curat. Insuper si quis propter suspicionem haeresis, vel alterius criminis conjuncti cum contumacia (*ut* quia legitime citatus non comparat) excommunicatus fuerit, atque in tali Excommunicatione per annum perseveraverit, censetur is convictus de illo crimine, *arg. c. Excommunicatus* §. *Qui autem. de Haeretic.* atque cum communi aliorum tradit Covarruvias *in c. Alma mater.* §. 7. *num.* 10. fusius hanc poenam deducens.

Porro circa effectus *Excommunicationis majoris* hactenus recensitos specialiter notandum, iis non tantum excommunicatos vitandos, id est, publice denuntiatos, et notorios percussores Clericorum, sed etiam toleratos, id est, quaecunque alia etsi penitus occulta majori Excommunicatione innodatos, exceptis casibus, quos circa unum vel aliquem effectum notavimus, subjacere. Ratio est; quia Jura indistincte loquuntur, consequenter indistincte intelligi debent, *arg. c. Quia circa.* 2. *de Privilegiis.* 75

Nec in contrarium quid probat Bulla Martini V. *Ad evitanda*; quia per illam Bullam prorsus nullus factus est favor ipsi excommunicatis, sed tantum reliquis non excommunicatis Christianis, quatenus nempe tuta conscientia cum excommunicatis communionem tam in Divinis, quam politicis habere valeant, nisi fuerint publice denuntiati aut notorii percussores Clericorum; quod dum Pontifex statuit, ad finem expresse addit, quod *per hoc non intendat excommunicatos in aliquo relevare, aut eis quomodolibet suffragari.* 76

Notandum tamen, quod sicut ab observatione aliarum Legum humanarum excusat justa causa, v. g. ignorantia invincibilis, necessitas, gravis metus, vel grave periculum mortis, damni corporalis, gravis infamiae, jacturae bonorum, officii etc. sic etiam ob similem causam possit quis subinde excusari a Lege excommunicatos praefatis effectibus afficiente; sic v. g. in casu necessitatis, deficiente alio Sacerdote, potest excommunicatus administrare Sacramenta infirmo; idem facere, sicut etiam ingredi Ecclesiam, Jurisdictionemque exercere potest, si ad id metu mortis, vel jacturae bonorum adigitur. Pariter potest ille, qui occulta, sibi tamen bene cognita Excommunicatione laborat, et evitandum scandalum, gravem jacturam famae, bonorum etc. administrare, vel recipere Sacramenta, ac Divinis interesse, et cum aliis ultro conversari etc. Dummodo id revera requiratur ad vitanda enarrata damna; ubi enim horum nullum periculum adest, vel si est, alia ratione aut via, quam transgressione Legis evitari potest, viam hanc amplecti, effectusque recensitos sustinere coram Deo graviter tenetur excommunicatus, juxta omnes. 77

§. III.

Solvuntur quaedam dubia de Excommunicatione.

SUMMARIUM.

78 Excommunicatio *alia* est latae, *alia* ferendae sententiae.
79 *Ex quibus cognosci valeat*, quod Excommunicatio *sit* latae,
80 *Vel* ferendae sententiae: *et quatuor n. seq.*
85 *Potest quis saepius excommunicari.*
86 *Atque ab una Excommunicatione absolvi altera remanente*
87 *Solvitur instantia*
88 *Nomine Universitatis veniant Collegium, Capitulum, Conventus etc. quot personae requirantur ad illa?*
89 *Hodie licite non potest excommunicari integra Universitas, seu Communitas, nec Collegium.*
90 *Bene vero olim fieri poterat.*
91 *Potest etiam hodie adhuc interdici integra Universitas, v. g. Civitas, Regnum etc.*

92 *Si intra communitas excommunicatur, etiam hodie valet.*
93 *Et quidem certo, si Excommunicatio feratur a Papa.*
94 *Probabiliter vero, si feratur ab inferiore Papa.*
95 *Solvitur instantia.*
Quaestionem actus contra Legem factus censeatur irritus? et quando non? Ibid. et numer. seqq.
97 *Quomodo differant inter se sententia Excommunicationis, et declaratio, seu sententia declaratoria?*
98 *Ad declarationem non praerequiritur trina monitio.*
99 *Nec citatio, si crimen est notorium.*
100 *Secus si notorium non est, aut de illo non plene constat, tunc enim requiritur citatio pro discussione causae, ob quam quis sit declarandus excommunicatus.*
101 *Quibus competat potestas ferendi Excommunicationem? Remissive.*
102 *Cautissime, et non nisi deficientibus aliis mediis adhibenda est excommunicatio.*
103 *Excommunicatio est maxima poena in Ecclesia Dei.*

78 Quaeritur I. Quaenam *Excommunicatio* censeatur *latae*, et quaenam *ferendae sententiae*? ubi nota, quod *Excommunicatio* sit poena, qua nulla major in Ecclesia datur, *c. Corripiantur* 24. *q.* 3. quia separat a Corpore Christi, quod est Ecclesia. Quae quidem poena quandoque imponitur ipso Jure, adeo ut posito delicto mox incurratur; et dicitur *Excommunicatio latae sententiae*. Quandoque vero Legislator tantum comminatur Delinquenti, ita, ut posito delicto primum per sententiam Judicis sit imponenda, et appellatur *Excommunicatio ferendae sententiae*, prout jam dictum est supra num. 146.

79 Resp. I. Haec verba Legi poenali inserta, *ipso facto, ipso Jure, ex tunc sit excommunicatus* etc. manifeste indicant Excommunicationem latae sententiae. Idem dicendum, quando Legislator sibi, vel Legi suae adscribit sententiam dicendo v. g. *auctoritate nostra, virtute praesentis Constitutionis sit excommunicatus* etc. Similiter si lex utatur solo verbo indicativi modi praesentis aut praeteriti temporis, v. g. *excommunicamus, excommunicationem se noverit incursurum, sciat se esse excommunicatum* etc. ut post Suarez *l.* 5. *de Legibus, cap.* 6. notat Herincx *disp.* 5. *de Legibus, n.* 7. Sylvester ℣. *Excommunicatio* 1. *n.* 22. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *n.* 4.

80 Resp. II. Si Lex solum comminetur poenam Excommunicationis nulla alia particula, v. g. *prohibemus sub poena Excommunicationis, sub interminatione Anathematis, sub poena Excommunicationis contra facientibus infligenda* etc. continet excommunicationem ferendae sententiae. Idem dicendum, si Lex utatur verbo, vel participio futuri temporis, v. g. *reus erit talis poenae, subjacebit excommunicationi*, et hujusmodi, dummodo nulla alia particula ex enumeratis eum praeo apponatur. Et hinc ipsum Herincx *l. cit. n.* 4. verisimiliter censet de illis verbis absolute prolatis, *Excommunicationem se noverit incursurum*. Nam, cum de tali Excommunicatione ferendae sententiae possint praedicta verba absolute posita commode explicari, id erit faciendum: quia in *poenis benignior est interpretatio facienda* juxta *Reg.* 49. *Jur.* in 6. cum Concordantiis.

81 Resp. III. Insuper si Lex utatur verbis imperativi modi, quae non afficiunt immediate ipsam personam, sed vel reatum poenae, v. g. *reatum talis poenae incurrat, fiat reus excommunicationis*: *vel ipsam actionem Judicis, dicendo v. g. excommunicetur*. Hujusmodi, inquam, locutiones solum continent Excommunicationem ferendae sententiae. Idem dicendum, quotiescunque dubium est, an verba Legis contineant Excommunicationem latae vel ferendae sententiae; quia in *obscuris minimum est sequendum* per Reg. 30. Jur. in 6.

Dixi notanter, *quae non afficiunt immediate ipsam personam*. Siquidem verba illa, *excommunicationem incurrat*, important Excommunicationem ipso Jure, ut bene post Tiraquellum notat Fagnanus in *c. Sacro de Sent. excommun. n.* 57. Similiter haec verba, *sicut excommunicatus ab omnibus evitetur*, importare Excommunicationem latae sententiae, fusius contra nonnullos oppositum tenentes propugnat Fagnanus in *c. Super specula. Ne Clerici vel Monachi* num. 1. et *seqq.* 82

Utrum autem illa verba, *sit excommunicatus* etc. nullo alio addito sed absolute prolata contineant poenam latae sententiae, nec ne, variant Doctores. Affirmant non pauci, et ratio esse potest, quia hujusmodi verba imperativi modi afficiunt immediate ipsam personam. Oppositum nihilominus tenet Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 12. videlicet allegata verba non continere sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia Jura id declarant. Probat id Navarrus multipliciter. Et quidem auctoritate Glossae *cap.* 1. *de Foro compet.* ℣. *Sequestratur*, secundum quam plurimi Canones illa verba continentes sententiam ferendam significant. 83

Tum, quia verbum *sit*, est futuri temporis, juxta quod Glossa in *c. Si quis ex Clericis de Vita et honestat. Cleric.* ly, *anathema sit*, explicat per ly, *anathema fiat*, *arg. dist.* 50. quasi per totum, ubi clausula ista solum denotat Excommunicationem ferendae sententiae. Tum tandem, quia quamvis ly *sit*, quandoque significat tempus praesens, nihilominus stante dubio mitior pars in poenis est eligenda: atqui praedicta verba sunt dubia, ut patet ex hactenus allegatis, et ipsa Doctorum varietate. ergo. 84

Quaeritur II. An quis saepius possit excommunicari? Resp. Affirmative, *arg. c. Cum pro causa, de Sentent. excommun.* et notat Glossa in *c. Engeltrandum* 3. *q.* 4. Nec obstat, quod ejectus ex Ecclesia non possit amplius ejici, sicut et occisus non potest amplius occidi. Resp. cum cum citata Glossa, Excommunicationem habere duos effectus, unum ejiciendi extra Ecclesiam, et alterum detinendi extra: et licet Excommunicatio posterior non possit consequi primum effectum, *in jam excommunicato*, bene tamen secundum. 85

Porro ligatus pluribus Excommunicationibus potest absolvi ab una, et tamen non ab altera: et qui vere vult absolvi ab omnibus, omnem causam, pro qua vel quibus fuit excommunicatus, debet exprimere, *arg. cit. c. Cum pro causa. de Sentent. Excommunicat.* juxta Glossam ibidem ℣. *Tanquam excommunicatum*. 86

Nec obstat, quod unum peccatum non dimittatur sine altero, *arg. c. Majores §. Sed adhuc de Baptismo*, ibi: *Dominus, qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit, et ob hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit.* Respondet enim Fagnanus in *cit. c. Majores n.* 64. *de Baptismo*. disparitatem esse, quia absolutio a peccatis est actus divinus, qui non debet esse absque perfectione: secus est de absolutione ab Excommunicatione, quae est actus humanus Ecclesiae, utpote per quam inducta est Excommunicatio. 87

88 Porro Universitatis nomine censetur Synodus, Concilium, Conventus, Collegium, Capitulum etc. Et licet Baldus quinque homines requirat ad Universitatem Castri, vel Villae, *arg. L. fin. c. de Testamentis*, melius tamen Fagnanus *loc. cit. n.* 34. post Glossam *in l. Sicut ff. quod cujusque Universitatis nomine* etc. censet, Universitatem posse constitui per tres, *arg. l. Neratius ff. de Verb. signific.* ibi: *Neratius Priscus tres facere existimat Collegium, et hoc magis sequendum est.* Quinimo duo faciunt Congregationem, *arg. cap.* 1. *de Election.* Et licet unus non sit Universitas, neque per unum ab initio constitui possit Universitas: nihilominus, si unus solus remaneat, jus et nomen Universitatis conservatur in illo, teste clero *L. Sicut ff. Quod cujusque universitatis nomine etc.* Hoc praenotato,

89 Resp. I Hodie non potest ferri sententia in Universitatem, vel Collegium; sed in singulos tantum de Universitate, vel Collegio, quos culpabiles esse constiterit, promulgari debet. Ita habetur expresse c. *Romana de Sentent. excommun in* 6. idque provide statuit Pontifex, *volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri.* ut ibidem habetur.

90 Dixi notanter *hodie*. Nam olim potuisse Capitulum, et sic Universitatem excommunicari, notat post Abbatem, et Joan. Andream Fagnanus *in c. Olim de Litis contestat. n.* 2. et fusius in *c. Responso de Sentent. excommun. n.* 53. *et seqq.* idque probat ex casu et textu illius Capituli *Olim de litis contestat.* et *c. Significat.* ♃. *Sed a parte de Exceptiun.* etc Accedit, quod *cit. c. Romana. de Sentent. excommun in* 6. Jus novum continet (non enim procedit per viam Declarationis, sed novae Constitutionis, ibi: (*penitus prohibemus*) et consequenter ante illam Constitutionem bene poterat Communitas excommunicari. Sed defacto secus dicendum.

91 Nec obstat, quod tota Civitas, vel Universitas aliqua possit interdici, *arg. c. Responso de Sentent. excommun.* Imo quandoque *Interdicto* puniantur, qui non peccaverunt: nam pro peccatis Regis Regnum interdicitur, *arg. c. Non est vobis de Sponsalib.* Civitas pro peccatis Episcopi, c. *Sane de Offic. Delegat.* vel Domini, aut Rectoris c *Si sententia de Sentent excomm.* Resp. enim cum Fagnano *in cit. c. Responso. de Sentent. excomm n.* 42. hoc esse verum ac speciale in Interdicto, non autem in poena Excommunicationis; interdicti enim non fraudentur Ecclesiae suffragiis, sicuti excommunicati. Unde hodie Universitas non excommunicatur, sed personae singulares, licet interdici soleat.

92 Resp. II. Nihilominus sententia Excommunicationis, si hodie feratur in Universitatem, probabiliter est valida, et ligat singulos de Communitate doli capaces, saltem quoad Ecclesiam. Ita Glossa *in c. Romana. de Sentent. excommun. in* 6. ♃. *Penitus*, appellans hanc sententiam tutiorem; et sequitur Fagnanus *loc. cit. num.* 102. *et seqq.* post Bernardum, Buteum, *et alios*, quamvis etiam multi teneant oppositam.

93 Et quidem si sermo sit de Excommunicatione a Summo Pontifice in Universitatem lata, cum ipse non subjaceat illi prohibitioni Juris positivi, non est dubitandum, quin liget omnes de Universitate, etiam innoxios. Intellige quoad Ecclesiam, seu quatenus in facie Ecclesiae ea debent gerere quasi excommunicatos: secus quoad Deum, cujus judicium nec fallit, nec fallitur, atque amplius declarat textus expressus in *c. A nobis.* 16. 2. *de Sentent. excommun.* Intellige insuper quoad personas doli capaces: nam infantes et furiosi non ligantur Excommunicatione, etiam quoad Ecclesiam. Fagnanus *ibid. n.* 31.

Quod autem defacto teneat sententia Excommunicationis (modo proxime declarato) si in Universitatem feratur ab inferioribus Papa, probatur imprimis auctoritate plurium Doctorum n. 92. jam relatorum, hanc sententiam appellantium tutiorem. Accedit, quod olim potuerit excommunicari Universitas juxta dicta *num.* 90. Atque in nova dispositione c. *Romana. de Sentent. excommun. in* 6. prohibetur quidem excommunicari Universitas vel Collegium, ibi: *In Universitatem vel Collegium proferri sententiam Excommunicationis penitus prohibemus*: non tamen irritatur, neque invalida declaratur sententia talis, si proferatur. 94

Neque obstat *L. Non dubium. C. de Legibus*, juncto *c. Imperiali.* 25. *q.* 2. ubi dicitur. *Quae contra Leges fiunt, pro infectis habenda sunt, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, non specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Nam dictum istud plures patitur limitationes, ut notat Jason *ad cit. l. Non dubium. arg c. Ad Apostolicam. de Regularib.* ibi: *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* 95

Ceteris autem limitationibus dimissis, et magis ad propositum, respondet Fagnanus *l. cit. n.* 103. dictum illud habere locum duntaxat, quando lex simul tribuit potestatem faciendi actum illum, et praescribit conditiones, ac modificationes prohibendo, ne aliter fiant; tunc enim recipitur potestas qualificata seu modificata solum, et ideo actus non servatis modis praescriptis a Lege redditur nullus ex defectu potestatis. Secus est, quando Lex praescribit conditiones, vel facit prohibitionem ei, qui prius potestatem vel jurisdictionem agendi jam habeat (prout olim Episcopi habuerunt potestatem excommunicandi Universitatem) tunc enim sustinetur actus in vim potestatis praeexistentis, licet transgrediens sit puniendus, sicque sententia Excommunicationis in Universitatem lata foret quidem injusta, sed non ipso Jure nulla. *arg c. Sententia* 11. *q.* 3. ibi: *Sententia Pastoris, sive injusta sive injusta fuerit, timenda est.* 96

Quaeritur IV. In quo differant sententia Excommunicationis, et declaratio seu sententia declaratoris Excommunicationis? Resp. cum Fagnano *in c. Non potest. de Sentent. et re judicat. n.* 18. *et seqq.* differre *primo*, quia Excommunicationis Sententia infligitur per sententiam Judicis, non sic autem fit in declaratione Excommunicationis a Jure inflictae: nam qui ipso Jure excommunicatus est, per declarationem amplius non ligatur, cum a principio ligatus fuerit, sed solum declaratur excommunicatus, ut ab aliis evitetur. Ideoque ex declaratione neque infertur poena gravissima, qualis infertur ex sententia Excommunicationis, neque tanta in ea requiritur solemnitas, *arg. c. Pastoralis. de Appellat.* 97

Secundo differunt, quia Excommunicatio ferri non debet, nisi praemissa trina monitione, vel saltem una pro omnibus cum competentibus dierum intervallis, *arg c Sane de Sentent. excommun.* ibi: *Nisi competente admonitione praemissa*, juncto *c. De illicita* 2 *q.* 3. et *c. Constitutionem. de Excommunicat. in* 6. eo quod Excommunicatio feratur propter contumaciae perseverantiam, et ut istbac medicinali poena quispiam castigatus citius a sua contumacia decipiat. Quamvis Jure novo S. Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap* 3. *de Reformat.* si delicti qualitas id exposcat, infligi Excommunicatio valeat *praecedente bina* saltem monitione, etiam per Edictum. Econtra ad declarationem Excommu- 98

nicationis alia monitio non requiritur, cum ea ipso Jure jam contracta supponatur, ac declaretur, et Lex ipsemet semper moneat a tali actu sub poena Excommunicationis esse abstinendum.

99 *Tertio* differunt; quia ad Excommunicationem a Judice infligendam requiritur citatio Rei, saltem per Edictum, si is aliter inveniri nequeat. Secus est in declaratione Excommunicationis, dummodo factum ipsum sit notorium: neque enim citandus est, cui notorium est defensionem non competere, prout ex communi docet citatus Faguenus *num.* 21.

100 Dicitur autem notanter: *dummodo factum sit notorium*; nam si hoc occultum est, vel de eo nondum manifeste constat, citatio Rei est necessaria ad discutiendam causam ob quam sit declarandus excommunicatus, Glossa in *Clement. Praesenti.* §. *Constiterit. de Sent. et Clement.* 2. *de Poenis*; quatenus vel Reus se defendere, vel factum verificari queat, ob quod feratur declaratoria, licet in ipsa declaratione *non* requiratur.

101 Quaeritur V. Quibus competat potestas ferendi *Excommunicationem majorem*? Item qualiter et quando hac potestate uti possint et debeant? Resp. I. Ad primam partem hujus Quaesiti patere ex §. 1. a *num.* 7. ubi specificavimus omnes, quibus competit potestas ferendi Censuram ut sic, consequenter etiam Excommunicationem.

102 Resp. II. Excommunicatio cautissime ac sobrie, et non nisi aliis deficientibus mediis infligenda est. Pro hujus Conclusionis probatione, et declaratione merito per extensum assignatur dispositio circa hoc facta a Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de Reformat. cap.* 3. illis verbis: Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari; et perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, *a* nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo decernantur, et tunc *non* alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae ejus animum moveat: *nec* ad eas concedendas cujusvis saecularis, etiam Magistratus, auctoritate adducatur: sed totum hoc in ejus arbitrio et conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit. In causis vero judicialibus mandetur omnibus Judicibus Ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo a censuris Ecclesiasticis, seu Interdicto: sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscunque etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quae locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactae fuerint, assignentur; seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios, aut alienos executores faciendam, sive etiam per privationem Beneficiorum, aliaque Juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit: sitque erga Judicem contumacia, tunc etiam eos Anathematis mucrone, arbitrio suo, praeter alias poenas ferire poterit. In causis quoque criminalibus, ubi executio realis, vel personalis, ut supra, fieri poterit, etiam a Censuris abstinendum: sed si dictae executioni facile locus esse non possit: licebit Judici hoc spirituali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas, praecedente bina saltem monitione et jam per Edictum, id postulet. Nefas aut sit saeculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico Judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam Excommunicationem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti Decreto non sint observata: cum non ad saeculares, sed Ecclesiasticos haec cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramenta, et Communionem Fidelium, ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obdurato animo, Censuris annexus, in illis annum insorduerit, etiam contra eum, tanquam de haeresi suspectum, procedi possit.

Ratio autem Conclusionis est tum illa, quae in Concilio Tridentino *loc. cit. prin.* jam est allegata: 103
Tum quia Excommunicatio est poena gravissima, quam habet Ecclesia, can. *Corripiantur.* 17. *cau.* 24. *q.* 3. ibi: *Quae poena in Ecclesia nulla major est*; consequenter dum alia media sufficiunt, adhiberi non debet.

§. IV.

De Excommunicatione Canonis, seu in percussores Clericorum, et de Excommunicationibus Bullae Coenae.

SUMMARIUM.

104 *Ratio Rubricae.*
105 *Quid intelligatur nomine* Excommunicationis Canonis?
106 *A quo sit lata?*
107 *Quinam veniant nomine Clerici, vel Monachi?*
108 *Violentam manum Clerico vel Monacho injicere quis dicatur.*
109 *Enumerantur variae actiones in specie, quae violentam manuum injectionem continent, et propterea secum Excommunicationem trahunt: et num. seq.*
111 *Etiam ille* Excommunicationem Canonis, *incurrit, qui similem violentam actionem, seu manus injectionem mandat.*
112 *Vel suo nomine, aut intuitu ipsius factam ratihabet.*
113 *Item qui consilium, auxilium, vel favorem praebent ad hujusmodi violentam manus injectionem.*
114 *Pariter et illi, qui eam possunt, et ex officio deberent, non impediunt.*
115 *Qui omnes recensiti non excusantur ex eo, quod dicant, Clericum commeritum fuisse percussionem.*
116 *Vel consensisse in eandem.*
Clericus non potest renuntiare privilegio Canonis. ibid.
117 *Quandocunque ex causa aliqua quacunque tandem violenta manus injectio excusatur a peccato mortali, excusatur etiam ab* Excommunicatione Canonis.
118 *A quo etiam immunis est, qui ob necessariam sui, suorumque, vel aliorum defensionem manus violentas injicit.*
119 *Doctrina practica ad propositum, quod saepe ab Excommunicatione excusentur rustici, et alii violentas manus injicientes Clerico injusto aggressori.*
120 *Alia similis doctrina practica ad propositum.*
121 *Praelati, et Magistri suos etiam in Majoribus constitutos Clericos subditos aut discipulos.*
122 *Sicut etiam parentes, et propinqui filios aut propinquos.*

123 *Sed non nisi in Minoribus constitutos disciplinae, et correctionis causa moderate percutere possunt.*

124 *Mulier quoque pro defensione suae pudicitiae percutiens Clericum ab Excommunicatione immunis etc.*

125 *Sicut etiam percutiens, vel occidens Clericum cum matre, filia, uxore, aut sorore turpiter viventem.*

126 *Quid, et unde dicatur* Excommunicatio Bullae Coenae?

127 *Quae, et quot sint hujusmodi Excommunicationes?*

128 Bullae Coenae *per extensum ponitur.*

129 *Specialia* de Bulla Coenae, *et ejus Excommunicationibus.*

130 *Inter specialia, quae habent Excommunicationes* Bullae Coenae, *est, quod contra eas nunquam quid valeat consuetudo, praescriptio, aut non receptio.*

131 *Doctrina practica ostendens plures hodie esse excommunicatos per* Bullam Coenae.

132 *Non obstante, quod ut tales non denuntientur.*

133 *Et Excommunicationes hae non aurentur.*

104 Quamvis innumerae quasi Excommunicationes tam in sacris Canonibus, quam Constitutionibus et Decretis Pontificum, Episcoporum, aliorumque Superiorum Ecclesiasticorum inveniantur, prae aliis tamen celebriores, et frequentiores sunt *Excommunicatio Canonis*, et *Excommunicationes Bullae Coenae*, de quibus proin in hoc §. agemus.

105 Quaeritur I. Quid sit? contra quos? et a quo statuta sit *Excommunicatio Canonis*? Resp. I. Per *Excommunicationem Canonis* intelligitur illa, quam ipso facto incurrunt omnes percussores Clericorum, seu omnes illi, sive Clerici, sive Laici, qui violentas manus in Clericum, vel Monachum seu Religiosum injecerint. Communis et certa can. *Si quis suadente diabolo*. 29. cau. 17. q. 4.

106 Resp. II. Haec Excommunicatio lata est ab Innocentio II. in Concilio Lateranensi relato, cit. can. *Si quis suadente diabolo*. 29 cau 17. q. 4. ibi: *Si quis suadente diabolo hujus Sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis periculo urgente) donec Apostolico conspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.*

107 Quid autem nomine Clerici, vel Monachi intelligatur, vide *Lib. III. Tit. I. de Vita et honestat. Cleric.* §. 1. *per totum.* Item *Tit. XXXI.* §. 1. vide etiam dicta in *Theologia nostra Moral. Tract.* 13. *dist.* 11. *a num.* 56. quibus adde, esse certa vitia, ratione quorum Clerici privilegio citati *Canonis* non gaudent, ita ut percutientes talem Clericum non incurrant hanc Excommunicationem, de quibus vitiis in hoc V. Libro suis in locis jam fecimus mentionem.

108 Quaeritur II. Quaenam dicatur violentae manus injectio in Clericum, vel Monachum, ad hoc, ut propterea praefatam Excommunicationem ipso facto quis incurrat? Resp. Violentae manus injectione ad propositum intelligitur quaevis actio externa injuriosa, et graviter peccaminose violenter injecta personae Clerici, Monachi, vel rebus corporis illius adhaerentibus. Ita in re communis, prout videre est apud Navarrum *Manual.* cap 27. n 77. Barbosam *in cap. Si quis suadente* a a. 29. Molinam *de J. et J. dis.* 51. *num.* 8. Suarez *de Censuris. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 27. Laymon. *lib* 1. *tr.* 5. *p* 2. *cap.* 5. *n.* 6. et alios.

Infertur pro praxi, violentae manus injuriosam, et graviter peccaminosam injectionem committere, consequenter excommunicationem *Canonis* ipso facto incurrere imprimis illum, qui Clericum, vel Monachum manu, pede, ense, baculo, aliove instrumento, vel etiam veneno occidit, mutilat, vulnerat, percutit. Item, qui sputum, pulverem, sordes, lapidem, vel quid aliud in eum projicit. Insuper, qui fraeno equi, aut currui, cui Clericus insidet, violentas manus injicit, vel fugientem ita insequitur, ut causa sit, quod violentam insequentis fugiens Clericus praeceps in foveam, aut flumen ruat. Item, qui vestimenta personae Clerici adhaerentia violenter detinet, vel dilacerat, vel ea, etiam pileum tantum, aut quid aliud v. g. librum, baculum etc. violenter eripit, ut cum aliis tenent Sylvester v. *Excommunicatio* 6. *n.* 4. Layman. *loc. cit. num.* 6. Navarrus *cap.* 27. *n.* 77. Barbosa *loc. cit.* Secus est, si quis detineat, dilaceret, conculcet vestimenta aut res Clerici corpori ejusdem non adhaerentes. 109

Pariter violentam manum injicere, et Excommunicationem incurrere censetur, qui Clericum, vel Monachum etiam absque ulla laesione corporali in carcere, vel custodia publica vel privata, vel in domo, aut alio in loco injuriose concludit, detinet, ne egredi, vel progredi possit. Doctores citati, textu expresso c. *Nuper.* 29. *h. t.* 110

Idem est de illo, qui aliquam ex recensitis *num.* 109. *et n.* 110. injuriosis actionibus mandat, dummodo effectus sequatur, c. *Mulieres.* 6. *h. t.* ibi: *Illi vero, qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato aliis violenter injiciunt manus in Clerico, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi: cum is committat vere, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* 111

Idem dic de illis, qui hujusmodi injuriosam violentam actionem non quidem mandant, suo tamen nomine, vel gratia, et intuitu ipsorum factam signo aliquo externo (non autem affectu mere interno) ratihabent; secus foret, si quis hujusmodi actionem non suo, sed alterius nomine factam ratihaberet, textu expresso c. *Cum quis.* 23. *h. t.* in 6. ibi: *Cum quis absque tuo mandato manus injicit in Clericum tuo nomine violentas: si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone inunctanter incurris, cum ratihabitio, retrahatur, et mandato debet comparari. Si vero injectio eadem tuo nomine non fuit facta, tunc licet pecces ratihabendo eandem, non tamen propterea excommunicationis illius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.* Concordat Clementina, *Si quis suadente.* 1. *de Poenis.* et proin in hoc etsi alias odiosa materia procedas. *Reg.* 10. *Jur. in* 6. *Ratihabitionem retrotrahi, et mandato comparari non est dubium.* 112

Ulterius eandem Excommunicationem incurrunt, qui consilium, auxilium, aut favorem praebent ad hujusmodi injuriosam actionem. Ita citati Doctores, *arg.* c. *Quantae.* 47. *h. t.* et *Clement* 1. *de Poenis,* ubi inter alios hujus violentae injectionis, et excommunicationis Reos etiam numerantur is, qui *injuriose, vel temere percusserit, aut banniverit, vel hunc mandaverit fieri, vel facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium, in his dederit, aut favorem etc.* 113

Tandem ejusdem violentae injectionis, et Excommunicationis Rei sunt, qui dum sine gravi suo incommodo possunt, et ex officio talem injectionem violentam impedire tenentur, non impediunt, cum quasi eidem faveant, et tacite consentiant; veluti si ob ea proposita vel attentata pater filium, Dominus servum, Magistratus, vel alius Superior 114

non impedit subditum, c. *Quantae.* 47. *h. t.* ibi: *Ne autem solos violentiae hujusmodi auctores praesumptio aliquorum existimet puniendos, facientes, et consentientes pari poena plectendos Catholica condemnat auctoritas. Eos delinquentibus favere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori ac siuunt obviare:* ac ibi Doctores cum Navarro *Manual. cap.* 27. *n.* 78. Molina *Disp.* 51. *a nu.* 27. Layman. *loc. cit. nu.* 7.

115 Neque ab Excommunicatione hactenus recensiti excusantur, si etiam cum veritate dicant, Clericum hujusmodi violentam manus injectionem commeritum esse, vel ad eam dedisse causam; quia taliter delinquens Clericus a Superiore, et Judice suo Ecclesiastico, et non ab alio est puniendus, vel castigandus. Barbosa *in cit. can. Si quis suadente.* 29 *can.* 7. *q.* 4. *n.* 47. cum aliis. Secus, et ab Excommunicatione immunis foret, si quis pro necessaria sui defensione, servato moderamine inculpatae tutelae violentas manus aliquo ex praefatis modis injiceret, prout magis dicetur infra *num.* 18.

116 Rursus ab Excommunicatione immunis non est, si Clericus in sui percussionem, et manuum injectionem consentiat, ut percussioni v. g. corpus ultro subjiciat etiam ad satisfactionem injuriae per Clericum prius illatae alteri, quia etsi in tali casu percussio hujusmodi non sit violenta respectu Clerici percussi, est tamen violenta et injuriosa, atque redondans in opprobrium status Clericalis, in cujus totius, et non in privati Clerici alicujus favorem concessum est *privilegium Canonis*, cui favori, et privilegio renuntiari non potest pacto privatorum, *c. Si diligenti,* 12. *de Foro competent. et* c. *Contingit* 36. *h. t.* Quod si percussio ex consensu Clerici facta, injuriosa non esset, ut sic tamen causa occultae mortificationis, et satisfactionis pro suis peccatis ex motivo virtutis admitteretur, Excommunicationem percutientis secum non traheret.

117 Dicitur autem notanter in Conclusione *nu.* 108. posita, *injurioso, et graviter peccaminosa*; quia cum *Excommunicatio Major* sit poena omnium gravissima *can. Corripiantur cau.* 24. *q.* 3. *non nisi* propter actionem graviter peccaminosam incurritur *per dicta* §. 1. Hinc juxta Communem Doctorum, si quis vel ob actionis levitatem, vel defectum intentionis injuriandi (uti fit in casu vexationis) vel ob ignorantiam personae Clericalis, vel ob defectum sufficientis advertentiae, et deliberationis ex nimia animi perturbatione, vel vehementia passionis proveniente, vel ob aliam causam a mortali peccato excusatur, etiam ab Excommunicatione immunis est. Ubi tamen notandum circa hanc materiam, esse subinde actionem graviter peccaminosam respectu Clerici, v. g. violentam vestimenti illius apprehensionem, vel pilei detractionem, quae respectu alterius tantum levis materia, leviterque peccaminosa esset.

118 Pariter ab Excommunicatione liber est, qui ad sui, vel alterius defensionem in corpore, vel bonis fortunae, servato moderamine inculpatae tutelae, Clerico violentas manus injicit, v. g. violenter eum detinet, vel etiam percutit, dummodo in continenti id faciat, et modum non excedat, *arg.* c. *Ex tenore,* 10. *h. t.* ibi: *Nisi se defendendo fecerit*, et adhuc clarius, *c. Si vero.* 3. *eod.* ibi: *Si vero Clericum vim sibi inferentem quis repellat, vel laedat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam mitti, si in continenti vim vi repellat:* rationem subjungit ibidem Papa illis verbis: *cum vim vi repellere, omnes Leges, omniaque jura permittant*, cum talis detentio, vel percussio non tam sit injuriosa, ac peccaminosa actio, quam sui, vel aliorum contra injustam vim justa et licita defensio.

Infertur, rusticos, vel alios plebeios, vel etiam alios saepe ab Excommunicatione excusari, toties nempe, quoties aliquem rixosum, insolentem, vel alias injustum aggressorem Clericum violenter se defendunt, ita ut violenter in corpore aggredientem Clericum violenter repellant, vel vestes illius violenter detineant, vel etiam, ubi opus est, in continenti percutiant; cum talis non tam sit injuriosa manus injectio, quam justa defensio, per alsre Jure citato, quod bene observare habent Judices Ecclesiastici. 119

Ex eadem defensionis causa ab Excommunicatione immunis est, qui domi suae turbatores, insolentias, vel rixas causantem Clericum vi e domo repellit, vel excludit: item qui Clericum cum bonis vi aut clam injuste ablatis fugientem insequitur, ablata violenter etiam percutiendo, si aliter non potest, extorquet: sicut etiam ille, qui Clericum debitorem de fuga suspectum, violenter in custodia, vel alias detinet, ad hoc, ut cum Judicio Ecclesiastico prosecutore, et debitam satisfactionem consequi valeat, prout cum aliis bene advertunt Palao *Tract.* 29 *disp.* 3. *pun.* 23. §. 3. n. 15. Layman *ubi supra num.* 8. Molina *disp.* 55. *a num.* 3. 120

Ulterius Excommunicationi non subjacent Praelati seu Superiores, aut Magistri, qui Clericum subditum, vel discipulum etiam in Sacris, v. g. Subdiaconatus Ordine constitutum, correctionis, vel disciplinae causa percutiunt; quod idem dic de aliis ex mandato Superioris, vel Magistri Clericum ejusmodi percutientibus, textu expresso c. *ex tenore.* 10. *h. t.* ibi: *Nisi de mandato suorum fecerit Praelatorum, vel nisi super eum* (Subdiaconum videlicet) *praelationis ministerium aut Magisterium habeat.* Concordat c. *Cum voluntate.* 54. *h. t.* ibi: *Si qui vero ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, aut etiam alii Clerici seniores zelo etc.* 121

Ab eadem Excommunicatione immunes sunt parentes, et propinqui, qui disciplinae, vel correctionis causa filium, vel propinquum *in Minoribus* constitutum moderate, seu leviter percutiunt, textu expresso, cit. c. *Cum voluntate.* 54 § *fin. h. t.* ibi: *Si quis vero ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, vel etiam alii Clerici seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in Minoribus Ordinibus constitutos turbantes divinum Officium; et qui obtentu praelationis, vel magisterii subditos, vel Scholares correctionis causa leviter forsan percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt: quod et de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum Ordinum simili modo, ut cohibeantur a suis insolentiis, et scientia, bonisque moribus informentur, duxerint corripiendos.* 122

Dicitur autem notanter *in Minoribus constitutum*; quia in Majoribus constitutum filium, aut propinquum, parentes, aut propinqui etiam correctionis causa percutere non possunt sine Excommunicatione, uti bene advertunt Interpretes *in cit. c. Cum volontate*, praesertim Barbosa *num.* 6. et cum aliis docet Palao *loc. cit. n.* 8. Ratio est; quia cum ex una parte nullibi in Jure concessum sit parentibus, aut propinquis percutere Clericum filium, aut propinquum in *Sacris constitutum*, sicuti concessum est Magistris, et Superioribus respectu subditorum, et discipulorum; ex altera vero parte *in cit. c. Cum voluntat.* filios, et propinquos duntaxat *in Minoribus constitutos* conceditur percutere, valet argumentum a sensu contrario, et subintrat *can. Si quis suadente diabolo* universaliter sub Excommunicatione Prohibens percussionem Clerici. 123

124 Insuper ab Excommunicatione immunis est mulier, quae Clericum etiam Sacerdotem suae pudicitiae insidiantem, quem verbis, aut fuga vel omnino non, vel quin iterum redeat, abigere non valet, verberibus, fuste, vel alia violenta manus injectione repellit. Doctores supra *num.* 120. citati per Jura *ibid.* allegata; quia et haec percussio est justissima defensio.

125 Tandem ex speciali Juris constitutione ab Excommunicatione immunis est, *qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum* (turpes actus, oscula, amplexus, aliosve exercentem) *manus injecerit*, prout expresse statuitur c. *Si vero.* 3 *h. t.* ubi tamen subjungitur. *Caeterum, si in stupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quae ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit a sententia illius Excommunicationis immunis.*

126 Porro etsi quis turpiter agentem cum uxore, matre, sorore, filia Clericum percutiens graviter peccat, si modum excedat v. g. graviter mutilet, aut occidat, tamen Excommunicationem non incurrit. Navarrus *Manual. cap.* 27. *num* 84. Layman. *loc. cit. n.* 9. Molina *Disp.* 55. *num.* 5. *arg. cit. c. Si vero.* 3. *h. t.* per quod etiam excessive percutiens in tali casu Clericum ab Excommunicatione immunis esse censetur, non tantum in abominationem turpissimi criminis, sed etiam et praecipue ob difficultatem in tali casu tam justum temperandi dolorem, et cohibendi impetum vindictae.

127 Quaeritur III. Unde dicatur? quid? et quotuplices sint *Excommunicationes Bullae Coenae*? ac quid speciale habeant? Resp. I. *Excommunicationes Bullae Coenae* sunt illae, quae continentur in illa Bulla, quam a pluribus Pontificibus jam pridem editam, et renovatam quilibet Pontifex ad initium sui Regiminis rursum innovat, et singulis annis certa, eaque magna solemnitate in die Coenae Domini publicat, et denuo renovat, ac confirmat; ob quod *Bullae Coenae* dicitur, in eaque contentae *Excommunicationes Bullae Coenae* nominantur.

128 Resp. II. *Excommunicationes Bullae Coenae* sunt plures, utpote ob plura et varia delicta, in plures ac diversos delinquentes latae; quos delinquentes hic in compendio subjungimus. Itaque *Excommunicationibus Bullae Coenae* ipso facto sequentes subjacent delinquentes. I. Haeretici omnes externi, seu qui haeresin externam committunt, eorumque receptores, fautores, et defensores; item legentes librum ab Haeretico scriptum, et de Religione tractantem, talemque librum imprimentes, retinentes, defendentes, ac Schismatici. II. Appellantes a sententiis vel mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium. III. Piratae seu latrunculi maritimi, eorumque fautores etc. IV. Auferentes bona naufragantium Christianorum ubivis terrarum. V. Imponentes nova pedagia, seu gabellas praeterquam in casibus a Jure sibi concessis. VI. Falsificantes litteras Apostolicas. VII. Deferentes arma, et alia usui bellico idonea ad Christiani nominis hostes, vel haereticos expresse, et nominatim a Sede Apostolica declaratos. VIII. Impedientes eos, qui victualia Romam vehunt. IX. Qui vexant, aut injuriis afficiunt eos, qui Romam vadunt, aut redeunt. X. Vexantes Peregrinos Romam. XI. Offendentes Cardinales, et alios Ecclesiae Praelatos. XII. Offendentes aliquem, qui pro sua causa Curiam Romanam accedit. XIII. Appellantes a gravamine, et futura executione litterarum Apostolicarum ad Laicam potestatem. XIV. Officiales, et alii, qui causas Ecclesiasticas evocant a Judiciis Ecclesiasticis; vel hos eas prosequi volentes, impediunt. XV. Judices saeculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia trahunt. XVI. Qui impediunt Praelatos, et Judices Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione juxta praescriptum Legum Christianarum utantur: Item qui contra sententias, et Decreta Judicis Ecclesiastici, vel ad ea, judiciumque Ecclesiasticum eludenda recurrunt ad potestatem Laicalem: Sicut et haec ipsa, ejusque Officiales, qui his recurrentibus deferunt XVII. Usurpantes jurisdictionem, fructus, ac redditus Sedis Apostolicae, vel aliarum Ecclesiarum, eosve sequestrantes. XVIII Imponentes onera personis Ecclesiasticis. XIX. Judices saeculares, qui in causis criminalibus Clericorum sese intromittunt. XX. Qui directe, vel indirecte per se, vel per alios invadunt, destruunt, occupant, vel detinent bona et terras ad Romanam Ecclesiam pertinentes. Prout magis patebit ex ipsa Bulla Coenae Domini, quam a Clemente X. editam ex Tomo V. Bullarii Cherubini, utpote ibidem novissimam, desumptam per extensum subjungimus pro commoditate Lectoris Bullarium forsan ad manum non semper habentis.

BULLA COENAE DOMINI.

„ Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, et 129
„ solicitudo, cum in omni Christianae Reipu-
„ blicae pace, et tranquillitate procuranda, pro
„ sui muneris officio assidue versatur, tum potis-
„ simum in Catholicae Fidei, sine qua impossibile
„ est placere Deo, unitate, atque integritate
„ retinenda, et conservanda maxime elucet. Nimi-
„ rum, ut Fideles Christi non sint parvuli
„ fluctuantes, neque circumferantur omni vento
„ doctrinae in nequitia hominum, ad circumventio-
„ nem erroris: sed omnes occurrant in unitatem
„ fidei, et agnitionis filii Dei in virum perfectum,
„ neque se in hujus vitae societate, et com-
„ munione laedant, aut inter se alter alteri
„ offensionem praebeat, sed potius in vinculo
„ charitatis conjuncti, tanquam unius corporis
„ membra sub Christo capite, ejusque in terris
„ Vicario Romano Pontifice Beatissimi Petri Suc-
„ cessore, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat,
„ augeantur in aedificationem, atque ita divina
„ gratia adjutrice sic praesentis vitae quiete gau-
„ deant, ut futura quoque beatitudine perfruantur.
„ Ob quas sane causas Romani Pontifices Praede-
„ cessores nostri, hodierna die, quae anniversaria
„ Dominicae Coenae commemoratione solemnis, est,
„ spiritualem Ecclesiasticae Disciplinae gladium, et
„ salutaria justitiae arma per ministerium Summi
„ Apostolatus ad Dei gloriam, et animarum salutem
„ solemniter exercere consueverunt. Nos igitur,
„ quibus nihil optabilius est, quam Fidei inviola-
„ tam integritatem, publicam pacem, et justitiam
„ Deo Auctore, tueri, vetustum, et solemnem hunc
„ morem sequentes.

„ §. 1. Excommunicamus, et anathematizamus,
„ ex parte Dei Omnipotentis Patris, et Filii,
„ et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beato-
„ rum Apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra,
„ quoscunque Hussitas, Wichlephistas, Luthera-
„ nos, Zwinglianos, Calvinistas, Ugonottos,
„ Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana Fide
„ Apostatas, ac omnes, et singulos alios Haere-
„ ticos, quocunque nomine censeantur, et
„ cujuscunque sectae existant, ac eis credentes,
„ eorumque receptatores, fautores, et generali-
„ ter quoslibet illorum defensores, ac eorundem

„ libros haeresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, et Sedis Apostolicae scienter legentes, ac retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, nec non Schismaticos, et eos, qui se a nostra Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

„ §. 2. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes et singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint; universitates vero, Collegia, et Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

„ §. 3. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes Piratas, cursarios, ac Latrunculos maritimos, discurrentes Mare nostrum, praecipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, et defensores.

„ §. 4. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos, qui Christianorum quorumcunque Navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa, cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, et Adriatici, quam in caeteris cujuscunque maris regionibus, et litoribus, surripuerint; ita ut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem aut longissimi, et immemorabilis temporis possessionem, seu aliud quodcunque praetextum excusari possint.

„ §. 5. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a jure, seu ex speciali Sedis Apostolicae licentia promissis imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel Sanctae Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signaturam, nec non falso publicantes litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

§. 7. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et inimicos, vel Haereticos per nostras, sive sanctae Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabem, funes, tam ex ipso canabe, quam alia quacunque materia, et ipsam materiam aliaque hujusmodi quibus Christianos, et Catholicos impugnant, nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianae Reipublicae concernentibus, in Christianorum perniciem, et damnum, ipsos Turcas, et Christianae Religionis inimicos, nec non Haereticos, in damnum Catholicae Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis quibusvis personis, Principibus, Rebus publicis, per Nos, et Sedem praedictam hactenus concessis; de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se, vel alios cujuscunque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis, et status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, et recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, vel spoliant, capiunt, detinent, nec non illis omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Nobis, vel Nostris Judicibus non habentes, illam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

„ 10. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depraedantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, et in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

„ §. 11. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes: Nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

„ §. 12. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque, vel saeculares ad Romanam Curiam super eorum causis et negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, Advocatos, procuratores, agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios, directe, vel indirecte, delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur, cujuscunque praeeminentiae, et dignitatis fuerint.

„ §. 13. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quam saeculares cujuscunque dignitatis, qui praetexentes frivolam quandam appellationem a gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium: Nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, et aliorum Decretorum a Nobis, et a Sede praedicta, seu Legatis, Nunciis, Praesidentibus, Palatii nostri, et Camerae Apostolicae Auditoribus, Commissariis, aliisque Judicibus, et Delegatis Apostolicis

„ emanatorum, et quas pro tempore emanaverint, aut alias ad curias saeculares, et laicam potestatem recurrunt, et ab ea, instantia etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, et alia praedicta capi, et retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, et consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, et Notarii super hujusmodi litterarum et processuum executione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, executores, et sub executores litterarum, citationum, monitoriorum, et aliorum praedictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, et Regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, et comminantur per se, vel alium, seu alios, publice, vel occulte quive alias quibuscumque personis in genere, vel in specie ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibere statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere praesumunt.

„ §. 14. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque, qui per se, vel alios auctoritate propria, ac de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, et litterarum Apostolicarum praetextu beneficiales, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas, ab Auditoribus, et Commissariis nostris, aliisque Judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, et audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Judices interponunt: Quive partes actrices, quae illas committi fecerunt, et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum, vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et poenis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt vel suum ad id favorem, consilium, aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae, vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad Nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram Nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Praesidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vice-Cancellarii, Consiliarii, Ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum saecularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque praefulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

§. 15. Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, praeter Juris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quaesito colore: Nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint: ordinaverint, et publicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur, vel deprimitur aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictae Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite vel expresse praejudicatur.

„ § 16. Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, et inferiores Praelatos, et omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos, et affines, aut alias impediunt, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod Canones, et sacrae Constitutiones Ecclesiasticae, et Decreta Conciliorum generalium, et praesertim Tridentini, statuunt, ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, et decreta, aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias et alias Curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata etiam poenalia Ordinariis, et delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant: eos quoque, qui haec decernunt, et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.

„ §. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, et proventus ad Nos, et Sedem Apostolicam, et quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum Monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

„ §. 18. Quive collectas, decimas, tallias, praestantias, et alia onera Clericis, Praelatis, et aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, et Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, et proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios directe, vel indirecte praedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem praestare non verentur, cujuscunque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali praefulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, et alii potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus et terris quoquomodo Praesidentes, Consiliarii, et Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranen. novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris et poenis in eis contentis.

§. 19 Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et quoscunque Magistratus, et Judices, Notarios, Scribas, Executores, sub-executores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel

exequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus Sanctae Sedis Apostolicae licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, et casus non expressos extendunt vel alias illa perperam abutuntur: etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Praesidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios, directe, vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, et detinere praesumpserint in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliae, Insulas Sardiniae, et Corsicae, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiae Anconitanae, Massae Trebariae, Romandiolae, Campaniae, et Maritimas Provincias, illarumque terras, et loca, ac terras specialis commissionis Arnulfarum, Civitatesque nostras Bononiam, Caesenam, Ariminum, Beneventum, Perusinm, Aveniouem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias Civitates, Terras, et loca, vel Jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjecta: nec non supremam jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis praesumunt, nec non adhaerentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes. Volentes praesentes nostros processus, ac omnia, et quaecunque his literis contenta, quousque alii hujusmodi processus a Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore existente fiat, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

„ §. 21. Caeterum a praedictis sententiis nullus „ per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in „ mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi „ de stando Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo „ cautione praestita, absolvi possit, etiam praetextu „ quarumvis facultatum, et indultorum quibuscunque personis Ecclesiasticis saecularibus, et „ quorumvis Ordinum etiam Mendicantium, ac „ Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel „ alia majori dignitate praeditis, ipsique Ordinibus, „ et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, „ Congregationibus, Hospitalibus, et locis piis, „ nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, et alia „ mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et „ dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, „ litteris, aut alia quacunque scriptura, in genere, „ vel in specie concessorum, et innovatorum, aut „ concedendorum, et innovandorum.

„ §. 22 Quod si forte aliqui contra tenorem „ praesentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et „ temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

„ §. 23. Declarantes, ac protestantes quamcunque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis, cum „ vero proposito ulterius similia non committendi „ destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut praefertur, statuta fecerint, „ nisi prius statuta, ordinationes, Constitutiones, „ pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus locis, „ aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, „ et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi „ certiores fecerint, eos non comprehendere, nec „ eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi „ absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos ac etiam per „ patientiam, et tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam in praemissis omnibus, et singulis, „ ac quibuscunque juribus Sedi Apostolicae, ac „ S. R. E. undecunque, et quandocunque quaesitis, vel quaerendis nullatenus praejudicari posse, „ aut debere.

§. 24 Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cujuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et praeeminentiae, fuerint, etiamsi, ut praemittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana praefulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a praedicta Sede ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, et indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, et nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac praescriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis scriptis, vel non scriptis, per quae contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

§. 25. Quae omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, praesentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus, caeteraque contraria quaecunque.

§. 26. Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes, valvis Ecclesiae S. Joan. Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum de *Urbe* appendi faciemus, ut ii, quos processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. Insuper, ut processus ipsi, et praesentes litterae, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in pluribus Civitatibus, et locis fuerint publicata, universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis, et Praelatis ubilibet constitutis, per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, aut per se, vel per alium, vel alios praesentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam plures in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad Christi Fidelium mentes reducant, nuncient, et declarent.

§. 28. Caeterum Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, et Ecclesiarum

Praelati, nec non Rectores, caeterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri saeculares, et quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant.

§. 29. Volentes earumdem praesentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et sigillo Judicis ordinarii Romanae Curiae, vel alterius personae, in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eandem prorsus fidem in judicio, et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo septuagesimo primo, septimo Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

Die, Mense, et anno, quibus supra, supradicta bulla affixa fuit ad valvas Basilicae Apostolorum SS. Petri, et Pauli, S. Joan. Lateranensis, S. Mariae Majoris, et alia loca solita, et consueta Urbis per me Matthaeum Bartarellum Sanctiss. D. N. Papae Curs.

Pro D. Mag. Curs. Ægidius Felicius Curs.

130 Resp. III. *Excommunicationes Bullae Coenae* habent specialia sequentia. I. Quod sint latae sententiae. II. Quod sint specialissime reservatae summo Pontifici, ita ut ab eis nullus quantumvis privilegiatus Regularis absolvere possit, nisi in mortis articulo, neque Episcopus (nisi speciali privilegio de novo muniatur) III. Quod nullus contra eas, vel potius contra Bullam, qua feruntur, valeat titulus, vel praetextus praescriptionis, consuetudinis quantumvis immemorialis, vel non receptionis, vel privilegii, vel dignitatis, uti partim ex ipsa Bulla §. 24. partim ex dictis supra *Tit. VII. de Haeret.* constat, ubi, *a num.* 79. late probavimus, contra *Bullam Coenae* nil valere titulum non receptionis, vel consuetudinis, aut praescriptionis etc. ubi vide.

131 Infertur, multos revera hodie existere, qui alicui ex praefatis Excommunicationibus de facto subjaceant, cum multos eorum in uno vel alio per *Bullam Coenae* sub Excommunicatione prohibitio delinquere, manifestum sit. Inter quos utique sunt Judices, et Officiales laici, qui quavis ratione impediunt Judices Ecclesiasticos, quo causas Ecclesiasticas debite prosequi, vel jurisdictione sua libere uti non valeant: Item et illi, qui contra potestatem Ecclesiasticam ad laicalem recurrunt, atque Officiales illis assistentes. Haec enim, proh dolor! passim practicari videmus, non obstante, quod sub Excommunicatione inevitabili prohibita sint in *Bulla Coenae* §. 17. num. 14. 15. etc.

132 Neque excusantur, quod contra eos etiam notorios in Foro externo Ecclesiastico plerumque non procedatur, neque ut excommunicati denuntientur, aut vitentur, quia per hoc minime releventur, quin adhuc coram Deo et in conscientia vere excommunicati existant, et effectibus Excommunicationis supra allegatis in Foro interno subjaceant.

Minus excusantur, quod ab eis, et aliis nonnullis 133
hujusmodi Excommunicationes non curentur, sed rideantur tantum et contemnantur; veniet enim tempus, quo risus eorum vertetur in fletum, et stridorem dentium: Praeterquam quod interea etiam adhuc in hoc mundo praeter ordinarios Excommunicationis effectus, specialiter ob hujusmodi contemptum, vindicativam manum Dei teste experientia multiplici et varia sentire debeant: quantumvis Judices Ecclesiastici, vel ad evitanda majora mala, vel quia nemo eos accusat, excessus sub Excommunicatione prohibitos tolerent.

§. V.

De Excommunicatis vitandis, et Casibus, in quibus vitari debent: ubi etiam de Excommunicatione minori.

SUMMARIUM.

134 *Excommunicati alii sunt* tolerati, *alii* vitandi: *Et qui?*

135 *Hodie vitandi sunt soli publice denuntiati et notorii percussores Clericorum.*

136 *Quinam dicuntur publici percussores Clericorum?*

137 *Juxta Concilium Basiliense omnes notorii excommunicati sunt vitandi.*

138 *Cui contrarium praevalet Concilium Constantiense.*

139 *Fideles, quamvis non teneantur, tamen possunt vitare, et repellere quemvis excommunicatum praesertim notorium.*

140 *Excommunicati etiam tolerati tenentur, quantum possunt, communionem aliorum vitare.*

141 *Casus, in quibus* vitandos *oportet* vitare.

142 *Inter quos est I. Collocutio aut discursus etiam per litteras.*

143 *II. Oratio cum illis.*

144 *III. Auditio Missae, ac Divinorum.*

Quid Juris, si excommunicatus durante Missa ingreditur Ecclesiam. Ibid.

145 *IV. Amica vel honorifica salutatio.*

146 *V. Quaevis communicatio in politicis.*

147 *VI. Communicatio in mensa, cibo, et potu.*

148 *Absque causa communicans in aliquo dictorum, peccat, ut Excommunicationem saltem* Minorem, *et subinde etiam* Majorem *incurrit.*

149 *Praesertim si communicat in crimine criminoso.*

In crimine criminoso communicare quid?

150 *Dantur plures casus, ob quos licet communicare cum excommunicatis* vitandis, *inter quos.*

151 *I. Est utilitas temporalis et spiritualis excommunicati, et excommunicantis.*

152 *II. Lex Matrimonii, ut cujus uxor cum viro excommunicato, et hic cum ea omnem habere possit communionem, uti prius.*

153 *III. Est subjectio, ut cujus liberi cum parentibus excommunicatis, et subditi cum Superioribus, ac reciproce communicare valent.*

154 *IV. Est ignorantia tam Juris, quam Facti.*

155 *V. Est necessitas tam excommunicati, quam communicantis.*

156 *Excommunicatio Minor quid sit?*

157 *Ejus Effectus, quod sine peccato mortali non possit recipere aliquod Sacramentum.*

158 *Quare dicatur Excommunicatio* Minor?

Non est reservata, sed potest in Foro interno absolvi a quovis jurisdictionem absolvendi a peccatis habente. Ibid.

134 Notandum prius, quod inter excommunicatos *Excommunicatione Majori*, alii sint, et dicantur *tolerati*, ex eo, quia Ecclesia tolerat ac permittit, quod illos nullus Fidelium vitare, sed cum eis sicut cum aliis tam in divinis, quam humanis, ac politicis communionem ac commercium libere habere valeant; ipsis excommunicatis *toleratis* nihilominus manentibus obligatis, ut praeter alios effectus supra enumeratos, quantum in ipsis est, communionem Fidelium tam in divinis, quam politicis vitent, eisque ultro se non ingerant, si ad id ab ipsis Fidelibus requirentur, prout magis patebit ex dicendis infra *num.* 140. Alii excommunicati sunt, et dicuntur *vitandi*, ex eo, quod non tantum ipsimet teneantur vitare omnem communionem seu communicationem cum aliis Fidelibus, sed hi quoque teneantur vitare communionem talium excommunicatorum juxta dicenda infra *num.* 140.

135 Quaeritur I. Quinam Excommunicati? in quibus? et qualiter sint vitandi? Resp. Quamvis olim Jure antiquo omnes excommunicati *Excommunicatione Majori* publici quidem, seu notorii publice, occulti vero occulte fuerint vitandi ab omnibus Fidelibus, *arg. c. Cum non ab homine.* 14. *h. t.* tamen hodie post Concilium Constantiense circa annum 1414. celebratum, ex mandato Martini V. nullus ex quacunque et tandem causa excommunicatus, a Fidelibus necessario vitandus est, *nisi* ut excommunicatus specialiter et nominatim quoad personam a Judice Ecclesiastico publice sit denuntiatus; vel nisi sit notorius percussor Clerici, ac propterea Excommunicationi *Canonis*, *Si quis suadente diabolo* subjectus. Communis ac certa patetque ex Constitutione Martini V. quae incipit, *Ad evitandam.*

136 Ubi notandum, tunc aliquem esse, et dici notorium percussorem Clerici, quando factum illius adeo manifeste, et notorie constat, *ut non possit aliqua tergiversatione celari*, *nec aliquo Juris suffragio excusari*, prout loquitur Pontifex in citata Bulla. Unde si percussio Clerici adhuc est occulta, vel ita constituta, quod vel plene probari non possit, sed celari, vel ex aliqua causa excusari, ut si percussor probabiliter ostendat, se ex joco duntaxat, vel inadvertentia percussisse Clericum, vel ignorasse, illum esse Clericum; talis percussor non erit vitandus, prout communiter advertunt Doctores.

137 Et quamvis Felinus *in c. Rodolphus de rescriptis.* *num.* 39. et Covarruvias *p.* 1. §. 2. *num.* 79. cum Navarro velint etiam post Concilium Constantiense hodie adhuc vitandos non tantum publice denuntiatos, sed et alios quoque excommunicatos notorios, id est, quos *Excommunicationem Majorem* incurrisse ita notorie constat, ut nulla tergiversatione celari, nullaque Juris medio excusari valeat; eo quod ita expresse statutum habeatur a Concilio Basiliensi *Sess.* 22. *circa finem*, quod Concilium tanquam posterius Concilio Constantiensi in hoc derogare, et consequenter servandum esse, volunt citati Doctores ex eo, quia lex posterior derogat priori, c. 1. *de Constit.* in 6. et *l. Sed et posterior.* 28. *ff. de Legib.*

138 Tamen Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 1. Suarez *de Censuris. disp.* 9. *sect.* 2. *num.* 5. cum communiori et probabiliori aliorum volunt, non obstante Concilio Basiliensi servandum in hoc passu esse Concilium Constantiense, et Bullam Martini V. *Ad evitandam*, consequenter procedere Conclusionem *numer.* 135. positam, Ratio est: Tum quia Concilium Basiliense tanquam acephalum reprobatum est ab Eugenio IV. et licet in paucis Decretis, Beneficiorum collationes, dispensationes, et absolutiones a Censuris concernentibus, tamen non quoad reliqua universaliter fuit confirmatum: Tum etiam quia Bulla Martini V. consuetudine, *quae est optima Legum interpres*, fuit jam recepta, et confirmata, prout specialiter videndum est in partibus Septentrionalibus, ubi licet Haeretici quantumvis notorie sciantur excommunicati, sicut et alii quantumvis notorii excommunicati non vitantur, nisi vel publice denuntiati, vel publici percussores Clericorum existant: ut proin Concilio Basiliensi, etsi quid roboris ad praesens es se haberet, jam derogatum fuisset per consuetudinem contrariam legitime praescriptam, *c. fin. de consuetud.*

139 Illud tamen cum Laymann uti supra *num.* 2 §. *Tertium.* Pirhing *h. t. num.* 115. et aliis notandum, quod etsi reliqui Fideles nullum quantumvis notorium excommunicatum vitare teneantur, nisi sit publice denuntiatus, vel notorius percussor Clerici, possint tamen pro libitu, et favore suo vitare talem excommunicatum; consequenter Superiori, cujus Excommunicatio notoria est, obedientiam negare, Judicem, Advocatum, Rectorem, Procuratorem, Testem accusare, aut repellere, si notorie constat, eos Excommunicationem incurrisse. Ratio est, quia per Bullam Martini V. prorsus nullus favor ipsis excommunicatis factus est, sed caeteris Fidelibus duntaxat, quatenus, si velint, cum excommunicatis hujusmodi notoriis communionem habere possint: quo favore uti non tenentur, *arg. L. Invito.* 69. *ff. de R. J.* ne quod in gratiam ipsorum concessum est, in eorum retorqueatur dispendium, *c. Quod in gratiam* 61. *de Reg. Jur.* in 6.

140 Ulterius notandum, quod etsi caeteris Fidelibus permissum sit, communicationem habere cum excommunicatis *toleratis*, hi tamen nihilominus tam in divinis, quam in politicis communionem Fidelium, quantum possunt, vitare teneantur, ita ut eisdem ultro se ingerere non valeant, nisi ab eis requirantur; eo quod Martinus V. per suam Bullam solis reliquis Fidelibus, minime vero excommunicatis in aliquo favere, vel eos in aliquo relevare, sed eos sicut *vitandos* cunctis *Excommunicationis Majoris* effectibus supra enumeratis subjectos remanere intenderit; prout liquet ex verbis Bullae, quibus *in fine* expresse protestatur, *quod per hoc non intendat*, *excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.*

141 Resp. II. Casus, in quibus vitari debent publice et nominatim *denuntiati*, ac notorii percussores Clericorum, seu *vitandi* excommunicati, compendiose comprehenduntur sequenti versiculo, qui versiculus et casus desumuntur, ac potissimum probantur ex *can. Excommunicatos.* 17. *cau.* 11. *q.* 3. ubi expresse prohibetur, ut nullus cum excommunicatis *in oratione*, *aut cibo*, *aut potu*, *aut osculo communicet*, *nec ave eis dicat* etc.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

142 Ubi per *Os* intelligitur collocutio et discursus cum excommunicato, etsi per litteras, internuntium, vel alia signa fiat. Similiter ratione hujus particulae prohibentur oscula, amplexus, et alia hujusmodi signa amicitiae, nec non receptio munerum. Bonacina *Tom. I. Disp.* 2. *de Excommunicat. pun.* 6. *cap.* 2. ut alii.

143 Per *Orare*, prohibetur omnis communio in sacris, aut divinis; puta in orationibus, Processionibus, Missis, et aliis Divinis Officiis. Hinc non licet Fidelibus orare cum excommunicatis *vitandis*,

(bene vero licet privatim orare pro ipsis per dicta supra) vel Missam audire , nec hanc celebrare coram ipsis.

144 Quod si Missa jam inchoata Ecclesiam ingrediatur Missam auditurus excommunicatus vitandus , moneri potest et debet, ut exeat ; si vero monitus exire recusat , novam Excommunicationem Papae reservatam incurrit , *Clement.* 2. *h. t.* potestque per vim expelli. Si autem nec hac via , forsan ob potentiam ejus ab Ecclesia expelli poterit, erunt Officia divina , praesertim vero Missa omittenda : dummodo Sacerdos nondum venerit ad *Canonem* , vel , ut alii volunt , ad *Consecrationem*: tunc enim oporteret eum pergere usque ad *Sumptionem* , ne Sacrificium maneat incompletum. Peracta tamen Sumptione calicis Sacerdos debet discedere , ac reliqua peragere in Sacristia , vel penitus omittere , si talis locus non adsit. Verum reliqui Fideles, excepto ministro Altaris , statim ut apparet , excommunicatum monitum nec velle egredi , nec posse expelli ab Ecclesia , debent discedere, quia alioquin participarent in Divinis cum excommunicato, sicque peccarent et Excommunicationem saltem *Minorem* ipsimet incurrerant per dicenda infra nu. 165. Bonacina *loc. cit. punct.* 3. §. 1. *n.* 3. Herinx *Disp.* 6. *de Censur. p.* 6. *n.* 28. Sannig *dis.* u. *de Excommun. q* 2. n. 8 et alii.

145 Per *Vale* prohibetur omnis honorifica vel etiam amica salutatio , etiam signis et gestu facta.

146 Per ly *Communio* quaevis conversatio , et communicatio politica in contractibus , judiciis , laboribus , exercitiis etc. nullatenus siquidem licitum est cum excommunicato inire contractum , stare cum ipso in Judicio , collaborare , aut idem opus facere cum illo.

147 Tandem per ly *Mensa* communicatio in conviviis , in cibo et potu: nec enim licitum est comedere et bibere cum excommunicato *vitando*, etiamsi cum aliis sit in eadem domo , Collegio , convictu , Monasterio.

148 Resp. III. Quicunque absque causa rationabili excusante communicat in aliquo ex dictis casibus cum excommunicato *vitando* , peccat , et Excommunicationem incurrit , hac cum distinctione , quod si communicatio sit notabilis , et in Divinis saltem publice celebratis , peccat mortaliter ; si vero est in politicis , venialiter. Navarrus *Manual. cap.* 17. *num.* 29. Bonacina *loc. cit. punct.* 6. *num.* 5. cum Communi aliorum. Et si quis a Papa per sententiam nominatim est excommunicatus , ac publice denuntiatus , communicans cum eo Clericus incurrit Excommunicationem *Majorem* , Laicus vero *Minorem.* Sylvester ℣. *Excommunicatio.* 5. *num.* 22. Barbosa *in c. Significavit.* 18. *h. t. num.* 2. et ibi Gonzalez *num.* 4. *arg. cit. c. Significavit.* juncto *can. excommunicatos* cau. 11. *q.* 3.

149 Porro si quis cum excommunicato communicat in *Crimine Criminoso* , id est , si quis cooperatur crimini et contumaciae , propter quod lata est Excommunicatio in aliquem , praebendo eidem auxilium , consilium , aut favorem , praeter peccatum mortale incurrit etiam Excommunicationem *Majorem* juxta Communem, eo quod facientem , et consentientem par poena constringat , *c. Nuper* 29. *et c. Quod in dubiis* 30. *h. t.*

150 Quaeritur II. An ? et quae sint causae , et quas a peccato , et Excommunicatione excusatur is , qui cum excommunicato *vitando* communicat ? Resp. I. Omnino dari causas , ob quas absque reatu culpae et censurae licet communicare cum excommunicatis etiam *vitandis* , prout plures hujusmodi causae specificantur *can. Quoniam multos.* 103. *cau.* 11. *q.* 3. quae sequenti versiculo communiter exprimi solent.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima itaque causa per ly *Utile* denotata est 151
Utilitas tum temporalis , tum spiritualis tam excommunicati, quam communicantis. sic enim propter utilitatem spiritualem excommunicati licet eum verbis, et facto exhortari ad ejus conversionem , et resipiscentiam , atque cum illo conversari de illis , quae pertinent ad absolutionem , teste expresso *c. Cum voluntate.* 54. *prin. h. t.* et propter utilitatem communicantis licet ab eo debitum exigere, *c. Si vero.* 34. *h. t.* eumque convenire in judicio, *c. Intelleximus.* 7. *de Judiciis*; vel ab eodem Medico, Advocato, aut alias experto medicinam , vel consilium petere , quando non adest alius , qui aeque utiliter consulere potest. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. Bonacina *ubi supra q.* 2. *pun.* 6. §. 2. *a num.* 9. Sylvester ℣. *excommunicatio. n.* 4. Avila *de Censuris Disp.* 11. *n.* 2.

Secunda causa per ly *Lex* indicata est *Matri-* 152
monii , vi cujus potest uxor cum viro excommunicato *denuntiato* communicationem habere uti prius quoad thorum , et cohabitationem in exigendo et reddendo debito, in colloquiis familiaribus, in mensa , in gubernatione domus , *cit. can. Quoniam multos.* 103. *cau.* 11. *q.* 3. juncto *c. Inter alia.* 31. *h. t.* quod idem licet excommunicato marito respectu uxoris , *arg. cit. c. Inter alia.* ubi socio excommunicato licita est communicatio cum socio , quam prius habebat in contractu Societatis. Accedit ; Tum quia in correlativis dispositum de uno , censetur dispositum de altero, ubi eadem de utroque est ratio , uti ad praesens , ubi animae periculum , et utilitas domestica , ob quod uxori permissa est communicatio, in marito aeque procedit , ac in uxore. Layman *lo. cit.* Navarrus *cap.* 27. *nu.* 27. Sylvester *ubi supra* cum communi.

Tertia causa per ly *Humile* intimata est *subjectio*, ratione cujus liberi cum parentibus excommunicatis, servi et subditi cum Dominis , vel Superioribus suis , milites cum Ducibus belli communicare non prohibentur , *arg. cit. can. Quoniam multos. cau.* 11. *q.* 3. Sicut econtra excommunicati parentes , Domini , Superiores cum liberis etc. communicare possunt; cum ratio, ob quam his conceditur communicatio , evitatio videlicet periculi animarum , etiam in his militet. Doctores *n. praeced.* citati.

Quarta causa per ly *res ignorata*, indigitata est 153
ignorantia tam Juris , quam facti , qua qui vel ignorat , aliquem esse excommunicatum , vel id scit quidem , ignorat tamen , eum propterea esse vitandum , dummodo ignorantia crassa non sit , *c. fin. de Constitut. in* 6. Layman *loc. cit. num.* 16. ℣. *Quarto.* Pirhing *h. t. n.* 118.

Quinta causa per ly *Necesse* indicata est *necessi-* 154
tas quaecunque notabilis , sive se teneat ex parte excommunicati *vitandi* , sive ex parte communicantis , vel alterius , sitque necessitas animae corporis , vel famae , vel fortunae ; idque sive necessitas proveniat ex violentia , vel metu gravi injuste incusso , sive aliunde ex defectu subditorum vitae , victus , vestitus , medicinae , consilii , auxilii necessarii etc. *can. Quoniam.* 103. *c. Inter alia* 31. *et Si vero.* 34. *h. t.* Layman *loc. cit. numer.* 16. ℣. *Ultimo* Suarez *de Censur. disp.* 15. *sect.* 4. *num.* 8. Hinc potest ab excommunicato eleemosyna peti et accipi , quando quis indiget ; potest etiam cum illo communicari in loco , ubi adhuc est bonae famae , si alioquin foret infamandus , potest insuper ab eo aliquod peti necessarium consilium , vel auxilium , si aliunde haberi non potest.

Quaeritur III. Quid sit ? quem effectum habeat ? et quando incurratur *Excommunicatio Minor* ?

Resp. I. Quamvis Excommunicatio *Minor* olim fuerit varia, adeo ut sobinde aliqua privarit sola communione hominum; alia perceptione solius Eucharistiae; alia perceptione Sacramentorum omnium, prout patet ex variis *Canonibus*. *can.* 11. *q.* 3. hodie tamen sola postrema viget, indeque bene definitur, quod sit *Censura Ecclesiastica privans solo usu passivo, seu perceptione Sacramentorum quorumcunque*. Est in re communis et certa, *arg. c. A nobis.* 2. *de Except. et c. Si quem* 39. *h. t. et c. Si celebrat. de Clerico Excommunicato*, ubi de excommunicato Excommunicatione *Minori* habetur, quod *non videtur a collatione sed participatione Sacramentorum* (*quae in sola consistit perceptione*) *remotus*.

157 Hinc patet ad *secundam* Quaesiti partem, videlicet effectum principalem, et directum Excommunicationis minoris in hoc solo consistere, quod quis licite nullum recipere possit Sacramentum, adeo, ut graviter peccet, si hac Excommunicatione innodatus aliquid recipiat, textu claro, *c. fin. de Clerico excommun. minist.* et ibi Doctores.

158 Caeterum dicitur Excommunicatio haec *Minor*, non quod sit in se quid leve, sed respectu *Majoris*: Tum quia illa minores habet effectus, quam ista, et haec *non* nisi propter peccatum mortale, illa vero solinde etiam ob peccatum veniale incurritur per dicta *superius*: Tum etiam quia Excommunicatio *Minor* nunquam est reservata, indeque a proprio excommunicati Parocho, vel alio habente jurisdictionem absolvendi eum a peccatis, absolvi in Foro interno potest excommunicatus. *c. Nuper.* 29 *h. t.* In Foro externo autem is absolvit, qui ad id Jurisdictionem habet.

§. VI.

De Suspensione.

SUMMARIUM.

159 Suspensio *quid?*
160 *Datur etiam in perpetuum; sed tunc potius est Depositio verbalis.*
161 Suspensio *alia est latae, alia ferendae sententiae.*
162 *Alia a Beneficio, alia ab Officio: alia ab utroque simul: alia partialis, alia totalis.*
163 *Soli Clerici proprie suspendi possunt.*
164 *Superiorissae Monialium suspendi quidem possunt ab Officio suo: tamen haec non est proprie* Suspensio
165 *Non solum personae particulares, sed etiam integrae Communitates suspendi possunt*
166 *Si integra Communitas suspenditur per statutum, vel sententiam, non censentur comprehensi Episcopi, vel alii Superiores Praelati.*
167 Suspensio *a Beneficio, non hoc ipso inducit* Suspensionem *ab Officio.*
168 *Nec econtra: Et num. seq.*
170 *Nisi ex culpa* Suspensio *esset perpetua.*
171 *Nomine* Suspensionis *absolute et simpliciter positae intelligitur Suspensio totalis ab Officio et Beneficio.*
172 Suspensio *ferri potest non tantum per modum Censurae, sed etiam per modum poenae ob praeteritam culpam.*
173 *An, et quando praerequiratur monitio praevia.*
174 *Effectus* Suspensionis *quinam?*
175 *Actum Suspensione prohibitum exercens, an et quando incurrat Irregularitatem?*
176 *Actus Suspensione prohibiti an, et quinam valeant?*
177 Suspensio *ad tempus lata, cessat tempore illo elapso.*
178 *Lata per modum Censurae tollitur per absolutione.*
179 *Lata per modum poenae tollitur dispensatione.*

159 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *Suspensio*? Resp. I. *Suspensio* est censura Ecclesiastica, qua prohibetur Minister Ecclesiae ab aliquo actu Ecclesiastico alias sibi competente. Ita in re communis Doctorum. Ubi ly *Censura* ponitur loco generis, reliqua vero loco differentiae: quamvis Scotus *in* 4. *dist.* 25. *quaest.* 1. addat ly, *et hoc ad tempus*, ut sic clarius secernatur Suspensio a Depositione verbali, quae privat ministerio actuum Ecclesiasticorum in perpetuum, et absque spe restitutionis.

160 Nec obstat, quod detur etiam *Suspensio* in perpetuum, juxta Glossam *in Clement. Capientes de Poenis.* §. *Suspensi.* et Doctores passim Resp. enim cum Laymann *lib.* 1. *tr.* 5 *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 1 allegante Navarrum, Panormitanum, et alios, si *Suspensio in perpetuum*, et sine spe restitutionis sit *totalis*, videlicet ab omni Officio et Beneficio, eam in effectu censendam esse Depositionem. Nam Depositionis poena cum suspensione magnam similitudinem gerit, ac proinde in sacris Canonibus hae duae poenae interdum permiscue usurpantur.

161 Resp. II. *Suspensio* varie dividitur, ut bene notat Glossa citata, et communis Doctorum. Nam *primo* alia est *latae* sententiae, quae scilicet ipso Jure infligitur Delinquenti: alia *ferendae sententiae*, quae primum per sententiam Judicis ob delictum imponitur.

162 *Secundo*, Suspensio alia est ab Officio, alia a Beneficio; quarum utraque dividitur in *totalem*, et *partialem*: et alia *ab Officio et Beneficio* simul. *Suspensio ab Officio* dicitur ea, qua prohibetur executio Ordinum, vel aliarum functionum, quae alias ratione Ordinis aut muneris, seu officii Ecclesiastici incumbunt. *Suspensio a Beneficio* est, qua fructus sui Beneficii Clericus administrare et percipere prohibetur. Haec utraque dicitur *totalis*, si quis ab omni prorsus officio, vel perceptione omnium fructuum suspenditur *Partialis* vero, quando unus spiritualis actus Ordinis aut muneris Ecclesiastici cuipiam prohibetur, aut pars tantum aliqua fructuum Beneficialium subtrahitur. Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *cap.* 1. *n.* 2. Pirhing *h. t. n.* 98.

163 Quaeritur II. In quem possit cadere Censura *Suspensionis*? Resp. I. Omnes et soli Clerici, praeter Papam, possunt incurrere Censuram *Suspensionis*. unde haec est propria Clericorum, et quae Laicis non competit, quamvis Excommunicatio, et Interdictum sint Censurae Clericis et Laicis communes. Laymann *ubi supra*. Palao *Tract.* 29. *disp.* 4. *punct.* 1. *n.* 1. *arg. c. In Ecclesia.* 2. *de Instit.*

164 Existimat quidem Laymann *loc. cit. cap.* 1. *num.* 1 post Henriquez, non improbabiliter etiam in Abbatissam, Priorissam, et alias hujusmodi praefectas Monialium posse cadere Censuram *Suspensionis* ab officio. Verum tamen haec potius est suspensio ab officio suae oeconomiae ejusque actibus, quam ab actibus Ecclesiasticis, ratione ordinis Clericalis cuipiam competentibus, utpote cum ea sit incapax omnis Ordinis Clericalis, tum verae Jurisdictionis Ecclesiasticae.

165 Resp. II. Non solum personae singulares, sed etiam integra Communitas Clericorum, v. g. Capitulum Censuram *Suspensionis* incurrere potest. Ita Pirhing *de Sent. Excommunicat. num.* 20 i cum aliis, id probans ex *c. Quia saepe. de Elect. in* 6. ubi tam totum Capituli corpus, tum singuli Capitulares, qui bona Praelati defuncti occuparunt, vel diripuerunt, ab Officiis et Beneficiis Ecclesiasticis suspenduntur.

166 Resp. III. Nihilominus generali statuto vel sententia Suspensionis, aut Interdicti non comprehenduntur Episcopi, et alii Superiores Praelati, nisi de ipsis Episcopis expresse mentio habeatur. Ita statutum legitur *c. Quia periculosum. de Sent.*

excommun. *in* 6. idque *propter exercitionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit*, ut *ibid.* dicitur, simulque ob praerogativam dignitatis Episcopalis.

167 Quaeritur III. An *suspensio ab officio* includat *Suspensionem a Beneficio*, et econtra? Resp. I. Certum est, quod Suspensio a Beneficio non hoc ipso includat Suspensionem ab officio, uti bene notat Glossa *in c. Cum Vintoniensis.* 25. *de Election.* ℣. *Admiserunt.*

168 Resp. II. Etiam Suspensionem ab officio per se loquendo non includere Suspensionem a Beneficio. Layman cum communi aliorum. Abbas *ibid. no.* 6. Ratio est; quia Censura Suspensionis, tanquam poena ob delictum proprium inflicta, est strictae interpretationis, *arg. c. Odia restringi. de Jur.* 6. simulque in poenis benignior est interpretatio facienda, juxta *Reg.* 49. *Jur.* in 6. Idem patet ex *c. Inter sollicitudines. de Purgat. canon.* ibi: *Licet Ecclesiastica Constitutio tales ab officio tantum doceat suspendendos.* Adde *c. A crapula. de Vita et honestat. Cleric.* ubi textus loquitur alternative, *ab Officio vel Beneficio.* et consequenter suspensus ab officio, non per hoc est suspensus a Beneficio, alias superflue adderetur secunda, si includeretur sub prima, ut notat Glossa *in Clement. de Poenis.*

169 Nec obstat, quod Beneficium detur propter Officium, *c. Relatum.* 4. *de Cleric. non resident.* consequenter si quis suspensus est ab officio, suspensus etiam sit a Beneficio. Respond. enim, quod Beneficio semel canonice obtento, non eo ipso quis amittat fructus Beneficii, si ad tempus peragere nequeat Officium eidem annexum, prout patet in Clerico aegrotante, vel inhabili reddito, *c.* 1. *et c.* 3. *de Rectoribus*, et *de Clerico aegrotante.*

170 Dixi notanter, *per se loquendo*. Nam si suspensio ab officio esset *perpetua*, et in effectu depositio, tunc totaliter suspensus ab officio, saltem per sententiam esset privandus Beneficio: Nam cum *Beneficium Ecclesiasticum detur propter Officium*, *c. fin. de Rescript. in* 6. Si quis ex propria culpa in perpetuum officio privetur, merito etiam propter annexionem Beneficium amittere debet; ita tamen, ut Depositus saltem alimenta ab Ecclesia recipiat, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur.

171 Illud tamen cum Laymano *loc. cit. nu.* 2. Suarez *loc. cit. disp.* 25. *sect.* 2. *num.* 9. Palao *loc. cit. punct.* 1. *num.* 3. cum communi aliorum notandum, quod si absolute, ac sine limitatione *Suspensio* imponatur, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi possit, an sit a Beneficio vel Officio, eam censendam esse omnino *totalem*, et ab utroque. Ratio est, quia propositio indefinita aequipollet universali: simulque tunc non est ratio, cur potius de uno quam de altero lata intelligatur: et ita intelligenda dispositio c. *Cum bonae.* 3. *de Aetate et qualit. etc. Clement.* 1. §. *Quibus, de Privileg.*

172 Quaeritur IV. An *Suspensio* possit ferri non solum per modum Censurae proprie dictae, sed etiam per modum poenae, atque ob culpam mere praeteritam? Resp. Affirmative; prout bene notat Panormitanus *in c. Reprehensibilis, de Appellat. num.* 3. Layman *loc. cit. cap.* 3. *n.* 3. cum aliis, quos citant.

173 Et quidem si *Suspensio* feratur ob contumaciam, seu per modum Censurae proprie dictae, requiritur ad eam canonica monitio. Quod tamen intellige de Suspensione facienda a Judice, secus, si ea a Canone jam sit lata, vel imposita, *arg. c. Reprehensibilis. de Appellat.* et notat ibidem Panormitanus *n.* 5. Quod si vero feratur *Suspensio* in poenam delicti, non est opus praevia monitione, *arg. c. Tam litteris. de Testib.* ubi Papa sine monitione imposuit poenam *Suspensionis*, et notat Abbas *loc. cit.* Navarrus *cap.* 27. *Manual. nu.* 159. allegans Communem; plura de Monitione vide *supra* §. 1. *a n.* at.

Quaeritur V. Quis sit effectus *Suspensionis*? Respond. I. Effectum ipsius esse privare suspensum actibus, vel exercitio, seu usu omnis vel alicujus potestatis, seu Juris, alias ratione officii sibi competentis, prout patet ex definitione *Suspensionis* supra *num.* 160. data. Solum hic notandum, quod haec actuum privatio sit stricte interpretanda, ita ut *Suspensus* specialiter ab uno duntaxat Ordine, possit actus alterius Ordinis exercere. Suspensus Episcopus ab Ordinatione, non sit suspensus a Consecratione etc. Ratio patet ex dictis *n.* 167. 174

Respond. II. Si suspensus ab Officio actum *Suspensione* sibi interdictum culpabiliter exerceat, contrahit Irregularitatem, *c.* 1. *de Sentent. et re judicat.* At vero suspensus a Beneficio, si ejusdem administrationi se ingerat, et fructus percipiat, non efficitur irregularis; perdit tamen Beneficium ipso Jure, *arg. cap. Cupientes.* §. *Caeterum de Elect. in* 6. Pirhing *h. t. n.* 209. Engel *h. t. n.* 78. 175

Caeterum Ordinis, et alii actus per *Suspensionem* prohibiti, sunt validi excepta Electione, c. *Cum dilectus. de Consuetud.* c. *Cum inter* 16. *de Election.* et *c. Cum bonae.* 8. *de aetate et qualit. etc.* Et exceptis actibus Jurisdictionis; hinc absolutio Sacramentalis, quam absolute Suspensus impertitur, invalida est, nisi ob Suspensionem occultam, sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet, prout alibi dictum, *arg c. Infamis* 1. *cau.* 3. *q.* 8. *L. Barbarius.* 3. *ff de Officio Praetor.* 176

Quaeritur VI. Quibus modis tollatur *Suspensio*? Respond. I. *Suspensio* imposita ad certum tempus, v. g. ad triennium, vel sub conditione, v. g. *donec restituat*, tempore elapso, vel impleta conditione, per se ipsam cessat absque alia Superioris absolutione. Ita Navarrus *loc. cit. n.* 161. citans Glossam *in Clement.* 1. *de Decimis.* ℣. *Donec.* cui similis Glossa habetur *in c. Quia saepe. de Election. in* 6. ℣. *Donec.* estque communis Doctorum. 177

Respond. II. Per absolutionem tollitur ea *Suspensio*, quae est Censura proprie dicta, propter contumaciam inflicta, ex Lege tacita vel expressa, et tunc et non antea absolutio danda sit, quam si a contumacia recedatur. Ita Layman *loc. cit. cap.* 4. ubi pluribus explicat, quinam, et a quibus *Suspensionibus* possint absolvere; de qua et aliarum Censurarum absolutione etiam nos agemus in sequentibus.

Respond. III. Insuper tollitur *Suspensio* per relaxationem sive dispensationem, si ea lata fuit propter peccatum praeteritum ut pura poena; sive dein ea lata sit in perpetuum, sive ad certum tempus, et istud needum sit elapsum. Layman *loc. cit.*

§. VII.

De Interdicto.

190 *Sub* Interdicto *Civitatis comprehenduntur utiam Suburbia.*
191 *Sub* Interdicto *Ecclesiae comprehenduntur etiam Capellae, ac Coemuteria contigua: non item suparata. Contiguam quid? Ibid.*
192 *Differentia aliqua inter generale, ut particulare* Interdictum locale
193 *Interdicto Coemeterio vel polluto non censetur interdicta vel polluta Ecclesia.*
194 *Interdicta Civitatu, vel Dioecesi censutur etiam interdicta Ecclesia Cathedralis.*
195 *Solvitur objectio.*
196 *Ad survandum* Interdictum locale, *tenuntur omnes etiam Regulares incolae et uxtranei.*
197 *Qui causam dederunt* Interdicto locali *in quovis utiam interdicto loco prohibentur celebraru, et audire Divina*
198 Interdicti effectus *principaliter sunt tres*
199 I. *Est privatio quorandam non omnium Sacramentorum, et quidem in specie Sacramentum Baptismi dari potest omnibus utiam adultis tempore* Interdicti.
200 *Sicut et Sacramentum Confirmationis, uxceptis specialiter interdictis*
201 *Item etiam Sacramentum Pounitentiae exceptis nonnullis casibus.*
202 *Non item Sacramentum Eucharistiae, nec extremae Unctionis, nec Ordinis.*
203 *Nisi in periculo mortis, ut simul necessitatis.*
204 II. *Effectus* Interdicti *est privatio Divinorum Officiorum;*
205 *Qui tamen multum limitatus est hodie.*
206 *Ita, ut Missae, et alia Divina tempore* Interdicti generalis *quotidie celebrari valeant, dum modo fiat non pulsatis campanis: Et num seq.*
208 *Submissa voce.*
209 *Januis clausis:*
210 *Et personaliter* interdicti, *et qui* Interdicto *causam dederunt, excludantur.*
211 *In Festis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. Mariae, et Corporis Christi* Interdictum *censetur suspensum.*
212 III. *Effectus* Interdicti *est privatio sepulturae Ecclesiasticae*
213 *Limitatur tamen dictus effectus, ut quomodo? num praeced et seqq.*
215 *Si quis in loco* Interdicto *sepelitur, non est amplius exhumandus.*
216 *Violans* Interdictum, *peccat graviter.*
217 *Clericus violans* Interdictum *incurrit varios poenas: Et quidem I. Evadit irregularis.*
218 II. *Suspenditur ob Officia, ut Beneficia*
219 *Non tamen ipso facto.*
220 *Privatur voce activa ut passiva eligendi.*
221 III. *Perdit privilegium sepulturae tempore* Interdicti.
222 IV. *Regulares non servantes* Interdictum *sunt utiam excommunicati.*
223 *Regulares non tantum servare, sed utiam publicare tenentur* Interdicta *ab Ordinariis lata.*
224 *Salvis tamen eorum Privilegiis.*
225 *Laici non servantes* Interdictum, *et alios non servare facientes peccant graviter, et sunt excommunicati.*

180 Quaeritur I. Quid? et quotuplex sit *interdictum*? Ante responsionem notandum, non agi hic de *interdicto* quatenus est de Iure Civili, quod olim aliud non erat, quam formula quaedam et solemnis conceptio verborum, quibus praetor aliquid fieri jubebat, vel prohibebat. Differebat autem *interdictum* ab actione, quia solemnitas actionum erat inducta de Iure Civili, *interdictum* autem de Iure Praetorio. Sic dicitur *interdictum, ne quid fiat in loco publico: interdictum, quod vi aut clam: interdictum uti possidetis*; et alia hujusmodi, de quibus Vocabularium ꝟ. *Interdictum.*

181 Sed agitur de *interdicto*, quatenus est de Iure Canonico, in quo sensu sumitur pro Censura Ecclesiastica, per quam Fidelibus interdicitur, seu prohibetur aliquid ad cultum Divinum spectans, videlicet, participatio quorundam Sacramentorum, divinorum Officiorum, et sepulturae Ecclesiasticae. Siquidem hi tres effectus sunt introducti, de quibus in progressu. Hinc ad quaesitum

182 Respond. I. *Interdictum* in sensu Canonico acceptum communiter definitur, quod sit *Censura Ecclesiastica, qua homo arcetur a participatione quorundam Sacramentorum, ab omnibus Officiis divinis, et ab Ecclesiastica sepultura.* Est in re communis, patetque ex c. *Non est.* 11. *de Sponsal. et Matrim.* c. *Quod in te de Poenitent. et Remission.* Addunt nonnulli haec verba, *quatenus haec ad divinum cultum spectant*: ut sic clarius distinguatur *interdictum* ab *excommunicatione*, quae quidem privat hominem omnibus praedictis bonis, sed non sub eadem ratione formali, id est, *non* quatenus sunt res sacrae, sed quatenus habent rationem communicationis cum aliis. Doctor noster subtilis 4. *dist.* 25. *q.* 1. describit *interdictum* dicendo, quod sit *arctatio a quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus.* His praenotatis

183 Respond. II. *Interdictum* prima sui divisione dividi *in locale, personale*, et *mixtum. Interdictum locale* dicitur illud, quod directe fertur in locum, quatenus in eo interdicuntur seu prohibentur fieri et audiri Missae, divina Officia, et hujusmodi. Et tale *interdictum* indirecte tantum afficit personas, dum scilicet sunt in tali loco vel Ecclesia *interdicta*: unde illae personae possunt alibi Divinis interesse, Sacramenta recipere, ac sepeliri in loco sacro, *arg. c. Si sententia de Sentent. excommun. in* 6. Porro hujusmodi *interdictum locale* aliud est *generale*, quo videlicet interdicitur locus varia sub se loca complectens, v. g. Regnum, Provincia, Civitas. Aliud *particulare*, quo interdicitur particularis aliqua Ecclesia.

184 *Interdictum personale* est, quod immediate et directe fertur in personam, per quod videlicet persona arcetur a participatione quorundam Sacramentorum, divinorum Officiorum, sepulturae Ecclesiasticae in quocunque loco. Siquidem hujusmodi *interdictum* sequitur personam, quocunque ierit, sicut umbra comitatur corpus, et lepra leprosum, *arg. cit. c. Si sentent.* § *Cum vero. de Sentent. excommun. in* 6. Ubi additur, quod si populus alicujus terrae *interdictus* fuerit, singulares personae interdici censeantur, ne alioquin sententia effectu careat.

Porro sicut *locale*, ita et *personale interdictum* aliud est *generale* quo videlicet totus populus alicujus loci, districtus, Civitatis etc. vel integra aliqua Universitas, Collegium, Capitulum, Conventus interdicitur. Aliud *particulare*, quo scilicet una dumtaxat, vel plures personae interdicuntur.

185 *Interdictum* tandem *mixtum* est, quo simul locus et personae talis loci interdicuntur. Unde *interdictum mixtum* includit *locale* et *personale* simul.

186 Quaeritur II. Quaenam sub *interdicto generaliter* lato continentur? et quinam obligentur ad illud? Respond. I. Hoc dubium pluribus resolvi in c. *Si sentent.* et c. *Si civitas. de Sentent. excommun. in* 6. juncta Glossa *ibid.* Et quidem loquendo imprimis de *interdicto personali, si, nisi aliud sit expressum in eo, sententia interdicti feratur in Clerum, non censetur interdictus populus: nec econtra interdicto populo censetur Clerus interdictus.* Unde non ipsorum interdicto, alius licite admittitur ad Divina, ut expresse habetur *cit. c. Si sentent.* 16. *de Sentent. excommun. in* 6.

Siquidem in materia poenali, qualis haec est, verba sunt stricte interpretanda, c. *Odia. de R. J. in* 6. Caeterum *interdicto* populo censentur omnes illius loci habitatores, etiam in Suburbiis existentes, quantumvis innocentes et absentes comprehendi, adeo ut nullibi nec in uno, nec alio loco audire possint Divina etc. cit. c. *sententia*. 16. *de Sentent. excommun. in* 6. ibi: *Cum alicujus terrae populus interdicitur, singulares ex eo personae, quas interdictas esse constat, non debent alicubi (casibus expressis in Jure duntaxat exceptis) audire Divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta*. Concordat c. *Si civitas* 17. *eod.*

187 Porro sub *generali interdicto* Cleri non comprehenduntur Religiosi utriusque sexus: nam etsi in materia favorabili nomine Cleri intelligantur etiam Religiosi utriusque sexus; secus tamen est in materia odiosa, prout late probavimus *Lib. III. Tit. I De vita et honestat. Cleric. a n.* 19.

188 Pariter sub *generali interdicto* Cleri non comprehenduntur Episcopi, nisi de eis expressa fiat mentio, juxta c. *Quia periculosum de Sentent. excomm. in* 6. Imo nec alii Praelati Ecclesiastici, nec etiam Canonici Cathedrales, sed soli inferiores Clerici saeculares, quia hi soli nomine Cleri veniunt in materia odiosa, prout amplius dictum cit. *Lib. III. Tit. I a n.* 14.

189 Illud etiam circa *interdictum generale* populi vel Cleri notandum, quod per illud non censeantur interdictae Ecclesiae, vel loca sacra talis loci, ut proin, licet in eis Divina celebrare, vel audire non possint singulares personae interdicti populi, vel Cleri; tamen alii non interdicti Clerici, v. g. peregrini Divina ibidem celebrare, et alii non interdicti audire possunt Navarrus *Manual. cap.* 27 *n.* 167. Palao *Tract.* 29. *disp.* 5. *punct.* 2. §. 2. *n.* 11. Glossa *in c. Si sententia.* 16. *de Sentent. excomm. in* 6. ℣. *In Clerum*, et ibi Barbosa. Ratio est; quia nullibi in Jure expressum reperitur, quod sub *interdicto generali personali* etiam *locale* comprehendatur.

190 Resp. II. Loquendo vero de *interdicto locali*, asserendum ex c. *Si civitas. eod. in* 6 quod interdicta Civitate, Castro, aut Villa, etiam eorum Suburbia, et continentia aedificia eo ipso intelligantur interdicta. Ideo autem hic fit ampla et latior interpretatio, ne caeteroquin *interdicti* sententia vilipendatur, si possent in praedictorum Suburbiis Divina celebrari; cum incolae ad eadem absque labore excurrentes *interdicti* vim passim eluderent, expresse dicitur cit. c. *Si Civitas* 17 *de Sentent. excommun. in* 6.

191 Et ob eandem rationem, si Ecclesia sit *interdicto* subjecta, nec in ejus Capella celebrari, nec in Coemeterio ipsius eidem Ecclesiae contiguo poterit sepeliri: secus si contigua non existant. Ita subjungitur cit. c. *Si Civitas* 17. *de Sentent. excommun. in* 6. Porro *contigua* dicuntur ea, quorum extrema invicem se contingunt, ut ait Glossa *ibid.* sive quando inter parietem Ecclesiae, et ipsam Capellam vel Coemeterium nihil aliud interponitur. Pirhing *h. t. n.* 25. post Barbosam.

192 Unde colliges differentiam inter *interdictum locale generale*, v. g. totius Civitatis, et inter *particulare*, v. g. unius Ecclesiae, quod in posteriori casu solum censeantur *interdicta* quae sunt Ecclesiae contigua modo explicato: in priori vero casu omnia loco continentia, et non tantum contigua. Quae autem censeantur continentia aedificia, Judicis arbitrio est relinquendum, ut notat Glossa *ibid.* ℣. *Continentia*.

193 Econtra vero *interdicto*, vel polluto Coemeterio non censetur interdicta, vel polluta Ecclesia. Communis Doctorum, c. *unic. de Consecrat. Eccles. in* 6. *Siquidem accessorium naturam sequi congruit principalis*, ut habet *Regul.* 42. *Jur. in* 6. non tamen econtra principale afficitur vitio accessorii.

194 Respond. III. Si Interdicitur Civitas, vel Dioecesis, censetur etiam interdicta Ecclesia Cathedralis ibidem existens. Suarez *de Censuris Disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 21. Palao *ubi supra* §. 1. *n.* 3. et 4. contra Covarruviam *in c. Alma mater. p.* 1. §. 1. *n.* 4. et probatur *arg. c. Si civitas.* 17. *de Sentent. excommun. in* 6. ubi expresse habetur, quod interdicta Civitate omnia loca ibidem interdicta censeantur, cum alias facile eluderetur *interdictum* talis Civitatis, celebrando semper, et audiendo Divina in Ecclesia Cathedrali.

195 Nec in contrarium probat aliud c. *Quamvis.* 4. *de Praebend.* ubi habetur, quod in odiosis nomine *Ecclesiae* non veniat Ecclesia Cathedralis. Nam contra est: Tum quia ad praesens non est quaestio, utrum interdictis Ecclesiis, interdicta etiam censeatur Cathedralis Ecclesia, consequenter utrum nomine *Ecclesiae*, veniat etiam Cathedralis; sed utrum interdicta Civitate vel Dioecesi censeatur etiam interdicta Ecclesia Cathedralis: Tum quia dispositio dicti c. *Quamvis.* 4. *de Praebend.* in materia Beneficiali duntaxat, non item in aliis Ecclesiam Cathedralem a nomine Ecclesiarum Civitatis, vel Dioecesis eximere intendit: uti clare patet ex ipso textu *c. ad Noster* *Quamvis*, ibi: *Quamvis sub nomine Ecclesiarum Civitatis, et Dioecesis comprehendatur alias Ecclesia Cathedralis*, ut proin hujus Capituli dispositio potius pro, quam contra Conclusionem *n.* 194 positam militet.

196 Respond. IV. Ad *interdictum locale* tam generale, quam particulare servandum graviter tenentur omnes incolae, et extranei, non tantum saeculares, sed etiam Regulares tam exempti, quam non exempti; nisi speciali privilegio super eo muniti existant. Communis et certa, textu expresso c. *Auctoritate.* 4. *de Privileg. in* 6. et c. *Licet* 11. *eod.* Ratio est; quia per *interdictum locale* privatio Divinorum affixa est loco interdicto respectu cujusvis personae.

197 Porro circa *interdictum locale* specialiter notandum, quod illi, qui causam *interdicti* dederunt, non tantum in loco interdicto, sed etiam in quovis alio loco prohibeantur celebrare et audire Divina, prout cum Sylvestro ℣. *Interdictum* 2. *num.* 7. docent Suarez *de Censuris. disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 15. Barbosa *in c. Si sententia.* 16. *de Sentent. excommun. in* 6. *num* 3 et alii, *arg. cit. c. Si sententiae.* ubi illis tantum incolis loci interdicti conceditur audire Divina in alio non interdicto loco, qui causam non dederunt *interdicti*: ergo a sensu contrario illis, qui dederunt causam, non conceditur.

198 Quaeritur III. Qui sint effectus *interdicti*, et quomodo iidem intelligendi? Resp. I. Effectus *interdicti* esse tres, qui in ejus definitione jam ponuntur, et sunt privatio participationis quorundam Sacramentorum; prohibitio officiorum Divinorum, et privatio Ecclesiasticae sepulturae.

199 I. Igitur effectus *interdicti* est privatio quorundam Sacramentorum. Et notanter additur, *quorundam*; quia tempore *interdicti* non prohibetur administratio, et receptio omnium Sacramentorum, sed aliquorum tantum. Nam imprimis Baptismi, et Confirmationis Sacramentum non tantum parvulis, sed etiam adultis, propter mortis periculum licite tempore *interdicti* administratur, c. *Quoniam. de Excommun. in* 6.

200 Pariter etiam Sacramentorum Confirmationis parvulis et adultis tempore *interdicti localis* et *personalis* generaliter facti consueta cum solemnitate dari, ac propterea etiam Chrisma in Coena Domini confici potest, textu expresso cit. c. *Quoniam.* 19. *de Sentent. excommun. in* 6. Specialiter tamen interdictis, sicut et iis, qui *generali interdicto* causam dederunt, Sacramentum confirmationis dari non potest, uti cum Bonacina bene observat Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 9. c. *Alma mater.*

201 Insuper etiam Sacramentum Poenitentiae non tantum morituris, sed etiam sanis (nisi sint excommunicati, vel nisi causam dederint *interdicto*, ac necdum satisfaciant, neque idoneam de satisfaciendo cautionem praestent) rite tunc administratur, *c. Alma mater de Sent. excommun. in 6.* Insuper tunc moribundis Sacramentum Eucharistiae per modum *Viatici* dari potest, *c. Quod in te. de Poenit. et Remission.*

202 Igitur tempore *interdicti* denegatur sanis Eucharistiae Sacramentum, ut notat Glossa communiter recepta in *cit. c. Alma* ¶. *Admittantur.* quia circa hoc Sacramentum Eucharistiae sanis administrandum nulla reperitur nova concessio, sicque standum est antiquitati. Insuper denegatur tunc Sacramentum extremae Unctionis, *cit. c. Quod in te. de Poenitent. et Remission.* ibi: *Per generale interdictum denegatur omnibus tam Unctio, quam Ecclesiastica sepultura.* Idem dic de Sacramento Ordinis, quod conferri prohibetur personis *interdictis*, aut in loco *interdicto*. Tandem prohibetur Benedictio nuptialis, quamvis Matrimonium ipsum sit licite contrahatur tempore *interdicti*, et ab *interdictis*, ut post Innocentium notat Sylvester ¶. *Interdictum. num.* 9. et alii.

203 Notanter tamen *num. praeced.* dicitur *Sanis*; quia constitutis in probabili periculo mortis, ex infirmitate, difficilis partus, condemnationis, imminentis praelii, aut alia simili causa proveniente Sacramentum Eucharistiae licite administratur, texto expresso *c. Quod in te. 11. de Poenitent. et Remission.* et *c. Permittimus. 57. h. t.* Imo infirmo aliud Sacramentum recipere non amplius valenti, etiam extremam Unctionem dari posse, putant Pirhing *h. t. num.* 234. Palau *Tract.* 29. *disp.* 3. *pun.* 4 § 1. num. 20. *arg. cit. c. Quod in te. de Poenitent. et Remission.* Sacramentum Ordinis quoque Clericis specialiter non *interdictis* conferri posse casu *magnae* necessitatis, et penuriae Sacerdotum, volunt Sylvester, ¶. *Interdictum.* 5. n. 9. Pirhing *h. t. num.* 235. et alii.

204 II. Effectus *interdicti* est privatio divinorum Officiorum, *c. Permittimus* 57. *h. t.* et *c. Si sententia.* 16. *eod. in* 6. ubi per divina Officia intelliguntur functiones, et actiones spirituales, quae primo ac per se annexae sunt Ordini sacro, et quae ex institutione Christi et Ecclesiae a solis Clericis exercentur, uti in specie sunt Sacrificium Missae, solemnes benedictiones templi, fontis Baptismalis, aquae benedictae, Cinerum, Palmarum, Candelarum, Orationes et Litaniae cum solemni Processione; item quaevis publica, et solemnis oratio praesertim horarum Canonicarum; quae tamen privatim dici debent ab iis, qui alias ad illas tenentur, etsi *interdicti sint.*

205 Quibus tamen divinis Officiis non annumerantur Conciones, quas etiam tempore *interdicti* in Ecclesia haberi posse, censet Navarrus *Manual. cap.* 27. num. 176. Suarez *de Censuris disp.* 34. *sect.* 3. *a num.* 1. eo quod hae non ad Deum orandum, et precandum, sed ad populum instruendum, ut a vitiis abstineat, Deo et Ecclesiae obediat etc. ordinentur.

206 Notandum tamen, quod hic secundus effectus, videlicet privatio divinorum Officiorum quoad *interdictum* generale (non item particulare) satis fuerit moderatus a Jure novo *c. Permittimus.* 57. *h. t.* et *c. Alma mater. Eodem in* 6. adeo ut vigore *cit. c. Permittimus*, hodie tempore *interdicti* possint semel in septimana Missam celebrare causa conficiendi SS. Corporis Christi pro infirmis.

207 Vigore *c. Alma mater. h. t. in* 6. autem possint tempore *interdicti* generalis in Ecclesiis et Monasteriis quotidie celebrari Missae, et alia Officia divina, sicut extra tempus Interdicti fieri poterant; dummodo quatuor sequentes serventur conditiones; videlicet *primo*, ut id fiat *non pulsatis campanis.* Pro convocatione populi, nec pulsatis tintinnabulis ad *Sanctus*, et elevationem S. Hostiae. Quo non obstante campanas ad Concionem habendam, et ad salutationem Angelicam, sicut etiam, dum Viaticum portatur ad infirmos, pulsari posse, sicut et tintinnabula, putant Sylvester. ¶. *Interdictum.* 5. n. 7. Suarez *loc. cit. sect.* 2. *num.* 19. Covarruvias in *c. Alma mater. p.* 2. §. 4. *num.* 5. et alii; eo quod haec nomine divinorum Officiorum non veniant.

Secunda conditio est, ut Missae et alia divina Officia fiant *submissa voce*, id est, absque organis, solemni cantu etc. ut ii, qui extra Ecclesiam sunt, nil de iis audiant. 208

Tertia conditio est, ut fiat *januis clausis*; quatenus, etsi fideles ad Missam, aliaque Divina convenire, Ecclesiam ingredi, et ibidem divina Officia audire valeant, extra tamen existentes videre nequeant, quid ibidem agatur, *arg. Clem.* 1. *de Sentent. Excommunicationis.* 209

Quarta conditio est, ut personaliter *interdicti*, et ii, qui *interdicto* generali causam dederant, excludantur, et ad audienda Divina nullatenus admittantur, ita de concessione celebrandi Divina sub quatuor his conditionibus expresse statutum habetur in *cit. c. Alma mater. h. t. in* 6. ubi lege. 210

Eodem c. *Alma mater* ulterius dispositum invenitur, quod in quatuor Festivitatibus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. V. Mariae a primis Vesperis usque ad Completorium Festivitatis inclusive *interdictum* ita maneat suspensum, ut Missae Sacrificium et alia Divina omni cum solemnitate celebrari valeant, ita tamen, ut nihilominus exclusi maneant Excommunicati; personaliter vero *interdicti* et qui Interdicto generali causam dederunt, intrare quidem, et Divina audire, Altari vero appropinquare non valeant faciendo oblationem. Quae *interdicti* suspensio a Martino V. et Eugenio IV. fuit extensa ad Festum et totam Octavam Corporis Christi, teste Pirhing *h. t. n.* 246. 211

III. Effectus *interdicti* est privatio sepulturae Ecclesiasticae. Et hic effectus sic intelligendus est, ut imprimis in loco sacro *interdicto* nullus quantumvis innocens, nec infans, nec amens possit sepeliri, *c. Quod in te. de Poenitent. et Remission.* nisi habeat privilegium, quale datur (ut alios privilegiatos taceam) omnibus Clericis, qui personaliter *interdicti* non sunt, et Interdicto locali causam non dederunt, ac tempore *interdicti generalis* illud servaverunt; hi enim cum silentio, id est, absque campanae pulsatione, divino Officio, et aliis consuetis solemnitatibus in loco sacro etiam *interdicto* sepeliri valent, *c. Quod in te. de Poenitent. et Remission.* cujus dispositio licet loquatur de *interdicto generali*, speciale tamen excludere non videtur, uti in *cit. c. Quod in te* notat Abbas *nu.* 10. Sylvester *loc. cit. num.* 11. et alii. 212

Porro tempore *interdicti localis generalis* (secus est in *personali*, vel si alicujus terrae populus *interdicto* notetur, tunc etiam tunc singulares personae censentur *interdictae*, ne alioquin sententia effectu careat) possunt homines illius loci, qui personaliter *interdicti non sunt*, extra illum locum efferri, et in alio sacro non *interdicto* sepeliri, *arg. c. Si sententia de Sentent. excommun. in* 6. 213

Quin imo si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore *interdicti*, cessante *interdicto* in locum sacrum est transferendus, si id commode fieri possit, ut post Glossam *in c. A nobis.* 11. 2. *de Sentent. excommun.* in 6. ¶. *Format*, notat Navarrus *cap.* 27. *Manual. n.* 176. Pirhing *h. t. num.* 24. 214

Si autem contingat contra prohibitionem Juris aliquem *interdictum sepeliri* in loco sacro, non erit is extrahendus; quia hoc non habetur statutum. Glossa *cit.* et Engel *h. t. num.* 96. Quamvis secus sit dicendum de *excommunicatis*, quippe qui in loco sacro sepulti debent exhumari, *c. Sacris.* 215

de Sepult. Nam haec poena non est extendenda ad alium casum Jure non expressum. Simulque *Excommunicatio* privat communione Fidelium, non vero *interdictum*.

216 Quaeritur IV. Qualis? et sub quibus poenis sit obligatio servandi *interdictum*? Resp. I. *Interdictum* servandis est obligatio gravis, adeo ut illud violare ex genere suo sit peccatum grave. Communis et certa Doctorum. Ratio est; quia *interdictum* violantes, praeceptum Ecclesiae in gravi materia violant, consequenter mortaliter peccant, per ea, quae de obligatione Legum diximus *Lib. I. Tit. II. de Constitut.*

217 Respond. II. Personae Ecclesiasticae tam Regulares, quam saeculares *interdictum* violantes, praeter culpam mortalem, varias incurrunt poenas. Patet inductione. Nam *primo* contrahunt Irregularitatem, textu expresso *c. Is qui.* 18. *§. fin.* et *c. Is cui.* 20. *h. t. in* 6.

218 *Secundo* incurrunt Suspensionem ab Officio, Beneficio, et Jurisdictione, *c. Tanta est.* 18. *de Excessib. Praelat.* ubi Summarium sic habet: *Non servans interdictum suspensus est ab Officio, et Beneficio, et omni Jurisdictione,* Glossa *ibid.* ℣. *Irritas.* et Abbas *n.* 1. Suarez ubi supra *sect.* 4. *n.* 16. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *cap.* 3. *n.* 3. cum aliis volentes, hanc poenam ipso facto incurrere omnes cujuscunque *interdicti* violatores.

219 Gonzalez econtra in *cit. c. fin. de Excessib. Praelat. num.* 2. cum Bonacina, et aliis satis probabiliter docet, violantes *interdictum* ordinarie non ipso Jure esse suspensos ab Officio et Beneficio, sed suspendendos primum; *arg. desumpto ex secunda parte cit. c. fin.* ubi primum suspendi jubentur violatores *interdicti*. Nec obstare videtur, quod Episcopi *interdictum* violantis sententia et alia acta ibidem declarentur irrita; quia specialis ratio erat de illo Episcopo, utpote qui non solum ut *interdictus* illa facere, sed etiam alios ad violandum *interdictum* Sedis Apostolicae inducere, et compellere praesumpserit.

220 *Tertio* privantur Jure passivae et activae Electionis, ita ut nec eligere valeant. *c. Is qui. h. t. in* 6. nec ipsi eligi, aut postulari. *c.* 1. *de Postulat. Praelat.* Layman. *loc. cit.* Sylvester ℣. *Interdictum.* 6. *q.* 2.

221 *Quarto* perdunt ipso facto privilegium, ipsis alias de Jure *c. Quod in te. de Poenitent. et Remission.* et *c. Is cui. h. t. in* 6. competens, vi cujus tempore *interdicti* sepeliri possunt in loco sacro, per dicta *n.* 223.

222 *Quinto* Religiosi etiam exempti non observantes *interdictum* generale locale, quod ab Ecclesia Cathedrali, et Parochiali observari vident, praeter memoratas poenas incurrunt Excommunicationem *Clement.* 1. *h. t.* ubi additur, idem intelligendum esse de Cessatione in Divinis.

223 Porro Religiosi etiam exempti non solum servare, sed et publicare tenentur *interdictum* et alias Censuras ab Episcopo latas, quando Episcopus id mandat, *Concilium Trident. Sess.* 25. *de Regular. cap.* 12. ibi: *Censurae, et interdicta nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo a Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, et serventur.*

224 Haec autem et praefata de Religiosis intellige, salvis eorum Privilegiis circa *interdictum*, de quibus vide Compendium Privilegiorum, et etiam nostrum Augustinum Matthaeuccium in suo libro intitulato *Officialis Curiae.* ℣. *Interdictum. cap. XX.*

225 Respond. II. Quamvis contra Laicos *interdictum* violantes poenae speciales in Jure non reperiantur statutae, tamen illud certum est, quod Laici quicunque praesertim Domini temporales, et Officiales ipsorum, qui Clericos quomodolibet compellunt, aut cogunt, ut in loco *interdicto* Missas, vel alia Divina publice et solemniter celebrent: Item qui pulsatis campanis, vel voce Praeconis, vel alio modo alios praesertim Excommunicationis vel Interdicti sententiis specialiter innodatos, ad Divina audienda evocant, aut convocant: Item qui eosdem nominatim Excommunicatos, vel Interdictos, ne ad Clericorum monitionem de Ecclesiis tempore Divinorum exeant, impedire praesumunt; aut ipsimet Excommunicati, vel Interdicti ad monitionem exire recusant, vel Divinis violenter se ingerunt, gravissime peccent, et Excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrant, prout fere in terminis expressa statutum habetur *Clement. Gravi.* 2. *h. t.* quae digna est lectu, teneturque cum communi ac certa aliorum Suarez *de Censuris. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 27. Pirhing *h. t. n.* 245.

§. VIII.

De Judice Censurarum, et de Absolutione ab eisdem; praesertim ab Excommunicatione: ubi etiam quaedam de potestate absolvendi a Censuris, ac aliis tam reservatis, quam non reservatis peccatis competente Regularibus.

SUMMARIUM.

226 *Solus Ecclesiasticus, minime vero Laicus est Judex Censurarum, earumque valorem, vel nullitatem cognoscere, et declarare valeat.*
227 *Laici in causa Censurarum partes Judicis assumentes sunt ipso facto excommunicati.*
228 *Et quidem in specie I. Qui publice Censuratum faciunt adesse Divinis.*
229 *II. Qui Censuras nullas declarare praesumunt.*
230 *III Vel Judicem Ecclesiasticum impediunt, ne per Censuram latam, vel ferendam alios ad rectum compellat.*
231 *IV. Qui illos vexant, in quorum favorem Censurae latae sunt: vel ferri volunt.*
232 *V. Qui contra Censuras recurrunt ad potestatem saecularem.*
233 *VI. Qui ita recurrentibus assistunt.*
234 *VII. Vel qui ad recurrendum praebent consilium favorem auxilium.*
235 *Nec excusantur si aliquid horum faciunt sub praetextu nullitatis; nisi haec sit manifesta, vel notoria.*
236 *Neque excusantur, si faciunt sub praetextu violentiae prohibendae.*
237 *Doctrina practica, quam multi hodie sint excommunicati.*
238 *Nihil eos juvante praetextu non receptae, vel consuetudine abrogatae Bullae Coenae.*
239 *Causa fusius de hac materia loquendi.*
240 *Excommunicatio major etiam praestita satisfactione non tollitur sine absolutione.*
241 *Nisi Auctor ita velit.*
242 *Si Excommunicatio lata est ab homine per sententiam specialem absolvere ab illa potest is solus, qui eam tulit.*
243 *Et ejus Successor.*
244 *Ac Superior obtinens plenam jurisdictionem in Auctorem Censurae, qualis non est Archiepiscopus respectu Episcopi.*
245 *Quid operetur appellatio a Censura comminata et lata?*
246 *Ab Excommunicatione lata a Jure vel homine per Decretum aut sententiam generalem sine reservatione absolvere pro utroque Foro potest subditum suum Superior.*
247 *Et pro interno etiam Parochus, et quivis Confessarius: non item pro Foro externo.*
248 *Absolutus a simplici Confessario pro Foro interno, quid possit in Foro externo?*
249 *Quis absolvat ab Excommunicatione reservata.*
250 *Quis possit absolvere a suspensione, et Interdicto? Et tribus num. seqq.*
254 *De potestate absolvendi a Censuris, et aliis casibus reservatis competente Episcopis, Regularibus, et aliis Confessariis. Remissive.*
255 *Regulares vi Privilegiorum possunt absolvere ab omnibus Censuris Papae reservatis: exceptis contentis in Bullae Coenae: et ab his etiam suos subditos.*

256 *Extra Italiam possunt etiam absolvere Excommunicatos ob percussionem Clerici, et alios per Clementem VII. pro Italia reservatos.*
257 *Vi privilegiorum non possunt Regulares absolvere a Censuris ab homine per sententiam specialem latis.*
258 *Absolutio Censurarum per Regulares non relevat in Foro externo.*
259 *Semel approbatus ab Ordinario potest vel ex privilegio, vel saltem ex tacito consensu in quavis Dioecesi absolvere, si est in itinere, et non in loco ubi Episcopus existit.*
260 *Vi privilegiorum Regulares non possunt absolvere Religiosos alterius Ordinis.*
261 *Nisi tales Religiosi confitentes speciale ad id habeant Privilegium, ut Dominicani, quando sunt in itinere.*
262 *Quod idem omnibus aliis Religiosis competere volunt aliqui.*
263 *In Ordine nostro non nisi in necessitatis, et mortis articulo licet aliis confiteri extra Ordinem: qualis articulus esse censetur necessitas celebrandi.*

Doctrina practica de Collectoribus. ibid.

264 *Praeter casus reservatos a Clemente VIII. positos possunt Regulares in Capitulo Generali, vel Provinciali adhuc alios reservare.*
265 *Qualis obligatio confitendi casus reservatos, vel licentia in confessione omittendi sit, casu quo in absentia habentis potestatem absolvendi quis alteri confitetur.*
266 *Absolutio a censuris dari potest varie, v. g. absolute, conditionate, ad cautelam, cum reincidentia etc.*
267 *Absolutio a Censuris dari potest in et extra Confessionem, etiam absenti, et invito: et quando?*
268 *Si publice datur.*
269 *In nullo Foro absolvi potest Censuratus: nisi prius satisfecerit parti laesae: et quomodo?*
270 *Doctrina practica ad propositum.*

226 Quaeritur I. Quis sit Judex Censurarum, ad hoc, ut de illarum justitia, vel injustitia, et valore, vel nullitate judicare, consequenter Censuratos praesertim excommunicatos a Censura et effectibus illius immunes, et deobligatos declarare valeat? Respond. I. Hujusmodi Judicem esse solum Superiorem Ecclesiasticum, nullatenus autem aliquem quacunque tandem Dignitate fulgentem Laicum. Ita unanimis et certa. Ratio patet; quia Censurae ex natura et essentia sua sunt poenae et materiae spirituales ac Ecclesiasticae a sola Ecclesia constitutae, juxta omnes; in materia autem spirituali solum Ecclesiasticum, nullatenus autem Laicum aliquem posse esse Judicem, concors omnium doctrina est, ob clara Jura c. 2. de Judiciis, ubi universaliter et absolute dicitur: *Prohibemus, ut Laici Ecclesiastica negotia tractare non praesumant* c. *Tuam. de Ordin. cognit.* c. *inquisitionis.* 18. §. *Prohibemus. de Haeretic. in* 6 *can.* 1. *cau. Denique* 5. *can Si Imperator Catholicus est.* 11 *dist.* 96 cum Concordantiis: et amplius jam dictum habetur *Lib. II Tit. I. § III n.* 66. Quibus accedit manifesta Decisio Concilii Tridentini *Sess.* 25. *de Reform cap.* 3. ubi ad propositum in specie expresse declaratur, quod, utrum Excommunicatio aliqua rite lata sit, *non ad saeculares, sed ad Ecclesiasticos cognitio pertineat* Quare

227 Respond. II. Dominos saeculares quoscunque, eorum Officiales et Ministros, nec non quoscunque alios quacunque tandem excogitabili dignitate fulgentes Laicos non tantum gravissime peccare, sed Excommunicationem Papae reservatam ipso jure incurrere, si in causa Censurarum partes Judicis quoquo modo assumunt, quia vi Bullae Coenae universaliter ipso facto excommunicati existunt, *qui in causarum spiritualium cognitione se tanquam Judices interponunt.*

Et quidem in specie I. ipso facto excommunicati sunt, qui *Censuratos*, praesertim notitiam *Excommunicatos*, et *Interdictos*, ut ad Divina audienda in Ecclesiis libere conveniant, vocant, hortantur, instigant, vel etiam pulsatis Campanis, aut voce Praeconis convocant, vel omnino compellunt: sicut etiam, qui alios praesertim subditos suos, ne etiam moniti tempore Divinorum e Ecclesia discedant, prohibent; sicut etiam ipsi ibidem remanentes, texto expresso *supra n.* 235. jam citato, et *Clem gravis.* 2. *h. t.* quam pro commoditate Lectoris per extensum hic referre, utile duxi, et sic sonat. 228

Gravis ad nos Praelatorum querela perduxit, quod Nobiles quidam, et Domini temporales (terris eorum Ecclesiastico suppositis interdicto) nedum in locorum suorum Capellis, sed in collegiatis, et aliis insignium locorum Ecclesiis, Missas et alia divina Officia publice et solemniter celebrari faciunt. Ad Officia eadem celebranda, nunc hos nunc illos vocantes, et interdum (quod est deterius) compellentes: hisque non contenti excessibus, per campanarum non solum pulsationem, sed et voce praeconia populos etiam interdictos, ut (interdicti non obstante sententia) ad audiendas Missas hujusmodi veniant, faciunt evocari. Nonnulli quoque ipsorum suis plerumque subjectis, ne (licet excommunicationis, et interdicti sententia publice sint innodati) de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum celebrantur solemnia, instantibus etiam celebrantibus, exeant, praecipere non verentur. Ex quo frequenter contingit, quod non sine Dei offensa, Clerique ac populi scandalo ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta. Ne igitur excessus sic graves excedentium impunitate trahantur ab aliis in exemplum praesumptores praefatos, qui locis interdicto suppositis, quemquam de caetero divina celebrare officia quomodolibet cogere, aut quo modo praedicto ad officia eadem audienda aliquos excommunicationis praesertim, vel interdicti ligatos sententia evocare, seu qui excommunicati publice, aut interdicti de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia, a celebrantibus moniti, ut exeant, prohibere: nec non excommunicatos publice, et interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim a celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere praesumpserint excommunicationis sententia (a qua per Sedem duntaxat Apostolicam possint absolvi) sacro approbante Concilio innodamus. 229

II. Ipso facto excommunicati sunt omnes illi Domini saeculares; eorumque Magistratus, Officiales, Judices etc. qui Censuram ab Ecclesiasticis Ordinariis latam cognoscere, examinare, judicare, nullam declarare, et publicare praesumunt (nisi nullitas sit prorsus manifesta et notoria, ut bene limitat Laymann *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 6. *numer.* 2.) cum juxta Bullam Coenae §. 14 omnes illi Excommunicationem ipso facto incurrunt, *qui se de causarum spiritualium* (qualis indubitate juxta omnes est causa Censurarum) *cognitione tanquam Judices interponunt etc. et nisi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque perfulgeant Dignitate*: sunt verba Bullae. 230

III. Ipso facto excommunicati sunt omnes et singuli quacunque dignitate fulgentes saeculares, qui Judices Ecclesiasticos directe vel indirecte quomodolibet impediunt, ne Excommunicatione, vel alia Censura aliquem juxta praescriptum SS. Canonum, et Legum Ecclesiasticarum ad praestandam debitam obedientiam, reverentiam, vel satisfactionem jam lata, vel ferenda compellant, prout statutum habetur in Bulla Coenae §. 14 et §. 16. ubi excommunicantur universaliter omnes, *qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores, et inferiores Praelatos, et omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet directe vel indirecte impediunt, quo minus sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod Canones et sacrae Constitutiones Ecclesiasticae, et Decreta Conciliorum Generalium, et praesertim Tridentini sta-* 231

tunt: quod idem etiam §. 14. habetur, dum excommunicantur omnes, *qui executionem Processuum, ac Decretorum hujusmodi quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem, consilium, vel assensum praestant.*

231 IV. Pariter excommunicati sunt ipso facto omnes et singuli, qui quascunque personas quomodolibet compellunt, ut consentiant, vel procurent, quatenus Excommunicatio, vel aliae Censurae in favorem ipsorum contra alios latae, vel comminatae, per absolutionem tollantur, vel decreta, et inhibitiones sub Censuris revocentur, aut ne executio eorum fiat etc. quia ita expresse statutum habetur saepe citata Bulla Coenae *cit.* §. 14. ubi excommunicantur, *qui partes actrices quomodolibet compellunt ad revocandum, vel revocari faciendum citationes, vel inhibitiones aut alia in eis Decreta, et ad faciendum vel consentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a Censuris, et poenis, in illis contentis absolvi.*

232 V. Ipso facto excommunicantur etiam omnes et singuli, qui comminata, vel lata per Decretum et sententiam Judicis Ecclesiastici contra se Excommunicatione, vel alia Censura recurrunt ad potestatem saecularem, ibique inhibitiones, prohibitiones etc. procurant, textu claro *cit. Bullae Coenae* §. 16. ibi: *Ac etiam eos, qui ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, et decreta, aut alias Fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, aut alias Curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata etiam poenalia Ordinariis et Delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant.*

233 VI. Ipso facto excommunicati sunt etiam Judices, et Potestates saeculares, qui ad instantiam ita recurrentium contra Decreta et censuras Judicis Ecclesiastici tales inhibitiones, et prohibitiones decernunt, vel exequuntur, *cit.* §. 16. *Bullae Coenae ad finem*: ibi: *Eos quoque, qui haec decernunt et exequuntur.*

234 VII. Ipso facto excommunicati sunt omnes et singuli, qui consilium, auxilium, aut favorem praebent alicui, ut ob comminatam, aut latam per Decretum, vel sententiam Judicis Ecclesiastici Excommunicationem, vel aliam censuram ad Potestatem vel Curiam saecularem recurrat, et praefatas inhibitiones, mandata etc. procurat, *cit.* §. 16. ibi: *Eos quoque, qui dant auxilium, consilium, patrocinium, et favorem eisdem.* Prout hodie passim facere videmus quosdam Advocatos, qui ut vim executionem sententiarum, vel Decretorum Judicis Ecclesiastici eludant, declinent, impediant, retardent etc. clientibus, vel etiam aliis recursum ad Potestatem saecularem suadere non verentur. Vae illis!

235 Nec excusantur, si aliquid ex praefatis a *n.* 238. attentant sub praetextu non observatae debitae, et necessariae formae in ferendis censuris, seu sub praetextu nullitatis ipsarum, *quia non ad saeculares, sed ad Ecclesiasticos haec cognitio pertinet*; uti expresse declaratur a Concilio Tridentino *Sess.* 25. *de Reform.* c. 3. nisi nullitas sit prorsus manifesta et notoria, prout a Layman jam limitatum est supra *n.* 239.

236 Pariter non excusantur, si horum aliqui attentant *sub praetextu violentiae prohibendae, aut aliarum praetensionum, aut etiam donec ipsi ad nos* (Sedem Apostolicam videlicet) *informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint*, uti in terminis habetur in citata Bulla Coenae §. 15. Minus excusantur ridendo, et contemnendo Excommunicationes, juxta dicta supra *num.* 133.

237 Colliges, quam multi hodie adhuc ipso facto excommunicati existant, cum passim contingere videamus malignis hisce, et tepidis temporibus, quod, dum Reverendissimi Ordinarii, vel alii Judices Ecclesiastici Excommunicationem, vel alias censuras juxta praescriptum SS. Canonum, Conciliorum, et Constitutionum Ecclesiasticarum ferre volunt, et actu ferunt, vel ipso Jure et facto ab aliquibus jam contractum declarant, Domini saeculares, vel eorum Ministri, Officiales, Curiae, Tribunalia, Concilia, Magistratus, et alii hujusmodi censuras examinare, discutere, criticare, judicare, et in dubium vocare, easque explorare et ridere praesumant, indeque alii eas pro nullis et invalidis declarare, alii, ne affigantur, aut promulgentur, prohibere, alii, ut non observentur, nec curentur, praecipere, alii, ut accedendo Ecclesias, audiendo Divina, aliaque per Censuras prohibita exercendo, positive violentur, mandare, alii minis, vel etiam actualibus molestiis Judices Ecclesiasticos a ferendis Censuris terrere, vel ad absolutionem earum compellere, alii ob Censuras sibi comminatas, vel illatas ad potestatem saecularem recurrere, alii ita recurrentibus positive assistere, alii quaedam ex dictis saltem consulere, saepissime non vereantur, prout ex variis specifica, et individua scandalosa, viva exempla, ex deploranda experientia, proh dolor! abunde patet, quia tamen omnes juxta dicta ipso facto excommunicati existunt, etiamsi Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, vel mundana praefulgeant Dignitate, prout in terminis loquitur Bulla Coenae §. 24. ubi insuper revocat, et nullius momenti declarat omnia quaecunque Privilegia, praescriptionem, consuetudinem etiam immemorialem in contrarium.

Nec patrocinatur alicui horum praetextus non receptae Bullae, vel consuetudinis in contrarium, per amplius dicta *Tit. VII. de Haereticis a num.* 79. 238

Placuit dicta hae usque in §. *praesenti* paulo amplius, et quidem simpliciter, atque cum aliqua repetitione adducere, sperando, fore, ut Deus unum saltem vel alium legentem Laicum e pessima et periculosa corruptela judicandi, spernendi, et violandi censuras avertat. 239

Quaeritur e. Quis possit absolvere a Censuris Excommunicationis? Ante responsionem nota, ordinarie *Excommunicationem Majorem* semel contractam etiam cessante contumacia Excommunicati, et praestita satisfactione, sine absolutione non tolli, *can. Si Episcopus. caus.* 11. *q.* 3. *c. Ex Litteris.* 18. *de Constit. c. Qua fronte.* 25. *de Appellat.* cum Concordantiis, etiamsi is, qui Excommunicationem tulit, vel etiam ipse Excommunicatus moriatur, *cit. can. Si Episcopus. caus.* 11. *q.* 3. *c. Pastoralis.* 11. §. *Praeterea de Officio Ordinar. c. A nobis,* 28. *h. t.* cum Concordantiis. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 271. Layman *Lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 7. *num.* 1. cum communi et certa aliorum. 240

Dicitur autem notanter, *ordinarie loquendo*; quia limitatur in casu, quo auctor Excommunicationis illam sub certa conditione fert, simulque declarat, quod non nisi usque ad talis conditionis adimpletionem duret: quia tunc utique ea praestita cessat sine alia absolutione; ut si Judex Ecclesiasticus dicat nisi intra octiduum restitueris, sis ipso facto excommunicatus, atque in Excommunicatione tam diu permaneas, donec restituas. Layman *loc. cit.* Covarruvias *in c. Alma mater. p.* 1. §. 11. *n.* 5. Suarez *de Censuris disp.* 7. *sect.* 1. *num.* 11. Ratio est; quia in tali casu videtur absolutio implicite contenta in ipsa sententia Excommunicationis; consequenter alia necessaria non est. H. N. 241

Resp. I. Si *Excommunicatio Major* per specialem sententiam lata fuit ab homine, Episcopo v. g. ordinario ab illa is solus, qui eam tulit, vel illius delegatus, vel ferentis successor, aut Superior plenam jurisdictionem in illum obtinens, vel delegatus absolvere potest. Abbas *in c. Pastoralis. de Officio Ordinar. n.* 1. Layman *loc. cit. n.* 2. Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 40. cum Communi aliorum. De ferente et delegato ipsius patet ex c. *Pastoralis.* 11. §. *Praeterea. de Officio Ordinar. c. Quaerentis.* 26. *de Officio Delegat.* Ratio desumitur ex illa regula. *Ejusdem est solvere, et ligare. can. Verbum dist.* 1. *de Poenitent.* 242

243 De Successore constat *ex can. Si Episcopus cau.* 11. *q.* 3. quod intellige non solum de perpetuo, sed etiam de temporali, ut proin etiam Capitulum Sede vacante absolvere possit a Censura per Antecessorem lata, *c. Unico. de Majorit. et obedient.* Ratio est; quia sicut Capitulum in aliis, sic etiam in jurisdictione absolvendi a Censuris succedit Sede vacante.

244 De Superiore vero notandum, per hunc ad praesens intelligi illum, qui plenam in Auctorem Censurae obtinet Jurisdictionem; qualis est Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum Provinciae; non item Archiepiscopus respectu suorum Suffraganeorum, nisi aditus per querelam, de quo tamen limitationes vide supra in 1. *Decret. tit.* 31. §. 2*do. n.* 50. *et* 53. vel nisi potius ad eum appellatur; eo quod illa in hos nullam habeat jurisdictionem, nisi in causa Appellationis ad illum interposita, et in quibusdam aliis causis a Jure expressis, *arg can. 1. can. Nullus Primas. 7. cau. 9. q.* 3. c. *Pastoralis.* 11. *de Officio Ordinar.* ut proin Archiepiscopus non possit absolvere a Censura, quam in proprium Subditum tulit Episcopus illius Suffraganeus, nisi ad eum a sententia Censurae appelletur.

245 Quod bene fieri potest, ea tamen cum distinctione, quod si quis ante Censuram jam latam a comminatione illius appellet, Excommunicatio a Comminante amplius ferri non possit, et lata sit manifeste nulla, adeoque minime curanda: Si vero post jam latam Censuram appelletur, Excommunicatio valeat, suumque effectum habeat, ipseque Excommunicatus pro tali habere se debeat, donec aliter declaret *Judex ad quem*, prout alibi jam diximus, et cum aliis bene observat Layman *Lib.* 1. *tract.* 5 *p.* 1. *c.* 6. *n.* 1. *et* e.

246 Resp. II. Si Excommunicatio lata est a Jure, vel ab homine, v. g. Episcopo per Decretum, vel sententiam generalem sine addita aliqua reservatione, ab illa in utroque Foro absolvere suos subditos possunt Superiores jurisdictionem externam in illos obtinentes, uti sunt Episcopi respectu Dioecesanorum, Generalis respectu Religiosorum totius Ordinis, Provincialis respectu Subditorum Provinciae, Abbas, Prior, Guardianus, Rector respectu subditorum sui Monasterii: Imo pro Foro interno etiam Parochus suorum Parochianorum, et quivis Confessarius alias potestatem habens absolvendi talem ab aliis peccatis, Sylvester ℣. *Absolutio.* 1. *n.* 4. Navarrus *cap.* 27. *n.* 39. Suarez *de Censuris. disp.* 7. *sect.* 1. *n.* 23. et 28. Engel *h. t. n.* 124. Innocent. *in c. Nuper.* 29 *h t. n.* 6. *arg. cit. c. Nuper.* 29. Quamvis enim istud Capitulum loquatur de sola *Excommunicatione minori*; tamen, quia ratio ibidem data etiam de *Majori* procedit, ibi: *Quia Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit*, ad eam quoque merito extendunt Doctores citati.

247 Notanda tamen circa ultimam partem conclusionis verba: *imo pro Foro interno quivis Confessarius etc.* quia absolutio ab Excommunicatione, et aliis Censuris a simplici Confessario, qui Superior *Censurati* non est, pro Foro externo non relevat, si Excommunicatio est notoria, vel ad Forum externum jam deducta, ut proin taliter Excommunicatus non obstante absolutione a simplici Confessario sibi data, debeat se in Foro externo gerere tanquam excommunicatum, consequenter a communione, et Divinis per Excommunicationem interdictis abstinere, ac si absolutus non esset, adeo, ut transgrediens in aliquo, v. g. celebrans possit a Judice Ecclesiastico ut irregularis declarari et puniri, quamvis Judex id facere non teneatur, sed possit, si velit, absolutionem pro Foro interno datam, etiam pro Foro externo acceptare. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 7. *n.* 7. Avila *de Censuris. p.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3 *dub.* 12. §. *Ex dictis.* Navarrus *lib.* 5 *Consil. ult. de Judiciis. n.* 7. et alii. Ratio est; quia Forum internum, et externum sunt quid valde distinctum; cum in illo praecipue spectetur salus animae, et compensatio offensae divinae: in isto vero ad vindictam publicam pro terrore et exemplo aliorum, ac Reipublicae satisfactionem bonumque commune attendatur, ut proin absolutio pro Foro interno non deroget, vel praejudicet Foro externo, uti post nostrum Miranda *Manual. Praelat. q.* 46. *a nu.* 7. et alios bene observat Layman *loc. cit.*

248 Quod si tamen Excommunicatio a Jure vel ab homine per Decretum, aut sententiam generalem lata, et non reservata est occulta, potest absolutus ab ea per simplicem Confessarium etiam publice habere omnem communionem in divinis, et politicis, uti cum aliis bene observat Layman *Lib.* 1. *Tr.* 5. *p.* 1. *cap.* 7. *n.* 7. ubi etiam addit, posse in Foro interno absolutum etiam notorium excommunicatum in occulto celebrare, et alia caeteroquin per Excommunicationem prohibita agere, si omne scandalum abest; quamvis si deprehendatur, ut violator Censurae postea puniri valeat in Foro externo. Porro quid Parochi et simplices Confessarii observare habeant circa absolutionem publice Excommunicati, dicetur infra a *n.* 257. item 267. *et seq.*

249 Resp. III. Si Excommunicatio est a Jure, vel per sententiam, aut Decretum generale lata, et Auctor illius absolutionem sibi reservavit, nemo ab illa absolvere potest praeter ipsum Reservantem, vel ejus Successorem, vel Delegatum ab eo, vel Superiorem in sensu supra a *n.* 253. declarato. Layman *loc. cit.* Abbas *in c. Ex frequentibus.* 3. *de Instit. n.* 7. cum communi et certa aliorum, *arg.* c. *Nuper.* 29. *h. t.*

250 Quaeritur 3. Quis absolvere possit a *Suspensione*, et *interdicto*? Resp. I. Sicut ab Excommunicatione, ita et suspensione, et Interdicto, si ut Censura feruntur per specialem sententiam ab homine, is solus, qui eam intulit, vel ejus Successor, vel Delegatus, vel Superior absolvere potest, per Doctores, et Jura supra *n.* 242. allegata, et in sensu *ibid.* declarato.

251 Si autem Suspensio, vel Interdictum a Jure, vel homine per Decretum, vel sententiam generalem lata est sine clausula reservationis, absolvunt ii, qui in simili casu absolvunt ab Excommunicatione, juxta dicta a *num.* 256.

252 Quod si Suspensio a Jure vel homine per sententiam generalem lata fuit cum clausula reservationis, pariter absolvunt ii, qui a simili reservata Excommunicatione absolvere valent, juxta dicta a *numer.* 249.

253 Resp. II. Si Suspensio, vel Interdictum latum est ad certum duntaxat tempus, aut donec hoc, vel illud fiat, aut praestetur, elapso tempore, et praecepto adimpleto cessat, uti cum Glossa communiter recepta *in Clement.* 1. ℣. *Donec. de Decimis.* bene docet Abbas *in c.* 1. *de Judiciis.* Navarrus *Manual. cap.* 27. *n.* 161. Sylvester ℣. *Interdictum* 3. *n.* 13. Covarruvias *in c. Alma mater. p.* 1. ℣. 11. *n.* 8. et alii.

254 Quaeritur 4. an? quando, et qualem potestatem absolvendi a Censuris, et casibus Papae reservatis ex Delegatione, Privilegio, vel Jure habeant Episcopi, Regulares, et alii Confessarii? Resp. ad hoc quaesitum jam patere ex *Tit. VII. de Haereticis.* §. 7. 8. *et* 9. ubi occasione Absolutionis ab Haeresi, egimus etiam de Absolutione a quovis alio casu tam Episcopis, quam Papae reservato.

255 Et inter alia ex Privilegio concesso per Constitutiones Pauli III. Gregorii VIII. et aliorum, Regulares Mendicantes praesertim Ordinis nostri possunt absolvere ab omnibus peccatis et Censuris, puta Excommunicatione, Suspensione, et Interdicto personali, etiam Sedi Apostolicae reservatis, solis exceptis casibus in Bulla Coenae contentis, a quibus tamen suos Subditos Regulares absolvere valent Superiores, prout fusius probat Hyacinthus Donati *Tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 13. *quaest.* 17. *et Tom.* 2. *tract.* 11. *quaest.* 17. *et* 18. ac novissime noster Felix potestas in suo Examine Ecclesiastico *Tom.* 1. *part.* 4. *cap.* 5. *n.* 3376.

256 Et quamvis Clemens VIII. casibus Bullae Coenae etiam alios annumeraverit, videlicet I. Extractionem reorum ex Asylo Ecclesiastico contra Constitutionem Gregorii XIII. *Cum alias.* II. Violationem clau-

narae Monialium ad malum finem castitati contrarium III. Duellum proprium IV. Percussionem Clerici, vel Monachi, quae non levis sed gravis est. Et V. Simoniam realem, et confidentialem; ita ut sicut a casibus Bullae Coenae, ita etiam ab his nec Regulares, nec alii vi privilegii, vel alterius Juris absolvere possint Saeculares praeter Romanum Pontificem: tamen Stoz in *Tribun. poenit. lib.* 1. *q.* 2. *n.* 60. et alii observant, potestatem absolvendi ab his casibus prius concessam, non fuisse revocatam a Clemente VIII. quoad Regulares extra, sed tantum intra Italiam.

257 Notandum tamen circa haec Privilegia et potestatem absolvendi *primo*, quod si horum non possint absolvere a Censuris ab homine per sententiam specialem latis, per dicta *n.* 252. neque ab *interdicto locali*.

258 *Secundo*, quod, etsi vi dictorum Privilegiorum Mendicantes pro Foro conscientiae absolvere possint ab omnibus censuris a Jure, vel per sententiam generalem latis etiam reservatis Summo Pontifici (non item e reservatis Episcopo) tamen haec absolutio in Foro externo non relevet, quin Censura existente notoria, vel jam deducta ad Forum contentiosum, *Censurati* adhuc debeant se habere pro talibus, ac puniri possint ut transgressores, si in aliquo violant Censuram.

259 *Tertio*, Regulares vi dictorum Privilegiorum non posse absolvere a casibus Episcopo reservatis sine ejus licentia neque ab ullo alio peccato aliquem saecularem sine approbatione Episcopi in aliqua Dioecesi, juxta Omnes.

Solum hic notandum I. Quod praevio examine semel approbati simpliciter Regulares ab aliquo Episcopo, ab eodem examinari non amplius possint, ita determinente SS. Congregatione Cardinalium apud Landuscha *§. Confessarius n.* 9. Ulteriora apud eundem Auctorem in suo Supplemento *§. Privilegium.* poteris ad propositum videre Bullam Clementis X incipientem *Superna etc.* ac editam 1670.

Item similiter notandum II. Quod Regulares semel approbati ab aliquo Ordinario, quamdiu tales sunt in itinere, sive in terra, sive in mari, possint in qualibet Dioecesi excipere Confessiones Saecularium quorumcunque, etiamsi ab Ordinario talis Dioecesis non sint expresse approbati: Et hoc vel ex privilegio, prout tale pridem concessit Eugenius IV. Fratribus Minoribus, ac Gregorius XIII Jesuitis; ubi tamen excipiuntur illa loca, in quibus Episcopus personaliter existit. Atque dictum privilegium adducit Rodriquez *Tom.* 1. *qq. Regul. quaest.* 59. *art* 5. *in fine*, Compendium nostrorum Privilegiorum *§. Absolutio*, et novissima quoque editio Romana Patris Landuscha anno 1700. *§. Confessarius. num* 12. etiam post dictos Pontifices scribentes. Jacobus Platelius *part.* 3. *Theologiae cap.* 6 *§* 8 *n.* 875 apud me *fol.* 782 Bernardus Sannig *Tom.* 3 *Theolog. dist.* 11. *q.* 4 *n.* 1. Patritius Sporer *part.* 3. *Theologiae Sacramental. cap.* 6 *sect.* 1 *n.* 578 Jacobus Wiest. *lib.* 5. *Institut. Canonic. tit.* 38 *n.* 36. prope finem etc. Bulla autem Clementis X *Superna etc.* in contrarium allegata commode forsan intelligi posset, de stabilitis in aliqua Dioecesi permanentibus qui utique debent ab Episcopo illius loci approbari; non autem de transeuntibus tantum, nam, cum Privilegium toti alicui Religioni a supremo Principe concessum sit favorabile, sicque id, quod contra tale pugnare videtur, tanquam odiosum strictam patiatur interpretationem, etsi etiam aliquo modo derogaret Juri communi, ut cum Suarezio, Azorio, Bonacina et ipsemet Illsung tenet Castropalao *part.* 1 *Tract.* 1. *disp.* 4. *punct.* 10. *n.* 5. prout et ego statui in 1 *Decret. Tit.* 3 *§.* 5. *n* 138. Hinc posset praeclaro modo Bulla Urbani VIII. et Clementis X. explicari, ut saltem quoad hoc punctum non obstet valori dicti Privilegii. Vel, quod si etiam dicta Potestas absolvendi Regularibus Mendicantibus etc. aliquam Dioecesin in itinere transeuntibus de facto non amplius conveniret ex Privilegio (prout aliqui cum Illsung in sua Theologia *de Approbatione Confessarii Tr.* 6. *disp.* 6. *q.* 6. *art.* 5. *§.* 3. *n.* 176. putant; alii autem cum la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1513. apud me *fol.* 863. saltem de valore ejusdem dubitant) adhuc tamen praedicta Potestas Regularibus Mendicantibus etc. competeret in Germania Superiori (ubi scribo,) ex tacito consensu Episcopi, eo ferme modo, quo Regulares vi ejusdem absque scrupulo, scientibus et tacentibus Reverendissimis Ordinariis, ex suis Conventibus pergunt ad operationes spirituales, ibique excipiunt Confessiones, etsi ab Episcopo illorum locorum, ad quae pergunt, expresse nunquam fuerint approbati, modo approbati fuerint ab Episcopo illius Conventus, ubi alias degunt. Et ita quoque censet Petr. Marchantius Belga in suo Tribun. *Tom.* 1. *tract.* 2. *tit.* 6. *quaest.* 4. *resolut.* 2. ad finem.

Quarto, vigore saepe dictorum Privilegiorum non 260
posse Regulares excipere Confessiones Regularium alterius Ordinis habentis statutum (prout fere quaevis Religio habet) ne Religiosi talis Ordinis confiteantur Religiosis alterius Ordinis, ut bene observat Roderiquez *Tom.* 1. *qq. Regular. q.* 60 *art.* 6 *et q.* 62. *art.* 5. Layman *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10 *n.* 20. et alii. *arg. Extrav.* 1. *§. Electi. § Non Religiosos de Privileg.* Et ratio est; quia Privilegio generali non derogatur particularibus statutis, aut consuetudinibus, nisi exprimatur.

Hoc tamen intellige, nisi Religio aliqua etiam 261
circa hoc speciale privilegium, aut statutum aliud habeat: prout teste Roderiquez *loc. cit. q.* 62. *art.* 2. habent Regulares Ordinis S. Dominici, utpote qui ex concessione Innocentii VIII. a quovis etiam alias reservato crimine absolvi possunt per quemvis Confessarium, sive saecularem sive Regularem alterius Ordinis, quando de licentia suorum Superiorum sunt in itinere constituti non item fugitivi et Apostatae.

Imo Layman *Lib.* 5. *Tr.* 6 *cap.* 10. *n.* 10. Roderiquez 262
Tom. 1. *qq. Regular. q.* 11 *art.* 5. et alii docent, omnibus Religiosis, dum in via constituti Confessarium sui Ordinis habere nequeunt, licitum esse, confiteri alicui alteri vel Regulari, vel saeculari Confessario saltem cum obligatione sistendi se Superiori, vel ab eo delegato quoad casus reservatos.

In ordine tamen nostro specialiter observandum est 263
statutum generale *cap.* 7 *§.* 1. *n.* 4. *Confiteri extra Ordinem praeterquam in necessitatis articulo, et tunc de licentia Superioris per Apostolicas Constitutiones Fratribus expresse prohibetur*: ubi per necessitatis articulum non tantum articulus mortis, sed etiam quodvis probabile periculum illius intelligitur, quale esse censetur, irruente hoste, praedone, instante periculosa navigatione, transitu per loca insidiis et latronibus obnoxia Sanctorus de Melfi *in cit. Statutum. cap.* 7. *q.* 6. Item necessitas celebrandi Missam, quam quis sine scandalo aut nota infamiae omittere non potest, Melfi *loc. cit.* Kerchove *in Statuta generalia, cap.* 6 *§* 22 *n.* 113. Portel *§. Confessarius erga Religiosos*, recte dicens, in tali casu Regularem non tantum posse, sed et debere confiteri alicui Confessario extra Ordinem, sive Regulari, sive saeculari, si aliquem ex Ordine suo habere nequit; cum urgeat praeceptum Divinum et Ecclesiasticum, et Praelati Regulares videntur esse contenti, siquidem *in periculo necessitatis Superioris* in Statuto requisitam intelligitur generalis et praesumpta Melfi *loc. cit.* Roderiquez *Tom.* 1 *qq. Regular. q.* 11. *art.* 5. Quin imo in licentia itinerandi implicite continetur licentia confitendi in casibus alias a Jure permissis, juxta Mirandam *Tom.* 2. *q.* 36. *art.* 6.

Infertur, quod Collectores, et alii itinerantes copiam 264
Confessarii ex Ordine non habentes non tantum possint, sed etiam debeant confiteri Confessario alteri Regulari vel Saeculari, casu quo in peccato mortali constituti Missam sine scandalo omittere non possunt. Ita

tamen, ut postea de reservatis denuo se accusent coram Confessario Ordinis potestatem habente.

265 *Quinto* notandum, vi saepe dictorum Privilegiorum Regulares etiam ex suis non posse aliquem absolvere a reservatis in suo Ordine. Quinam autem sint casus reservati pro Ordinibus, constat ex Bulla Clementis VIII. qui, ne Praelati Regulares per indiscretum Zelum nimium reservando casus gravent Subditos, undecim passim in libris contentos specificavit, quos reservare Praelati Regulares possunt addita clausula, ut si aliquos alios casus pro bono Religionis aut Provinciae reservare velint, id quidem facere possint, sed non nisi in Capitulo generali pro toto Ordine, vel Provinciali pro Provincia, ibi: *Cum matura discussione et totius consensu Capituli generalis pro toto Ordine, et Capituli Provincialis pro tota Provincia*. Plura de Absolutione a Casibus reservatis vide apud Theologos, et etiam Kerebove *in Statuta generalia c. 7. §. 22.* Melfi *in ead. Statuta c. 7.*

266 Porro circa Casus reservatos etiam notandum, quod licet aliqui cum Diana *p.* 1. 3. 4. *Resolut.* 104. Soto, Corduba, et aliis, satis probabiliter et tute doceant, eum, qui hic et nunc non habet copiam potentis absolvere a reservatis, et nihilo minus conformiter dictis superius ex causa urgenti confiteri debet, non teneri alteri potestatem in reservata non habenti confiteri aliquod peccatum reservatum, sed satisfacere, si alia non reservata confitetur, cum proposito reservata, quamprimum fieri potest, confitendi habenti potestatem absolvendi ab illis; cum nemo teneatur idem peccatum bis confiteri; tamen longe tutior, et in praxi merito tenenda sit sententia dicens, etiam in tali casu esse obligationem, reservata quoque confitendi; quatenus integritati Confessionis satisfiat, et Confitens interea indirecte a reservatis absolvatur, prout videre est apud Layman, Sporer *Theolog. Sacrament. p* 3. *c.* 6. *sect.* 2. *n.* 757.

Ulterius notandum, in casu, quo poenitens bona fide accedit Confessionale, ignorans se habere peccatum reservatum, vel putans Confessario competere facultatem absolvendi et confitetur reservatum, fere plerumque non teneri simplicem Confessarium, ita Confitentem absque absolutione dimittere, et ad habentem potestatem ablegare, sed posse talem, dum aliud praeter reservata habet peccatum, ab hoc directe, et ab illis indirecte absolvere, atque ad celebrandum vel communicandum admittere, cum obligatione denuo confitendi reservata habenti potestatem directe absolvendi ab eis. Gobat *Clyp. Clement. Judic p.* 2. *Dec.* 2. Sporer *loc. cit. n.* 767. Ratio est; quia videtur adesse aliqualis saltem necessitas, videlicet, quia valde durum esset poenitenti, caeteroquin rite disposito, sine absolutione discedere, praesertim si praeter reservatum habeat etiam alia gravia peccata, simplici Confessario bona fide exposita, quae denuo alii confiteri, valde difficile foret.

267 Quaeritur V. Quotupliciter? et quomodo fieri possit, et debeat absolutio a Censuris? Item quid circa eam dandam observare debeant absolventes praesertim Regulares? Resp. I. Absolutio a Censuris varie fieri potest, et solet: patet inductione. Nam I. fieri potest absolute. II. Ad cautelam prout ad cavendam nullitatem rescripti Apostolici, Electionis, Beneficii dari solet. III. Sub conditione, v. g. *absolvo te, si hoc aut illud feceris.* IV. Cum reincidentia, ita videlicet, ut si absolutus intra certum tempus, hoc aut illud non fecerit; vel si cessante periculo mortis, vel alio impedimento se non sistat, a quo alias de Jure absolvi deberet, in similem Censuram, Excommunicationem v. g. iterum reincidat. V. Ad certum duntaxat effectum, v. g. ut *Censuratus* testimonium ferre, vel alium actum *Censurato* alias prohibitum exercere valeat; quo tamen casu censuratus non ab ipsa Excommunicatione, sed ab aliquo ipsius effecto duntaxat liberari censetur. Pirhing *h. t. n. num.* 165. Layman *loc. cit.*

268 Resp. II. Absolutio a Censura non tantum intra, sed etiam extra Confessionem Sacramentalem etiam absenti et invito dari potest; nec requiritur ad eam certa verborum forma, sed sufficit quaelibet voluntatem absolvendi sufficienter explicans: solet tamen pro absolute danda Absolutione ab Excommunicatione observari sequens Formula: *Absolvo te a vinculo Excommunicationis quam incurristi propter N.* (exprimatur Excommunicationis causa) *et restituo te S. Sacramentis et communioni fidelium in Nomine Patris etc.* In Absolutione a Suspensione vero: *Absolvo te a vinculo Suspensionis, quam incurristi propter N. et restituo te executioni Ordinum:* Si censura est dubia, servari solet haec Formula: *Si teneris aliquo vinculo Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti, absolvo te etc. in quantum possum, et tu indiges, in Nomine Patris etc.*

Si absolutio datur publice et solemniter, praemitti solet aliquis Psalmus poenitentialis, et adhiberi certus ritus, *c. A nobis* 28. *h. t.* et in Pontificali, vel etiam in Rituali Dioecesano praescriptus.

Resp. III. Nullus neque in Foro interno, neque externo absolvi potest ab Excommunicatione vel alia Censura, nisi *Censuratus prius* satisfecerit parti laesae, ob damnum, vel injuriam ratione cujus fuit excommunicatus. *c. Solet.* 2. *h. t. in* 6. vel cum ea transactum, vel si hoc statim fieri nequit, sufficiens cautio per pignora, vel fidejussionem praestetur, vel si nec ista ob inopiam vel aliam causam fieri potest, per Juramentum, Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 8. Abbas *in c. Quia frontem.* 25. *de Appellat.* Sylvester ℣. *Absolutio.* 3. *n.* 3. *arg. Auth. Generaliter C. de Episc. et Cleric.* 269

Et quamvis Layman *loc. cit.* recte notet pro Foro interno, spectata qualitate personae sufficere etiam nudam promissionem, vel fidei interpositionem *Censurati*, si censura est occulta. tamen etiam *l. c. p.* 1. *cap.* 7. *n.* 7. idem recte monet, Regulares privilegiatos cavere debere, ne etiam pro solo Foro interno absolvant aliquem vi Juris communis, aut sententiae generalis notorie *censuratum*, v. g. Excommunicatum, vel cujus Excommunicatio jam fuit deducta ad Forum contentiosum priusquam parti laesae actu satisfecerit; quia alias, si talis Reus saltem pro Foro interno absolutus jam existit, ab Ecclesia tam facile adigi non valet ad satisfaciendum parti laesae, quod bene observare habent Confessarii Regulares: quamvis et in hujusmodi notorie Excommunicatis circumstantiae suadere possint, ut ad solam praeviam cautionem, vel promissionem absolutio pro Foro interno prudenter dari queat. 270

TITULUS XL.
De Verborum Significatione.

SUMMARIUM.

1 *Ratio Ordinis.*
2 *Inter Regulas de intelligenda Verborum significatione sunt etiam sequentes.* I. *Verba intelligenda sunt cum effectu, ut aliquid operentur.*
3 II. *Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam.*
4 III. *Sunt intelligenda, ut excludatur delictum*
5 IV. *Verba clara non admittunt interpretationem.*
6 V. *Verba sunt intelligenda, ut non derogetur quaesito Juri tertii.*
7 VI. *Et ut evitatur absurdum.*
8 VII. *Atque contradictio, vel correctio.*
9 VIII. *Verba sequentia accipiunt interpretationem a praecedentibus, et econtra.*
10 *De aliis Regulis. Remissive.*

Constat saepe dubitari de sensu, et significatione verborum Juris, hinc sicut in Jure Civili, ita et in Canonico integer positus fuit Titulus *de Verborum significatione.* Quoniam vero de hac multa jam diximus supra *Lib. I. Tit. II. de Constit.* § 15. 16. et 17. de Interpretatione Legum, et Regulis in ea observandis, pauca hic asseremus ponendo aliquas Regulas ad intelligendam *Verbor. signification.* 1

Regula I. *Verba intelligenda sunt cum effectu, ita ut aliquid operentur, et non sint superflua. L.* 1. § *Haec autem verba ff. Quod quisque Juris.* et *L.* 3. *Quod quisque Juris,* juncto *c. Relatum de Cleric. non resident.* 2

can. Haec autem verba. 17. dist. 1. de Poenit. nec minimum verbum, quin et ne syllaba superflua sit *l. quoties 12. ff. de Reb. dub.* Censentur autem aliquid operari, quando etiam solint majoris declarationis, cautelae, et omnis dubitationis tollendae, vel efficacioris voluntatis demonstrandae gratia ponuntur, aut exprimant id, quod tacite jam inest, vel in genere continetur. Abbas *in c. Si adversus. 11. de Haeretic. arg l. Quaesitum. 14. §. 4. ff. de Fundo instr.* et cit. *c. Si adversus. de Haeretic.*

3 Regula II. *Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam, et naturam actus, vel contractus, de quo agitur, et secundum qualitates personae, ad quam sunt relata, c. Quemadmodum 25. de Jurejur. c. Constitutum 6. §. Cum autem de Religios. dom. l. Ubi ita. 47. ff. de Mortis cau. Donat.* Menochius *lib. 3. Praesumpt.* 104. num. 29. Tuschus *Concl.* 95. *et* 98. Ratio est: quia proferens verba praesumitur, ea accommodare materiae, actui, vel contractui, de quo agitur, et personae, ad quam diriguntur, *c. Intelligentia R. h. t. l. Non aliter. 69. ff. de Legat. 3.*

4 Regula III. *Quando dubius sensus verborum in bonam et malam partem accipi potest, is accipiendus est, qui excludit delictum, adeo ut potius interpretatio, et significatio verborum impropria admittatur, quam delictum, c. Estote. 2. de R. I. l. Merito. 51. ff. Pro socio.* Ratio est: quia in dubio nemo deliquisse praesumitur, et factum cujusque in meliorem partem interpretandum est. Dicitur autem *in dubio*, quia ubi verba de delicto sunt clara, vel certe longe majorem turpitudinis, quam honestatis speciem prae se ferunt, et excusandi causa non apparet, haec Regula non procedit, sed subintrat generalis sequens.

5 Regula IV. *Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam:* de qua Regula vide *Lib. I. Tit. II. §. 16. num. 384.*

6 Regula V. *In dubio illa significatio praeferenda est, quae non derogat quaesito Juri tertii. can. Denique. cau. 14. q. 5. c. Super eo. 15. de Offic. Delegat. l. Nec avus 4. C. de emancipand. Lib.* adeo ut ad avertendum praejudicium Juris quaesiti tertio verba etiam improprie accipiantur. Tuschus *Concl.* 148. *n.* 1. quae Regula non tantum in privatorum actibus et dispositionibus, v. g. contractibus, Testamentis, sed etiam in Decretis, ac Beneficiis Principum procedit, *cit. l. Nec avus. ut l. Praetor ait. 2. §. 10. et 11. ff. Ne quid in loco pub.* Sicut et in quibusvis Privilegiis, et Rescriptis Pontificum, etiamsi cum clausula *ex certa scientia*, vel *motu proprio* sint emanata: cum omnia tacite contineant clausulam *salvo jure tertii*, vel *sine praejudicio tertii*, quatenus nemini praejudicent, sed Jus cuilibet illaesum et integrum conservent. *c. Licet 12 de Offic. Ordin. c. Dudum 31 de Privil. c. Quamvis 8 de Rescrip.* cum Concordantiis. Ratio est: quia Jus tertio jam quaesitum etiam publica auctoritate, non nisi necessitatis, vel utilitatis publicae causa auferri potest: et etiam hac urgente supremus Princeps vel Papa auferre non censetur, nisi exprimat. Innocentius *in c. Innotuit. 20. de Election.* Pirhing *de Constit. n.* 20.

7 Regula VI. *Verba interpretanda sunt, ut evitetur omne absurdum, adeo ut ad hoc evitandum etiam impropietas verborum admittatur.* Barbosa *de Axiomat. Juris. Axiom. 7. §. Absurdum.* Tusch. *Litt. A. Concl.* 66. *n. 17. arg. L. Non absurdum. ff. de Bonis Libertorum.*

8 Regula VII. *Verba sunt interpretanda, ut eorum correctio, et contradictio excludatur, c. Inter dilectos. 6. §. Continua de Fide Instrum. c. Cum expediat 29. de Election. in 6.* cum Concordantiis. Ratio est, quia nemo idem velle, et nolle, vel a sua dispositione illico recedere, et se in continenti corrigere praesumitur.

9 Regula VIII. *Verba sequentia interpretationem accipiunt a praecedentibus ejusdem dispositionis, et viciss̄im, l. Si servus. 50. in fine ff. de Legat. 3.*

Alias similes Regulas vide cit. *Lib. I. Tit. II. §. 16. et 17.* Item Barbosam *de Axiomatibus Juris* nec non *de Appellationibus Juris, et dictionibus usu frequentibus.* Item etiam Lexicon Juris.

TITULUS XLI.
De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1 *Regula* Juris *quid?*
2 *Alia est* authentica.
3 *Alia* brocardica.
4 *De* Regulis Juris *in specie qui scribant.*
5 *Quid sentiendum* de Regulis Juris.

Uti *Digesta* Juris Civilis, ita etiam tam quinque Libri, quam sextus Decretalium *Titulo de Regulis Juris* clauduntur. Ubi *per Regulam* ad propositum intelligitur sententia quaedam generalis plurium Legum et Canonum Summam paucis complectens: seu quae jus de variis rebus eandem tamen rationem habentibus, per diversas Leges et Canones constitutum, brevi compendio complectitur, et proponit: sic v. g. diversi Canones et Leges, quarum aliae feminas ab Officio Judicis, aliae a postulando, aliae a fidejubendo etc. repellunt, unica comprehenduntur Regula: *Foeminae ab omnibus Officiis civilibus et publicis remotae sunt*; quae est Regula. *2. ff. de R. I.* 1

Regulae hae aliae sunt *Authenticae*, aliae mere doctrinales, quae communiter *Brocardicae* vocari solent. *Authenticae* sunt, quae auctoritate Apostolica, vel Imperiali, Juri Canonico, vel Civili, et praesertim sub praesenti Rubrica de Regulis Juris in quinto et sexto Decretalium ad finem, atque *ff.* ponuntur. 2

Brocardicae sunt, quae a Juris consultis, vel aliis Doctoribus ex variis Juris textibus, ac dispositionibus, vel etiam Philosophorum dictis deprompta per modum axiomatum habentur, et applicantur quidem, Jus tamen non faciunt, nec Juris auctoritatem habent, cum in nullo Jure clausae supponantur. 3

De memoratis Regulis Juris in specie integros scripsere Tractatus Varii Doctores, inter quos est Augustinus Barbosa *in Collect. ad lib. 6. Decretal.* Henricus Canisius *in Summa Juris*, Dynus, Petrus Ferbius, et alii, ad quos Lectorem remittimus, si Declaratio dictarum Regularum Libro V. Decretalium Secundae Editionis per modum Appendicis annexa non satisfaceret. Volumus autem Expositionem dictarum Regularum Juris propterea transferre in Librum quartum, ut is exinde in Tomum aliquo modo aliis proportionatum excresceret. 4

Interea finaliter circa *Regulas Juris* illud monere conducens duximus, quod, etsi ex multis rationibus utile sit *Regulas Juris* saepius legere et memoriae imprimere (cum plurimum serviant ad facienda et firmanda argumenta causae, atque in dubio potiorem faciant causam illius, pro quo stant et allegantur, donec Adversarius jus in contrarium, et legitimam exceptionem afferat, prout advertit *Glossa fin. h. t.* Tamen multum decipiuntur illi, qui vel putant, se totum Jus ex illis intelligere, vel illis tam pertinaciter adhaerent, ut nullam contra illas exceptionem audire velint: cum tamen materiae, quas hae Regulae summarissime perstringunt, habeant maximam amplitudinem, et quaevis Regula suas exceptiones: Ita ut etiam de *his Regulis juris authenticis* verum sit illud Brocardicum: *Nulla Regula sine exceptione.* Et merito dixerit Juris-Consultus *in l. 1. ff. de Reg. Jur. Non ex Regulis Jus, sed ex Jure Regulam esse desumptam*, per quod insinuare vult: Juris fundamenta, et notitiam prius ex aliis titulis esse addiscenda, ac postea per compendiosas Juris Regulas in memoriam revocanda. 5

Hactenus ergo in quinque Libris tradita, et scripta sufficiant, cedantque ad majorem gloriam Dei, B. V. Mariae, totiusque Ecclesiae triumphantis, militantis vero, et omnium Legentium utilitatem. Nos interea humillime procrati in terram infinitas Deo gratias agimus, quod gratias et vires hoc Opus absolvendi misericordissime largitus sit, Eique soli, de omni eo, quod in illo bonum est, omnem laudem et gloriam per omnia tribuimus, atque hunc una cum praecedentibus Libris Judicio, et Correctioni sanctae Ecclesiae Catholicae humillime subjicimus. Amen.